UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annalium Paderbornensium Pars ...

Complectens Inprimis Fusiorem Episcoporvm Paderbornensium, Deinde Succinctiorem Historiam Reliquorum Per Westfaliam Antistitum, Tum Res Gestas Aliorvm In Eadem Hac Regione Clarorum Virorum, Postremo Pontificum, Imperatorum, Principum &c. Gesta, maximè ea, quæ Westfaliam contingunt

Ab anno Christi 1228. usq[ue] ad annum 1500.

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1698

urn:nbn:de:hbz:466:1-31195

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn
06
LTB
1109-2
15/393

7/54

BH

1200,-

2 von 3

Teil 1 fehlt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNALIUM PADER-BORNENSIUM

PARS II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNALIUM

PADER-

BORNENSIUM

PARS II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNALIUM PADER-BORNENSIUM

PARS II.

COMPLECTENS

INPRIMIS FUSIOREM

EPISCOPORUM PADERBORNENSIUM

DEINDE

SUCCINCTIOREM HISTORIAM

RELIQVORUM PER WESTFALIAM ET SAXONIAM

ANTISTITUM

TUM

RES GESTAS ALIORUM IN EADEM HAC REGIONE

CLARORUM VIRORUM

POSTREMO

Pontificum, Imperatorum, Principum

Acta & bella, maximè ea, quæ Westfaliam contingunt.

Ab anno Christi 1228. usq; ad annum 1500.

OPUS POSTHUMUM

AUCTORE

R.P. NICOLAO SCHATEN

SOCIETATIS JESU.

NEUHUSII

Sumptibus CHRISTOPHORI NAGEL, à JESNITZ-ANHALT-SAXON.

Typographi Aulici Suæ Celsitudinis Paderbornensis.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

ANNO MDC XCVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNALIUM
PADER
BORNENSIUM
PARS II.
COMPLECTENS
INPRIMIS FUSIOREM
EPISCOPORUM
PADERBORNENSIUM
DEINDE
SUCCINCTIOREM HISTORIAM
RELIQVORUM PER WESTFALIAM ET SAXONIAM
ANTISTITUM
TUM
RES GESTAS ALIORUM IN EADEM HAC REGIONE
CLARORUM VIRORUM
POSTREMO
Pontificum, Imperatorum, Principum
Acta & bella, maxime ea, quæ Westfaliam contingunt.
Ab anno Christi 1227. usq; ad annum 1500.

OPUS POSTHUMUM
AUCTORE
R. P. NICOLAO SCHATEN
SOCIETATIS JESU.

NEUHUSII
Sumptibus CHRISTOPHORI NAGELA JEJNITZ-ANHALT-SAXON.
Typographi Aulici Sac. Celsitudinis Paderbornensis.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.
ANNO MDCCXVIII.

REVERENDISSIMIS
ET
PERILLUSTRIBUS
DOMINIS,
D. WILHELMO,
ORD. TEUTONICI EQVITI,
ET PER WESTTPHALIAM ARCHI - COMMENDATORI,
NEC NON COMMENDATORI IN MULHEIM,
ET AD S. GEORGIUM MONASTERII
WESTPHALIÆ &c.

D. FERDINANDO,
ECCLESIARUM CATHEDRALIUM
PADERBORNENSIS, MONASTERIENSIS
ET HILDESHEIMENSIS, respectivè DECANO,
ET CANONICO CAPITULARI &c.
Rmi & Celsissimi Episcopi, & Principis Monasteriensis
CONSILIARIO INTIMO
ET AULICO.

D. FRIDERICO
MAURITIO
ECCLESIÆ CATHEDRALIS HILDESIENSIS
CANONICO CAPITULARI &c.

D. BERNARDO,
ECCLESIARUM CATHEDRALIUM
PADERBORNENSIS ET MONASTERIENSIS CANONICO
CAPITULARI &c.

Fratribus Germanis ex liberis Baronibus
à PLETTENBERG ex Lenhausen *etc.*

Dominis, et Mœcenatibus meis gratiosissimis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLementissima Tutela Reverendissimi ac Celsissimi Episcopi, & Principis Monasterienſis, S.R.I. Principis, primi Inferioris Circuli Rhenano-Westphalici Directoris Glorioſissimi, ex antiquissimâ Perillustrium PLETTENBERGIORUM familiâ prognati, ſub qua prima Pars *Annalium Paderbornenſium*, ab aliquot annis feliciter floruit, me ulteriùs exstimulavit, ut apud Vos altè memorati Principis Germanos Fratres è ſeptenario numero ex thoro fœcundissimo Domini BERNARDI L.B. à PLETTENBERG, & ODILIÆ ex Baronibus de FÜRSTENBERG ſuperstites, hujus ſecundæ Partis præſidium quærerem; quæ prodire in publicum erubeſcit, niſi PLETTENBERGIORUM nomen Vetuſtiſſimum & Glorioſiſſimum primâ fronte oſtentet, à quâ tot Perillustrium heroum Familiâ tutiſſimum ſibi aſylum pollicetur, utpotè quæ in varias tractu temporis diviſa Lineas, & terras, omni ſæculo heroes protulit, ſago & togâ, Domi foriſq; Illuſtres, Auguſtiſſimis Romanorum Imperatoribus, Regibus, Electoribus & Principibus &c. ob rara, & præclara in Rempublicam Chriſtianam merita, apprimè charos.

Imhoff. in notit. S.R.I. Lib. 3. c. 19.

Inter quos, non omittendus Ille heroicâ virtute, & multis ac ſtupendis victorijs clarus WALTERUS à PLETTENBERG, totius Germaniæ Nobilitatis, & Ordinis Teutonici decus inclytum, qui in Magiſtrum Livoniæ Anno 1495 electus, Anno poſt Electionem ſeptimo, nempè Anno 1502 cum ſeptem Germanorum, & quinque Livonum millibus, centum & ultrà Moſchorum, & Tartarorum millia uno prælio delevit, victoriæ ſuperſtites fugavit, & glorioſam quinquaginta annorum pacem, lege quâ voluit, Magno Moſcorum Duci extorſit: Ideoq; ob bellicam fortitudinem, raras virtutes, & bene merita de Chriſtianâ Republicâ, ac Religione primus ex Magiſtris Livoniæ S.R.I. Princeps, Anno 1515 creatus, illam dignitatem ſibi, & omnibus Succeſſoribus in Magiſterio acquiſivit. Imhoff. in notit. S.R.I. Lib. 3. c. 19. Bredenbach. de Bello Livon. Bozius Lib. 8. de Sign. Eccleſ. Levenc. Tom. 3. Hiſtor. Polon. Stangefol. Lib. 3. Annal. Circul. Weſtphal. Venator in Hiſtoriâ Ord. Teut. c. 13.

Hunc unum memoraſſe WALTERUM, abundè forſitan ſufficeret, niſi præclara PLETTENBERGIORUM geſta, ætas, & antiquitas &c. (quæ de theſauris ſuis nova profert & vetera) multorum ſæculorum Limites glorioſè excederet. E multis, pace ut ſpero veſtra, paucos commemorabo Ludis Equeſtribus Imperij à multis retrò ſæculis celebratiſſimos, quorum primus Ludo Equeſtri Hallæ in Saxonia Anno 1042 dato interfuit; dein Wormatiæ Anno 1209 habito bini alij, Erwinus nempè, & EMERICUS à PLETTENBERG, & quidem hic ultimus cum connotato Equitis: tùm JOANNES à PLETTENBERG Schweinfurti in Franconia Anno 1296: quarto Ingelhemij Anno 1337 HENRICUS à PLETTENBERG: quinto bini, BERTHOLDUS videlicet, & RABOLDUS à PLETTENBERG Moguntiæ Anno 1480: ſexto idem BERTHOLDUS Heidelbergæ Anno 1481: ſeptimo idem BERTHOLDUS Onolsbachij Anno 1485 cum titulo Equitis interfuêrunt; & idem hic BERTHOLDUS à PLETTENBERG in Regem Ludi Equeſtris Wormatiæ, Anno 1487 dati conelectus fuit. Imhoff. Lib. 3. c. 19. in notit. S.R.I. Videantur antiquiſſimi Scriptores de Torneamentis ſive Ludis Equeſtribus Imperij.

Nec

Nec minor in Deum pietas, ac religio, quàm ejusmodi Equestres Ludi, Majores Vestros condecorarunt, è multis attingam annum 1231, quo post obitum Sancti Patriarchæ Dominici anno decimo, piâ liberalitate Nobilium de *PLETTENBERG* Monasterium pro sacro Prædicatorum ordine Susati fundatum adhuc hodiedum conspicitur;

Stangefol. Lib. 3. Annal. Circul. Westphal. p. 351. Bertswort. in Alphabet. Nobilit. Westphal.

Quod dein plurium Sanctitate, & doctrinâ Illustrium Virorum celebre fuit seminarium, & inter alios Alberti Magni, indè Coloniam, ac Parisios ad doctoralem Lauream & publicam Professuram, ac deniq; ad Insulam Ratisbonensem postulati.

Eodem Anno 1251. Instrumentum publicum (vigore cujus Castrum Mülheimb, in Ducatu Westphaliæ ad Ordinis Teutonici jura translatum fuit) Henricus à Plettenberg, primo loco subscripsit.

Stangefol. Lib. 3. p. 372. & 373. Cleinsorg. in Chron. Westphal. fol. 380.

Mareschallatum totius Westphaliæ, quem vel Principes, Comites q; Imperij sæpè numero ambivêrunt, quem Ipse etiam Episcopus Paderbornensis Henricus Anno 1370 administravit, hunc annus 1260 jam longè ante delatum vidit Hunoldo à Plettenberg, postmodum in Joanne à Plettenberg, ab Anno 1296 usq; ad Annum 1321 laudabiliter continuatum.

Stangefol. in Chron. Westphal. Lib. 3, p. 382.

Unde Ecclesia & Archidiœcesis Colonienſis glorioſum non minùs, quàm forte præsidium in Mareschallis Plettenbergiis majoribus Vestris semper experta fuit. Quemadmodum adhuc initio hujus sæculi Henricus à Plettenberg, Proavus Vester gloriosæ memoriæ, dum se inter alios Generali *Schenkio*, partes exauctorati Electoris *Truchsesii*, & Lutheranorum acriter tuenti, generoso animo opponeret, in ipso loco conflictus propè pagum *Bremen* in Ducatu Westphaliæ pro Deo, Religione, Patriâ, ac partibus Electoris *Erneſti* Bavariæ Ducis non sine Familiæ, Viduæ, ac pupillorum dispendio in ipso flore ætatis fortiter occubuit.

Nec minus venerandæ antiquitatis Monumentum apud hanc Cathedralem Paderbornensem Ecclesiam exstat, siquidem statutum de mutuâ assistentiâ, Anno 1341 13tiâ Februarij conditum inter sex Seniores Capituli subscripsit BERTHOLDUS à PLETTENBERG.

Videatur Copiale Rmi Capituli. fol. 87.

Sic fortes creantur fortibus, & innata Vobis Proavorum virtus animiq; fortitudo post longa eorum funera, in Vobis etiam hodiedum illucescit.

Suspicit Te WILHELME, Germania nostra, & heroicam virtutem Tuam, in his posterioribus bellis, sub glorioſis Avunculi Tui *FERDINANDI Episcopi et Principis Paderbornenſis ac Monaſterienſis etc.* Laudatissimæ memoriæ, & confœderatorum Imperij signis, contrà ejusdem hostes Tuâ, cui præfectus eras, Legione, bellicâ fortitudine, ac prudentiâ, multoties præstitam, & quemadmodum, teste Tacito, *Gloria virtutis solet esse pedissequa etc.* Sic Tuas virtutes bellicas, condigna præmia sunt consecuta, scilicet præter duas Commendas, ipsa totius Westphaliæ Archi-Commenda ab inclyto Ordine *Teutonico* Tibi in præmium meritorum collata.

Nunc

DEDICATIO.

Nunc ad militiam Clericalem, & Te FERDINANDUM me converto, qui summorum Pontificum gratiâ & consensu ad Canonicatus trium præcipuarum Cathedralium Westphaliæ, & Saxoniæ inferioris &c. & in hac *Paderanâ* ad ipsam Decanalem dignitatem evectus, trium diversorum Principum, tribus diversis & pluribus vicibus ad Cæsarem, ad Reges, ac ad postrema Comitia Augustana, aliosq; Imperij Electores ac Principes &c. & deniq; ad nuperos universales Pacis Tractatus *Risvvicenses* cum magna Tui apud omnes existimatione Legatus & Plenipotentiarius cum summo jure fuisti &c. Hæc & multa alia de Republica Christiana, Religione, ac bono publico hujus Patriæ & R^mi Capituli bene merita fusius deducerem, nisi offensam innatæ virtutis & modestiæ Tuæ pertimescerem.

Vos quoque FRIDERICE MAURITI, & BERNARDE, trium Ecclesiarum Cathedralium respectivè Canonici Capitulares &c. A vita virtus PLETTENBERGICA minimè degeneres habet: Vestris moribus, prudentiâ, & exemplo, indies demonstratis, *Quod vera Nobilitas Virtutis Prosapia sit.*

Excutit è manu calamum, longiùs in laudes Vestras excurrere meditantem invida & inviſa mors, quâ ex *Perilluſtri* hoc fratrum septenario duos immaturè sustulit, nempè CHRISTIANUM THEODORUM Cathedralis Ecclesiæ Hildesimensis *Scholasticum*, de Ecclesia, antiquitate, & scientiâ historicâ, optimè meritum, hujusq; operis zelosissimum Promotorem &c. Et DOMINUM ADOLPHUM JOANNEM Dominum hæreditarium in *Lenhausen*, *Bergstrate*, *Melrich*, *Nortkirchen*, *Davensberg*, *et Meinhövell etc.* Eminentissimi ac Serenissimi Archiepiscopi, & Electoris *Colonienſis* Camerarium, & Consiliarium, nec non Nobilitatis Equestris per Ducatum Westphaliæ Deputatum &c. Eheu! quàm immatura & insperata funera viri virtutis adeò præcelsæ lachrymis nunquam satis deploranda; Solantur tamen bonos omnes, lachrymasq; detergunt, dulcissima ejus pignora filioli quatuor, quos ipse ex FRANCISCA THERESIA GUDELA ex Baronibus WOLFF-METTERNICH ex *Gracht* &c. susceptos post se reliquit: è quibus innata Genitoris, ac æmula Proavorum virtus etiam in tenerrimâ adhuc ætate emicat, & sub Vestrâ Tutelâ nunc singulari curâ excolitur, ut per illos, propitio cælo, tempora & sæcula futura, sicut per Vos, & Proavos Vestros præterita & præsentia condecoranda meritò speremus. Sic faxint superi, sic humillimâ veneratione precatur partus hic Historiographi, qui ex prælo meo egressus velut orphanus, gratiosâ tutelâ Vestrâ & Patrocinio foveri desiderat Perilluſtres Domini &c. Imò duplicato id jure prætendere præsumit, cum se partem esse antiquæ hæreditatis Vestræ, & avitæ gloriæ haud vanè gloriatur. Suscipite igitur in partes Vestras, partem hanc secundam sereno vultu, & gloriæ ac nominis Vestri splendore illustrate, atq; unà cum Perilluſtribus Pupillis Vestris in sera tempora vivite, vivite Deo, Religioni, ac Patriæ &c. Ita demississimè vovet, qui dum vixerit, est, eritque.

Rev^marum et Perilluſtrium Dignitatum Vestrarum &c. &c.

Devotissimus Servus,

Christophorus Nagel, Typographus.

Præfatio ad Lectorem.

PRodit tandem in lucem plurimorum votis diu expetita altera Annalium Paderbornensium Pars, Historiæ verò Westfaliæ Tomus III. Qui ab anno Christi 1228 usque ad annum 1500. quindecim in primis Episcoporum hujus diœcesis, reliquorumque per Westfaliam, Saxoniam et Rheni confluentes Antistitum, et clarorum Virorum res gestas; deinde Pontificum, Imperatorum, ac Principum acta et bella complectitur. Vix ullum in Europa regnum aut provincia, quæ suas non agant partes in hac historia. Romanam arcem varia concusserunt Schismata: Cui et minus favit Concilium Basileense. Vidit denique post longum exilium, Roma suum è Galliis reducem Pontificem pristinæ sedi restitutum. Et licet Gallia sibi Avenione obnoxios Pontifices adversus Romanorum Imperatores non semel concitârit; vicit tamen Germania præsuli suo constanter obstricta et devota. Sicilia Conradini et Friderici occisorum Ducum ostendit capita: nec multò post Gallorum omnium in regno versantium funera, Siculas vesperas nuncupata. Hussitarum initia, cruenta bella, furorem, progressum et interitum dabit Bohemia. In Austria videbis Habsburgicam familiam in thronum elevatam: In Lotharingia Burgundionum Ducem Carolum, Galliæ terrorem, provinciis et armis insolentem suo in sanguine suffocatum. Belgium post alternas fortunæ vices, Geldriâ licet reluctante, Leonem suum subdit Aquilæ Maximiliani Imperatoris. Templariorum ordo, postquam 186 annis egregiè pro Christiana Ecclesia militasset, post funestas plurium suorum cædes, planè extinctus, Gallis auctoribus, Germanis adjutoribus: an justè vel malè, disputant scriptores. Saxoniæ superioris et inferioris provinciæ variè divisæ à Comitibus ad Duces translatæ. Paderbornensis diœcesis, à Carolo M. Fundata, tot præclarorum Episcoporum et Illustrium virorum sedes, post multa superata pericula et bella, ab ipsomet suo Administratore Theodorico jam mox Colonienſi Archidiœcesi conjungenda, per decreta Pontificis et Basileensis Concilii ab interitu se vindicavit: ubi quoque videre licet, quam vasta id temporis fuerit Paderbornensium Episcoporum jurisdictio spiritualis. Reliquæ diœceses præsertim Moguntina, Colonienſis, Trevirensis et Monasteriensis et si gravibus non rarò motibus concussæ, incolumes nihilominus perstitêre: Inter quàm plura bella Westphaliæ famosum illud Susatense, quod levibus initiis exortum, multis annis protractum, tandem opera Cardinalis S. Angeli compositum. In his seculis pulveris nitrati et scloporum usus, ac Typographiæ ars in Germania inventa. Unum præcipuè, æterna oblivione dignum, in hoc Tomo Christianam dehonestat Rempubl. quod scilicet Imperatores, Reges et Principes Europæ, mutuis dissidiis, invidiis, et bellis collisi, cruentis gladiis propria sua viscera dilacerârint: et licet sæpenumero à summis Ecclesiæ præsulibus ad Bellum sacrum, adversus Christiani nominis hostes incitati, magna subinde promiserint subsidia, præstiterunt tamen pauca, vel nulla: et idcirco Turcis Constantinopolin, Bulgariam, Serviam, duo Imperia, 20 Provincias, ac ducentas florentissimas urbes, in prædam cesserunt. Et nisi duo fulmina belli Corvinus et Scanderbegus Turcarum furorem suâ virtute stitissent, Hungariam aliasque provincias suo quoque jugo subjecissent. Antiquum Christianorum malum, nec dum hoc seculo emendatum. Reliqua in compendio dabit Index, fusiùs Historia. Noluit Typographus ulterius Annales producere, ne materiam jam præparatam tertiæ parti subtraheret: cui si Westfalia Sancta, à P. Ioanne Kloppenburg S. J. p. m. congesta, adjungatur, quartum et justum dabit Tomum. Vale Lector et fruere.

COPIA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cùm ex mandato sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, ac aliis quibuscunque librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos, intra Sacri Romani Imperij Regnorum, ac Dominiorum Suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, aliòve Charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte, excudere, recudere, vel aliò excudendos, seu recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere clam, seu palam, citra supra dictorum Patrum consensum, ac testimonium audeat, vel præsumat.

Ego Henricus Weisweiler Societatis Jesu per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, concedo Christophoro Nagel R^mi & Celsmi Principis Paderbornensis Typographo Aulico facultatem excudendi librum, cui titulus: ANNALIUM PADERBORNENSIUM Pars IIda à P. Nicolao Schaten Societatis ejusdem Sacerdote, publico usui donatum. In quorum fidem hoc ei testimonium subscriptum, & consueto Officii Sigillo munitum dedi Coloniæ 8 Aprilis 1698.

Henricus Weisweiler.

(L.S.)

Approbatio R. P. Provincialis.

EGo infra scriptus Societatis JESU per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à Patre N. P. Thyrso Gonzalez Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto Librum à deputatis ad id censoribus ejusdem Societatis lectum et approbatum, cui titulus: Annalium Paderbornensium Pars IIda *à P. Nicolao Schaten Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum. In cujus rei fidem has literas manu propriâ, consuetoque officii Sigillo munitas dedi Coloniæ 8 Aprilis 1698.*

Henricus Weisweiler.

(L.S.)

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IHS

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XI.

BERNARDUS IV

Comes Lippiensis

XXIII9

SIMON

Comes Lippiensis

XXIV9

EPISCOP. PADERBORN.

BERNARDUS IV

Comes Lippiensis XXIIII.

EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1228.

Gregorij IX Pont. 2.
Friderici II Reg. 16 Imper. 9.
Bernardi IV Episc. Pad. 1.

Albertus Stadens. Histor. Brem. Archiep. Crantzius Bruschius.

Bernard 9 IV ex Comitum Lippiensium familia Episcopus Paderborn.

TRanslato ad Ultrajectensem Episcopatum Willebrando, concordibus omnium suffragationibus deligitur à Canonicis principis Ecclesiæ Bernardus, eo nomine quartus Paderbornensium Episcopus, clarus eo tempore in Clero Ultrajectensi vir, eòque Præpositus Embricensis; ex quo gradu dignitatis ad mitram evocatus est. Nec minus familiæ splendore illustris; quippe Comes Lippiæ, qui Bernardo Comite Lippiensi (quem ex supremo militiæ præfecto Monachum Campi Mariæ, Abbatem, & Episcopum Livoniæ supra toties celebravimus) natus patruum habuit Gerhardum Bremensem Archiepiscopum; fratres verò Ottonem Ultrajectensem Antistitem, & Gerhardum juniorem, cognomento Victoriosum, alterum Bremensem Archiepiscopum; quibus ille ex fratribus tertius accessit Episcopus. Ac mira præterea res, & rarum familiæ decus. Nam ut Bernardus horum trium Episcoporum pater consecratus est ab Ottone filio Episcopus Selonensis in Livonia; ita Gerhardus II à parente & fratre Ottone consecratus est Bremensium Episcopus, & ab hoc Gerhardo, qui ceteris superstes vivebat hoc anno, consecratus est Bremæ Bernardus Episcopus noster. Quemadmodum hæc Albertus Stadensis, Auctor historiæ Bremensium Archiepiscoporum, Crantzius, & alij non sine posteritatis admiratione retulerunt. Viditq; Westfalia sub idem fere tempus quinque simul illustres Episcopos ac Principes Imperij ex una Lippiensium Comitum familiâ; tanquam Deus heroicum

roicum illud Bernardi patris factum, qui viva adhuc conjuge, abdicatis omnibus familiæ opibus & honoribus, religiosam & Apostolicam vitam amplexus erat, remuneraret in filijs. Quartus ex his Bernardi filijs Theodoricus Daventrienſis Præpositus, quem bello ad Covordiam captum diximus. Quintus Hermannus familiæ stirps, atque heres paternorum bonorum: magnum per id tempus Episcopis fratribus præsidium, qui primùm Ottoni in administratione Ultrajectensis Episcopatus, deinde Gerhardo Bremensi, & Bernardo Episcopo nostro fidam semper operam præstitit.

Hac igitur parentis & fratrum Episcoporum claritudine Bernardus Episcopus noster hunc primum Episcopatus annum ingressus est, Vir cum cetera laudabilis, ut ex fastis ejus referemus; tum sub initium Episcopatus, incertum quâ victus aut Canonicorum importunitate, aut electionis præscripta conditione, aut alijs de causis, primus inter Episcopos Paderbornenses communis vitæ institutum, quod ad eum diem Canonici majoris Ecclesiæ in uno claustro colebant, dissolvit; id quod antè à multis sollicitatum tanta constantia negaverat Willibrandus Episcopus. Planè Gobelinus noster. *Sub Bernardo IV Episcopo in Ecclesia Paderbornensi facta est mutatio regularis vitæ, quæ hactenus viguerat, ad statum Canonicorum secularium.* Quod & Crantzius, Bruschius, Kersenbrochius alijque tradiderunt. Serò quidem hæc mutatio cœpta, postquam ab Hathumaro primo Episcopo, & à Caroli M. ævo, sub viginti duobus Episcopis hæc vitæ ratio sanctè culta, severaque disciplina conservata fuerat; sed non primi hujus relaxationis auctores Paderbornenses, quando jam anno Dcccclxxvii, post excessum Theodorici Trevirensis Archiepiscopi, Canonici Trevirenses illud regularis vitæ institutum exuerant; *quorum exemplo*, ut Trithemius scribit, *Canonici S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, et complurium aliarum Ecclesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu regularis vitæ communitatem abjecêre.* Quemadmodum id ex singulorum fastis explorandum est. Bremæ post annum Mxl sub Bezelino Archiepiscopo, postquam claustrum cum officinis, bibliotheca, & omni supellectile igne consumptum est, communis Canonicorum vita dissoluta est, quibus incendij malis cùm in privatas ædes secedere necesse esset, multis quoque alijs in locis Collegiorum societas, ac regularis instituti disciplina laxari cœpit.

Sub quo communis vitæ institutum inter Canonicos Cathed. Ecclesiæ laxari cœpit.

Gobel. ætat. 6. c. 64. Crantzius.

Trithem. in Chron. Hirsau. ad annum 977. Brouver. in annal. Trevir. Joann. Molan. l. 1. de Canon. p. 14 & 15. Panegyr. Paderborn. lib. 3. c. 8. Adamus Bremens. in Bezelino.

Incidit primus Bernardi Episcopatûs annus in conturbata Westfaliæ tempora; quo Henricus Limburgicus Montium Comes Adolphum Marchiæ Comitem hostilibus armis est aggressus. Causam belli dedit Marcani potentia, qui eversa Isenburgica & Novopontana arcibus, cetera proscripti Friderici Isenburgici, ob necem D. Engelberti, bona occupabat, exuto Theodorico Isenburgico filio; hujus cùm tutor esset Limburgicus, vindicandum suscepit, tractis

Initia Episcopatus Bernardi turbida, ob varia tum exorta bella.

ctis in belli ſocietatem Lippienſi Comite, Steinfurti Dynaſta, ceteriſque Weſtfaliæ proceribus: ut vicina ſemper ſurgentium potentia inviſa eſt. Multis invicem rapinis, vaſtationibus, dimicationibuſq; bellum protractum, & in Steinfurti Dynaſtam ac diœceſin Oſnabrugenſem fuſum; quibus tamen congreſſibus, Marcanus ſemper ſuperior fuit; uti hæc multis exponuntur à Levoldo. Ne tamen tota Iſenburgica ſtirps extingueretur in Weſtfalia, Limburgicum caſtrum in vertice montis ad Leinnã fluvium conſtruxit, quod à Limburgico caſtro ad Moſam novum Weſtfaliæ Limburgum dixit, jure fiduciario datum Theodorico Iſenburgici filio; à quo per multos annos horum Comitum Limburgicorum per Weſtfaliam progenies, donec noſtro demum ſeculo extingueretur.

Attinebatur in hunc quoque diem Otto, Brunſwicenſis & Lunenburgenſis Dux, captivus à Zwerinenſi Comite; quo per id tempus extincto, è carcere ſolutus Brunſwicum redijt. Sed multis vaſallorum mox odijs armiſq; petitus fuit. Vaſallis ſe junxêre Magdenburgenſis & Halberſtadienſis Epiſcopi, inflammante eos, ut creditum fuit, Friderico Imperatore; quòd & illi Ottonis potentiam, ad quem tota Henrici Leonis hereditas à parente & patruis devoluta erat, ferrè non poſſent. Multa ejuſmodi inteſtina bella per inferiores haſce Germaniæ provincias propter diuturnam Imperatoris abſentiam in Italia; quanquam is hoc anno tandem poſt tot Honorij & Gregorij Pontificum hortamenta preceſque, quas toties fefellerat, expeditionem in Palæſtinam ſuſceperit; ſeu ut votum aliquando exſolveret; ſeu ut Pontificem, à quo anathematis vinculo, ut ſupra diximus, illigatus erat, placaret. Ejus rei gratia Germaniæ proceres Ravennam ad conventum, quem in Quadrageſima habuit, prodire juſſit; ipſe 11 Auguſti demum conſcenſa claſſe in Syriam navigavit; ac 7 Septembris Ptolemaidem delatus, alios ſibi ex Chriſtianis adverſos, alios benignos habuit. Interim Hieroſolymam progreſſus, invito licet Patriarcha, Regem ſe Hieroſolymitanum coronavit, inſignibus propria manu ex altari detractis. Nec multò poſt probroſa Chriſtiano nomini pace cum Soldano initâ (qua inter cetera Templum ac ſepulchrum Domini in Saracenorum poteſtatem traditum) in Italiam remigravit; multa ſpecioſè jactando, cùm non niſi Hieroſolymam, Joppen, ac alia quædam loca infirmis mœnibus reparaſſet.

Godefrid. in annal. Ursberg. Blondus. Nauclerus. Paulus Æmilius. Sigonius. Trithemius.

Imperator tãdem in Palæſtinam diſcedit, ſucceſſu parum glorioſo.

Neque à filio Henrico Rege multum pro Republica agebatur, quòd is lubricam fere juventutem traduceret in ſuperiori Germania; ab eo tamen ac patre laudabile æquitatis judicium reſcriptumque poſſidemus, quo Mons Martis, qui ad id tempus Eresburgum dicebatur, vetus Caroli M. donum, Corbeienſibus aſſertus adverſus Henricum Colonienſem Archiepiſcopum, qui neſcio quam juriſdictionem poſſeſſionemq; ſibi vendicare eo in loco voluit; id vero ejuſmodi eſt.

Henricus R. Friderici filius Eresburgum Corbeienſibus adjudicat.

Henri-

Henricus Dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. Universis Imperii fidelibus quibus præsens scriptum exhibitum fuerit gratiam suam et omne bonum. Ad notitiam universorum volumus pervenire, Nos mandatum Domini Imperatoris patris nostri recepisse. quod nequaquam ratam habere vellet Warandiam. quam in solemni curia nostra apud Herbipolim feciſſe dinoscimur de monte Martis Archiepiscopo Colonienſi in Abbatis dilecti principis nostri præjudicium Corbeienſis. Et quod eundem Abbatem in possessionem dicti montis remitteremus eidem plenam Warandiam præstando prædictus Dominus noster Imperator nobis firmiter injunxit. Nos vero mandatum Domini Imperatoris patris nostri conservare, et implere in omnibus cupientes. auctoritate præsentium in possessionem ejusdem montis dictum Principem nostrum Abbatem Corbeienſem mittimus cum omni jure; nullam jurisdictionem in ejusdem montis possessione recognoscentes Archiepiscopo Colonienſi. Mandamus itaque per gratiam nostram firmiter præcipientes. quatenus nullus ausu ductus temerario memoratum Abbatem in possessione sæpe dicti montis impedire vel molestare præsumat. Quod qui fecerit gravem indignationem nostræ Celsitudinis se noverit incursurum. Testes hi sunt Henricus venerabilis Eistetenſis Episcopus. Henricus illustris Dux Bavariæ. Comes H. de Dilingen. F. de Druhendingen. E. Dapifer de Walpruc. C. Pincerna de Winterstede et alii quam plures. Datum apud Ulmam. Anno Domini MCCXXVIII *Indictione prima.*

Annus Christi 1229.

Gregorij IX Pont. 3.
Friderici II Reg. 17. Imp. 10.
Bernardi IV. Ep. Pad. 2.

Posteaquam verò Fridericus Imperator majori fama quàm gloria ex Palæstina regressus, Pontifex propudiosam illam cum Sultano pacem, auro magis ac prece quàm armis partam, in senatu purpuratorum Patrum damnavit, initoq; cum Longobardiæ civitatibus fœdere, Fridericum execrari cœpit. Imperator compertâ Pontificis indignatione, misit Leopoldum Austrium, Othonem Moravium, Bernardum Carintanum, Bertholdum Aquileienſem Patriarcham, Sigefridum Ratisbonenſem Episcopum, ad Pontificem mitigandum; verùm ille implacabilis, misit quaqua versum per Europam Legatos, & ex his Ottonem titulo S. Nicolai in carcere Cardinalem in Germaniam, qui Fridericum Imperatorem, ob res in Palæstina perfidè gestas, & injurias, quibus Pontificis urbes & terras vexârat, diris à Sede Apostolica devotum denunciaret, animosq; Principum de alio Imperatore deligendo pertentaret; at male ubique excipitur. Sanè cùm ex Dania redux Ottonem Brunswici & Luneburgi Ducem hortaretur ad imperium capessendum, aspernatus est hæc importuna consilia Dux. Leodij deinde & Aquisgrani non sine populi concitatione rejectus Legatus. Quæ postquam Henricus Rex agitari didicit, civitates adversus Episcopos concitare cœpit, earum

Godefrid. Vrsberg. Spond. Bzovius.

Pontifex de alio Imperatore Friderico subrogando laborat.

Brouverus lib. 15. annal. Trevir.

carum defensionem suscipere, privilegia augere. Nec desunt, qui velint tum fundamenta libertatis multis in urbibus esse jacta, quæ exinde sese Episcoporum imperio cœperunt exuere.

Bernardo Ep. cum Eresburgensibus transigit de jurisdictione sacra.

Hoc quoq; anno Oppidum Montis Martis, sive Eresburgum, è pessima ruina, de qua ad annum MCXLV supra relatum, reparari cœpit; & quia incolæ in subjecto montis pago Horeshusano ad Oppidum montis commigrârant, ne quid hac transmigratione jurisdictioni Paderbornensis Ecclesiæ subtraheretur (quæ antiquo jure Archidiaconatum Horhusanum ex utroque loco sibi vendicabat) vigilantia Bernardi Episcopi actum est, ut in hunc modum conveniretur, quem ipsi consules & Oppidani suis tabulis consignârunt.

Nos Consules et universitas Montis qui dicitur Heresberg universis præsentem paginam inspecturis præsentium tenore significandum duximus. quod cum nos à villa Horebusen ad montem qui dicitur Heresberg Paderbornensis diœcesis nostra domicilia transtulissemus. ac montem munientes eundem ab obedientia Ecclesiæ Paderburnensis. qua eidem in spiritualibus eramus subjecti. inobedienter recessissemus. tandem cum eadem Ecclesia convenientes. inter ipsam et nostram universitatem talis ordinatio intervenit. quod nos errorem nostrum recognoscentes. et ad obedientiam matris nostræ Ecclesiæ videlicet Paderburnensis redeuntes. debitum in spiritualibus ad ipsam habebimus respectum. et Clericum quem Episcopus Paderbornensis apud nos Ecclesiæ constructæ sive construendæ et à nostra universitate dotandæ præfecerit. quemque Archidiaconus loci dono altaris investiverit tanquam nostrum plebanum modo ad præsens recipiemus reverenter. remanente nihilominus apud nos post mortem ejusdem plebani alium nobis eligendi plebanum libertate. dummodo electus à nobis Archidiacono ad recipiendum donum altaris et curam animarum præsentetur. ipsamque Ecclesiam nostram Dominus Episcopus parochialem faciendo et sepulturam ibidem indulgendo. tempore oportuno consecrabit. Præterea Archidiaconum de Capitulo majoris Ecclesiæ Paderburnensis qui synodo Horebusen præsidere consuevit. in monte et præfata Ecclesia synodo præsidentem tanquam nostrum Archidiaconum cum omni jure. quod ipse Archidiaconus antequam nos ad montem transferremus in Capella S. Dyonisii Horebusen habuit. et adhuc circa universam plebem ejusdem Archidiaconatus habere dinoscitur admisimus. duobus tamen articulis non de jure sed de benignitate et gratia Archidiaconi et Ecclesiæ exceptis. quod nec denarios vel obulos synodales persolvemus. et quod homines inter nos servilis conditionis à Scabinis accusati non in ferro candenti. sicut alias consuetum est. sed manu duodecima suam expurgationem præstabunt. Ne autem hæc præscripta ordinatio. tam ab Ecclesia Paderburnensi. quam à nostra universitate valeat imposterum revocari. vel aliquid in ipsa immutari præsentem cartam sigilli nostræ universitatis appensione. ac testium annotatione roboratam. quam cartam etiam sub eodem tenore Domini Episcopi et Capituli sigillorum impressione munitam ab ipsa Ecclesia accepimus. Ad exhibendum pro et contra

nos

nos si necesse fuerit. Ecclesiæ dedimus eidem. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIX. VII *Calend. Septembris. Testes hujus rei sunt. Herman de Vesperthe. Johan de Eleren. Tetmar de Durslo. Johan de sancto Magno. Johan de Westhem, plebani. Milites vero. Andreas de Durslo. Olricus de Westhem. Alradus. Henric de Brocbike. Stephanus fratres de Dalhem. Tideric de Etlen. Bodo. Henric et Johan de Schnevethe. Consules vero Vollant. Alrat. Herman. Conrat. Monetarij. Tideric de Gesmaria. Tideric de Velrebergh. Ludolff de Capella. Henric Westval. Henric de Dune. Regenhart de Hoburgehusen. Regenhart de Hattepe. Johan de Fabrica. et tota universitas montis ejusdem.*

Annus Christi 1230.

Gregorij IX Pont. 4.
Friderici II Reg. 18 Imper. 11.
Bernardi IV Ep. Pad. 3.

Annus exinde consequens Mccxxx subitam rerum gratamq; mutationem attulit in Imperio; intervenêre enim viri sapientes ac pij, Messanensium Archiepiscopus, Leopoldus Dux Austriæ, Ordinis Teutonici supremus præfectus, alij Principes, qui Fridericum Imperatorem cum Gregorio Pontifice certis pacis legibus reconciliarunt; restitutusque Imperator communioni Ecclesiæ. Ad hanc pacem in Imperio promulgandam Otto Cardinalis Legatus Coloniam accessit, magno omnium civium gaudio honorificentissimè exceptus; ubi & Aquisgranenses ob superioris anni insolentiam in gratiam recepti sunt. Sed nec minus laudabile negotium erat hujus Apostolici per Germaniam Legati, in corrigendis formandisq; Cleri & religiosorum moribus, postquam labente per bella Ecclesiæ disciplinâ variæ Episcoporum synodi sunt habitæ, una priscorum Episcoporum cura ac medela. Quamobrem cùm in alios Episcopatus; tum ad Monasterienſem, Paderbornenſem, & Osnabrugengem Episcopos misit vice sua viros sapientes ac religiosos, qui pro commissa auctoritate vulnera sacrorum curarent, quod hæ Ottonis literæ testantur.

Godefrid. in Annal. Albertus Stadensis. Matthæus Paris. Stero in annal. Odoricus in hist. Eccles. Brovverus in Annal. Trevir.

Otto Cardin. Legatus Apostolicus intendit reformationi Cleri & Monasteriorum.

Venerabilibus in Christo Patribus, Monasterienſi, Paderburnenſi, et Osnaburgenſi Episcopis Otto miseratione divina sancti Nicholai in carcere Tullianenſi Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus salutem in Domino. Cum ex injuncto nobis legationis officio ad statum et reformationem Ecclesiarum legationis nostræ intendere teneamur, quia per loca singula discurrere non possumus per nos ipsos, Viros de quorum discretione et honestate confidimus, nos interdum oportet dirigere, qui suppleant vices nostras. Unde cum dilectis in Christo, Abbati Bredelarensi Ordinis Cistertiensis, Fratribus Conrado de Huxaria Priori, Provinciali Fratrum Prædicatorum Theutoniæ, et Ernesto Osnabrugensi ejusdem ordinis, de quorum vita et scientia plenam in Domino fiduciam optinemus, nostris dederimus districte litteris

teris in præceptis, ut in monasteriis tam Monachorum quam Canonicorum regularium, nec non et inconventibus ac Decanatibus Clericorum secularium, cum etiam vos multiplicibus occupati ad hæc sicut credimus intendere non possitis, impendant visitationis officium vice nostra, corrigendo et reformando tam in capite quam in membris, quæ correctionis et reformationis officio videbunt indigere. Paternitatem vestram rogamus et exhortamur in Domino, qua fungimur vobis auctoritate præcipiendo mandantes, quatinus prædictis visitatoribus favorem vestrum consilium et auxilium efficaciter impendatis. Ita quod vobis sit meritorium apud Deum et status Ecclesiastici ordinis comprobemini Zelatores, Nos quoque sollicitudinem vestram debeamus ex hoc merito commendare, et negligentiam redarguere durius non cogamur. Datum Tornaci III Idus Maji.

Bernardo Ep. reformationem Diœcesis suæ certis à se & aliis delectis viris committit.

Quo verò emolumento hi inspectores, correctoresque disciplinæ Ecclesiasticæ versati sint in nostra diœcesi, anno proximo ex eorum statutis docebimus. Interim Bernardus Episcopus noster, ut omnem diœcesis suæ statum sub exordia gubernationis ordinatissimè componeret, delegit ex omni ordine sapientissimos, quorum cognitioni & judicio omnia commisit, quæ vel in sacris, vel in civilibus emendanda essent. Qua super re hæ publicæ literæ supersunt.

Diversis habitis tractatibus super reformatione Paderbornensis Ecclesiæ, quæ propter diversos casus in temporalibus et spiritualibus est collapsa, Nos Episcopus et Capitulum, vel major et sanior pars Capituli, Nobiles et Ministeriales, cæterique homines Ecclesiæ Paderborn. in hunc modum convenimus, quod tales unanimi consensu et voluntate inter nos præficiantur ordinatores et Consiliarij, videlicet de Capitulo Præpositus major, Decanus, Scolasticus, Camerarius, et Volcbertus de Elsen, et quos ipsi de Prælatis et Canonicis majoris Capituli et aliarum Ecclesiarum civitatis et diœcesis Paderborn. assumere voluerint. Nobiles B. de Lippia, et B. de Hosede. Ministeriales Ecclesiæ Paderborn. Hermannus et Bertoldus fratres de Brakel, Albertus de Stormede, Johannes Stapel, Ludolphus de Herisia, Hermannus Marschalcus, Georgius, Henricus de Gummer, S. Dapifer, Wernerus Stapel, Wernerus de Wever, Henricus Camerarius, Amelungus filius Comitis de Wartpere, Volbertus de Egsnen, Henricus de Dynkelborch, Conradus de Ossendorp, Conradus filius Villici, et Bertholdus Busse, et quos ipsi de consilio Capituli et prædictorum assumere voluerint. Hi omnes juraverunt, et assumendi jurabunt, quod consulent et ordinabunt ad honorem et utilitatem Domini Episcopi et Ecclesiæ suæ, pro ut melius sciunt et possunt, et ipsis divinitus fuerit inspiratum. Nos B. Episcopus juramus, quod ipsorum stabimus ordinationi, et amota qualibet conditione, quidquid prædicti ordinaverint, vel consulerint, pro nobis et Ecclesia nostra servabimus, et quidquid ob hanc causam dicto nobili B. de Lippia occurrerit, vel evenerit adversitatis, Ecclesia sibi assistet, et ipse è converso assistet Ecclesiæ, et hæc obligatio durabit à primo festo Jacobi ad quinque annos. Quod autem hæc majorem obtineat firmitatem et evidentiam pleniorem appositæ sunt sigilla, nostrum videlicet

delicet, Capituli, Præpositi majoris, Decani, Scolastici, Camerarii, Volberti de Elsen. Nobilium B. de Lippia, B. de Hosede, Ministerialium Hermanni et Bertoldi fratrum de Brakel, et hoc de consensu aliorum sigilla non habentium. Actum anno Domini M c c xx x.

Quæ dum hoc anno domi aguntur, Bernardus Episcopus & Hermannus frater Comes Lippiensis, à Gerhardo fratre Bremensium Archiepiscopo implorati, fida militum auxilia cum aliis submisêre bello adversus Stedingos. Celebre hujus populi nomen apud Scriptores ex rebellione & hæresi. Sedes his erat ad Visurgis,, Hontæ, aliorumque omnium ripas in Bremensi diœcesi. Et jam ab anno 1204 cœperat hæc populi rebellio. Causa data ab alijs refertur durum imperium, quo à nobilibus & ministris Archiepiscopi tractati: ab alijs sacerdotis avaritia, cui cùm fœmina nobilis post confessionem obtulisset ad aram exilis pretii nummum; ille post ad exprobandam muneris exiguitatem loco Eucharistiæ præbuit fœminæ eundem, quem obtulerat nummum. Qua conjugis injura exacerbatus maritus, arreptum Sacerdotem abjicit in aquas, immergitque. Ob id facinus cùm auctor cædis anathemate feriretur, & hunc populus ad supplicium dare recusaret, ab efferatis hominibus rebellio accensa est; uti nobilium factiones rusticanam plebem facilè in partes trahunt. Hinc Bremensi Archiepiscopo sua jura & census negare, præfectos ejus ac ministros indignè tractare, fines suos ad Visurgim præmunire, multaque insolenter agere, confisi paludibus & fluminum objectu, quibus terra eorum prope inaccessa erat. Ad horum rebellionem comprimendam primùm anno 1207 arma sumpsit Hartwicus Archiepiscopus, verùm cùm ille accepta pecunia nullo operæ pretio rediret: contendentibus postea Gerhardo & Waldemaro, ut supra monuimus, de Bremensi Archiepiscopatu, nunc huic, nunc illi suam operam impendere, ac se in plenam libertatem efferre, delectisque sibi rebellionis ducibus, omne sacri & civilis magistratus imperium, cui hactenus paruerant, exuere, decimas & obedientiam recusare, Rustringos & Ostringos, vicinosq; in societatem rebellionis adsciscere; & quo tutius perfidiam alerent, ingenti fossa provinciam incingere, ut jam vicinis etiam formidini essent. Tum verò hac rebellione, ut hæc mala se consequi solent, provoluti in fœdas hæreses, ausi sunt responsa dœmonum captare, templa atque aras evertere, in Sacerdotes ac Clericos per extremos cruciatus sævire, cæco furore sacra omnia contaminare, Eucharistiam pedibus proculcare, cerea sibi simulacra fingere, quibus divinos honores tribuerunt; tanquam qui omni christiana religione ejurata, ad pristinam barbariem & Idololatriæ cultum recidissent. Tam immania gentis populique sibi subjecti facinora, quæ pessimo etiam exemplo vicinos afflarant, non ultro ferenda ratus Gerhardus Archiepiscopus, vir magnanimus, & multis jam bellis clarus,

Godefrid. in annal. Auctor Hist. Brem. in Gerhardo II. Albertus Staden. Cantipratatanus. Joann. à Leid. in chron. Chron. Frisiæ. Beka in Ottone III. Heida in Ottone III. Molanus de milit. sacra Cranzius l. 7. Metrop. c. 47. Chron. M. Belgii. Haræus in Henr. IV. Meyerus.

Bernardo Ep. cum aliis succurrit.

Bremensi Archiep. in bello adversus Stedingos.

clarus, collectis è diœcesi Bremensi, Paderbornensi, comitatu Lippiensi & Schawenburgensi, viciniſque provinciis ingentibus militum copijs (quibus Hermannum fratrem Comitem Lippiensem præfecit Ducem) rectâ in Stedingos ire jussit. Verùm & illi non imparati, adjutique ab Ottone Lunenburgi Principe, veteri Bremensium hoste ab amisso Stadensi comitatu, se ad occursum Bremensium sistunt; & cùm ad primum militarem congressum festo Natalis Christi cœsus occumberet Hermannus Lippiensis Comes, ceteri amisso Duce in fugam soluti sunt. Magno jactura & mors ejus dolore excepta; quem virum sapientem, multis virtutibus ac præliis illustrem, celebrant Scriptores, magnoque luctu fratres Gerhardus Bremensis, & Bernardus Episcopus noster prosecuti sunt. Ceterum hac victoria elati Stedingi Sluteram arcem, quam adversus rebelles haud procul Delmenhorsta struxerat Archiepiscopus, captam funditus evertunt, extremumque diœcesis Bremensis exitium minitantur, vicinis haud minus formidabile. Quare ut à Pontifice, sacro adversus Stedingos bello indicto, ab Episcopis ceterisque Principibus domiti sint, ad annum 1234 narrabitur. In tanta veterum Scriptorum consensione non desunt ex heterodoxis nostri temporis, qui cum Ubbone Emmio Stedingis non minus, quàm Albigensibus hæc sacrilegia & hæresis crimina affingi velint; tanquam serò tandem priscis illis scriptoribus fides in eorum dictis abroganda sit: nec appareat fraternum hîc ab hæreticis ex eadem causa hæresis patrocinium suscipi. Nam quàm fœdæ ac furiosæ præter Albigenses & Stedingos hæreses Germaniam etiam nostram sub idem tempus contaminare cœperint, satis constat ex Broweri annalibus. Reperti enim, qui non modò Pontificem, sed omnem magistratum sacrum & civilem execrarentur: qui infantes fonte baptismatis ablutos rursum mergerent: qui confirmationis, Eucharistiæ, matrimonij, & extremæ unctionis Sacramenta damnarent: qui jejunia, & preces pro defunctis proscriberent: matrimonia in vagos concubitus commutarent; eòq; vesaniæ abrepti sunt, ut dæmonem Catti specie exoscularentur, & numinis instar colerent. Et si Romanorum edicta consulas, fuêre per id tempus consimiles hæretici Cathari, Putareni, Pauperes de Lugduno, aliæque hæresum pestes, ut harum, & Albigensium contagione afflati videri possint Stedingi.

In quo bello occumbit Hermannus Comes Lippiæ Bernardi Ep. frater.

Ubbo Emmius lib. x. Buchelius in notis ad Ottonem III Episc. Vltraject.

Brouver. l. 15. Annal. Trevir. ad hunc annum.

Odoric. in hist. Eccles. ad hunc annum.

Ceterum Hermannus Comes Lippiensis bello Stedingorum extinctus, heredes filios reliquit superstites, Bernardum eo nomine III Comitem ac Successorem, Simonem Paderbornensem Episcopum Adjutoremque Bremensis Ecclesiæ, Ottonem Monasterienſem, & Gerhardum postulatum Bremensem Episcopum; quos vel ex Gertrude herede Dynastiæ Rhedanæ, vel ex Theodorici primi Limburgici Comitis filia susceperat. Statimque Bernardo cum Ottone Teclenburgico gravis controversia bellumque fuit de Rhedano

ad

ad Amasim dominio, quod à Teclenburgico seu jure debitum mox occupatum retentumque, frustra ex dote in hunc diem repetente Lippiensium familia.

Transigitur inter Archiep. Colon. & Abbatem Corbeiensem de Monte Martis.

Felicius hoc anno Susati in celebri procerum Westfaliæ congressu transactum inter Henricum Colonienſem Archiepiscopum, & Corbeiensem Abbatem; compositaque lis, quæ de Monte-Martis inter utrumque, ut supra etiam relatum, intervenerat. Ejus transactionis hæ publicæ tabulæ extant, multorum etiam Comitum ac nobilium nominibus memorabiles.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente gratia sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus Universis Christi fidelibus, ad quos præsens pagina pervenerit in perpetuum. Ad oblivionis confusionem evitandam notum esse cupimus tam præsentibus quam futuris, quod super controversia inter Nos et Hermannum Abbatem Corbeygensem super monte Martis et aliis habita, nos tum propter pacem terræ, tum propter Ecclesiæ nostræ et suæ mutuam in perpetuum promotionem et familiaritatem, prudentum consilio, et Ecclesiæ nostræ consensu, amicabiliter cum ipso composuimus in hunc modum, quod nos videlicet et Ecclesia Colonienſis retinebimus medietatem jam dicti montis cum omni jure et proventu, excepto claustro in monte sito, quod Abbatis et Ecclesiæ Corbeienſis spirituali jurisdictioni et dominio solummodo subjacebit. Neuter nostrum Castellanum in dicto monte locabit, vel ædificium aliquod construet sine alterius consensu et voluntate, si vero aliquid ædificandum est, fiet de consilio amborum, et communibus expensis. Nos autem in restaurum jam dictæ medietatis montis cum consilio Priorum et consensu Capituli Ecclesiæ majoris curtim in **Drinere** *Ecclesiæ Corbeienſi cum omni jure contulimus perpetuo possidendam. Ad amplioris quoque dilectionis et familiaritatis firmitatem memoratus Abbas de consilio suorum fidelium, et Ecclesiæ suæ consensu, castri* **Lichtenhilst** *medietatem nobis et Ecclesiæ Colonienſi assignavit, et nos Oppidum prope castrum idem communibus ædificabimus expensis, et muniemus, quod in omni proventu nobis erit commune. In castro autem nullus constituatur Castellanus nisi de consilio partis utriusque, si vero molendina prope castrum ædificata fuerint, medietas proventuum nobis et Ecclesiæ nostræ cedet. Item bona Abbatis et Ecclesiæ suæ et suorum Ministerialium et Castrensium, tam in Oppidis, quam in villis, et hominibus, et aliis ad eum et ipsos pertinentibus ab exactionibus et quibuslibet injuriis salva erunt, et in nostra tuitione consistent; nisi forte ad proclamationem terræ ad justa judicia contra malefactores exercenda iidem homines Corbeienses debent subservire. Item prænotato Abbati XII dedimus fidejussores subnotatos, qui fide data promiserunt, quod si aliquis hominum nostrorum ipsum vel homines suos ad summam 20 marcarum vel infra læserit, nos commoniti infra 4. septimanas faciemus emendari; alioquin fidejussores nostros facta sibi commonitione* **Merßberg** *intrabunt, inde ante satisfactionem non exituri. Si vero nos justum judicium in ipsum malefactorem exercuerimus, vel cum de oppidis et castris no-*

stris expulerimus, ipsi fidejussores ex eo sunt absoluti. Hi autem sunt fidejussores, Hermannus advocatus Coloniensis, Theodoricus Dapifer, Franco Pincerna, Godfridus Camerarius, Gosvvinus Marscalcus, Richvvinus Marscalcus, Joannes de Padberg, Gosvvinus Scultetus de Susato, Theodoricus et Herboldus de Hildene/Hermannus Spegel/Henricus de Werle. Si verò aliquem fidejussorum prædictorum decedere contigerit, loco ipsius alius substituetur. Item Ministeriales et Castrenses nostri et Abbatis non debent in oppidis nobis communibus per judicium detineri, nisi in manifestis excessibus, ut furto, rapina, et similibus deliquerint, propter quod ibidem judicabuntur: etsi aliquis à nobis proscriptus fuerit, ille nostræ servabitur jurisdictioni. Item si Ministerialis noster, vel Castrensis, vel aliquis in Oppidis et castris nostris residens, nostra sera firmatis et vigilibus custoditis, erga Ecclesiam Corbeiensem deliquerit, nos, vel si absentes fuerimus, à Prioribus nostris, vel Abbate, vel si ipse præsens non fuerit, à conventu suo commoniti infra tres menses faciemus emendari. Quod si emendare non voluerit, nos eum à castris et oppidis nostris expellemus, et contra eum Abbati assistemus, quod si non fecerimus, Mons Martis totaliter Ecclesiæ Corbeiensi cedet. Ut autem inter Coloniensem et Corbeiensem Ecclesias propensior perpetuo vigeat et observetur dilectio, ea inter nos intervenit confœderatio ut, nos et ipsæ Ecclesiæ contra omnem hominem excepto imperio in suo jure assistent, et si nos, vel aliquis Successorum nostrorum præmoniti ad 4 septimanas D. Abbati vel alicui Successorum suorum non astiterimus, Mons Martis ipsi et Ecclesiæ suæ totus cedet, et ipse vice versa cum suis Successoribus in simili casu pœnæ consimili subjacebit. Ut autem hoc factum ratum permaneat et inconvulsum, præsentem paginam exinde conscriptam nostræ et majoris Ecclesiæ Coloniensis sigillorum appensione fecimus communiri. Testes hujus rei sunt Conradus major Præpositus et Archidiaconus Coloniensis, Joannes Præpositus Bunnensis et Archidiaconus, Godfridus Præpositus Xantensis et Archidiaconus, Arnoldus Præpositus S. Gereonis, Henricus Præpositus S. Severini, Bruno Præpositus S. Kuniberti, Henricus Præpositus S. Georgii, Albertus Subdecanus, Gosvvinus Choriepiscopus, Bonifacius Scholasticus, Godfridus Præpositus Monasteriensis, Henricus Comes Seinensis, Adolfus Comes de Marca, Godefridus Comes de Arnsberg, Bernardus de Lippia, Volquinus de Svvalenberg, et Adolfus frater ejus, Conradus de Itere, Bernardus de Cste, Jonathas de Ardey, Henricus niger, Hermannus Advocatus Coloniensis, Hermannus Marscalcus, et Gosvvinus filius ejus, Theodoricus Dapifer, Franco Pincerna, Godefridus Camerarius, Riquinus Marscalcus, Gosvvinus Scultetus Susatiensis, Joannes de Padbergh, Albertus de Sturmede, Wernerus et Bertoldus de Brakele, Theodoricus et Heribodus de Hildene/Hermannus Spiegel/Conradus de Amelungessen et Herbordus filius ejus, Hermannus de Nienkerchen/Gerhardus Hadeke/Godefridus de Hodelen/Ortmarus, Bernhardus de Dalheim, Henricus de Lutterdessen/Albertus dictus Frie, (Vrie) Theodericus de Weten, Albert de Rekelinghusen, Alardus, et alii quam plures. Acta sunt hæc apud Susatum anno Domini MCCXXX mense Augusto.

Olim

Olim Ludovicus Pius Eresburgum (qui poſt Mons Martis, & patria voce Mersburg eſt appellatus) quantum per duas Saxonicas circum raſtas locus explicatur, Corbeienſi Monaſterio dedit; pòſt ubi ducatus Weſtfaliæ ceſſit Archiepiſcopis Colonienſibus, multum, cum aliorum diſpendio, Archiepiſcopi ſuam juriſdictionem poſſeſſioneſque protulêre: ſeu id temporum injuriis & patrocinij neceſſitate, ſeu Abbatum infirmitate indulgentiave ſit factum, ſeu aliis ex cauſis incertum habeas; quibus tamen nihil juriſdictioni ſacræ, quam Paderbornenſis Epiſcopus ſibi in ea loca vendicat, derogatum voluêre.

Celebres per id tempus pro majorum pietate Comites Everſtenii, Conradus, Otto, & Hermannus fratres; quorum largitate hoc anno facta eſt ampla agrorum donatio Virginibus, & religioſis viris Cœnobij Gerdenſis. Acta referuntur hæc *anno Anno Dominicæ Incarnationis* MCCXXX, *regnante Romanorum Imperatore Friderico, et filio ejus Henrico, Padelebrunnenſi Epiſcopo Domino Bernardo quarto.*

Comites Everſtenii benefaciunt Cœnobio Gerdenſi.

Annus Chriſti 1231.

Gregorij IX Pont. 5.
Friderici II Reg. 19. Imp. 12.
Bernardi IV. Ep. Pad. 4.

At per id tempus cùm Gregorius Pontifex per Ottonem Legatum Eccleſiaſticam diſciplinam per omnes Germaniæ provincias inſtauraret, Henricus Rex ne quid in ordinanda Republica à ſe deſideraretur, duplicem hoc anno Wormatiæ conventum Principum advocavit; alterum Calend. Maji, in quo ſalutares leges præſcriptæ; quibus promulgandis adfuêre teſtes & arbitri Sifridus Moguntinus, Theodoricus Trevirenſis, Henricus Colonienſis, Albertus Magdenburgenſis Archiepiſcopi, multique præterea provinciales Epiſcopi, ac Principes. Alter conventus exitu anni in eadem urbe eſt habitus, multorum rurſum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac procerum acceſſu; in quo urbium libertas reſtricta legibus, ne ſine Epiſcoporum, aut Principum, aut Regis, aliorumve Dominorum ſuorum voluntate communiones, conſtitutiones, colligationes, (quæ verba antiqui ſunt decreti) inſtituerent. Qua lege conjurationes, opificum & artificum Collegia, & quas Fraternitatum nomine ſocietates, aliaque adverſus Principum & Epiſcoporum juriſdictionem popularis ſtatus introduxerat, abrogata ſunt. Tanquam Imperator & Henricus ea invaleſcente civium inſolentia revocaret, quæ antè adverſus Epiſcopos & Principes, ut ſupra diximus, indulſerat. Senſim enim ejuſmodi per Imperium Urbes, civium multitudine atque opibus inſolentes, ſe ab imperio ſuorum dominorum ſubtrahere cœperunt; quod noſtra demum ætate, cum Lutheri hæreſis omnia libertatis oſtia adverſus Magiſtratus aperiret, tantis malis experta Germa-

Henricus Rex in binis hoc anno celebratis conventibus plura Imperio utilia ordinat.

Germania, quando una cum hæreſi ejuſmodi civitates ſimul Epiſcoporum imperium & religionem exuêre.

Controverſia Canonicorum Paderb. de Archidiaconis componitur.

Tandem etiam Inſpectores correctoreſque Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quos Otto Cardinalis Legatus Pontificis in Weſtfaliam deſtinarat, ſcriptis ad Epiſcopum Monaſterienſem, Paderbornenſem & Oſnabrugenſem literis, Paderbornam ingreſſi, inter cetera controverſiam, quæ inter Canonicos de Archidiaconis & bonorum diviſione intervenerat, pro commiſſa auctoritate compoſuêre; id quod hæ ipſorum literæ jam ante inter monumenta Paderbornenſia relatæ commonſtrabunt.

Frater Conradus Prior Provincialis fratrum Prædicatorum Theutoniæ. et frater Erneſtus ejuſdem Ordinis. Viſitatores à Legato per Paderburnenſem diœceſin dati. Vniverſis ad quos præſens ſcriptum pervenerit utriuſque vitæ ſalutem. Ne ordinatio noſtra ſuper diviſione Eccleſiæ parochialis S. Othelrici in Paderburna. et ſuper aliis articulis infra annotatis. proceſſu temporis quod ſuæ vetuſtatis celeritate delere ſolet omnia. memoriam effugiat humanam. præſenti ſcripto declaramus. quod nos accedentes ad Eccleſiam Paderburnenſem. Abbate de Bridelare noſtro Collega legitime excuſato. Eccleſiam præfatam ſancti Othelrici. ſecundum quod à D. O. ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato acceperamus in mandatis. de majoris Præpoſiti et ſingulorum ac univerſorum de Capitulo. nec non D. Conradi ejuſdem Eccleſiæ Plebani conſenſu poſt reſignationem ejuſdem Eccleſiæ à præfato Plebano coram D. Bernardo IV Paderburnenſi Epiſcopo. Volrado Præpoſito. Amelungo Decano. Volquino de Svvalenberch. et nobis factam. de conſilio ejuſdem D. Epiſcopi in has tres diviſimus partes. Vnam quæ eſt à Domo Hildebrandi Wapenrocht. uſque ad curiam Epiſcopi, quæ vocatur Stathelhove. et deinde ad murum civitatis. & à domo jam dicti Hildebrandi uſque ad domum Harmodi de Alride. et ab eadem domo uſque ad molendinum Epiſcopi. et ab illo molendino uſque ad pontem lapideum Eccleſiæ ſancti Pancratii. Aliam vero partem Nortelvinke et Aſpethere uſque ad domum Criſtinæ ante urbem. & ab eadem domo uſque ad portam. qua itur Heriſiam. & omnes domos & villas extra civitatem verſus Orientem & Septentrionem inferiori choro ſancti Liborii aſſignantes. Eccleſiæ vero ſancti Othelrici omnes domos quæ inter has duas partes ſunt et omnes villas et ſingulares domos quæ extra civitatem ſunt verſus occidentem. contulimus. Volradus vero major Præpoſitus ad inſtantiam Domini Epiſcopi et noſtram. Ordinationem noſtram ac partium aſſignationem approbando. Præfatam parochiam videlicet Eccleſiam ſancti Othelrici cum omnibus ſuis pertinentiis Dominabus in Paderburna ordinis Ciſtertienſis in eadem Eccleſiæ in perpetuum manſuris Auctoritate Patronatus de conſenſu Capituli majoris Eccleſiæ in remiſſionem peccatorum ſuorum et ut in perpetuum ipſius præpoſiti ac præfatis Dominabus. maxime quia earundem in eodem loco fundator extitit. memoria habeatur. jure contulit perpetuo poſſidendam. Ita tamen quod quemcunque Sacerdotem Abbatiſſa et conventus dictarum Dominarum ei ſuiſque Succeſſoribus præſentaverint. ab ipſo ſuiſque Succeſſoribus curam recipiat animarum. et ei ſuiſque Succeſſoribus ſicut tenetur obediet. Et ut gratiam uberiorem Dominabus exhiberet eiſdem ordinavit ut poſt mortem Præpoſiti ejuſdem loci dimidia marca in recognitionem ſubjectionis. & pro jure ſynodatico majori Præpoſito dimidia marca Perſolvatur. Eccleſiam vero ſancti Pancratii D. Rothegero et Eccleſiam ſancti Liborii in inferiori choro debita, ſicut verus Patronus ad quem debitum in omnibus habebunt reſpectum. à quo etiam & curam animarum et temporalia ſimul accipiunt et eorum Succeſſores accipient. debita contulit ſolempnitate. Hæ autem Parochiæ omnia jura parochialia habebunt. niſi quod crucem diebus dominicis et in ſolempnitatibus non ferent. ſed in proceſſione majoris Eccleſiæ cum ſuis erunt Rectoribus. niſi legitima fuerint neceſſitate præpediti. In Paraſeve ſepulturam Crucifixi non facient. et in Nativitate Domini. in Paſcha. in Aſcenſione. in Pentecoſtes. in feſto Patroni et in die dedicationis ad Eccleſiam convenient majorem divinum officium audituri.

De Archidiaconatibus vero ordinantes totum Epiſcopatum in ſex ſedes. præter duos Archidiaconatus videlicet majoris præpoſituræ. cui hæc tres villæ Himminchuſen. Dale & Buke ſunt adjunctæ. & Præpoſituræ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Andreæ. de D. Epiſcopi conſilio

filio & Capituli consensu distinximus. Vnam sedem Horhusen in Ecclesia S. Dionysii. cui duas Ecclesias Curbike & Athorp cum ipsarum Ecclesiis et Capellis adjunximus, locantes secundam sedem Wartberch. cui Ecclesias Dasburch. Lovene. Wellethe. Kulete. Rothen. Bylinchusen. Scerve. Ossendorp. cum earum Ecclesiis & Capellis adjunximus. ipsum Archidiaconatum Cantoriæ deputantes. Tertiam Sedem Iburch. cui has Ecclesias Eisnen. Natesunken. Brakel. Volstesen. Herstelle. & omnes Ecclesias quas modo habet Helmvvardishusensis Ecclesia. Herisiam. Wilbodissen. cum ipsarum Ecclesiis & Capellis adjunximus. ipsam sedem Cameræ assignantes. Quartam sedem Huxariæ cum his Ecclesiis Corbeia. Meinbragtesen. Brochusen. Otberch. Erelen. Amelunkessen. Godelmen. Helingenberch. Berninhusen. Bodikissen. Albagtissen. Hejenhusen. Homersen. Boffesen. Sanctus Ægidius. Niennovere. Oldenthorp. Dune. duo Holtesminne. Lugderincken. cum earum Ecclesiis & Capellis. Quintam sedem Stenhem cum his Ecclesiis Belderssen. Oldenberge. Holthusen. Sumersile. Monasterium. Leverinctorp. Collerbike. Valkenhagen. Burghagen. Oppidum Svvalenberch. Scithere. Wicbilethe. Byche. Capella Relinkerke. Sandenebike. Pumesen. Lugethe cum earum Ecclesiis & Capellis. Sextam Sedem Lymego. cum his Ecclesiis Scutemer. Orlinghusen. Hepen. cum earum Ecclesiis et Capellis. quam Sedem custodiæ deputavimus. adjicientes quod cum Archidiaconatus Schildese & Hervordie vacaverint, Præposituræ Scildesensi permaneant. ita si eadem Præpositura Capitulo remanebit. alioquin & Hervordia, & Scildese ad custodiam devolventur. quæ tamen Sedes non nisi post mortem eorum qui nunc ipsarum Ecclesiarum Archidiaconi sunt. vel nisi fortè voluntarie resignaverint. vacabunt. Auctoritate. etiam D. Legati districte sub anathematis vinculo omnibus Sacerdotibus. & Plebanis præfatarum sex Sedium præcipiendo mandamus. Quatenus cum ipsas Sedes vacare contigerit. Ad Archidiaconos suos curam animarum & donum altaris, ab ipsis accipiendo, debitum in obedientia & procuratione eisdem facienda. habeant respectum. Cum vero inter cetera de mandato D. Legati de obedientiis sæpedictæ Ecclesiæ ordinaremus. Canonicis non per omnia nobis consentientibus. tandem D. Volradi majoris Præpositi. & nostro se commiserunt arbitrio pœna centum marcarum ipsum arbitrium vallantes. Iuramento igitur ab omnibus accepto. ut nostris parerent mandatis. sub pœna arbitrii videlicet centum marcarum primo præcepimus. ut omnis cessaret rancor qui erat inter majores Canonicos et minores de inæqualitate bonorum. & pacis osculum fuit utrinque datum & acceptum, & postmodum divisione facta bonorum. Sub pœna arbitrij scilicet centum marcarum præcepimus. ne quis de cetero querimoniam Episcopo vel Præposito moveret de collatione obedientiarum. Sed sit in potestate eorum conferre obedientias suas cui voluerint. & plures uni secundum quod ipsis videbitur expedire. nisi Dominus Papa vel ejus Legatus providerit aliter ordinandum. præcepimus etiam sub eadem pœna. ne quis vindictam sumat de Præposito majore pro eo quod arbitratus est obedientias quorundam Canonicorum esse dividendas. & excommunicavimus omnes qui de cetero rancorem verbo vel facto pro illa divisione obedientiarum contra dividentes vel eos qui bona receperunt demonstrarent. id est. qui eos pro illo facto contumeliis & opprobriis afficerent. vel eis hoc factum inproperarent. & decernimus eos qui hæc fecerint excommunicatos. perjuros. & pœnam centum marcarum incurrisse. De mandato etiam D. Legati & nostra ordinatione omnes Canonici à majori usque ad infimum de Capitulo majoris Ecclesiæ juraverunt. quod cum in ipsorum Ecclesia non sint nisi XXIV. majores præbendæ & sex pueriles. Nullus de cetero ad non vacans: nec duo ad unum vacans eligantur. & quod nullus Canonicorum de cetero emancipabitur. quin idem juret ne numerus Canonicorum excedat numerum præbendarum.

Suppetit in hanc rem aliud quoq; rescriptum eorundem Visitatorum, in quo planius constat annus, quo hæc acta memorantur.

Frater Conradus Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum Teutoniæ & Frater Ernestus ejusdem ordinis Visitatores à Legato per diœcesin Paderbornensem dati. Vniversis ad quos præsens scriptum pervenerit utriusque vitæ salutem. Cum officio visitationis in Ecclesia Paderbornensi fungeremur. inter cætera quæ ibidem auctoritate Domini S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati ordinavimus totum Episcopatum præter duos Archidiaconatus. videlicet majoris Præposituræ (cui has tres villas Dale. Imminchus & Bure adjunximus. & Præposituræ sanctorum Apostolorum Petri & Andreæ. de venerabilis Patris Domini Bernardi quarti Paderbornensis Episcopi consilio & totius Capituli consensu (Abbate de Bredelare nostro Collega legitime excusato) in sex Sedes distinximus. quarum unam Horhusen in Ecclesia S. Dionysij locavimus. Ecclesias Curbike & Athorp, cum omnibus Ecclesiis

& Ca-

& Capellis eiſdem duabus Eccleſiis deputatis) quæ tamen non niſi poſt reſignationem vel mortem eorum qui nunc præfatarum Eccleſiarum Archidiaconi ſunt vacabunt) præfatæ Sedi Horhuſen aſſignantes. Verum quia major Præpoſitus Paderbornenſis ante hanc noſtram ordinationem non præfatum Archidiaconatum S. Dionyſii haberet. auctoritate Domini Legati qua fungimur circa ipſum diſpenſamus. quatinus ei eundem. licet alium habeat Præpoſituræ annexum liceat diebus vitæ ſuæ quiete & ſine contradictione poſſidere. diſtricte ſub pœna excommunicationis Sacerdotibus & plebanis ipſis præcipientes. ut cum ipſas Sedes ſecundum noſtram ordinationem videlicet Athorp & Curbike vacare contigerit, cum debita obedientia & procuratione conſtricta ad ipſum habeant reſpectum. Ne quis vero inpoſterum hanc noſtræ ordinationis formam auſu temerario valeat revocare vel aliquo modo immutare. præſens inſtrumentum Volrado majori Præpoſito Paderbornenſi ſigillorum noſtrorum impreſſione dedimus exhibendum inpoſterum ſi neceſſe fuerit per ſe communitum. Acta ſunt hæc Dominicæ Incarnationis Anno MCCXXXI. Indictione IV. XII Calend. Februarij.

Bernardo Epi. diviſionem parochiæ S. Udalrici comprobat.

Accedunt ipſius Bernardi Epiſcopi literæ, quibus diviſionem Parochiæ S. Odalrici in hunc modum ratam habet.

Bernardus Dei gratia Paderbornenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Vniverſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis notum eſſe volumus, quod nos obedire volentes mandato Domini O. Apoſtolicæ Sedis Legati in diviſionem Eccleſiæ S. Odelrici in Paderburn ſimpliciter conſenſimus, & conſilium adhibuimus, prout idem Dominus Otto S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis tunc temporis Teutoniæ Legatus dividi mandavit. eandem, & hæc literis noſtris ſigillo noſtro roboratis proteſtamur. Acta ſunt hæc Anno Domini MCCXXXI. Indictione quarta. Anno Pontificatus noſtri 3. Id. Januarij.

Quam eãdem diviſionem ratam habent Canonici Cathedralis Eccleſiæ.

Adſunt & Volradi Præpoſiti, totiuſque Cathedralis Eccleſiæ literæ, quibus ejuſdem parochiæ diviſio in tres partes facta, eo quo ſupra relatum eſt modo comprobatur.

Volradus Dei gratia Præpoſitus, Amelungus Decanus, & Capitulum majoris Eccleſiæ Paderburn. omnibus præſens ſcriptum inſpecturis utriuſque vitæ ſalutem. Venientes ad Eccleſiam noſtram Fr. Conradus Prior Provincialis fratrum Prædicatorum Theutoniæ, & Fr. Erneſtus ejuſdem ordinis Viſitatores per Paderbornenſem diœceſin à Legato dati, Abbate de Bredelare ipſorum Collega legitime excuſato, literas Domini Ottonis S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legati nobis obtulerunt, in quibus ipſis dederat in mandatis, ut Eccleſiam S. Othelrici in Paderburna de conſilio Domini noſtri Bernhardi Epiſcopi dividerent in tres partes, ſicut ex ipſo authentico colligi poterit evidenter. prædicti vero fratres de Domini Epiſcopi conſilio, Præpoſiti, ac noſtræ Vniverſitatis, nec non Domini Conradi ejuſdem Domini plebani conſenſu in has tres partes diviſerunt. Vnam quæ eſt à domo Hillebrandi Wapenrogt uſque ad curiam Epiſcopi, quæ vocatur Stathelhove, & deinde ad murum civitatis, & à domo jam dicti Hillebrandi uſque ad domum Hartmodi de Alride, & ab eadem domo uſq; ad molendinum Epiſcopi, & ab illo molendino uſque ad pontem lapideum Eccleſiæ S. Pancratij. aliam vero partem ſcilicet Northelfincke & Aſpedere uſque ad domum Criſtinæ, & ab eadem domo uſq; ad portam, qua itur Heriſiam, & omnes domos & villas extra civitatem verſus Orientem & Septentrionem inferiori choro S. Liborij de noſtro conſenſu aſſignantes, Eccleſiæ vero S. Othelrici omnes domos, quæ inter has duas partes ſunt, & omnes villas & ſingulares domos, quæ extra civitatem ſunt verſus occidentem contulerunt. Quam Parochiam videlicet Eccleſiam B. Othelrici Volradus major Præpoſitus, ad quem ejuſdem Eccleſiæ jus pertinebat Patronatus per multam dictorum Viſitatorum inſtantiam, ipſorum ordinationem, & partium aſſignationem approbando cum omnibus ſuis pertinentijs Dominabus in Paderburna Ordinis Ciſtertienſis in eadem Eccleſia in perpetuum manſuris de noſtro conſenſu contulit jure perpetuo poſſidendam. ita tamen ut quemcunque Abbatiſſa & conventus Dominarum ſupradictarum ei & ſuis Succeſſoribus præſentaverint, ab ipſo ſuiſque Succeſſoribus curam ſine difficultate recipiat animarum, & ei ſuiſque Succeſſoribus ſicut tenetur obediet. Et ut gratiam uberiorem ſuorum gravaminum eiſdem Dominabus exhiberet ordinavit ut poſt mortem Præpoſiti ejuſdem loci dimidia marca in recognitionem ſubjectionis, & pro Synodatico majori Præpoſito perſolvatur omnia jura Parochialia hæc Parochia. habebit, niſi quod diebus Dominicis & inſolemnitatibus ſicut ante conſuevit crucem non feret, ſed in poſſione majoris Eccleſiæ cum ſuo erit rectore.

rectore, nisi legitima fuerit necessitate præpeditus. In Paraseeve sepulturam Crucifixi non faciet. & in Nativitate Domini, in Paschain Ascensione, in Pentecostes, in festo Patroni, & in die Dedicationis ipse ac Parochiani sui ad majorem Ecclesiam convenient, divinum officium audituri. Vt autem hæc suprascripta rata & in perpetuum inconvulsa permaneant, præsens scriptum Ecclesiæ nostræ sigilli fecimus impressione muniri. Acta sunt hæc in Capitulo majoris Ecclesiæ Paderborn. Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXI. Indictione quarta, II Calend. Februarii.

Bernardo Ep. benefacit Cœnobio Marienfeldensi.

Sensit jam tum Bernardus Episcopus, ex quo communem Canonicorum vitam dissolverat, dissidia inter ipsos Canonicos de dignitatum contentione, ex Archidiaconi munere, & bonorum partitione; ob quæ Legati Apostolici opem implorare necesse habuit. Cetera quæ per Visitatores hosce, aut in diœcesi nostra, aut alibi in meliorem formam reparata sunt, vetustas abolevit. Interim Episcopus noster conversa ad Cœnobia religiosorum liberalitate, cùm jam sat opibus abundarent Canonici, Marienfeldenses Monachos singulari præ ceteris benificentia grataq; in Patrem memoria complexus est; quòd is abdicato comitatu Lippiensi, renunciatisq; omnibus, quæ in vita illi cara esse poterant, primùm istic inter Monachos religiosam vitam professus esset. Et cùm per singulos annos multæ largitiones ab eo Cœnobio illi factæ sint; cum hoc anno Susati in congressu cum Mollenarckio Colonienſi Archiepiscopo, ceterisque è Clero & nobilitate viris largas decimas, quæ ex feudo ad ipsum reciderant, & à Bernardo nepote Comite Lippiensi obtinuerat, Marienfeldensibus Cœnobitis donavit, confectis tabulis. *Hujus rei testes fuêre Volradus major Præpositus Paderbornensis, Amelungus Decanus, Bernardus nobilis de Osede, Andreas de Eltene, qui omnes una cum Widekindo S. Petri Præposito adstiterunt, ubi videlicet Dominus noster Colonienſis Archiepiscopus præsedit judicio, quod vulgo dicitur Boeching. Vti et facta hinc inde resignatione tam decimæ, quàm domorum in manus nostras ipsius decimæ proprietatem memorato Cœnobio assignavimus, quam Wigboldus Abbas ad manus Ecclesiæ suscepit.* Multis præterea testibus adductis. *Acta hæc referuntur Susati coram Domino suo Bernardo nobili de Lippia anno gratiæ* MCCXXXI *Indictione IV.*

Exitum hujus anni nobilitavit D. Elizabethæ Thuringiæ & Hassiæ Landgraviæ funus; quæ sanctissimæ conjugis & viduæ exemplo XIX Novembris excessit è vita, conditaque Marburgi, celebre apud posteros monumentum venerationis cultusque reliquit.

Annus Christi 1232.

Gregorij IX Pont. 6.
Friderici II Reg. 20 Imper. 13.
Bernardi IV Ep. Pad. 5.

Godefrid. in Annal.

Annus vertente Fridericus Imperator paci in Italia cum Longobardiæ civitatibus stabiliendæ intentus, Henricum filium Germaniæ Regem accersijt; qui magna procerum turba prosequente patri occurrit. Ambo deinde apud Aquileam convenientes Pascha celebrârunt. Eo in congressu conventuque Episcoporum ac procerum,

cerum, rursum, quod à Rege filio decretum erat Wormatiæ, ad restringendam urbium libertatem, & refrenandam civium erga Episcopos insolentiam, confirmatur ab Imperatore patre publico, quod subjicimus, diplomate.

Friderico Tribus & Collegia civium & eorum Magistros citra Dominorum voluntatem irrepentes tollit.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Jherusalem et Siciliæ Rex. Revocamus in irritum et cassamus in omni civitate et oppido Alemanniæ communia consilia, Magistros civium, seu Rectores, vel alios quoslibet Officiales, qui ab universitate civium sine Archiepiscoporum et Episcoporum beneplacito statuuntur, quocunque per diversitatem locorum nomine censeantur. Irritamus etiam cujuslibet artificii confraternitates seu Societates: Monetâ quoque suis in locis causâ comparentur omnia venalia, ut antiquitus fieri consuevit. Ad hujus autem constitutionis et sanctionis nostræ memoriam et robur perpetuo valiturum, præsentem ducalem paginam fieri, et bullâ aureâ typario nostræ majestatis impressâ, jussimus communiri. Hujus rei testes sunt B. Patriarcha Aquileiensis, A. Magdenburgensis, O. Ravennas et B. Panormitanus Archiepiscopi, et alii. Signum Domini Friderici II. Dei gratia invictissimi Rom. Imp. semper Augusti, Jherusalem et Sciciliæ Regis. Et ego Sifridus Ratisponensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius vice Domini Sifridi Moguntini Archiepiscopi in Germania Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M CC XXXII *mensis Aprilis die - - - - quinta Indictione, imperante Domino nostro Friderico, Anno Romani Imperii* XXII. *regni Jherusalem* VII. *regni vero Siciliæ* XXXIV *feliciter Amen. Datum apud Aquileiam.*

Gregorius PP. Episcopos Westfaliæ & Saxoniæ cohortatur ad succurrendum Archiep. Bremensi adversus rebelles Stedingos

Sed longè nobiliori cura & providentia Gregorius Pontifex hoc anno Saxoniam nostram complexus. Nam ex quo à Gerhardo Bremensium Archiepiscopo interpellatus edoctusque esset, quo furore hæresis sæviret in Sacerdotes, clericos, omnia Christianorum sacra, quantoque periculo malum illud per inferiorem Saxoniam serperet; Pontifex prædicatores crucis haud secus, quàm in sacro bello adversus Saracenos in Palæstina, & barbaros in Livonia fecerat, nominavit Episcopos Raceburgensem, Mindensem, & Lubecensem, qui Principes & populos convocarent ad militiam expeditionemque adversus rebelles Stedingos, & sceleratos homines. Deinde scriptis ad Bernardum Paderbornensem, ceterosque Westfaliæ Episcopos literis, cohortatur, uti non modò Oratoribus belli hujus, sed & Bremensi Archiepiscopo omni auxilio adsint: harum literarum exemplar hic proferre interest.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Paderburnensi, Hildesemensi, Verdensi, Monasterienſi et Osnabrugensi Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Clamante ad nos dudum Bremensi Ecclesia contra perfidiam hæreticorum, qui Stedingi vocati, fideles populos regionis istius ferali more lacerant et extinguunt, nos venerabilibus fratri-

fratribus nostris, Raceburgensi, Mindensi, et Lubecensi Episcopis, quibus prædicationis officium est in diœcesibus vestris ab Apostolica sede commissum, mandavimus, quod per easdem diœceses peccatorum veniam fidelibus pollicendo ipsos contra præfatos hæreticos concitarent, et per eorum auxilium illi auctore Deo ad gratiam conversionis accelerent, vel in confusionis foveam deducantur. Ut ergo dicti Episcopi plenius et efficacius valeant, quæ mandavimus, adimplere, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus cum agatur fidei negotium, quod cunctis debet esse fidelibus et prælatis præcipue speciale in eodem negotio dictis Episcopis efficaciter adsistatis, impendentes eis utile consilium et auxilium oportunum. Datum Anagniæ XIV *Calend. Februarii Pontificatus nostri anno* VI.

Haud dissimiles sunt literæ apud Odoricum in historia Ecclesiastica ad Raceburgensem, Mindensem, & Lubecensem Episcopos, belli hujus præcones; quibus nefanda Stedingorum flagitia supra à nobis relata exponuntur. Quam in rem quoque optimus Pontifex scripsit ad ceteros inferioris Germaniæ Saxoniæq; Principes; à quibus altero ab hinc anno magna conspiratione bellum est susceptum. Et Bernardo Episcopus noster eò sollicitiùs sibi hoc negotium sumpsit, quò magis decorum ac necessarium habebat, Gerhardo fratri suo Bremensium Archiepiscopo subvenire; eo cumprimis bello, in quo jam alterum fratrem Hermannum Comitem Lippiensem gloriosè pugnantem amiserat.

Quanquam hoc ipso anno, quo armanda Westfalia, intestinis ipsa bellis conflictârit. Nam, ut auctor est Godefridus, sub id tempus Henricus Colonienſis Archiepiscopus Westfaliam cum militia ingressus, hostibusque in deditionem acceptis, cum triumpho reversus est. Hostibus hisce Archiepiscopi, cùm Walramus Limburgicus, juvenis ferox & Episcopis etiam ex superiori bello multum infestus, cum ingenti militum manu subsidio veniret, intraretque diœcesin Monasterienſem, objecit se illi Ludolphus Monasterienſis Episcopus, vir animo intrepidus, armisq; promptus & Limburgicum retro, unde venerat, cum clade redire compulit. Hæc licet à Godefrido referantur, non tamen auctor ille prodidit, quinam illi hostes, aut quod bellum fuerit. Constat interim per id tempus castrum Sturmede ab Henrico Archiepiscopo obsessum fuisse. Adsunt enim ex tabulario Bredelarienſis Cœnobij, quod Paderbornensis nostræ diœcesis est, Henrici Colonienſis Archiepiscopi donationum tabulæ, ex castris ejus obsidionis datæ; quas hic ob præclarum Ordinis Cistertienſium, ejusque Cœnobij encomium referre juvat.

Henricus Archiep. Colon. in Obsidione Castri Störmede confirmat bona & Privilegia Cœnobij Bredelar.

Henricus Dei gratia sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus. Vniversis præsentem paginam inspecturis in perpetuum. Ejus intuitu et respectu, qui nos ad pontificalis dignitatis apicem sublimavit, tanto vigilantius sacram religionem plantare, tenere, ac defensare tenemur, quanto gratius obsequium in religionis observantia, et rigore disciplinæ Ecclesiasticæ

Iesu Christo præstatur, et laus ejus per viros religiosos sumit incrementum. Cum igitur novella plantatio, Monasterium scilicet in Bredelaer Cistertiensis ordinis in servitio Dei, et gloriosæ Dei genitricis ipsius proficiat, Deus, qui omnium merita pensat, et mensuras silens remetitur, ob maternæ reverentiæ claritatem fratribus in Christo sibi servientibus gratiam sibi continuæ propitiationis impendit, et labores eorum in fructu multipliciter amplificat, et in germine dilatat honestatis. Nos ergo contemplantes memoratam Ecclesiam divina instauratione fulciri, cum Dominus Ordini Cistertiensi à mari benedixerit usque ad mare, circa ipsius promotionem operam duximus impendendam, quatenus nostris et Ecclesiæ Colonienſis patrociniis adjuta ab invasoribus iniquis libera consistat, in laude Dei crescat, fructificet in flore virtutis, et in obsequio ejus stabilis perseveret. Usu itaque ac meditationum provida, privilegia sibi à D. Adolpho et Engelberto, felicis recordationis antecessoribus nostris Colonienſibus Archiepiscopis concessa, et bona, videlicet sex mansos in Vpsepringe, et prædium in Mere, et sex mansos in Veltlœn, universa quoque bona, quæ in præsentiarum possident, vel adhuc Domino dante poterunt adipisci, sigilli nostri munimine confirmamus, recipientes ipsam Ecclesiam cum personis et omnibus attinentiis sub nostram, et B. Petri Patroni nostri protectionem: sub anathemate districtius inhibentes, ne quis ausu temerario molestare præsumat eadem, sicut judicium divinum et nostræ jurisdictionis effugere cupit ultionem. Datum in obsidione castri Stormede, Anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo tertio, sexto decimo Calend. Augusti.

Annus Christi 1233.

Gregorij IX Pont. 7.
Friderici II Reg. 21. Imp. 14.
Bernardi IV. Ep. Pad. 6.

Ea licet, quæ retulimus, in Ducatu Westfaliæ agerentur, totus tamen annus in apparatu belli per Westfaliam Saxoniamque insumptus adversus Stedingos; postquam Mindensis, Raceburgensis, & Lubecensis Episcopi, ceterique sacræ militiæ præcones Saxoniæ regiones peragrârunt: quod & in Belgio, Frisia, vicinisque provinciis factum est, ad largas noxarum condonationes à Pontifice indultas. Quare & belli initium hoc anno processit, ex quo Orientalis Stedingia à peregrino milite, qui ad vexillum crucis convenerat, vastata est; quanquam improspero adhuc exitu, quando Burchardus Comes Aldenburgicus à Stedingis cæsus, cum ducentis suorum occubuit. Quæ clades majus exinde irritamentum dedit ceteris. Inter hæc Gregorius Pontifex, qui sollicita cura comprehendebat Saxoniam, etiam Corbejensium patrocinium suscepit, datoque diplomate castrum Mersberg (quod antiquitus Eresburgum, postea Mons Martis appellatum est) castrumque Kugelenbergam, atque Oppidum Volcmersen perpetua possessione ratum, & celebri illi Monasterio intactum manere jussit.

Albert. Sadend.

Gregorio IX PP. possessionem Castrorum Mersberg & Kugelenberg Corbejensibus ratam habet.

Grego-

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filijs Abbati et conventui Monasterij Corbeiensis Ordinis S. Benedicti Paderburnensis diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod justum est, et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij ad debitum perducatur effectum. Ea propter Dilecti in Domino Filij, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum præstante Domino justis modis poterit adipisci, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Mersberg et Kugelenberg castra, et Oppidum de Volcmeressen cum pertinentiis eorundem, nec non possessiones, silvas, prata, et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ II Calend. Octobris. Pontificatus nostri anno septimo.

Per id tempus, quo cum Stedingis negotium fuit, longè pestilentiores hæreses, de quibus & supra relatum est, jam ab aliquot annis sparsim grassabantur per Germaniam: quibus se necromantici, venefici, Atheique permiscuerant; quemadmodum ad hos exstirpandos Gregorius Pontifex lamentabilem epistolam ad Magdenburgensem, Moguntinum, & Hidesiensem ceterosque Episcopos dedit. Hos adeo dementârat Dæmon, ut nunc se in forma ranæ & bubonis, nunc canis, nunc catti exosculandum offerret; scholasq; & nefanda sacra habebant, quibus Tyrones ejus hæresis initiarentur: hi & Eucharistiam festo Paschatis à Catholicis Sacerdotibus acceptatam mergebant in latrinam, & Deum criminabantur, quòd Luciferum è Cœlo dejecisset. Ex horum nefanda secta magister quidam Coloniam ingressus Synagogam aperuit, ex qua imago Luciferi responsa dabat. Ad hæc mala hæresis persananda, aut exstirpanda, nominatus Conradus Marburgensis à Pontifice cum suprema potestate Quæsitoris, vir prædicatione crucis apud Principes celebris; quem alij Ecclesiasticum Sacerdotem fuisse volunt, plerique è S. Dominici familia religiosum, cui & D. Elizabetha Hassiæ Landgravia conscientiam moderandam dederat. Huic & alij ex eodem S. Dominici ordine præsto fuere Sacerdotes, qui pro concione Magistratum & populum inflammârunt. Igitur passim per Oppida & pagos ferales rogi, in quos accusati hæreseos, nullo discrimine *Clerici, Monachi, inclusæ, cives, rustici*, pro auctoritate & judicio Conradi Marburgensis, conjecti exustique sunt. Verùm ut Godefridus est auctor, *multi præcipiti sententia damnati. Nam eodem die, quo quis accusatus, seu justè seu injustè, sine ullo appellationis vel defensionis refugio, damnatus et flammis*

Godefridus. Albertus Chron. M. Belgij. Odoricus in histor. Eccl. Brouver. libr. 15. Annal Trevir.

Nefandæ in Germania hæreses, quibus exstirpandis per Legatos suos Pontifex studet.

flammis absumptus est. Ita multos insontes simul periisse vulgo, teste Trithemio, creditum fuit: constanterque narrat Trithemius, Conradum ferri candentis examen vel ad purgationem criminis, vel confessionis admisisse. Quæ si vera narrat, Magistratuum potius, quorum opera usus est, quam viri hujus temeritati adscribenda; quando ut supra relatum, Pontifex id genus explorandi crimen damnavit in Templariis, absolvitque ab hoc Livones. Interim Conradus postquam primùm in viliora capita quæstiones instituisset, processit ad nobiles, aususque Seinensem Comitem vocare in judicium delatæ suspectæque hæresis; at ille Moguntiæ in comitiis Principum coram Rege tam constanti animo & luculenta oratione innocentiam probavit, ut perculsus Quæsitor Conradus dilationem peteret.

Annus Christi 1234.

Gregorij IX Pont. 8.
Friderici II Reg. 22 Imper. 15.
Bernardi IV Episc. Pad. 7.

Igitur altero anno Francofurti IV Nonas Februarij conventus Principum indictus, in quo præter Abbates viginti quoque Episcopi præsentes fuêre; ubi tam interritus ex conscientiæ fiducia crimen diluit Comes, ut Conradus lacrymans publicè veniam erroris petere necesse habuerit. Inde Conradus acceptis securitatis à Rege, & Moguntino Archiepiscopo literis, dum Marpurgum proficiscitur, nobilium in se odio conflato ex insidiis occiditur, delatusque ad tumulum haud procul à D. Elizabetha terra integitur. Viro huic, ut diversa fuêre judicia, Cantipratanus ob certamina cum hæreticis felicē mortem obtigisse refert; quem Leander etiam inter viros illustres suæ familiæ Divorum numero adscripsit: Antonius infastis Prædicatorum primum asserit, qui ex sua familia per martyrium ad superos transierit.

Conradꝰ Inquisitor hæresis Francofurto Marpurgum redux occiditur.

Gloriosè subinde hoc anno bellatum adversus Stedingos, & magno apparatu armorum, Principumque ac procerum conspiratione, Quippe ad Pontificis & sacrorum oratorum hortamenta invitati ad sacram militiam covenêre Henricus Dux Brabantiæ, Florentius Comes Hollandiæ, Otto Gelriæ, Theodoricus Cliviæ, Henricus Oldenburgi, Wilhelmus Iuliæ, Adolphus Marchiæ, Theodoricus Limburgi Comites. Adulto vere ingens hic exercitus cruce signatorum Bremæ se ad Visurgim conjunxit Gerhardo Bremensium Archiepiscopo, qui florentibus quoque copiis Episcoporum ex Westfalia & Saxonia contractis, stabat in armis. Universus exercitus, postquam 40000 recensitus fuit, ingenti omnium alacritate vindicandi sacrilegi populi injurias ad Othmundum fluvium ducitur in hostes; transitoque ponte, quem ex navibus subitario opere fabricârant, instruxêre acies; stabat enim ex adverso Stedingorum exercitus

Albertus Staden. Hist. Brem. Beka in Ottone III. Heida Matth. Paris. Chron. M. Belgii. Meyerus. ceterique Belgii Scriptores.

Movetur in Stedingos.

exercitus ſub imperio ſuorum ducum, quos Bolike de Bardenflete, Tammo de Huntorpe, Dithmarus de Aggere Stadenſis memorat; ventumque ad agrum Oldeneſche, memorabilis prælij locum. Aderat & Clerus è latere eminus precibus Deum invocans, & lugubri carmine ingeminans ſacrum Eccleſiæ verſum *Media vita in morte ſumus*. Ac poſtquam furibundæ utrimque acies in conſpectum venêre, facto impetu, primum Florentius Hollandiæ Comes ſigna intulit. Excepêre pugnam Stedingi intrepidè, Limphatorum inſtar decertantes: at dubio utrimque prælii exitu, Cliviæ Comes à latere invectus Stedingorum aciem disjecit. Tum gladijs haſtiſq; ſævitum in obvios: pars equis etiam obtriti. Jacuêre in loco prælij ſupra ſex millia cæſorum cadavera; reliqui aut in Viſurgim & paludes acti, aut in fuga perempti; pauci ex profugis in Friſiam penetravêre. Nec victoribus incruenta pugna fuit, qua Henricus Oldenburgicus Comes, Wilhelmus Egmontius, & Gerhardus Dynaſta de Deiſt cum multo gregario milite cecidêre. Ea victoria, quæ VI Calend. Junij celebratur, tota Stedingorum rebellio extincta fuit. Qui ſuperſtites fuêre, poſtquam ſe Archiepiſcopo ad omnia obſequia obtulerant, ſupplices petiêre à Gregorio Pontifice in communionem Eccleſiæ recipi; quod is benigne indulſit, ſcriptis anno proximo, XII Calend. Septembris, literis ad Gerhardum Bremenſem Archiepiſcopum; uti præſtita cautione ſarciendorum damnorum, acceptaque fide, qua inpoſterum ſe Eccleſiæ obedientes fore jurent, ſupplices ab anathematis vinculis relaxet. Alijs etiam literis, IV Calend. Decembris datis, Pontifex injungit cœmeteria, quibus hæreticorum proſcriptorumque extra Eccleſiam corpora humata erant, denuo conſecrari. Hoc fervore religionis conſpiratione que animorum tum contra hæreſes in ipſo fomite extinguendas actum; ſecus quàm noſtra ætate, ex qua illæ malorum iliades poſt enatæ, & quando finem aliquando habituræ?

Qui prælio victi Epiſcopo & Eccleſiæ reconciliantur.

Privileg. Eccleſ. Hamburg. Odoricus in hiſt. Eccleſ.

Henricus interea Rex, qui ſeſe pro defenſoris Eccleſiæ munere Ducem hujus belli ferre debebat, inteſtinis armis conturbabat Bojariam; quibus proſpere ſuccedentibus, auſus etiam eſt in patrem rebellionis conſilia agitare. Quippe, ut Trithemius ſcribit, Boppardiæ conventu Principum convocato, alios precibus, alios promiſſis, alios minis aggreſſus; miſſis etiam in Italiam, qui Mediolanenſes, alioſque Lombardiæ populos ad defectionem ſollicitarent. Cauſæ à diverſis diverſæ adferuntur: Godefridus & Trithemius pravorum conſiliis abductum perhibent: Veteres Itali ac Scriptores hanc conſpirationem initam volunt, ut ea, quæ à parente inique agebantur, corrigeret: Paduanus Monachus odio Conradi fratris id cœptatum aſſerit, quòd hunc parens in amoribus & dominatione ſucceſſionis præferret.

Henricus Rex contra Patrem ſuum conſpirat.

Bernardus Epiſcopus noſter, qui hoc anno fidam Gerhardo fratri

Bernardo

Ep. benefacit Monaſterio Hardehuſano.

frarri ſuo Archiepiſcopo adverſus Stedingos operam navarat, bello feliciter geſto lætus, gratuſque Deo, multis largitionibus cumulavit religioſorum Cœnobia, quorum precibus eventum commendârat; interque cetera Monaſterio Hardehuſano XII jugera agrorum, quæ ex feudo ad ſe revoluta erant, donavit, tabulis hac ſuper re conſcriptis. *Teſtes fuêre Widekindus Præpoſitus, Hermannus Cappellanus, Bernardus de Oſede, Hermannus Marſchalcus, Luidolphus Oſdage, aliiq; Caſtellani in Warburg.* Uti & hæc acta ſunt *anno gratiæ* MCCXXXIV, XV *Calend. Septembris.*

Annus Chriſti 1235.

Gregorij IX Pont. 9.
Friderici II Reg. 23 Imper. 16.
Bernardi IV Epiſc. Pad. 8.

Gogefrid. Albert. Stad. Richard. de S. Gero. in chron. Nauclerus Chron. Auſtrale.

Henricus R. à patre Imper. carceri includitur, in quo tandem mærore conſumitur.

Turbas, quæ ex rebellione Henrici regis ſuperiori anno exortæ erant, Imperator altero ſtatim anno compreſſit. Nam poſtquam de ea edoctus erat per Marchionem Badenſem, ex Italia tandem in Germaniam rediit; advocatoque Wormatiæ Principum concilio, VI Nonas Julij ſupplicem filium in gratiam recepit, ea lege, ut caſtra & munitiones redderet patri. Id cum non præſtaret, ex Trivelſia arce abſtractus, rapitur in vincula. Inde ex Germania in Italiam & Apuliam tranſportatus, Cnoſentino carceri includitur; in quo mærore & pædore conſumptus, poſtmodum relictis duobus filiis, mortalem vitam clauſit. Scriptorum judicium fuit, & adoleſcentiæ erroribus, & vitiorum turbine in hunc naufragij ſcopulum impegiſſe, poſtquam Germaniam, ut Trithemius ſcribit, etiam prædonum licentia & multitudine impleſſet. Filio in captivitatem abducto, Imperator Henricum Colonienſem Archiepiſcopum, & Henricum Brabantiæ Ducem miſit in Angliam; à quibus ſoror Henrici Regis Iſabella in Germaniam deducta, Imperatori denuptura. Quæ cùm per omnes urbes, tum Coloniæ ante Pentecoſten magno honore & lætitia excepta, ac poſtquam per menſem in domo Præpoſiti ad S. Gereonem ſplendidè habita eſſet, Wormatiam à duobus Principibus deducitur; ubi magna nuptiarum celebritate Imperatori data in thorum.

Conventus Moguntinus, ad quem plurimi Principes ac nobiles acceſſêre.

Feſto ſubinde Virginis in cœlum aſſumptæ Rex celeberrimum Principum conventum indixit; ad quem, Trithemio referente, maxima Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & nobilium multitudo ex omnibus Theutoniæ partibus acceſſit; numerataque ſunt ſuper duodecim millia nobilium ac militum. Chronici Elwacenſis Scriptor memorat, haud minus quàm LXIV Principes convenisse Moguntiam. Principum autem nomine deſignantur primùm Archiepiſcopi & Epiſcopi; deinde Duces, Marchiones, ceteriq; primores Imperij. In his autem Moguntinis comitijs, ut Godefridus auctor

auctor est, jurata est pax publica, stabilita vetera jura, & nova statuta, quæ Teutonico sermone in tabulas relata fuêre. Ad hæc Otto Luneburgi & Brunswici Princeps, Ottonis IV Imperatoris nepos, Wilhelmi filius, Ducis Luneburgi & Brunswici titulo decoratus; quanquam non sine magnæ familiæ dispendio; jussus enim Otto Dux abjurare ducatum Saxoniæ, & Palatinatum Rheni, & quæ retinebat ex patrimonio majorum hereditaria per Saxoniam bona Imperio facere clientelaria, & in feudum deinceps accipere ab Imperio. Qua super re extat Friderici Regis diploma, quod vel ob præsentiam Episcoporum, qui in eo Principes appellantur, referre juvat.

In eo Otto Princeps Ducis Luneburgi & Brunswici titulo ornatus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Fridericus secundus. divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem, et Siciliæ Rex. Gloriosus in majestate sua dominantium Dominus, qui regna constituit, et firmavit imperium: de cujus clementia vivimus, de cujus et munere est, quod feliciter imperamus; ad hoc nos supra Reges et regna præposuit, et in Imperiali solio sublimavit, ut nobis factori nostro gratitudine devota subjectis, pacem et justitiam moderamina nostra contineant, et qui sumus præ filiis hominum ab eo, qui præeminet orbi terræ, sublimius exaltati, viros dignos honoribus, et non immeritos ad solicitudinis partem admitti liberaliter ad decus et decorem imperii nominis et honoris titulo decoremus. Hinc est ergo, quod per præsens scriptum noverit præsens ætas et futura posteritas, quod cum propositi nostri foret, ut dilectum consanguineum nostrum Ottonem de Luneberg ad fidem imperii et devotionem nostram efficeremus arctius obligatum, nec loci vel temporis oportunitas affuisset, quo conceptam erga eum intentionem nostram prosequi nos deceret. Contingente causa nostri felicissimi adventus Alemanniam, et pro reformatione totius terræ status indicta Maguntiæ curia generali, dictus Otto ad eandem curiam vocatus accessit: in qua dum assidentibus nobis Principibus nostræ serenitas resideret, de reformando terræ statu disponens, nominatur Otto de Luneborg flexis genibus coram nobis omni odio et rancore postpositis, quæ inter proavos nostros existere potuerunt, se totum in manibus nostris exposuit, nostris stare beneplacitis et mandatis, et insuper proprium castrum suum Luneborg (quod idiomate Teutonico vocatur Eygen*) cum multis castris, terris et hominibus eidem castro pertinentibus in nostram proprietatem et dominium specialiter assignavit, ut de eo, quidquid nobis placeret, tanquam de nostro proprio faceremus. Nos autem qui tenemur modis omnibus imperium augmentare, prædictum castrum Luneborg, cum omnibus castris, pertinentiis, et hominibus suis, quemadmodum ex ejusdem Ottonis assignatione in proprietatem accepimus in præsentia Principum, in imperium transtulimus, et concessimus, ut per imperium infeodari debeat. Civitatem insuper de Brunsvic, cujus medietatem proprietatis dominii à Marchione de Baden, et reliquam medietatem à Duce Bavariæ dilectis Principibus nostris emimus pro parte uxorum suarum quæ fuerunt filiæ Henrici de Brunesvic, Comitis Palatini Rheni, patrui dicti Ottonis, similiter in eadem curia imperio concessimus, proprietatem nobis debitam in do-*

minium imperii transferentes. Præterea Ottone in ipsa generali curia in manibus nostris connexis palmis super sancta cruce imperii, quæ ibidem tenebatur, præstante juramentum, nos attendentes quam pura fide, sincera et prona devotione se totum mandato nostro et voluntati commisit, et in proprietatem nostram concessit proprie proprium castrum suum, de quo nemini tenebatur, et humiliavit se omnibus modis coram nobis: considerantes insuper, quod nunquam per eum fuerit offensum imperium, et ne contra honorem nostrum ad suggestionem alicujus voluerit inveniri, dignum et utile vidimus circa statum et augmentum ipsius imperiali munificentia providere. Quapropter cum consilio, assensu et assistentia Principum civitatem Brunsvic et castrum
*S. Sifrido. H. Henrico. E. Everhardus. T. Theodoricus. VV. Wilbrandus. E. Egbertus. S. Sigfrtdus. H. Henrico. S. Sigebodo. B. Bertholdus. H. Henrico. C. Conrado. I. Ioannes. G. Georgius. L. Ludolphus. G. Godschalcus. E. Engelhardus. O. Otto. E. Engelbertus. H. Henrico C. Conrado. E. Engelhardus. G. Georgio. C. Conrado.
Luneborg, cum omnibus castris, hominibus, et pertinentiis suis univimus, et creavimus inde Ducatum, et Imperiali auctoritate dictum consanguineum nostrum Ottonem Ducem et Principem facientes, Ducatum ipsum in feudum Imperii ei concessimus ad heredes suos, filios et filias hereditarie devolvendum, et eum solenniter juxta consuetudinem investimus per vexilla, de affluentiore gratia concedentes eidem decimas Goslariæ Imperio pertinentes. Adhujus itaque concessionis memoriam, et robur perpetuo valiturum, præsens privilegium fieri et bulla aurea, typario nostræ majestatis impressa, jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt * S. Maguntinus, H. Coloniensis, E. Saltzburgensis, T. Treverensis, N. Bisuntinus, Archiepiscopi: VV. Magdeburgensis electus, E. Pappenbergensis, S. Ratisbonensis, Imperialis aulæ Cancellarius, H. Constantiensis, S. Augustensis, B. Argentinus, H. Basileensis, H. Hildesiensis, I. Leodiensis, G. Cameracensis, L. Metensis, N. Tullensis, G. Monasteriensis, E. Nuenburgensis, O. Trajectensis, E. Osenburgensis, L. Passaviensis, H. Eistedensis, C. Spirensis, E. Merseburgensis, G. Verdinensis, et C. Frisingensis, Episcopi: Frater Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum in Jerusalem Magister, Morbacensis, Augensis, et Elvvacensis Abbates: Otto Dux Bavariæ Comes Palatinus Rheni, H. Dux Brabantiæ, A. Dux Saxoniæ, B. Dux Carinthiæ, M. Dux Lotharingiæ, H. Landgravius Thuringiæ, Palatinus Comes Saxoniæ, H. Marchio Misnensis, H. Marchio de Baden, I. et O. Marchiones de Brandenborg, H. Comes Seinensis, H. Comes Barensis, D. Comes Clevensis, H. Comes Anhaldinus, et alii quam plures.

Signum Domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, Jerusalem et Siciliæ Regis.

Ego Sigfridus Ratisbonensis Episcopus aulæ Imperatoris Cancellarius, vice Domini Moguntini Archiepiscopi totius Germaniæ Cancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense Augusto, octavæ indictionis, imperante Domino nostro Friderico Dei gratia serenissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Jerusalem et Siciliæ Rege, Anno imperii ejus sexto decimo, regni vero Siciliæ tricesimo octavo, feliciter Amen. Datum Moguntiæ anno, mense, indict. præscriptis.

Id

Id diploma etsi non omnes exhibeat ex his comitiis præsules & Principes, quando & Episcopus Verdensis & Abbas Fuldensis & Corbejensis ex aliis tabulis cognoscuntur adfuisse; tum verò maximè illustrat Monasterienſium Episcoporum fastos; sistitur enim inter ceteros antistites ex hoc anno Godeschalcus eorum Episcopus, quocum Chronicorum Monasterienſium Scriptores mire oberrant, incerti quo loco & ordine reponant. Quorum alii passim inter Ludovicum Teclenburgicum, & Hermannum II ad annum 1127 collocant, integro seculo exerrantes, cùm ad hunc annum 1235 referendus hîc occurrat, medius inter Theodoricum Jsenburgicum XXV, & Ludolphum de Holte XXVII Monasterienſium Episcopos. Et verò cùm Theodoricus Jsenburgicus D. Engelberti necis reus post anno 1226 postulatus Romam exauctoratusque haud multò post in peregrino solo obierit; verisimile est Godeschalcum per id tempus Theodorico subrogatum esse, & ab anno 1226 ad annum 1236, quo Ludolphus successerit, Monasterienſem Ecclesiam administrasse, bellaque quæ in fastis eorum memorantur contra Ottonem Teclenburgicum (qui & his Moguntinis comitijs præsens refertur à Meibomio) contraque Arensbergenses Comites gessisse. Sed hæc Monasterienſium Scriptoribus accuratius discutienda relinquimus; ego certè hactenus nullam istius Godeschalci memoriam in ullis aliis adhuc monumentis antiquitatum reperi, nec ullum vacuum tempus, quo hactenus inter Episcopos Monasterienses reponere liceat. Nunc ad incœpta redeamus.

Pontifex denuo Principes ad bellum sacrum sollicitat.

Dederat anno superiori Pontifex ad Reges & Imperij Principes literas, quibus bellum sacrum adversus Saracenos pro terra sancta recuperanda resumi hortabatur, flagitantibus id S. Ludovico Galliarum, & Henrico Angliæ Regibus. Et jam per Germaniam Moguntinus, Trevirensis, Salisburgensis, Pragensis, Leodiensis, Patavienſis, Metensis, Constantiensis, Monasterienſis, Basileensis, aliiq; complures Episcopi, Abbates, Duces & Principes sollicitati nomen militiæ addixerant. Quæ consilia hoc anno turbata, ut parū à Germanis impetratum sit; seu infelices superiorum annorum expeditiones ac vestigia tot cladium animos retraxerint: seu fluctuantibus per Imperium rebus, necessaria magis domi singulorum præsentia posceretur: seu Imperator à bello hoc semper alienus Principum voluntates interverterit. Sanè præcones sacros ab Friderico impeditos quæritur, Gregorius Pontifex in Epistola ad Cæsarem.

Odoricus in hist. Eccl. ad annum seq.

Bernardo Ep. Monasterio Marienfeldensi donat decimas in Orlinghusen.

Rursum hoc anno se memoria Bernardi Episcopi nostri offert, à quo Marienfeldense Cœnobium, primum & sanctissimum Bernardi patris tyrocinium, decimarum in Orlinghusen donatione cumulatum. *Testes* tabularum, quas suo & Collegij nomine inscribit, *fuêre Hermannus Camerarius, Hugo Custos, Rabanus et Henricus de Lippringe Canonici majoris Ecclesiæ, aliiq; complures Clerici. Acta hæc sunt Anno Domini* MCCXXXV *Indict.* VIII.

Annus Christi 1236.

Gregorij IX Pont. 10.
Friderici II Reg. 24 Imper. 17.
Bernardi IV Episc. Pad. 9.

Godefrid. Trithem. Theodor. in vita Elisabethæ. Ossa S. Elisabethæ Landgraviæ Hassiæ in Magna Principum corona elevantur.

Post illa Fridericus Imperator anno sequenti sub initium veris ex superiori Germania in Hassiam descendit; jam enim Pontifex anno superiori, ob pietatis & sanctitatis testimonia famamq; miraculorum, quibus D. Elisabetha statim à morte inclaruerat, præter cetera admiranda opera, (inter quæ meritò recenseas XVI mortuos, implorata Divæ hujus ope, ad vitam revocatos) Divorum eam numero adscripserat, jusseratque ossa honoratiori cultu elevari. Quod negotium cùm diluendum esset Moguntino, Trevirensi, & Hildesimensi Episcopis, accessit & Imperator Marburgum; quem magnus Episcoporum, Principum, & procerum numerus secutus; & tanta hominum multitudo confluxit, ut duodecies centena millia hominum numerata sint. Ad hanc celebritatem, uti Lipsius Colonienſem Archiepiscopum, alij alios suos Episcopos, ita nos Bernardum Episcopum nostrum ex vicinia cum Gerhardo fratre Bremensi Archiepiscopo accessisse dixerimus. Certe Bremensem Archiepiscopum celebritati interfuisse, testis est Jacobus Molanus; & quem in transitu cariorem hospitem excipere & comitari poterat Bernardus, quàm fratrem suum Archiepiscopum? Igitur cùm Calend. Maji ossa solemni ritu levarentur, Imperator primò sarcophagi lapidem manu sua sustulit, capitique Divæ coronam auream imposuit. Ossa cùm suavissimum odorem aspergerent, tum liquor quidam è tumulo fluxit, omnibus ægris accedentibus medela.

Serrar. in histor. Mogunt. et Sifrid. Anonymus auctor de Landgrav. Odalricus in hist. Eccles.

Godefrid. in Annal. Chron. August. Chron. Australe. Imperator Fridericum Ducem Austriæ armis domat.

Imperator post hæc Confluentiam progressus, Germaniæ inferioris militiam invitat ad bellum adversus rebelles Longobardos. Ac pauci licet ex his partibus induci potuerint, ipse tamen collecto è superiori Germania milite, mense Julio, invito Pontifice, in Italiam progressus: expugnatisque quibusdam urbibus, in Austriam reflexit expeditionem adversus Fridericum bellicosum Austriæ Ducem, modò Ungariam, modò Bohemiam, modò Bavariam victricibus armis percursantem; adjunctisque sibi nobilium armis, quos Dux oppresserat, Austriam subigit, Viennamque à Ministerialibus ac civibus invitatus occupat. Magno tum numero, ac splendore veteri, aderant in castris Imperatori Wenceslaus Rex Bohemiæ, Bertholdus Patriarcha Aquileiensis, Sifridus Moguntinus, Eberhardus Salisburgensis, Theodoricus Trevirensis, Archiepiscopi: Sifridus Ratisbonensis, Eckebertus Bambergensis, Rutgerus Patavienſis, Episcopi: Otto Dux Bavariæ, Burchardus Dux Carintiæ, Henricus Landgravius Thuringiæ. Proscripto depulsoque Duce, Imperator in urbe Viennensi hibernat, civesque libertate Imperalium urbium donat.

Tandem

Tandem Gerhardus Archiepiſcopus Bremenſis, & Otto Dux Brunſwicenſis & Lunenburgenſis ex diuturnis diſſidiis armiſque, quæ ob caſtra quædam ac poſſeſſiones bonorum ſumpſerant, reconciliati in ſtabilem pacem convenêre; poſtquam feuda quædam Eccleſiæ ſuæ Archiepiſcopus Duci, tanquam bolum, objecit capienda. Tam dulce ſemper fuit Principibus paſci patrimoniis Eccleſiarum, donec noſtra ætate hæreſis omnia devoraret, quæ à Carolo M. priſci & religioſiſſimi Imperatores delargiti fuerant.

Compo-nuntur etiam inter ſe fratres Otto Comes Teclenburg. & Engelbertus Ep. Oſnabrug.

Per id tempus quoq; Otto Teclenburgicus Comes, homo ferocis & rapacis ingenij, cum Engelberto fratre Epiſcopo Oſnabrugenſi compoſitus. Multos annos Otto Comes, idemq; Advocatus Eccleſiæ Oſnabrugenſis, vexârat Epiſcopos ſacrorum bonorum ſpoliis; quod eo licentiùs fecit poſtquam fratrem nactus Epiſcopum, à quo familiæ potius, quàm Eccleſiæ patrimonium quærendum, augendumq; ſperabat. At Epiſcopus exuto omni ſanguinis affectu, primùm precibus, deinde minis aggreſſus fratrem; quibus cùm nihil impetraret, anathemate percutit. Verùm cùm nec his armisſacris flecteretur ad reſtitutionem, Epiſcopus adjutus copiis Monaſterienſis Epiſcopi, bellum infert, expugnatque caſtrum Arkenowam, & Eſſenam oppidum ſolo æquat; contraque Quakenbrugum ſuæ diœceſis vicinum locum præmunit, introductis Caſtrenſibus & incolis. Poſtremùm res ad acre prælium devenit, quo cæſus captuſque Otto Comes, interemptus Dynaſta Dyſſenæ (ex qua familia Bernardum II Epiſcopum noſtrum produximus) alijque complures nobiles belli illius ſocij. Oppidum caſtrumque Diſſen funditus everſum. Quibus malis fractus Otto Comes ex carcere ad transactionem & pacem ſe obtulit. Arbiter datus Ludolphus Monaſterienſis Epiſcopus, vir ingenio & armis acer: additi XXII militares viri, qui pacis inter Comitem, & Epiſcopum ſanciendæ fidem jurarent. Conventumque in has leges, uti Comes Advocatiam diœceſis cederet Epiſcopo: Vicegraviatum, quo jus dicebat in urbe Oſnabrugenſi, & Caſtellaniam, juſve quod in caſtrum Iburg & Caſtellanos habebat, remitteret: nullas munitiones intra diœceſin erigeret: vicos & feuda circa Iburgum jure fiduciario tantùm retineret: in vicem Epiſcopus Comiti fratri 800 marcas penderet. Ita Eccleſia illa moleſtiſſimo Advocatiæ onere liberata eſt induſtria Ludolphi Monaſterienſis Epiſcopi. Quemadmodum jam ante Ludovicus ex eadem Teclenburgenſium familia Monaſterienſis Epiſcopus ſuam Eccleſiam ab eodem Advocatiæ jugo, quod Comites Teclenburgici in diœceſin & urbem Monaſterienſem habuerant, liberavit, Eccleſiæ quàm familiæ fidelior. Hoc judicium hoc anno Oſnabrugi in Cœmeterio Collegij S. Joannis pronunciatum, vulgatumque: uti hæc Ertwinus, & auctor Chronici Monaſterienſis ſcribunt; falliturque hic poſtremus auctor, quòd transactionem hanc Ludovico Monaſterienſi Epiſcopo Comiti Teclen-

clenburgico adscribat, quod Ludolpho attribuendum est, eo quòd Engelbertus cum Ludolpho Episcopatum gesserit Osnabrugi, non cum Ludovico, ut id ex Chronotaxi Episcoporum Monasterienſium facilè constare poterit. Incertum quamdiu exinde vixerit hic Engelbertus, præclarus Osnabrugensium Episcopus, Successorem nactus Engelbertum Isenburgicum, quem postliminio Crantzius alijq; ad Episcopatum redijsse scribunt, ideoque male expungi ex hoc Episcoporum Osnabrugensium numero ostendit Gelenius ex literis anno 1248 datis.

Chron. Mindens. Crantzius lib. 7. Metrop. c. 42. Gelen. in Engelb.

Conradi Mindens. Episc. obitus & præclarè facta.

Obijt certè hoc anno Conradus Mindensium Episcopus, Præsul ex omni virtutum, & præclarorum operum laude in fastis Mindensium consignatus. Quippe D. Engelberto familiaris postremam ejus confessionem excepit; multaque Monasteria aut condidit, aut formavit in melius. Eo Episcopo Prædicatorum ordo, qui jam Susati, aliisque per Westfaliam locis receptus erat, Mindam introducitur, multisque illic viris doctis, & religione præstantibus efflоruit. Celebris non minus Franciscanorum familia, propagataque per Saxoniam, cujus religiosæ vitæ institutum per id tempus Adolphus Comes Schawenburgicus & Holsatiæ, abdicatis omnibus patrimonij bonis, amplexus, tria exinde Monasteria condidit, sanctitate longè illustrior, quàm nobilitate generis.

Bernard. Ep. egenis Ministerialium suorum filiis succurrit.

At Bernardus Episcopus noster, præterquam quod hoc anno Scakensi suæ diœcesis Cœnobio donationem fecit, egenis Ministerialium suorum filiis prædium, fructus pia commiseratione, ad vitæ alimoniam concessit: acceptaque stola & pede pastorali litem hac super re à Capitulo decisam probavit. Acta memorantur *hæc Anno* MCCXXXVI, *quarto decimo Calend. Octobris, præsentibus Volrado Præposito, Rabodone Decano, Volcquino de Suvalenberg, Tetmaro Scholastico, Hermanno Camerario, Volberto, Hugone, Ludolpho Cellerario, Widekindo Præposito Apostolorum Petri et Andreæ, Volando Cantore, Brunone, Conrado Plebano, Henrico Præposito de Cildese, ceterisque è clero et nobilitate.*

Et Ludovico Comite Ravensbergensi concedit jus Patronatus capellæ Bilfeldiens.

Hoc præterea anno Bernardus, indulget Ludovico Ravensbergensi Comiti socero suo jus patronatus Capellæ in Oppido Bilfeldiensi, eamque à parochiali Ecclesia absolvit.

Bernardus Dei gratia Paderbornensis Episcopus, dilecto socero suo Comiti Ludovvico salutem et dilectionis constantiam. Sciat constanter dilectio vestra, quod nos cum dilecto nostro Domino Ottone Custode Paderbornensi in eo convenimus, quod quilibet inhabitatorum Bileveldæ mensam, ad quam familia pertinet, habentem Plebano de Hepen Annis singulis in die omnium Sanctorum obulum dabit pro exemptione Capellæ Bilevelde, quæ ratione matricis ad Ecclesiam Hepen pertinebat, quousque dicto Plebano de Hepen condigna recompensatio statuatur. Quapropter dictam Capellam Bilefeldæ à matrice ejus Ecclesiæ publicamus liberam et exemptam salvo jure diœcesiani et Archidiaconi loci, vobis dantes liberam potestatem in eadem Capella per-

sonam

sonam idoneam ratione Patronatus statuendi, et eam ad collationem spiritualium loci Archidiacono præsentandi. Datum Paderburnæ, Anno Domini MCCXXXVI, *Pontificatus nostri anno* octavo.* *al. 9.

Annus Christi 1237.

Gregorij IX Pont. 11.
Friderici II Reg. 25. Imp. 18.
Bernardi IV. Ep. Pad. 10.

Exinde Fridericus Imperator postquam Viennæ in Austria hibernârat, bellum cum Friderico Austriæ Duce affectum relinquit Ecberto Bambergensi Episcopo, comitibusque Henrico Eberstenio & Nurenbergensi, primùm Ratisbonam, deinde Spiram profectus ad indicta Principum comitia; in quibus Conradum puerilis ætatis filium cùm Regem dixisset, eique Imperij curam demandasset, in Italiam cum robore exercitus contendit. Per quem Imperatoris discessum Fridericus Austriæ Dux prælio cum Imperatoriis congressus, victorq; totam Austriam recepit. Annus hic interim, ut Godefridus scribit, Westfaliæ cumprimis, cœli tempestatibus fatalis; passim enim incussa grandine segetes & jumenta prostrata, visique grandinum globi ovorum columbinorum magnitudine, alibi crusta glaciei ad medii cubiti longitudinem dejecta. Consecuta mox alia strages ex ventorum procella, qua domus disjectæ, & arbores sylvæque radicitus eversæ jacuêre, obtritis hominibus & jumentis. Quæ tanquam prodigia accepta, quando per absentiam Imperatoris in Italia, & Regis pueri administrationem tumultuaria illa inter Comites, nobiles, urbes bella initium habuêre, de quibus Godefridus memorat, & his annales concludit, dignus, qui multorum temporum annales continuaret.

Godefrid. Chron. Augustan.

Annus tempestatibus horridus & Westfaliæ fatalis.

Sustulit hic annus è Westfaliæ illustribus sanctisque viris B. Jordanum Ordinis Prædicatorum supremum Magistrum. Navem ille conscenderat, Hierosolymam & loca sacra, suique ordinis domicilia in Palæstina intervisum; cùm in mari haud procul Accone naufragium passus, cum duobus sociis & nonaginta novem hominibus submergitur. Ac ne quid hic casus de sanctitate viri detraheret apud populum, visa sunt corpora inhumata cœlesti luce perfusa; puer deinde ad ejus opem imploratam in vitam rediit; multis præterea miraculis Jordanus à morte coruscus fuit. Sub quod simul tempus Albertus M. gente Suevus per Germaniam sui Ordinis Vicarij munus gerebat; ac ne in locum Jordani ad supremam præfecturam evocaretur, Coloniæ sedem fixit, orbemque fama eruditionis complere non destitit. In tanto per Saxoniam virorum doctorum priorumque numero Bernardus Episcopus noster totus fuit in dotandis, coornandisque religiosorum Cœnobiis; rursumque Monachis Campi Mariæ hoc anno duplicem donationem fecit, qua liberalitate

Leand. in vita Jord. apud Surium tom. 7.

Obitus B. Jordani Supremi Ordinis Prædicatorum Magistri.

Bernardo Ep. Silvam quandam in montibus Teutonicis donat Marienfeldensi

Cœnobio. tate Monachis ejus Cœnobii incultam sylvam in montibus Teutoniæ extripari excolique in agros permittit: tabulas quòd ad annum 1076 in Imado Episcopo productæ sint, hîc prætermittimus, eò lectorem remittentes.

Et plures agros Ecclesiæ Sandebeccensi. Pari liberalitate hoc anno Bernardus Episcopus noster Ecclesiam suam in Sandebeck complexus; quando sæpe magis necessarium egenos animarum pastores Ecclesiæ ministros, & scholas parochiarum dotare, quàm aut nova Cœnobia condere, aut vetera cumulare opibus; hæc enim cura proprior attingit Episcopum. Tabulas hac super re confectas, quia priscam Episcopi pietatem spirant, hic ex parte repræsentamus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Bernardus quartus Dei gratia Episcopus Paderbornensis Ecclesiæ. Universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis perpetuam in Domino salutem. Si Ecclesiarum Dei sublimitatibus inservimus, omni studio æternæ retributionis præmia nobis adfutura esse speramus. Ideoque præsentibus significamus et futuris, quod Arnoldus quondam Sandenebeke Plebanus, Bernardus Sacerdos de S. Bartholomeo, et Albertus de Wabervelde Monachus, de consensu Abbatis sui et conventus S. Pauli in Paderborna, in nostra constituti præsentia septuaginta jugera in Bodinkenhagen et quadraginta quatuor et plura in antiqua indagine juxta Sandenebeka sita cum areis et domibus eisdem jugeribus attinentibus nobis libere resignârunt, et nos ad eorundem voluntatem eadem bona Domino Iesu Christo, B. Virgini Mariæ, et B. Dionisio Sandenbeke contulimus, assignando eadem Conrado dictæ Ecclesiæ Plebano suisque successoribus perpetuo possidenda. Ea tamen conditione, ut quatuor solidi conventui S. Pauli Paderbornensi in festo omnium SS. et quatuor solidi in Epiphania Domini ad eleemosynas pauperum persolvantur. Testes hujus rei aderant Conradus Custos, Magister Joannes Canonici Paderbornenses, multique alij Plebani, Clerici, et Laici. Acta sunt hæc Anno Domini MCCXXXVII, *in die Philippi et Jacobi, Pontificatus nostri anno nono, in domo nostra Paderbornæ.* Reperio & in monumentis Abdinghoviani Cœnobij hoc anno renovatum esse societatem fraternitatis, ut appellant, inter ipsos Monachos Abdinghoviani Cœnobij & Cluniacenses Monachos, ex quorum Cœnobio D. Meinwercus hanc primum Coloniam Paderbornam traduxit, ut in ejus Episcopi gestis supra à nobis præscriptum est; quod tam insigne argumentum est, religiosæ caritatis, quàm & florentis in utroque Monasterio disciplinæ.

Comites Arensberg. & Ritbergensis transigunt de bonis suis. Hic ut vicina etiam contingamus, offert se ex hoc anno compositio transactioque de bonis inter Godefridum Comitem Arensbergensem & Conradum Comitem Ritbergensem, Godefridi, ut hæ literæ testantur, consanguineum; quas hoc loco ex multorum Comitum & nobilium congressu ob familiarum antiquitatem referre lubuit.

In nomine

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Godefridus Comes de Arensberg, et ego Conradus Comes de Rethberge universis tam præsentibus quam futuris præsens scriptum intuentibus salutem. Cum ea, quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, literarum solent memoria perennari. Notum esse volumus universis, quod talis compositio inter nos intercessit, ita quod ego Conradus Comes bona in Kuik et Malsuen, eo jure, quo pater meus tenuit, integraliter obtinebo. Insuper adjectum est, quod ego Godefridus Comes de Arnsberg bona trans Lippiam cum omnibus attinentiis, tam fidelibus quam ministerialibus, jam dicto Conrado Comiti meo consanguineo libere dimisi et absolute, ita quod Conradus Comes universos tam fideles quam ministeriales ab iisdem bonis infeudandos sine pecunia, insuper omni contradictione postposita, infeudabit. Item ordinatum est, quod si aliqui, qui ab ipso Comite Conrado infeudandi sunt, et à manibus suis forte rejicere noluerint, vel recepto resignaverint, eidem Comiti eadem feuda permanebunt absolute. Si vero aliqui ab eis, qui contradictores extiterint, infeudati sunt, à Comite Conrado feuda sua requirent, et eis porrigere non denegabit. Item districte dictum est quod neuter nostrum homines cujuscunque conditionis extiterint, qui ante hanc compositionem alias non manserint, si ad alterutrum nostrorum declinaverint, eos sine voluntate alterius sibi non usurpabit. Item si aliquis hominum nostrorum aliqua ex parte contrarius deliquerit, alter ipsum in præjudicium alterius non usurpabit. Præterea ego Godefridus Comes omni actioni quam habui in memoratis bonis, nimirum Kuik et Malsuen et trans Lippiam una cum uxore mea hæredibus meis integraliter resignavi. Similiter et ego Conradus Comes præsentibus profiteor, quod omni actioni, quam in Dominio Arnsberg habere potui, una cum uxore mea et hæredibus meis succedentibus resignavi. Præterea conditum est, quod si aliquis nostrum hujus compositionis formam infregerit, vel in obvidiam contra alium surrexerit, Nobiles viri quorum sigilla præsentibus sunt appensa cum omnibus ipsorum voluntatibus pertinentibus contra delinquentem auxilium præstabunt. Hanc vero compositionis formam fide data insuper juramento præstito promisimus observare. Ut autem hæc ordinatio nostra firma permaneat et inconvulsa, præsentem cartulam exinde conscriptam placuit sigillis nostris, nec non nobilium Præpositi S. Severini in Colonia, videlicet Domini Henrici fratris Werneri de Wisentmilde quondam Comitis in Arnsberg, Domini Henrici Comitis Seyn. Nobilis viri Domini Bernardi de Lippia et Domini Bartoldi de Buren, qui huic compositioni personaliter interfuerunt, firmiter communiri. Aderant dum hæc fierent etiam nobiles viri Henricus Burgravius Colon. Roricus Advocatus in Haggenberg, Henricus de Gravescap et Adolphus filius ejus, Henricus Niger de Arnsberg. Ministeriales vero Bertoldus de Brakele, Rudolphus de Ervete, Rutgerus de Durbenne, Lubertus Gogravius, Wilhelmus de Ole, Wilhelmus de Nehem, Godescalcus de Brockhuson, Bertoldus de Bilenhusen, Achilles Judex Lippiensis, Alradus Dapifer Lippiensis, Hunoldus Dapifer Arnsbergensis, Lubbertus de Benen, Omanus de Osterveld, Hermannus de Elsepe, Helvvicus de Hagnen, Theyme de Widdenbrug-

ge, Henricus Tap, Ecbertus de Rockhusen, Rodelenus de Burbenne, Themo de Susato, et Theodoricus de Susato, et alii quam plures Ministeriales et fideles. Acta sunt hæc Anno Domini MCCXXXVII. *Calendis Septembris, ipso die Ægidii, regnante glorioſissimo Imperatore Domino Friderico, et venerabili Domino Henrico Colon. Datum Arnsberg.*

Antiqua Westfalia, & potentissima Comitum Arensbergensium familia, ex qua propago Ritbergensium Comitum traditur, clara per id tempus Conrado Comite esse cœpit; fateturque Gelenius vidisse se literas, quibus Conradus se Arensbergensem & Ritbergensem Comitem scribat: sive jam ille ex Hermanno Rutenbergio Burgravio Strombergensi, Henrici ejus nominis III filio, Godefridi Arensbergensis Comitis fratre, se fundet, ut Gelenius & Cleinsorgius tradunt: sive altius etiam, quod ex his ab Henrico I Arensbergensi Comite, ac fundatore Wedinghusani Monasterij, deducta sit. Et verisimile habeas Retbergam fuisse partem possessionemq; antiquorum Comitum Arensbergensium, quæ ex divisione bonorum cesserit alicui nepoti; ut vel inde Godefridus Comes se Conradi consanguineum hisce Literis profiteatur. Res multum obscura, quæ ex collatis antiquitatum tabulis certius exploranda sit.

Annus Christi 1238.

Gregorij IX Pont. 12.
Friderici II Reg. 26. Imp. 19.
Bernardi IV. Ep. Pad. 11.

Richardus in Chron. Auctor vitæ Gregor. IX. Odoric. in histor. Eccl. Albertus Stadens.

Subit nunc annus MCCXXXVIII, quo Fridericus Imperator in Italia Guelforum ac Gibellinorum factionibus longo intervallo resuscitatis populos inter se collidit. Brixiam frustra obsidet: Mediolanensibus extremum exitium minatur: Romanos adversus Pontificem concitat, omniaque sacra, profanaque loca pro lubidine regnandi vastat; quibus passim Tyranni nomine invisus, Ænobardi avi & Henrici patris improbitatem revocare ferebatur. Ita pro etiam ingenio patris Conradus filius agebat in Germania, opprimendo sacros præsules, & Ecclesiarum jura. Ejus exemplo provocati Magistratus politici, & inquieti proceres, multis deprædationibus vexavêre Trevirensem, Colonienſem, Moguntinum, & Leodiensem, diœceses. Horum Dux Walramus Luxenburgi Comes, & Luneburgi Dux. Quietior Westfalia & Saxonia, Archiepiscoporum & Episcoporum auctoritate ac potentia; penes quos tum summus fere erat dominatus, ne facilè se alii Principum ac procerum commovere auderent. Morte quidem subtractus hoc anno Henricus Mollenarchius Colonienſis Archiepiscopus, accerimus Ecclesiasticæ libertatis vindex; sed huic subrogatus Conradus Comes de Hochsteden, Metropolitanæ ædis Præpositus, vir excelsi & interriti animi, qui pari, qua Mollenarchius, se auctoritate ferebat per Westfaliam,

Friderico & Conradus ejus filius Ecclesiam divexant.

Alb. Stad. Trithem. in chron. Hirsau.

toga

toga sagoque inclytus. At ne inferior Westfalia per id tempus infestaretur à Trentonibus, aut Frisiis, conjunctis viribus Embslandiam tuebantur Ludolphus Monasterienſis Episcopus, & Corbeiensis Abbas, trahebantque castra sua præmunita Castellanis. Quæ verò inter ipsos præsules orta est controversia de castro Landeggiano, ea in hunc modum hoc anno composita est. Controversia de Castro Landeggiano componitur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ludolfus Dei gratia Monasterienſis Episcopus, Wilhelmus Præpositus, Godfridus Decanus, totumq; Capitulum Monasterienſis Ecclesiæ. Omnibus hujus paginæ inspectoribus notum esse cupimus, quod cum inter nos et Abbatem Corbeiensem hinc inde quæstio moveretur super castro Landetge, composuimus in hunc modum. Videlicet quod Abbas Corbeiensis et sua Ecclesia tres Castellanos locabit in eodem castro, et quarta mansio eidem remanebit, et tertiam partem castri tam in vigilibus quam custodibus aliis custodiet. Item promisit, quod nec ipse nec aliquis Successor suus turrem in eodem castro construet, sed turrem ædificatam pari modo cum Ecclesia nostra Monasterienſi perpetuo retinebit, ita tamen quod nos et nostri Successores ejusdem turris instituamus custodes, et ipsi pari modo Abbati jurabunt, et ne Abbas, vel aliquis Successor suus turrim construat, nos eidem in restaurum 4 marcas assignabimus annuatim. Item portarius pari modo eidem jurabit. Item quidquid proventuum evenerit in foro Abbati æqualiter cedet. Item si oppidum propè castrum ædificatum fuerit, nos judicium et monetam collocabimus, sed proventus inter nos æqualiter dividentur, et ita de omnibus proventibus, antiquo tamen telonio, quod Sevart *dicitur, excepto. Ut autem hoc factum stabile et inconvulsum permaneat, præsentem paginam tam appensione sigilli nostri quam Capituli Monasterienſis fecimus roborari. Testes hujus rei sunt Wicboldus nobilis de* Holte/ *Burgravius de Stromberg, Hermannus nobilis de* Harstorp / *Bernhardus, Fridericus, et Hermannus fratres de Menhuvele, Burgravius de* Begethe (*fors* Pegethe) *et fratres sui Hermann⁹ et Joannes, Hermannus* Worenze/ *Albertus Dapifer et frater suus Adolfus, Suetherus tunc Judex Monasterienſis, et aliiquam plures. Acta sunt hæc anno Domini* MCCXXXVIII.

Mense Octobri Bernardus Episcopus noster evocatus Geismariam, quod in finibus Hassiæ est Oppidum, ad dedicationem templi, quod D. Franciſci familiæ tum per has regiones multum propagatæ cum Cœnobio conditum erat. Id Oppidum, quia intra jurisdictionem Episcopi Paderbornensis erat, Bernardus magna hominum frequentia solemni ritu consecravit. Eo simul in Oppido cum hæc celebriras ageretur, Bernardus Episcopus noster ampla feudi bona, quæ duo nobiles fratres de Schoneburg ultro Episcopo reddiderant, Gerdensi Virginum Cœnobio donavit. *Acta hæc habent tabulæ Episcopi Geismariæ confectæ in die consecrationis Ecclesiæ fratrum Minorum, in die Gereonis et Sociorum ejus, præsentibus testibus adhoc requisitis, Everhardo de Hervordia, Joanne de Elsen, Magistro Mauritio de Schildere Canonicis Paderbornensibus, Plebano Regenrode de Jburg, et Alberto de Elsen.* Bernardo Ep. Geismariæ templum Franciscan. consecrat, & pluraGerdensi cœnobio bona confert.

Militibus Stephano de Halderſon, Hermanno de Veſter, Harmanno Spegel, Theodorico de Tidinghuſen, Obrico de Wulferſohn, Bertholdo de Herſtelle, Bertramo de Stainheim, Hildebrando, Sigehardo, Joanne de Desle, Conrado de Beverungen, Hermanno de Tilia, Burchardo de Natſunge, et aliis quam plurimis, Anno Domini MCCXXXVIII. Ex tot illuſtrium nobilium familijs non niſi duæ modò, Scilderorum & Spegeliorum, ſuperſtites. Tam caduca hæc bona fortunæ; in quibus tanta nobilium jactantia: & tam cito occidunt, quæ æterna quæruntur.

Annus Chriſti 1239.

Gregorij IX Pont. 13.
Friderici II Reg. 27 Imper. 20.
Bernardi IV Ep. Pad. 12.

Auctor vitæ Gregor. IX. Albertus Stadenſ. Matthæus Pariſ. Sigon. l. 18. Brouver. lib. 18. Ann. Trithem. in chron.

Imperator à Pontifice excommunicatus Germaniam turbat.

Gravis exinde tempeſtas Germaniam & Saxoniam conturbare cœpit, poſtquam Fridericus Imperator à Gregorio Pontifice nova ignominia notatus à piorum & ſacrorum communione ſubmotus. Nec enim Romam modò, quam anno ſuperiori adverſus Pontificem concitarat, ſubigere, Pontificem patrimonio S. Petri exuere, ac totam Italiam in ſervitutem deprimere machinatus; ſed & per Germaniam Epiſcopos libertate ac privilegiis & bonis ſpoliare, Eccleſiarum vacantium patrimonia avertere in caſtrorum munimenta, Legatum Pontificis in Galliam miſſum adverſus Albingenſes hæreticos intercipere, Clericos & Sacerdotes rapere ad tribunalia & carceres, & quæ hujuſmodi ab alberto Stadenſi ceteriſque Scriptoribus adferuntur in medium; tanquam qui Henrici IV & V Imperatorum conſiliis regnum & Sacerdotium ſibi ex regia poteſtate vendicaret. Ob quæ delicta, cùm à Pontifice admonitus eſſet, nec corrigeret, in cœna Domini ſolemnibus Eccleſiæ cœremoniis imperio exuendus proſcribitur. Id poſtquam miſſis ad omnes Reges & Principes literis denunciatum fuit, ſollicitatique Germaniæ Epiſcopi promulgare, ingentes motus concitati ſunt. Principes politici hæc Pontificis edicta ſpernere: Epiſcoporum alii parere, alii recuſare. Hinc in diſſidio inter regnum & ſacerdotium calamitoſum rurſum ſchiſma, & quæ inde mala conſequi ſolent, Germaniam concuſsêre.

Pontifex Scakenſi Monaſterio proſpicit.

Inter has tamen curas interpellatus Pontifex, per brevi diplomate Scakenſi Monaſterio Virginum noſtræ diœceſis ſollicitè conſultum voluit,

Gregorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Dilectis filiis priori Corbeienſi et Decano novæ Eccleſiæ Paderbornenſis diœceſis ſalutem et apoſtolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Præpoſiti et conventus Monaſterii Monialium in Scaken Ordinis S. Benedicti Paderbornenſis diœceſis precibus inclinati præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ejuſdem Monaſterii alienata inveneritis illicite vel diſtracta, ad jus et proprietatem illius legitime revocetis, Contradictores per cenſuram Eccle-

Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, cogatis veritatis testimonium perhibere Datum Laterani XV *Calend Maji Pontificatus nostri anno duodecimo.*

Pari beneficentia Bernardus Episcopus Bustorfianum in urbe Collegium Canonicorum complexus tribus prædiis cumulavit; quorum duo ex feudi bonis ad ipsum reciderant, tertium à B. Meinwerco fundatore donatum erat, sed injuriis nobilium interversum; ob quod tam insigne beneficium Collegium anniversariam Bernardi memoriam grato sanxit animo. Acta sunt hæc coram testibus Volrado Præposito, Rabadone Decano, Thetmaro Scholastico, Hermanno Camerario, Volberto de Elsen, Ludolpho Cellerario, Gerhardo Canonicis Paderbornensibus. Ministerialibus Hermanno Marschalco, Henrico Camerario, Georgio, Joanne, & Wernero dictis Stapel, Wernero de Wever, aliisque compluribus nobilibus ac civibus. Anno Incarnationis Domini Mccxxxix.

Bernardo Ep. tria prædia collegio Canon. Burstorfiano donat.

Annus Christi 1240.

Gregorij IX Pont. 14.
Friderici II Reg. 28 Imper. 21.
Bernardi IV Episc. Pad. 13.

Fluctuabat per hæc Germania inter fidem Pontificis & Jmperatoris. Nam postquam superiori anno anathematis telo defixus erat, multò ferocius per Italiam in Pontificem sævire cœpit. Pontifex omni humana ope destitutus, concilium œcumenicum indixit, ad quod Episcopi ex Gallia, Anglia, & Germania evocati, quod cùm in suum caput procudi intelligeret Jmperator, omnes vias terra, marique præclusit. Multi etiam Patrum ex itinere intercepti, in carceres rapti, & ad Fridericum in Apuliam deportati. Quibus provocatus Pontifex Imperatorem exauctorandum decernit, legendumque alium in ejus locum. Quod etsi Rex Galliæ, Angliæ, & Daniæ probarent; obstitêre tamen Germaniæ Principes, sat gnari, quibus malis ejusmodi schismatis imperium conturbaretur. Ausi etiam Pontifici rescribere, uti Albertus Stadensis æqualis eorum temporum scriptor, auctorque historiæ Bremensis tradunt, *Ad Pontificem non pertinere Imperatorem vel instituere, vel submovere, sed electum à Principibus coronare.* Electores autem per id tempus introducunt, tanquam veteri lege vel consuetudine jam receptos, Moguntinum, Colonien sem, & Trevirensem, Archiepiscopos: Palatinum Jmperatoris Dapiferum, Ducem Saxoniæ Marescalcum, Margravium Brandeburgicum Camerarium, quibus Regem Bohemiæ, etsi non eligat, cùm Teutonicus non sit, adjungunt Pincernam. At qui hæc suprema Pontificis jura ita restringebant, tum parum memores fuisse habentur, qua potestate Jmperij translatio facta sit: aut quibus

Alb. Stad. Trithem. Auctor vitæ Gregorii. Odoric. in histor. Eccl. Spondan. Dissidia inter Pontificem, Imperatorem, & Imperii Principes, & hi c turbæ.

bus exemplis Pontificum apud Baronium hæc res ſubnixa: aut quibus de cauſis cùm extrema Eccleſiæ neceſſitas, vel ingens animarum diſcrimen id exigit, fieri poſſe cenſeatur. Quæ Imperator in Italia, eadem Conradus Rex patris exemplo moliebatur in Germania; cujus auctoritate fultæ urbes quædam in magiſtratus Eccleſiaſticos inſurgere, & nova libertatis privilegia, ſibi depoſcere inter Archiepiſcopos. Interim qui Pontificis partes ſuſcepêre memorantur Sifridus Moguntinus & Conradus Colonienſis; eòque per has naſcentes turbas auſa Colonia Archiepiſcopo intentare bellum: quo licet per Lunenburgicum, & Brabantiæ Duces compoſito, Archiepiſcopus tamen Bonnam alta foſſa noviſque operibus præmunire aggreſſus eſt.

Auctor Chron. Colon.

At Bernardus Epiſcopus noſter, qui diœceſin ſuam pacatiſſimam habuit, non alijs illam magis præmuniit armis, quàm Sacerdotum & religioſorum precibus; eò ſingulis annis tam liberalis in Cœnobia Monachorum. Quemadmodum & hoc anno nobiles decimas, quæ à Godeſchalco Pyrmontano Comite ipſi ultro redditæ erant, Monaſterio Swalenbergenſi, quod vulgo Marienmunſter vocant, delargitus eſt; *ea ſimul*, quod in tabulis ſcribit, *gratia, ut ejus Monaſterii fratres, Patris et matris noſtræ, fratrum et ſororum noſtrarum, noſtrumque nomen Kalendario ſuo annotantes memoriam noſtram agant in perpetuum.* Multis deinde teſtibus adſcriptis ex Clero & nobilitate. *Acta hæc referuntur anno Domini* MCCXL *Pontificatus noſtri anno* XIII, *in die Joannis Baptiſtæ.*

Bernardo Ep. decimas quasdam Cœnobio Marienmunſter. delargitur.

Annus Chriſti 1241.

Gregorij IX Pont. 15.
Friderici II Regi 29 Imper. 22.
Bernardi IV Ep. Pad. 14.

Per hæc conturbata Eccleſiæ tempora moritur hoc anno II Calend. Septembris, Gregorius IX Pontifex, vir præcelſi animi, & inſignis doctrinæ; cum multis ærumnis, tum dolore ex irruptione Tartarorum confectus. Nam hæ barbaræ gentes, quæ irati Numinis vindicta ad diſſidia Chriſtianorum conſequi ſolet, Poloniam, Ungariam, & Bohemiam miſerabili vaſtitate ab aliquot annis pervaſerant. Harum metu perculſi Saxones noſtri, ne in has regiones penetrarent, Merſeburgi ſeſe cum exercitu objecerant, averterantque. Imperator, cujus muneris erat exemplo majorum Imperium à barbarorum incurſionibus tueri, inteſtinis armis Pontificem & Italiam lacerabat. A morte Pontificis, quod haud minus calamitoſum erat, Sedes Apoſtolica duos ferè annos vacua fuit; ſeu quòd Cardinales diſcordarent in electione ſucceſſoris: ſeu quòd Imperator Cardinales, ne Romam convenire poſſent, aut in vinculis teneret, aut impediret; quò liberius, expugnatâ Faventiâ, dominatum per Italiam pro-

Albert. Stadenſ. Richard. in Chron. Matth. Pariſ. Petav. Odoricus in hiſt. Eccleſ. Spondanus. Chron. Auguſt.

Irruptio Tartarorum, & continuatæ ab Imperatore turbæ.

proferret, sæviretque in Pontifices. Nec mitior patre Conradus Rex indignè tractabat Episcopos, & quotquot Pontifici studere comperit. Auctor interim est non nemo, ab eo exercitum adversus Tartaros productum; sed ea laus potius Friderico Austriæ Duci debetur, à quo barbari, hi populi circa Viennam grassantes cum maxima clade rejecti sunt. Saxonia interim ut Crantzius scribit, sub imperio Alberti Saxoniæ, & Ottonis Luneburgi ac Brunswici Ducum quiescebat.

Auctor histo. Bavar. P. 1. lib. 24. lib. 8. Saxon. c. 7.

Per id tempus, quo consilio incertum, Siffridus eo nomine III Moguntinus Archiepiscopus Paderbornam accessit, collocutusque est cum Bernardo Episcopo nostro. Quo in congressu Abbati Cœnobij Mariæ Ordinis S. Benedicti apud nos usum insulæ in Sacris concessit: testes hæ literæ.

Archiep. Mogunt. concedit Abbati in Marienmunster usum infulæ.

Siffridus Dei gratia sanctæ Moguntinensis sedis Archiepiscopus, Sacri Imperii per germaniam Archicancellarius. Dilecto in Christo Abbati de Monasterio Paderbornensis diœcesis salutem in Domino. Ad honorem tui ac Paderburnensis Ecclesiæ, cui immediate sub esse dignosceris, auctoritate præsentium, accedente consensu Venerabilis fratris nostri Domini Paderbornensis Episcopi, de speciali gratia nostra tibi tuisque successoribus perpetuo indulgemus, ut usum infulæ habeatis, tam in Synodo Moguntinensi quàm in Paderburnensi incedentes infulis decorati. Et ut de hac nostra gratia vobis indulta possitis habere perpetuam firmitatem præsens scriptum devotionis nostræ super ea duximus concedendum. Datum Paderburnæ anno gratiæ MCC quadragesimo primo, quinto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno XII.

Ex hisce simul literis, quibus annus Pontificatus Siffridi notatur XII, illustrari poterunt quæ tam obscurè traduntur à Serrario deinitio ejus Episcopatus; certiorque conficitur sententia Bruschii, qui ad annum 1330, quàm aliorum, qui ad annum 1225 revocant.

Illustrior hoc anno Westfalia Joanne Teutonico, qui Wildeshusii in Oppido natus D. Raymundo, cùm is ultro se abdicasset, in suprema Ordinis D. Dominici præfectura, concordibus omnium Patrum suffragiis subrogatus est; id quod illi decenni puero aliquando divinitus significatum, fore ut novæ brevique orituræ familiæ Prædicatorum nomen daret, Episcopus legeretur, ac demum supremus ordinis sui moderator præficeretur. Omnia hæc eo, quo acceperat ordine, evenêre. Nam præeunte hortanteque Jordano populari suo, cooptatus in familiam D. Dominici; in qua ob insignem pietatem, eruditionem omniaque virtutum decora primùm Provincialis Ungariæ, deinde Bosnienſis Episcopus renunciatus est. Quam dignitatem cùm amore religiosæ vitæ ultro poneret, rursum per Lombardiam sui Ordinis Monasteriis moderandis præfectus est; quo in munere cum viri hujus prudentia, ac vitæ sanctimonia multò conspectius eluceret, toti per Europam Ordini supremum Rectorem

Senensis in Chron. Prædicatorum. Cantipratanus lib. 2. cap. 30 & 57. Bolandus. Joannis Teutonici supremi Ordinis Prædicatorum Magistri commendatio.

rem præfecêre. Hic ille Joannes Teutonicus, qui pro Thoma Aquinate liberando Fridericum Imperatorem adiit, ejuſque auctoritate Aquinatem interceptum à conſanguineis è carcere liberavit, ac Pariſios deduxit, unde poſt paucos menſes Coloniam miſſus, Albertum doctiſſimum ea ætate magiſtrum audivit: nec multò poſt magiſtro ſuo celebrior, totum orbem chriſtianum admirabili ac divinitus infuſa doctrina illuſtravit. At Joannes Teutonicus, ex quo hoc anno ſupremum magiſtratum iniit, in decimum tertium exinde annum geſſit: quo Argentinæ 4 Novembris ſanctiſſimè exceſſit, miraculis non minus à morte, quàm in vita clarus. Igitur ut B. Jordanus alter poſt D. Dominicum, ita hic quartus poſt Raymundum ſupremus ejus familiæ moderator, uterq; gente Weſtfalus. Sub utroque moderatore Dominicanorum familia ſacra haud ſecus, quàm Franciſcanorum, conditis jam ubique per Saxoniam Cœnobiis, quàm latiſſime propagata; quantumque poſt D. Benedicti ſanctiſſimum inſtitutum Præmonſtratenſes, & poſt illos Ciſtertienſes; tantum hi duo præſtantiſſimi Ordinis, præter cetera Europæ regna, etiam Germaniam Saxoniamque noſtram illuſtravit; quemadmodum novis hiſce religioſorum hominum inſtitutis divina providentia labentem religionem ſemper inſtauraſſe viſa eſt.

Annus Chriſti 1242.

Friderici II Reg. 30. Imperator. 23.
Bernardi IV Ep. Pad. 15.

Alb. Stad. Matth. Pariſ. Odoric. in hiſtor. Eccleſ. Spondanus. Crantz. l. 8. Saxo. c. 10.

Conradꝰ Rex Germaniam concitat.

Brouver. in Annal. Treuir. l. 15.

Sævire per hæc non deſiit Fridericus Imperator in Italia, Saracenis etiam in militiam conductis; quorum crudelitate immanitate ſcelerapatrata, eoque licentius, quòd Romana ſedes adhuc Pontifice orbata eſſet, & vix ſex ſeptemve Cardinales, uti Pariſius eſt auctor, Romæ præſentes eſſent, ceteris aut in vinculis hærentibus, aut in alia regna profugis. Conradus Rex, ne quid ab Epiſcopis Germaniæ pro Apoſtolica ſede tentaretur, urbeſque in fide Imperatoris confirmaret, menſe Martio Treviros regali ſplendore intravit: inde Aquiſgranum conceſſit. Nihil attinebat Coloniam inviſere, quæ jam civili bello cum Conrado Archiepiſcopo decertabat; & quantum illa pro Imperatore, tantum ille pro Apoſtolica ſede laborabat. Quare Confluentiam profectus Rex, Rhenum aſcendit ad vexandum Siffridum Moguntinum Archiepiſcopum, fidum Apoſtolicæ Sedis Præſulem. Non tamen auſus Saxoniam intrare Rex, ne bellicoſam gentem, & Romanæ fidei tenaciſſimam laceſſeret; incertus quid Landgravius Thuringiæ, quid Otto Brunſwicenſis & Albertus Duces, quid Archiepiſcopi Magdeburgenſis & Bremenſis, ceterique Epiſcopi ac Principes molituri eſſent. Felix interim Saxonia ex pacatiſſimo Reipublicæ ſtatu: nec alia ferè bella, quàm inter Adolphum Comitem Marchiæ, & Theodoricum Iſenburgicum

Cleinſorg. in chron. Weſtfal.

Pacata interim Saxonia.

cum Jsenburgicum de bonis Friderici Jsenburgici, quæ, ut supra diximus, ob necem D. Engelberti Adolpho Comiti, fido Henrici Mollenarchij Archiepiscopi adjutori, donata cesserant. Ea lis demum anno sequenti, arbitris Engelberto Osnabrugensi Episcopo, Duce Limburgico, & Comite Montium composita; publicaque bonorum divisio, jurantibus super reliquias Divorum Laicis, transacta & in tabulas relata est.

Bernardus interea Episcopus noster, cui nullus adhuc annus sine singulari in religiosos aut consecratos Deo homines beneficio interfluxit, Bodecense Canonicarum Virginum Collegium, quod à D. Menulpho conditum diximus, sua liberalitate prædijque donatione auxit. Qua super re literarum monumenta adsunt, Bernardi Episcopi manu signata; memoranturq; Elisabetha Præposita, Walderadis Decana, aliæq; Virgines, ut hæ in ejusmodi Virginum liberis collegijs eo munerum titulo præerant. Bernardi Ep. in Monasterium Bodecense beneficentia.

Annus Christi 1243.

Innocentij IV. Pont. 1.
Friderici II Reg. 31 Imper. 24.
Bernardi IV Ep. Pad. 16.

Illuxit tandem annus MCCXLIII, quò, ut convenire possent Cardinales, Imperator quosdam ex carceribus laxârat. Hi mense Junio Anagniæ congressi, una consensione Senibaldum è nobili Fliscorum Comitum genere Cardinalem delegêre Pontificem, dictusq; eo nomine Innocentius IV; quo cum magna spes pacis se obtulit, postquam Innocentius Legatos ejus rei gratia ad Imperatorem misit. Quæ tamen frustra in pertinace & feroci Imperatore tentata, ut multis exponunt Scriptores & Annales Ecclesiastici. Nec juvit pristina amicitia cum Imperatore; quantum enim Imperator jura Ecclesiæ oppressa volebat, tantum obluctabatur Innocentius, quòd cum supremo munere jam alios animos induisset; hinc solitus queri cum suis Fridericus, ex amicissimo Cardinale obtigisse sibi inimicum Pontificem. Sub id tempus Siffridus Moguntinus Archiepiscopus provincialium suorum Episcoporum synodum habuit in urbe Moguntina, ad Cleri populique mores ac cetera Reipub. vulnera curanda, quanquam nec ejus ætatis Scriptores, nec Serrarius hujus Synodi meminerint, nisi Fritzlariense concilium, quod sub Siffrido III celebre fuit, indicetur; in quo contra vexatores Ecclesiæ multa sunt salubriter decreta. Hanc interim, de qua agimus, synodum refert Jacobus Gretzerus in commentario ad Philippum Eistadensem Episcopum. Ac postquam magna frequentia convenirent Episcopi concilium inituri, Bernardus Paderbornensis Episcopus noster litem movit Eistadensi, Hildesimensi, ac Wormatiensi Episcopis de proëdria, quòd primum sessionis locum sibi post Archiepiscopum à dexteris deberi

Alb. Stad. Richard. in Chron. Matthæus Paris. Monach. Paderb. in Chron. Innocentius IV. electus Pontifex Imperatori resistit. Concilium Metropolitanum Moguntinum, in quo lis mota à Bernardo Ep. Paderb. de prærogativa sessionis. *Gretzer. l. 1. c. 15. comment. in Episc. Eistad.*

deberi ante hos Episcopos contenderet. Quo jure subnixus, nec nostri annales, nec ceteri prodidêre; utrumne jure antiquitatis, quo certè Eistadensis & Wormatiensis prævalent; an consecrationis, quo ordine antiquitus, ut ex Hincmaro liquet, Episcopi in concilijs consedêre; an alia prærogativa Paderbornensis Ecclesiæ incertum habeo. Sanè Moguntinus Archiepiscopus his auditis statim interfatus pronunciavit pro Eistadensi Episcopo. Serrarium si hic consulas, multas ille Episcoporum ex diversis synodis sessiones producit, in quibus alius atque alius ordo reperitur. Antiquior & receptior hic est in Metropoli illa, in quo à dextera Archiepiscopi collocantur *Wormatiensis, Spirensis, Argentinensis, Curiensis, Paderbornensis, Halberstadiensis*: A læva *Herbipolensis, Eistadensis, Verdensis, Hildesimensis, Constantiensis, Augustanus*, universim duodecim Episcopi, quorum Metropolis illa antiquitus semper celeberrima fuit.

Serrar. l. 1. Mogunt. rerum c. 33.

Fundatio Monasterij Holthusani in Dynastia Burana à Bernardo Ep. comprobatur.

Aucta hoc anno diœcesis Paderbornensis Holthusano Cistertiensium Virginum Cœnobio, quod in Dynastia Burana duo patrueles Dynastæ Bertholdi de Buren, corumque conjuges haud procul à castro oppidoque Burano ex suis bonis dotatum condidêre; eòq; ab Innocentio Pontifice, in literis ad Virgines, Buranum Cœnobium vocatur. Id pium opus Bernardus Episcopus noster, qua erat in religiosos, ita liberalitate sua adjuvit provexitq; , ut participato fundatoris nomine gratæ Virgines Episcopum coluerint; id quod hæ fundationis tabulæ , quibus institutionem Cœnobij ratam habet, planius docebunt.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Amen. Bernhardus quartus Dei gratia Paderbornensis Episcopus omnibus hanc paginam inspicientibus utriusque vitæ salutem. Ne rerum gestarum memoria lapsu temporis evanescat, oportet eas literarum et subscriptione testium perhennari. Cum igitur nobiles de Buren Bertoldus et Bertoldus propter Deum et salutis suæ remedium conventum Cistertiensium sororum adunare intenderent in oppido Buren, ut dicti nobiles consensum nostrum ad suum propositum inclinarent cum collaudatione uxorum suarum et heredum legitimorum Ecclesias utriusq; Oppidi in Buren, capellam ante castrum in Buren, capellam in Holthus prope Buren cum suis pertinentiis, et aream, in qua Cœnobium situm est in manus nostras publice resignârunt. Quæ omnia ad intercessionem eorundem nobilium ita dicto Cœnobio in dominium et proprietatem contulimus, ut Plebanus earundem Ecclesiarum Dominus Detmarus temporibus vitæ suæ in suis proventibus non molestetur, nec detrimentum aliquod patiatur, post mortem vero dicti Plebani Abbatissa et conventus eligent personam, ab Episcopo Paderbornensi Spirituali et temporali regimine investiendam. Quæ ab Archidiacono loci curam recipiet animarum, servans per omnia obedientiam et subjectionem, quæ ante ab eisdem Ecclesiis solebat Paderborn. Episcopo et suæ Ecclesiæ exhiberi, sive in interdictis, sive in sententiis contra cujuslibet tyrannidem fideliter exequendis. In prædicto etiam Cœnobio taliter à nobis fundato hominibus, bonis, pratis, areis, silvis, pascuis, viis et inviis, jam possessis

sis et postmodum possidendis sæpedicti nobiles et posteri eorum nullum jus aut dominium habebunt; sed erit Cœnobium liberum; et ab omni servitute laicali absolutum, secundum privilegia Cistertiensium, et libertatem. Ut autem plene et lucrose cavereturindempnitati Paderbornensis Ecclesiæ, dicti nobiles in restaurum areæ claustralis, cujus dominium et proprietatem jam dicto Cœnobio contulimus, dederunt nobis et Ecclesiæ nostræ proprietatem trium mansorum in Wygmodeberch in parrochia Stenhus, et à nobis in feodo receperunt. Ut autem hæc nostra, et ipsorum actio perpetuum robur obtineat, præsentem paginam bullæ nostræ et scripturæ munivimus firmamento. Hujus rei testes sunt Conradus Custos, Johannes Scholasticus, Hermannus Plebanus sancti Pancratii, Thetmarus Plebanus in Buren, Albertus Capellanus, Godescalcus Presbyter, et alii quam plures. Præterea nos Abbatissa et sæpedictum Cœnobium in Buren nos recepimus, quod in aliis quatuor Cœnobiis extra diœcesin Paderbornensem constitutis Domino Bernhardo Episcopo fundatori nostro plenam fraternitatis obtinebimus, in quibus annuatim sua et patris et matris, fratrum, et sororum ipsius, sicut in Cœnobio nostro Buren, agetur memoria eorundem in perpetuum. In cujus rei notitiam huic scripto sigillum nostrum fecimus apponi. Nos etiam Bertoldus et Bertoldus filii duorum fratrum Domini in Buren, quia hæc omnia ad nostram supplicationem ordinata sunt, plene consentientes et subscribentes præsenti paginæ sigilla nostra duximus apponenda. Acta sunt hæc anno Domini MCCXLIII, *Pontificatus nostri anno* XV.

Non hic stetit hoc anno Bernardi Episcopi liberalitas in religiosorum cœtus, quando & Wilbacensis Cœnobij Virgines producunt tabulas, quibus Bernardus Episcopus largas in Malride decimas in celebri Sacerdotum, & nobilium conventu delargitus est. *Testes sistuntur Jordanus Abbas, Henricus Custos Ecclesiæ S. Petri et Pauli in Paderborna, Adolphus Prior in Gerden, Gerundus Canonicus, Albertus Capellanus, Godeschalcus Presbyter. Laici Bernardus nobilis vir de Osede, Bertholdus de Brakel, Ludolphus Dapifer, Hermannus Mareschalcus, Ludolphus de Osdagen, Hermannus Spegel, Herboldus Pincerna, Bertholdus de Bilonchusen, Albertus de Osthem, Albero de Herstelle, aliique complures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis* MCCXLIII, *Pontificatus nostri Anno decimo quinto, in Palatio nostro Paderbornæ.* Bernardo Ep. Cœnobiis wilbacensi & Hardehusano benefacit.

Pari largitate Bernardus Episcopus decimas fiduciarij juris, quas vir nobilis Adolphus de Walbecke ultro reddidit, Hardehusanis Cœnobitis donavit, tabulis hac super re confectis XIII Calend. Julij, Anno MCCXLIII, Indictione I. Anno Pontificatus XV.

Qui hisce ac superioribus duabus literis constanter annus XV Pontificatus Bernardi adscribitur, is annum consecrationis designat, quando ab electione jam XVI annum cum Bernardo Episcopo ingressi sumus. At nondum his expleta liberalitas hujus Episcopi; alia quippe donatione decimas, quas ab aliis pecunia redemerat, Cœnobio Campi Mariæ ultro dedit, gratiâ ex patre in eum locum

memoria; ea tamen lege, ut quotannis Cœnobitæ duas libras ceræ Ecclesiæ Paderbornensi penderent, quæ in anniversario Rothonis Episcopi die collucerent. Literæ hujus donationis consignatæ Anno MCCXLIII. *Testes adscribuntur Conradus Custos, Magister Mauritius, Albertus Capellanus, Godefridus Presbyter, Henricus Camerarius, Godefridus Advocatus.* Tanta nimirum veneratione apud Bernardum fuit Rotho, quemadmodum & Imadus Episcopus noster, quos Divûm etiam cultu, ut * supra ex simili Marienfeldensium donatione meminimus, prosecutus est. Adhæc, ut insigni pietate in Divos erat Episcopus, vetus cum Cenomannis Episcopis & Canonicis sacrum fraternitatis fœdus, quod à D. Liborij translatione convenerat, cum Paderbornensibus renovavit. Quare & hoc anno à Gaufrido Cenomannorum Episcopo præstantes S. Juliani reliquas novo ejus Collegij dono impetravit, qua super re hæc apud Bollandum epistola extat.

* *in Imado Episc.*

Bernardo Episc. fœdus fraternitatis cum Cenomannis renovat, & S. Juliani reliquias obtinet.

Reverendo Patri ac Domino N. Dei gratia Paderbornensis Episcopo, et venerabilibus viris carissimis in Christo Fratribus, Præposito, totique ejusdem Ecclesiæ Capitulo, Gaufridus divina permissione Cenomanensis Ecclesiæ minister humilis N. Decanus et Capitulum ejusdem Ecclesiæ salutem et in sinceram in Domino caritatem. Grates Deo referimus, devotionem vestram in Domino commendantes, eò quòd vos societatis nostræ non immemores, nos per literas et nuntium visitastis. Per hoc enim vestra devotio nostrum inflammat affectum, et ad familiaritatis augmentum imposterum invitat. Hinc est quod petitioni vestræ grato nimirum occurentes assensu, quod à nobis petitis, denegare non possumus, sicuti nec debemus. Vestræ namque et nostræ Ecclesiæ fraternitatis unitatem, quàm devotis brachiis amplexamur, desiderio desideramus perpetuo, mutuoque ac irrefragabiliter observari. Magnum quidem est, quod quæritis, quodque Ecclesiasticæ sæcularive, quantumcunque gravi personæ nondum concesseramus hucusque, licet à multis magnis et authenticis pluries fuerit attentatum, nec hactenus impetratum, ut videlicet de sanctissimo corpore glorioſi Confessoris, Principis et patroni nostri beatissimi Juliani venerandas vobis reliquias destinemus. Sed caritas, cujus propriè est proprium ignorare, preces suas interposuit. Et multo tractatu super hoc inter nos habito, tandem animos impulit ad consensum. Hæc sola vobis concedere cogit, quod aliis minimè feciſſemus. Nec tamen alienari dicimus, quod per venerabilem virum, Dominum videlicet Svederum Canonicum vestrum et Fratrem nostrum, de supradictis reliquiis vestræ mittimus Ecclesiæ, quam propriam reputamus. Hinc est, quod de sanctissimo Patris nostri et patroni prædicti humero vobis partem per latorem præsentium præsentamus, ut eum velitis venerari nobiscum, qui Christi jugo colla submittens suppoſuit humerum ad portandum. Ut vero tantum sanctuarium tutius et cautius mitteremus, præfatus Canonicus vester in Capitulo nostro solenniter in fide sua certissime promisit, quod illud ad vos, quam cito commode poterit, cum reverentia personaliter deportabit. Vestram ergo fraternitatem rogandam duximus ex affectu,

affectu, quatenus vobis oblatum munus reverenter recipiatis, diligenter et honorifice reservetis, et diem festum, quo beatissimus ille patronus noster de mundo transivit ad cœlum, sexto videlicet Calendas Februarii in Ecclesia vestra solenniter celebretis, et per vestram diœcesin celebrari solemniter faciatur. Ut autem hoc possit solennius et in melius adimpleri, Responsoria vobis et antiphonas destinamus, et alia ad cantum pertinentia, quæ penes nos in solennitate prædicta communiter decantantur, quæ nequaquam sicut audivimus, hactenus habuistis. Doceatis etiam, si placet, populum vestrum, et efficaciter inducatis, ut ab omni servili opere abstineat ea die, indubitanter scientes, quod penes nos, ubi corporis ejus reliquiæ requiescunt, Præsul hic insignis vim sacri destruit ignis, sanat energumenos, fovet hospitio peregrinos. Credimus sane, quod si affuerit in vestris precibus pia populi devotio, hæc et majora meritis ejus suffragantibus Pater piissimus supplicantibus erogabit. Duret in longum valeatque caritas vestra. Datum Cenomanis anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, mense Aprili.

Annus Christi 1244.

Innocenij IV Pont. 2.
Friderici II Reg. 32 Imper. 25.
Bernardi IV Episc. Pad. 17.

Verterat interea annus, quo pace frustra inter Fridericum Imperatorem & Innocentium Pontificem tentata, Imperator Campaniam, Samnium, Viterbium, ceteraque in Thuscia Romani patrimonij loca invasit, incolis & Clericis Jmperator Italiam vastat, omni maleficiorum genere tractatis; cumque mulò crudelius ageret Ezelinus, gente Germanus, ac Cæsaris Dux; simulque Entius Sardiniæ Rex, Cæsaris filius, sæviret per Italiam, Pontifex deserta Roma classe Genuensium vectus in Galliam profugit, honorificentissimè à Ludowico ac matre ejus Blanca piissima Regina exceptus; Lugdunum dehinc 18 Octobris ingressus, missis per orbem Christianum literis, Ecclesiasticos præsules ad concilium œcumenicum invitavit. Imperator similiter ut Germanos contineret, ad Præsules & Principes dedit literas, quibus suam causam probare nitebatur, depressa Pontificis auctoritate. Fridericus Austriæ Dux, qui cum Conrado Frisingensi Episcopo illi aderat Archiducis titulo exornatus: urbes privilegiis illectæ. Nec segnius laborabat Conradus Rex, verebaturque pater & filius ne recrudescente schismate, in fata majorum incurrerent. Interea Saxones nostri, post reportatam anno superiori à Teutonicis militibus ingentem victoriam, magno nobilium numero in Livoniam transgressi, Christi religionem mirificè per Borussiam propagant auctoritateque Innocentij Pontificis per Legatum occupatæ regiones in tres partes dividuntur, quarum duæ ordini Teutonico ad belli sumptus permissæ, tertia Episcopis & Ecclesiis cessit.

Monach. Paduan. Matth. Paris. Odoric. Spondan.

Imperator Italiam vastat. Pontifex profugit in Gallias.

Milites Teutonici Christi religionem per Borussiam propagant.

Epist. Innoc. ad Bruss. Odoric. in histor. Eccl.

Neque

Bernardo Ep. bina prædia Præposito Bustorfiano donat.

Neque hic annus vacuus à beneficio Bernardi Episcopi; suppetunt enim binæ tabulæ rite confectæ, quibus hoc anno duo decumana prædia, quorum alterum ære suo comparârat, alterum donatione ultronea ad se reciderat, Simoni, Præposito Bustorfiano Canonicorum Collegio, impetrata prius Collegij Cathedralis voluntate, donavit. Ac is Simon Præpositus, opinor, Bernardi nepos erat, post in Episcopatu Successor. Sub id tempus Bernardus Episcopus jus advocatiæ Cœnobij Schildecensis transcribit Ludovico Comiti Ravensbergensi, cognato suo.

Jus Advocatiæ cœnobij Schildecensis transcribit Comiti Ravensbergensi.

Bernhardus Dei gratia Paderburnensis Episcopus omnibus hanc literam inspecturis æternam in Domino salutem. Præsentibus confitemur, quod nos nobili viro socero nostro Comiti Lodevvico de Ravensberg Advocatiam Ecclesiæ Schildecensis, communicato Ecclesiæ nostræ consilio, jure nostro et Ecclesiæ Schildecensis, contulimus. Insuper recognoscimus et omnia bona, quæ à nobis, et ab Ecclesia nostra jure possidet fœdali. Datum anno Domini MCCXLIIII *et Dominica, qua cantatur, in excelso trono, Pontificatus nostri anno decimo septimo.*

Abbas Corbeiensis succurrit inopiæ Virginum Scakensium.

Surgebat per id tempus secundum D. Benedicti institutum Scakense Monasterium Virginum in comitatu Waldecensi, hujus inopiæ Hermannus Corbeiensis Abbas multò etiam largius subvenit, quod hæ literæ testantur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Hermannus Dei gratia Corbeiensis Abbas, totusque ejusdem Ecclesiæ conventus omnibus hujus paginæ inspectoribus. Ne illa, quæ geruntur in tempore, labantur cum tempore, consuevit ea prudentum industria scripturæ testimonio perhennare. Notum igitur esse cupimus, quod cum Cœnobium ancillarum Christi in Scaken sub regimine nostro, et in proprietate Ecclesiæ nostræ esset constructum, nos debita sollicitudine præcavere cupientes, ne inposterum ad tantam perveniret inopiam, quod sorores ibidem Deo servientes non possent sustentari, de communi consensu tam conventus quam Ministerialium Ecclesiæ nostræ officium in Imminchus cum agris, silvis, pascuis, litonibus, cum omni proventu absque decima auri, sicut nostra possidet Ecclesia, integraliter relinquimus Ecclesiæ Scakensi perpetualiter possidendum, receptis tamen prius ab eadem Ecclesia trecentis et sexaginta marcis gravis monetæ. Et ut hoc stabile et inconvulsum permaneat, præsentem paginam tam Ecclesiæ nostræ quam nostra sigillorum appensione fecimus roborari. Testes hujus rei sunt Albertus Prior, Conradus Præpositus, Otto Præpositus, Thetmarus Præpositus de novali, Johannes Cellerarius, Henricus Camerarius, Hermannus de Nienkerken totus conventus, et aliique quamplures. Acta sunt hæc, Anno MCCXLIIII *prælationis nostræ anno* XXI.

Tanta tum scilicet Abbatum Corbeiensium opulentia & magnificentia, cùm suos Marescallos, Pincernas, Dapiferos, Camerarios, ceterosque Ministros Comites nobilesque ex splendore Principum haberent; quæ nunc ex umbra ejus Cœnobij conspiciuntur,

tur, postquam cum Huxaria plura Corbeiensium bona hæresi in spolium cesserunt.

Annus Christi 1245.

Innocentij IV Pont. 3.
Friderici II Reg. 33. Imper. 26.
Bernardi IV. Ep. Pad. 18.

Aderat nunc annus quadragesimus quintus, supra ducentesimum millesimum, concilio œcumenico Lugdunensi celebris. Convenêre Cardinales multi, Episcopi centum & quadraginta, Abbatesque complures, Patriarchæ duo, Canstantinopolitanus & Antiochennus; quanquam pauci Teutonici Episcopi, teste Alberto Stadensi accesserint, metu videlicet Friderici Jmperatoris, & Conradi Regis. Causæ convocandi concilij graves. Nam præter Cleri populique collapsos mores corrigendos, profanato à barbaris sepulchro Domini, totius Palæstinæ & regni Constantinopolitani jactura imminebat. Tartari deinde Ungariam occupabant. His malis per concilium medela proposita erat. Quanquam prima convocati concilij causa Fridericus Imperator, qui ad dicendam causam postulatus, misit suo nomine Thadeum Suessanum, virum juris peritum facundumque, is etsi non sine admiratione pro Imperatore objecta crimina refelleret; postquam tamen convictus Imperator, pacem toties juratam violasse: patrimonium Petri spoliasse: Cardinales & Legatos contra omnia jura aut in carceres rapuisse, aut in mare demersisse: Clericos ad Laicorum tribunalia traxisse, & per tormenta in mortem adegisse: Ecclesias pro lubidine diripuisse: undecim Archiepiscoporum, complures Episcoporum sedes vacuas fecisse: Abbates & Cœnobia in prædam dedisse: fœdus destabile cum Saracenis iniisse, eorumque ritus probasse, ac Mahometi adeo nomen publice in templo Hierosolymitano permisisse implorari, & quæ ejusmodi ex sententia Pontificis palam in concilio pronunciata referuntur, imperio exutus est; simul Principes, subjectique populi à juramento fidei exsoluti, vetitumque anathematis pœnâ, ne quis cum Imperatore consilium auxiliumve communicaret. Percenset hæc omnia quoque chronici Augustani scriptor, asseritque audiente Henrico Landgravio dixisse Imperatorem. *Tres mundum seduxisse, Moysen Hebræos, Messiam Christianos, et Mahomet Saracenos: et si Principes suis institutionibus assentiri velint, multò se meliorem vivendi et credendi rationem cunctis nationibus ordinaturum.* Quod tamen postremum Imperatorem doluisse auctor est Petrus de vinea. Ac quis tam atheum sibi persuaserit Jmperatorem? Quantus autem Pontificis, Episcoporum, Sacerdotum, & omnium religiosorum hostis fuerit Fridericus, satis ipse in epistola ad Principes Christianos prodit; ita enim inter cætera scribit. *Habemus conscientiæ*

Albertus Staden. Trithem. Matth. Paris. Literæ Innoc. Pont. Acta Concil. Odoric. in hist. Eccles. Spondan. Binius.

Causæ convocatæ Synodi Lugdunensis.

In qua Imperium Friderico abrogatum.

Petrus de vinea lib. 1. c. 31.

Odor. c. ad hunc annum.

conscientiæ puritatem, et per consequens Deum nobiscum, cujus testimonium invocamus, quia semper fuit intentio nostræ voluntatis, Clericos cujuscunque ordinis ad hoc inducere, et maximè maximos, ut tales perseverarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia prima, Apostolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque Clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, et sanctitate non armis sibi Reges et Principes subjugare; at postquam nunc opibus et deliciis abundant, iis subtrahere nocentes divitias, et ad primam paupertatem redigere, opus est caritatis, ad quos vos omnes Principes oportet mecum omnem diligentiam adhibere. Satis hæc indicant, quàm diverso spiritu agitatus sit Imperator à primis Francorum Regibus, & religiosissimis Imperatoribus ac Principibus; à quibus Romani Pontifices, Episcopi & Abbates, omnesque Ecclesiæ, & religiosorum ordines tot opibus cumulati sunt; tanquam Imperator hic omne illud patrimonium Ecclesiæ pro hæreticorum ingenio destinaret in spolia Politicorum Principum. Ob quæ haud immerito Pontifex, & concilij Patres Imperatoria dignitate exuendùm censuêre.

Electores Imperatoris in hoc concilio non sunt primùm instituti. *Baron. ad an. 996. Bellarmin. de translat. imper. Gretzer. in Apolog. pro Bellarm. Windeck. de elect. Imper. Trithem. in chron. Hirsau.*

Jam verò cùm inter cetera etiam sententia Pontificis & concilij decretum sit, *ut illi, ad quos in eodem Imperio spectat Imperatoris electio, liberè successorem eligant*; Satis constat non in hoc concilio Lugdunensi septem Electores Imperatorum, quod quidam contendunt, primùm constitutos ordinatosq; esse; sed Pontificem conciliumq; se ad antiquiorem ordinationem referre, in qua jam Moguntinus, Colonienſis, & Trevirensis Archiepiscopi ex ordine sacro; ex Principum verò sæcularium numero Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgicus & Rex Bohemiæ Electorum dignitatem obtinuerint; quemadmodum & supra ex Alberto Stadensi relatum; secus qui sensêre, ab Matthæo Parisio abducti, homine extero, & Germanicarum rerum ignaro, & ob id erroribus sæpe obnoxio; à quo Electores Imperatorum ex hoc concilio perperam & depravato ordine introducuntur Dux Bavariæ, Dux Saxoniæ, Dux Brabantiæ, idemque Lovaniæ Dux, Archiepiscopus Colonienſis, Moguntinus & Salisburgensis. Quapropter Baronij, Bellarmini, Gretzeri, Pauli Windeckij, aliorumq; sententia potior, qui ad Gregorium V. & Ottonem III hanc Electorum institutionem referunt. Et Matthæus Parisius, dum præter electores Imperatorum Ducem Lotharingiæ, Brunswici, Sveviæ, Limburgi, Landgravium Thuringiæ, ceterosque ex mente concilij Lugdunensis convocandos scribit, Electores cum ceteris Principibus miscet. Hoc Bellarmini, etiam hac super re judicium adversus Onuphrium. Quanquam Baronius velit non constare, quo certo finitoque tempore numerus septem Electorum constitutus introductusque sit.

Sunt præterea, qui apud Trithemium censeant Imperium exinde per XXVIII annos ad Rudolphum Imperatorem tanquam per in-

ter

ter regnum vacaſſe; quòd ij, qui interea delecti Reges Imperatores, aut à paucis recepti, aut confirmati non ſint. Sanè Imperij majeſtatem deinceps magnopere imminutam eſſe teſtantur civiles ſeditiones, tumultuaria bella, & libertas, qua quiſque ut viribus prævaluit, bellum alteri indixit, & jus ſibi ab armis ſumpſit.

Confirmatur ab Innocentio PP. inſtitutio Monaſterij Holthuſani.

Inter has publicas occupationes Innocentius Pontifex, interpellatus à Paderbornenſi Legato Monaſterium Holthuſanum, ante biennium apud nos inſtitutum, Apoſtolica auctoritate confirmat, & hoc, quod hic reddimus, diplomate in tutelam ſuſcipit.

Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſe, et conventui Monaſterij in Büren Ciſtertienſis Ordinis Paderburnen. Sacroſancte Romane Eccleſie devotos et humiles filios ex aſſuete pietatis officio propenſius diligere conſuevit, et ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, eos tanquam pia mater ſue protectionis munimine convovere. Eapropter dilecte in Chriſto filie veſtris poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu perſonas veſtras et Monaſterium, in quo divino eſtis obſequio mancipate, cum omnibus bonis, que in preſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, ſub beati Petri, et noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem terras, poſſeſſiones, ac alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſte, et pacifice poſſidetis, vobis, et per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, et preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis et confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni II Idus Julii, Pontificatus noſtri anno tertio.

At Bernardus Epiſcopus noſter, tanquam divino monitu ſe ad extrema vitæ urgeri perſentiret, haud aliud impenſius egit, quàm ut pijs largitionibus ſibi religioſarum Virginum preces & patrocinium apud Deum promereretur. Quam in rem variæ donationum tabulæ apud nos extant, quibus Monaſterio Abdinchoviano, & Cœnobio Virginum Gerdenſium liberales prædiorum donationes fecit; reperioque in literis Gerdenſium Virginum annum Pontificatus ſui decimum octavum à Bernardo adſcribi; quo certi redduntur ceteri Epiſcopatus anni, per quos hactenus cum Bernardo Epiſcopo noſtro proceſſimus.

Annus Chriſti 1246.

Innocenij IV Pont. 4.
Friderici II Reg. 34. Imperator. 27.
Bernardi IV Ep. Pad. 19.

At Friderici damnatio anno ſtatim conſequenti ingentes turbas per Imperium invexit. Italia quippe in duas factiones lacerata. Qui Pontifici ſtudebant Welfi, qui Imperatori Gibellini appellati; eaque *Monach. Paduan Alb. Stad. Innocentij Litera.*

apud Odoricum Auctor Chron. Augusst. Trithem. Chron. Mogunt. Serrar. Siffridus in epit. Histo. Landg. Thuring. Crantz. lib. 8. Sax.

eaque factionum nomina jam ante ex Germania in Italiam irrepsêre. Nam ut Otto Frisingensis scribit, duæ in Romano Imperio potentes, & æmulatrices inter se familiæ erant, Una Henricorum de Guibelinga, ex qua Henricus Barbarossa, & Sueviæ Jmperatores: Altera Welfonum de Altorfio, quæ magnos Duces peperit, ex eaq; tot Welfi Bavariæ Duces; ac deinde ab Henrico Catulo, & Henrico Leone Brunswicensium ac Luneburgensium Ducibus in Saxoniam traducti. Ceterum Conradus Rex à parente ex Italia in Germaniam remissus ad continendos Principes & Prælatos, ne in Pontificis partes transirent. Quod ille gnaviter, alios minis & terroribus, alios promissis, oblatisque privilegiis aggrediendo, præstitit. Ac licet Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Brabantiæ, Saxoniæ, & Brunswici, Marchionesq; Misniæ, & Brandeburgicus ab horrerent à novo Rege eligendo; Attamen quæ erat veneratio in Pontificem & Lugdunense concilium, Siffridus Moguntinus, Conradus Colonienſis, & Arnoldus Trevirensis Archiepiscopi, adjuvante Herbipolensi, aliisque Episcopis, ac Principibus quibusdam, festo Ascensionis Christi Herbipoli congregati, exposito Pontificis mandato, Henricum Thuringiæ & Hassiæ Landgravium Levirum S. Elisabethæ delegêre Germaniæ Regem, Virum, ut Paduanus Monachus scribit, Catholicum, strenuum, benignum & sapientem. Multum ille obluctatus, tandem ab Archiepiscpo persuasus diadema regium admisit. Hinc ceteri Principes *Regem Clericorum* dixêre, quem Baronius & Bucherius Aquisgrani, Serrarius Moguntiæ à Siffrido Archiepiscopo coronatum tradit. Henricus Rex literis Pontificis confirmatus florentissimum exercitum contrahit, cruce etiam signatum, cum eoque Francofurtum ad comitia, quæ indixerat, armatus procedit; quò cùm Conradus Rex cum exercitu occurreret, acri inter utrumque Regem prælio decertatum est, mense Augusto, die S. Oswaldo Regi sacro. Falliturq; Crantzius, qui Henricum Regem profligatum scribit; victus enim cæsusque Conradus Rex, post ingentem cladem acceptam profugit in Sueviam, insequente Henrico Rege; obtrivisſetque Conradum victor Rex, nisi ab Ottone Bavariæ Duce receptus vires instauraſſet, ducta ejus filia in matrimonium, ex qua Conradum infelicem extremumque ejus familiæ filium suscepit.

Friderici Imp. depositio ingentes in Imperio turbas ciet.

Friderico exauctorato subrogatur à quibusdam Henricus Hassiæ Landgravius.

Hos inter motus Saxonia stetit quieta, quando nec Archiepiscopi, nec Episcopi nec Principes ceteri, etsi à Pontifice sollicitati sese novo Regi adjungere consultum habuêre.

Conditur Cœnobium Valckenhagense à Comitibus Swalenbergicis.

Quarè cùm bona pace frueretur Westfalia, hoc anno Volcquinus Swalenbergæ Comes in diœcesi nostra Paderbornensi insignè Virginum Cistertiensium Cœnobium condidit, quod primo vallis liliorum, postea Valkenhagense Cœnobium est dictum. Pium hoc Patris opus approbavêre tres filij Comitis, Widekindus, Adolphus, & Albertus. singulis suam donationem conferentibus. Prima Virginum

ginum antistes imposita Cunegundis Volcwini filia; auctum postea Cœnobium donationibus Godeschalci Pyrmontani Comitis, aliorumq; vicinorum Comitum. Post ubi temporum injuriis ad inopiam & paucitatem Virginum est prolapsum, Virgines ultro cessêre Episcopo Paderborn. qui evocatos ex Wittenghusen Ordinis D. Wilhelmi religiosos viros deserto Cœnobio imposuit. Sed neq; his diu placuit locus; eademq; qua Virgines paupertate conflictati, ultro obtulêre Theodorico Colonienſi Archiepiscopo, Paderbornensis Ecclesiæ Administratori, à quo anno 1432 Crucigeri Patres Colonia postulati Cœnobium optimo religionis flore, multisquè bonis auctum incoluêre ad hæresis tempora; quibus cùm hi à religiosæ vitæ disciplina descisserent, hæresisq; pro lubidine passim Cœnobia raperet, venêre & ipsi in spolium Lippienſium Comitum; donec inter Theodorum Furstenbergicum Episcopum, & Lippienſem Comitem certis pactis initis, pars Comiti, pars Theodoro Episcopo cessit. Et quia per id tempus Theodorus Episcopus Academiam, & Collegium Patrum Societatis Paderbornæ instituerat, suam ille partem Cœnobij Patribus delargitus est.

Obitus Bernardi Episc. ad hunc annum referendus.

Ad hunc demum annum seculi referimus mortem Bernardi Episcopi nostri, quem ille decimum nonum Episcopatus annum ingressus erat. Mors ejus in necrologio Marienmunster Cœnobij adscripta ad diem XVIII Calend. Maji. Nam etsi Albertus Stadensis ad sequentem annum MCCXLVII referat, *Hoc anno*, inquiens, *Bernardus Paderbornensis Episcopus obiit, cui Simon frater Domini Bernardi de Lippia successit, et frater ejusdem Simonis, scilicet Otto major Præpositus Bremensis, Monasterienſi Episcopo subrogatur*; erroris tamen compertus ex publicis tabulis transactionis inter Conradum Colonienſem Archiepiscopum, & Simonem Paderbornensem Episcopum, quas anno sequenti proferemus; ijs siquidem literis, quæ VIII Jdus Aprilis consignatæ sunt, memoratur Simon electus Paderbornensis. Jam verò si Bernardus Episcopus eodem anno XVIII Calend. Maji mortuus statuatur, ut paulo ante ex necrologio attulimus, necesse est Simonem ante obitum Bernardi Episcopi electum fuisse, quod prorsus absonum est fateri. Deinde res ipsa hoc anno Bernardum obiisse comprobat. Nam Simon Successor, ut ex iisdem tabulis constabit, anno sequenti Saltzcottenam Oppidum & castrum proximum Villisen præmuniit, ob quod collisus cum Colonienſi Antistite VIII Jdus Aprilis in publico procerum conventu transegit cum Archiepiscopo. Quapropter dum Albertus Stadensis utriusque Episcopi, Simonis & Ottonis electionem memorat sequenti anno, id de Ottone tantum dicere visus est, cui ex serie narrationis oblatam conjunxit Simonis electionem. Longius exerravit, qui cum scriptore Chronici Sclavici anno 1248, aut cum Kersenbrochio & Cleinsorgio anno 1254 obiisse tradunt, aut qui cum Gobelino nostro per

xxviii annos Epiſcopatum geſſiſſe volunt. Quanquam in numeris hiſce errorem interveniſſe opiner, ac xviii annos ſcripſiſſe crediderim Gobelinum; quæ ſententia noſtræ accedit, qui in xix annum Epiſcopatum prorogavimus; quod & Crantzius dicere viſus, qui xviii annos illi tribuit in Epiſcopatu, Gobelinum in his, ut pleriſque aliis, ſecutus.

Ejus laus.

Nunc ut poſtremo elogio decoretur Bernardus; Præſul certè fuit, qui magna omnium ordinum concordia, & bona cum vicinis pace Eccleſiam adminiſtravit. Vir integritate vitæ, modeſtia, liberalitate in egenos & religioſorum ordinum Cœnobia egregius; id quod tot donationum tabulæ à nobis per ſingulos annos relatæ ſatis docere poterunt. Una tantùm labe à Gobelino, Crantzio & Bruſchio notatus, quòd communem Canonicorum vitam, habitationemque in una clauſtri diſciplina, à majoribus acceptam primus diſſolvi paſſus fuerit. Quanquam ſi ceteræ per Germaniam Cathedrales Eccleſiæ inſpiciantur, id ſerò tandem factum ſit in Paderbornenſi Eccleſia inter que poſtremas Eccleſia noſtra memoranda, quæ vigorem illum laxaverit. Qua in re id tamen prætermittendum non eſt; etſi in multis Collegiis Canonicorum ſocialis habitatio diſſoluta fuerit, non continuò tamen communis menſa, ad quam convenêre, & frequentati Chori rigor deſijt; uti id ex faſtis Hildeſienſis Eccleſiæ, aliiſque obſervare fas erit. Haud ignoro, quantum Crantzius, quantumq; Hetorodoxi noſtrorum temporum hanc diſſolutionem ſocialis vitæ perſtringant. Verùm cùm nec lege Apoſtolica Canonici illi ad hanc adſtricti reperiantur: neq; Monachorum inſtar, aut aliorum religioſorum ordinum inſtitutum ſuum profeſſi fuerint, ut voti alicujus læſi reos damnes, cauſas habuêre, ob quas Eccleſia laxationes Clauſtri indulſerit, & pro temporum injuriis conſultius etiam habere potuerit. Omnium hoc vitium eſt, vetuſtate temporum, & prolapſione morum degenerare in pejora, quantumque à fonte receditur, inquinari rivos. Nos qui hactenus Bernardi memoriam, quantum licuit, vindicavimus nullum tamen ſepulchri ejus veſtigium reperimus; quo tamen Epiſcopo nemo Jmadi & Rothonis Epiſcoporum noſtrorum monumenta, perpetuis cereis & veneratione quadam Divorum, ſanctius colere viſus eſt.

SIMON

SIMON
Comes Lippiensis
XXIV9
EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1247.

Innocentij IV Pont. 5.
Wilhelmi Reg. 1.
Simonis Episc. Pad. 1.

Simon ex Comitibus Lippiens. & Præposito Cathedralis Ecclesiæ Episcopus Paderb.

SUbtracto ex humanis Bernardo Episcopo subrogatus est Simon, Bernardi ex Hermanno fratre nepos. Nam huic Comiti Lippiensi quatuor fuêre filij, Bernardus III familiæ propagator, Simon Paderbornensis, Otto Monasterienſis Episcopus, Gerhardus Bremensis Præpositus, is qui haud multò post obitum Gerhardi Bremensis Archiepiscopi, & horum simul patrui, ex dissidio Canonicorum Bremensium in contentionem de Archiepiscopatu venit; quando altera pars Canonicorum eaque potior Hildebaldum, altera Gerhardum Præpositum elegit. Quanquam is Gerhardus Præpositus, ut ex literis ad annum 1257 relatis constabit, nepos horum Episcoporum fuerit, Bernardo III fratre natus, secus quàm Lippiensium genealogia hactenus tradidit. At Simon & Otto fratres concordibus eligentium suffragiis ad Episcopatus suos pervenêre. Simon à primis annis in Clerum Paderbornensem adscriptus & Præpositus majoris Ecclesiæ nostræ factus. Quo ex munere à Gerhardo patruo Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopo evocatus, delectusq; ex consensu Cathedralis Ecclesiæ & Ministerialium Bremensis Ecclesiæ Tutor, diœcesin illam vicario gubernationis munere administravit; quòd Archiepiscopus patruus jam senio debilitatus, & pedum usura captus, non nisi vehiculi subsidio uteretur. Id ille Tutoris, ut vocant, munus per VII annos magna animi constantia gessit; &, ut militari ingenio erat, adversus Stedingos rebellionem parantes arma sumpsit, oppressitq. Factum dilaudat Crantzi9, virumque insignem vocat, qui ab Hamburgensibus etiam arbiter appellatus. Carpit Simonem nostrum Auctor Bremensis historiæ, tanquam cum Stedingis conspirationem inierit, multaq; damna

Hist. Brem. Justinius Presbyt. in Lippe. Crantz. l. 8. Metrop. c. 15 & 20. Gobelin. in Cosm.

Bremensi

Bremensi Ecclesiæ intulerit. Inde, qua ex causa incertum, collecto exercitu Wildeshusium versus movit; quibus offensi Oldenburgici Comites, & Henricus Boghenarius Comes, collectis copijs aggrediuntur, pugnaq; ad Munderslo commissa Simonem profugant. Simon undiq; hostis milite circumfusus, ne captivus in potestatem veniret, Monachi habitu indutus furtim se periculo subduxit, effugitq;.

His licet casibus jactatus, utcunque etiam turbidi inquietiq; ingenij haberetur; nihilo tamen minus communibus Canonicorum suffragiis Episcopus Paderbornensis eligitur; seu id patrocinio familiæ, & commendatione Gerhardi Bremensis Archiepiscopi ac patrui Simonis: seu Canonicorum desiderio sit factum, affectantium Episcopum, qui militari manu promptior, familiæque subsidio innixus, vicinorum injurias animosius quàm superiores Episcopi propulsaret; quod & primo statim Episcopatus anno fortiter aggressus. Nam Saltzcottenam, Oppidum suæ diœcesis, vallo, muris, & fossis circumcinxit, translatis in illud tribus adjacentibus villis Habringhusen, Vilhusen, & Hohenrod; castrum deinde Villisen haud procul ab oppido situm præmuniit; quo & Albertum de Sturmede ministerialem Colonienſis Archiepiscopi, ceterosque nobiles Ecclesiæ Paderbornensis molestos coërceret. Quibus primùm cum Colonienſi Archiepiscopo collisus, prope Westfaliam inferiorem concivit in arma.

Saltzcottenam præmunit.

Controversio de Castro Villisen & oppido Saltzcotten inter Simonem & Archiepisc. Colon. componitur.

Quæ res ne longius serperet, cùm publicæ Imperij turbæ gravius percellerent animum Conradi Archiepiscopi, altero mox anno in conventu procerum Westfaliæ inter Episcopos transactio in hunc modum est facta.

Conradus Dei gratia sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Imperij per Italiam Archicancellarius, et Simon eadem gratia Paderbornensis electus, Omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Discordia quæ inter nos super ædificatione castri Villisen et Salcotten vertebatur Domino electo Monasterien. et Abbate Corbeien. mediantibus sopita est sub hac forma. Quod nos Paderborn. electus Oppidum Salcotten venerabili Patri Domino Conrado Colon. Archiepiscopo sine aliqua contradictione tenebimur ad destruendam munitionem ut nulla remaneat sicut ante, et villicationem curtis in Villisen et possessionem ejus cum ejus pertinentiis Alberto de Sturmede ministeriali nostro recognoscimus eo jure quo ipse et antecessores sui habuerunt, nobis justitia, quam nostri antecessores habuerunt, in eadem villicatione reservata. Et si aliqui agri de villicatione prædicta castro Villisen adjacentes ipsi castro necessarii fuerint, Domino Colonienſi Archiepiscopo et electo Monasterien. et his qui ab ipsis ad hoc fuerint deputati, nos secundum concilium prædictorum dicto Alberto recompensationem dictorum agrorum faciemus. Cæterum damna quæ ab iis extra guerram nostram existentibus sive in universo Abbatissæ Hervorden. juribus, vel alias in ducatu Domini Archiepiscopi Colonienſis præfati intulimus ante expeditionem

peditionem suam secundum gratiosam moderationem ipsius Domini Archiepiscopi et Monaster. electi, et eorum quos ipsi sibi assumere voluerunt, persolvemus. Item nullam munitionem in ducatu Colonienſis Archiepiscopi sine sua licentia faciemus, nisi non in judicio, quod Botting appellatur cum Abbate Corbeiensi, et aliis nobilibus in ducatu constitutis aliud per sententiam obtinere possimus. Item confitemur, quod omnis discordia quæ erat inter Dominum Colonienſem Archiepiscopum et suos coadjutores ex una parte, et nos nostrosque coadjutores ex altera parte, circa quod quolibet remaneat in hæreditate sua, est in pace amicabiliter et totaliter terminata. Nos vero Conradus Colonienſis Archiepiscopus propter honorem nobis à venerabili Paderbornensi electo in compositione prædicta exhibitum ædificationi castri in Villissen in ducatu nostro factæ consentimus, et ei damus licentiam hoc habendi. Nos vero electus Paderbornensis, ut prædicta compositio rata et firma permaneat, data fide in manibus Colonienſis Archiepiscopi ad ejus observationem nos obligamus viginti quinque militibus subscriptis, et fidejussoribus à nobis constitutis, qui fide data ad observationem compositionis prædictæ se pro nobis Domino Colonienſi Archiepiscopo similiter astrinxerunt, taliter quod si eadem compositio fuerit violata, nisi hoc infra mensem emendetur, ipsi moniti infra mensem Susatum intrabunt, inde non recessuri, donec de violatione fuerit satis factum; nisi contra compositionem hujusmodi venant munitionem construendo, tunc prædicti fidejussores ex parte Domini Colonienſis Archiepiscopi moniti statim Susatum intrabunt, inde non recessuri, donec Archiepiscopo fuerit satisfactum. Nomina fidejussorum sunt hæc. Comes Conradus de Redbergh, Cunradus de Schonenberg, viri nobiles, Bertoldus et Hermannus de Brakel, Raven de Papenheim, Albertus et Hermannus de Schardenberg, Cunradus de Amelungessen, Ludolfus de Herisia, Cunradus Luscus Dapifer, Amelungus de Paderborn, Herbordus Pincerna, Gosvinus de Wettene, Burchardus de Westheim, Henricus Camerarius, Cunradus de Wellede, Wernerus et Henricus de Wevere, Florin de Frisenhosen, Henricus de Summere, Andreas de Einhus, Burchardus de Holthusen, Albertus de Nedere, Bertoldus de Nere, Cunradus et Albertus de Nettelen. In cujus rei testimonium præsentes literas conscribi et nostris sigillis fecimus communiri. Nos etiam Monasterienſis electus, et Abbas Corbeiensis, et B. Dominus de Lippia, qui dictæ compositioni etiam interfuimus, sigilla nostra rogati duximus apponenda. Acta sunt hæc apud Salcotte, Anno Domini MCCXLVII in crastina Dominica, qua cantatur judica, quæ fuit VIII Idus Aprilis.

Archiep. Colon. plura ad se sine justitiæ titulo attrahit.

Saltzcottena salinis celebris, antequam in Oppidum emergeret, cùm circumiacentibus villis totum erat Episcopi Paderbornensis, donatione Cæsarum ac Regum; quemadmodum jam anno MCLX Bernardus Episcopus noster ex villis illis donationem fecit Cœnobio Hardehusano ad salem coquendum, uti supra à nobis relatum est. At verò quia Archiepiscopus Colonienſis intra Ducatum Westfaliæ munitiones sine suo assensu pati non voluit; Oppidum Saltzcottenum, à Simone Episcopo præmunitum, everti jussit, intentata vi pagis.

pagis. Quemadmodum Montem Martis, qui totus à Ludovico Pio Imperatore Abbati Corbeiensi assertus erat, Archiepiscopus non nisi partito inter se & Abbatem opere & præsidio muniri permisit; cum tamen integrum jus esset Abbati in Montem Martis, antequam Ducatus Westfaliæ ad Colonienses Archiepiscopos transiret. Quo dominatu etiam Abbatem Wertinensem tractavit, jura Regum & Imperatorum sibi vendicando, extorquendoque castrum Isenberg; quam in rem publicæ literæ extant apud Werthinenses anno proximo consignatæ. Agebatque Conradus echini instar ad leporis cubile precario admissi, donec calefactus hospitem, à quo receptus erat, totum è cubili ejiceret.

Habent hoc potentiores Principes ut debiliores opprimant; quod tum eo pronius erat, cùm Fridericus Imperator omissa omni Germaniæ cura in Italia tumultuabatur, victusque à fœderatis Longobardiæ populis in Apuliam ad captanda otia & delicias discesserat, Imperiumque inter Conradum & Henricum Regem intestinis bellis discerperetur, atque omnis inferioris Germaniæ dominatus pœnes Conradum Colonienſem Archiepiscopum esset, virum, qui regia auctoritate se ferebat. Igitur controversia hæc in præsens composita, bonaque pax & amicitia inter Simonem Episcopum nostrum & Conradum Archiepiscopum per septennium culta, donec anno 1256 magno totius Westfaliæ motu recrudesceret.

Ceterum cùm in his transactionum tabulis nostris supra recitatis, ac 8 Idus Aprilis consignatis inter arbitros memoretur Otto Monasterienſis Episcopus electus, subrogatusque in locum Ludolphi, erroris comperti habentur Monasterienſium fastorum scriptores, qui Ludolphum anno 1247 festo Primi & Feliciani, 12 videlicet Junij, obiisse scribunt; cùm jam Otto in Aprili in ejus locum delectus fuerit; ut prorsus existimes eundem errorem in Ottone, quem in Simone nostro apud Albertum Stadensem observavimus, interveniſse, ac Ludolphum anno superiori cum Bernardo Episcopo excessisse è vita; postquam in xx annum, præclara cum laude Monasterienſem Episcopatum administrasset: nulliusque unquam hostis arma veritus, Ecclesiam suam victor semper egregiè defendisset. Alios inter hostes Meinhovillianos dynastas, jam à multis seculis Monasterienſi diœcesi infestissimos, commisso prælio vicit; in quo cæsus uterque juvenis, & tota hæc familia extincta: captus Gelriæ Comes, qui cùm Cliviæ & Flandriæ Comite hostili manu accesserat: vidua verò Hoveliana, belli auctrix, bonis exuta, atque è diœcesi profligata. Quæ tamen haud multò post pœnitudine ducta, ultro bona sua D. Paulo obtulit, quorum accessione aucta diœcesis quatuor oppidis & viginti quatuor parœciis; dataque Ludolpho occasio construendæ in hac dynastia arcis Wolbecanæ, & nobilissimæ hujus Satrapiæ ad patrimonium suæ Ecclesiæ adjungendæ.

Ludolphi Ep. Monaster. excessus è vita.

Sed

Sed ad Simonem Episcopum nos referamus. Evocatus ille hoc anno à Siffrido Moguntino Archiepiscopo ac Metropolitano suo Coloniam ad conventum Principum & consilia de novo Rege subrogando. Quod certum habemus ex literis Simonis, quibus ab Hardehusano Cœnobio plaustrum vini, quod ab Episcopo Paderbornensi quotannis dabatur, certis decimis redemit: literæ verò sic habent. Simon Ep. evocatur Coloniam ad conventum Principum.

Simon Dei gratia Paderbornensis electus, Omnibus hoc scriptum inspecturis utriusque vitæ salutem. Noverint omnes hujus paginæ auditores, quod cum à venerabili Patre ac Domino Siffrido sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopo, et à Domino Petro ad velum aureum Dyacono Cardinali Apostolicæ sedis Legato auctoritate Apostolica ad Curiam Coloniam vocaremur, ut ad eandem curiam pro necessitate universalis Ecclesiæ edictam expensas necessarias haberemus, decimam in majori Dasberg ad mensam nostram pertinentem Abbati et conventui in Herisvart pro medietate vendidimus, pro altera vero parte redemptum plaustrum vini, quod pro recepta consuetudine ab Episcopis conventui dabatur. Has deinde literas ita claudit. *Quia vero nos Henricus Præpositus, Rabodo Decanus in Capitulum Paderbornense omnibus præscriptis consentimus, etiam huic scripto sigillum Ecclesiæ nostræ duximus apponendum, consentientes et rogantes, quod venerabilis Dominus Gerhardus sanctæ Ecclesiæ Bremensis Archiepiscopus, qui præmissis, etiam interfuit, ad ampliorem evidentiam sigillum suum apposuit. Actum in Ecclesia Paderbornensi. Anno Domini MCC, quadragesimo septimo in crastino conceptionis Joannis Baptistæ.*

Nihil de hoc conventu ceteri scriptores, qui ex literis hisce nostris primùm detegitur. Nam postquam XVI Februarij Henricus Rex, seu lapsu equi, seu ventris profluvio extinctus erat, Archiepiscopi & Principes magnopere conturbati sollicitique de novo Rege subrogando fuêre.

Mense deinde Septembri pridie Nativitatis B. Virginis transactum inter Simonem Episcopum & Hermannum Abbatem Corbeiensem, interque Capitulum Paderbornense & Corbejensem conventum de controversa jurisdictione, quæ in hunc modum composita, uti hæ tabulæ in Monumentis Paderbornensibus relatæ exhibent. Convenit inter Episcopum Paderb. & Abb. Corbeiensem de Parochia Montis-Martis.

Hermannus Dei gratia Abbas. Strigerus Præpositus. Albertus Prior. totusque conventus Corbegensis Ecclesiæ: nec non Themo Præpositus Montis Martis et fratres sui ejusdem montis. Universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in Domino. Super dissensione mota inter Dominum Simonem Electum et Capitulum Paderburnense ex parte una, et nos ex parte altera super parochia. Archidiaconatu; et jurisdictione Diocesiana ordinaria Montis Martis. quam Dominus Paderburnensis et Ecclesia sua petebat ratione juris communis, et nos privilegiis et præscriptione defendebamus. Magistro Ottone Decano Bremensi. Magistro Thetmaro Canonico

Monasterienſi. Heinrico Decano et Hermanno Scholaſtico novæ Eccleſiæ mediantibus talis compoſitio intervenit. quod tenore præſentium publice et ſolemniter confitemur. quod venerabili Domino Simoni Electo et Capitulo Paderburnenſi ordinariam juris dictionem et jura ſpiritualia Diœceſano et ſuæ Eccleſiæ de jure communi debita in Monte Martis ſecundum formam recognoſcimus infra ſcriptam. Conſentientes et eligentes quod Volradus Canonicus Paderburnenſis Archidiaconus in Horehuſen. et ſui Succeſſores. qui pro tempore fuerint. habitatoribus Montis ejusdem ſive in Monte in Capella B. Nycholai. ſive in Horehuſen in Eccleſia B. Dionyſii, prout ipſis placuerit. ſynodo præſideant. Et quia Præpoſitus et fratres prædicti montis ad Abbatem tantum et conventum Corbeienſem in ſpiritualibus et temporalibus reſpectum habere debent. ipſi tam ab Epiſcoporum, quam Archidiaconorum Paderburnenſium juribus ſunt exempti. Conſenſum eſt etiam inter Paderburnenſem et Corbeienſem Eccleſias. quod illi tantum ſunt excepti à frequentatione ſynodi et à juribus ſynodalibus. qui infra ambitum clauſtri cum Præpoſito et fratribus habitant. et in emunitate exiſtentes eorum ſervitiis ſpecialiter ſunt deputati. Præterea Præpoſitus ejusdem loci nomine Abbatis et conventus Corbeienſis denarios ſynodales tantum de habitatoribus Montis colliget annuatim. Archidiacono contra eosdem habitatores ſi neceſſe fuerit in hoc per cenſuram Eccleſiaſticam adjuvante. de quibus ſynodalibus denariis Præpoſitus idem ſex ſolidos graves Archidiacono ſtatim dum collecti fuerint annis ſingulis ſine qualibet difficultate perſolvet. Themo etiam num. Præpoſitus. qui parochiæ præeſt in eodem Monte. à Domino Volrado Archidiacono curam animarum et donum altaris recepit et obedientiam Archidiacono debitam repromiſit. et deinceps Præpoſiti Montis Martis vel alii. qui ac Abbate Corbeienſi Archidiacono in Horehuſen Canonico Paderburnenſi fuerint præſentati. ad eandem parochiam donum altaris et curam animarum perpetuo recipient in futurum. et Præpoſiti vel alii. qui parochiam eandem habuerint. ratione ejusdem parochiæ in Eccleſia Paderburnenſi Epiſcopales ſynodos frequentabunt. Quod autem ea quæ præſcripta ſunt Eccleſiæ Paderburnenſi perpetuo ſervabimus. Nos et Eccleſiam Corbegenſem Paderburnenſi Eccleſiæ ſub pœna quingentarum marcarum hiis literis obligamus. Acta et completa ſunt hæc in Eccleſia Corbeienſi Anno Domini MCCXLVII. in craſtino nativitatis B Mariæ Virginis.

Wilhelmus Hollandiæ Comes eligitur Rex Romanorum.

Menſe deinde Septembri rurſum ad Rhenum, & conventum Principum poſtulatus Simon. Nam poſtquàm Pontifex certior factus de Henrici Regis exceſſu, Petrum Caputium Cardinalem miſit Legatum in Germaniam; qui cùm Principibus ſuaderet, Henricum Ducem Brabantiæ eligerent; Dux oblatam coronam rejecit, obtulitque loco ſuo eligendum Wilhelmum Hollandiæ Comitem, ex ſorore Mechtilde nepotem, juvenem florentiſſimum, & vix dum xx ætatis annum egreſſum. Quam in rem in Oppido Woringa apud Ubios comitia Principum indicta; ad quæ præter Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem, Archiepiſcopos, acceſſêre ceteri Epiſcopi,

scopi ac Principes inferioris Germaniæ; salatatusque in his festo D. Michaelis Wilhelmus Hollandiæ Comes Rex Romanorum: fallitur-que Albertus Stadensis, qui Nussiæ factum tradit. Missi idcirco Aquisgranum, denunciatum Magistratui & civibus, urbem novo Regi aperirent abs se coronando. Ad quæ Aquisgranenses, non alium abs se Regem agnosci, quàm Fridericum Imperatorem & Conradum filium. Quo responso offensus Legatus Apostolicus, urbi sacrorum usum interdixit. Nec minus indignati Archiepiscopi & Principes, militem contrahendum decernunt, ad perduelles Aquisgranenses refrænandos. Interim Conradus Colonienſis Archiepiscopus, & Principes Coloniam intrant ad Basilicæ D. Cuniberti, quam recens instaurârat, dedicationem; numeratique plus quam XIV Episcopi, qui & Regis electioni, & celebritati dedicationis interfuêre. Aquisgranensium exemplo, ausus Cæsaris insulæ præfectus imperium novi Regis detrectare. Quam munitionem Rex ipse difficili oppugnatione aggressus, frustraq; omnibus machinis admotis, fame tandem ad deditionem compulit.

Quem ramen Aquisgranenses nolunt recipere.

Annus Christi 1248.

Innocentij IV Pont. 6.
Wilhelmi Reg. 2.
Simonis Ep. Pad. 2.

Electionem Wilhelmi Regis consecuta est altero anno, & multò splendidiori pompa, coronatio; sed obstabant interea Aquisgrani, in quo peragi volebat, pertinacissimi civium animi. Quare sub initium veris (ut inter Legatum Apostolicum, Archiepiscopos, & Episcopos convenerat) tota inferior Germania concitata sub vexillis sanctæ crucis convolavit ad arma. Numerataque feruntur supra ducenta millia armatorum; quibus Wilhelmus Rex, Petrus Cardinalis Legatus Apostolicus, ceterique Principes progressi, castra ipsis Calendis Maji circa urbem explicuêre. Nihil his territi cives, jurati in fidem Friderici Imperatoris, urbem acerrimè propugnant: non insultus, nec machinæ obsidionales, non fontium aquæ, obstructæ aggeribus, & in urbem refusæ, fregêre animos; eòque hæc pertinacius agebantur, quòd à Conrado Rege promissa auxilia exspectarent. Producta per 6 menses obsidio; donec ad ultimum fame domiti, sub exitum Octobris deditionem facêrent. Ingressus Rex urbem XXX Octobris, Calend. Novembris, festo omnium SS. solemni ritu coronatus in Basilica Virginis. Nihil illa coronations magnificentius erat. Rex in sacrario augustalibus ornamentie indutus à Monasterienſi & Mindenſi Episcopis, eductus à Leodienſi & Ultrajectenſi, collocatusq; in throno à Colonienſi. Quem exinde tres Archiepiscopi Canchellarij Siffridus Moguntinus, Conradus Colonienſis, & Arnoldus Trevirenſis partitis ritibus consecrarunt, unxeruntque Regem.

Vi postea & armis domiti.

Matth. Paris. Chron. M. Belg. Joann. à Beka. Bzovius.

Wilhelmo Aquisgrani solenni ritu coronatur.

Regem. Aderant & ceteri Electores, Marchio Brandeburgicus, Dux Saxoniæ, Dux Bavariæ, Comes Palatinus, Rex Bohemiæ, magnaque corona Episcoporum & Principum. Post ex consilio Principum additi Regi Otto Episcopus Ultrajectensis, Regis patruus, & Dux Brabantiæ avunculus. Læta novo Rege inferior Germania; nec repertus Princeps aut Episcopus, qui non cum tribus Cancellarijs Archiepiscopis omnem illi fidem & operam deferret. Tam exosum Friderici Imperatoris, & Conradi Regis nomen erat. Rex vero, postquam Leodium profectus in gratiam Henrici Regis, Ottoni fratri ejus Geldriæ Comiti, Neomagum 21000 argenti marcis oppignorasset, ad sumptus regiæ dignitatis sustinendæ, Hagam redijt, novique palatij structuram cœpit.

Basilicæ Colon. fundamenta jaciuntur à Conrado Archiep. Colon.

Sed longè magnificentius opus hoc anno aggressus Conradus Colonienſis Archiepiscopus, admirandæ illius Basilicæ Colonien. sis, festo in cœlum assumptæ Virginis susceptæ, fundamenta jecit, fabricæ longitudinem 385, latitudinem 160 pedibus dimensus, & in formam crucis complexus. Surrexit exinde chorus, ac prima ædis pars, laboratumq; in ea per 74 annos. Ad quam perfectionem si navis templi, si prægrandes turres, ac cetera structuræ opera pervenissent, nihil tota Europa augustius haberet, quo antiqua mundi miracula exæquaret. Dilaudavit Innocentius Pontifex, literis ad Conradum Archiepiscopum & Capitulum Lugduni hoc anno datis, cœptæ fabricæ consilia, quòd ex prioris Basilicæ busto longè magnificentiorem fabricam resuscitarent.

Qui & fœdus init cum Engelberto Episc. Osnabrug.

Magnanimus Archiepiscopus; & ingentibus per id tempus abundans divitijs, fœdus quoq; cum Engelberto Osnabrugensi Episcopo inijt, quod his tabulis referre operæ pretium duximus.

Engelbertus Dei gratia Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopus, omnibus præsentes inspecturis in perpetuum. Universos præsentes et futuros scire cupimus, quod nos de consensu Capituli nostri, et consilio Prælatorum et fidelium nostrorum, cum venerabili in Christo patre et Domino nostro Conrado Colonienſi Archiepiscopo, fide manuali ad invicem data, talem inivimus fœderis unionem, quod nos et nostri Successores ei suisque Successoribus et Ecclesiæ suæ contra quemlibet ipsis injuriam inferentem, cum requisiti fuerimus, perpetuo assistemus, et auxilium præstabimus in nostris expensis inter Rhenum et Wiseram. Idemque Archiepiscopus suique Successores in suis expensis nobis nostrisque Successoribus et Ecclesiæ nostræ idem facient è converso. Ut autem hujusmodi confœderationis unio à nobis nostrisque Successoribus inviolabiliter observetur, et secundum formam præscripti fœderis impleatur, præsentem paginam super hoc confectam nostro et Capituli nostri sigillis duximus roborandam in testimonium prædictorum. Acta sunt hæc apud Smerleke juxta Susatum, præsentibus Henrico Præposito S. Severini, Philippo Præposito Susatiensi fratre nostro, Brunone Præposito Osnabrugensi fratre nostro, Lothario Præposito S. Cuniberti, et Ottone de Wickerode Canonico

Coloni-

Coloniensi, Gisone Thesaurario, et Hugone de Vorenkampe Canonicis Osnabrugensibus. Laicis vero Wilhelmo de Juliaco, Adolpho de Monte, Adolpho de Marca, Simone de Spanheim, Godefrido de Arnisbergh, Ludevvico de Ravensbergh, et Theodorico nepote nostro de Isenbergh, Comitibus. Item Henrico de Isenbergh, Walramo de Monsioge Nobilibus Item Alberto de Hurde, Henrico de Wolmunsteine, Alberto de Sturmede, Gosvvino Sculteto Susatiensi, Henrico et Bartholdo filiis ejus, Henrico de Vittinchoven, Gobelino de Meschede, et aliis quam plurimis. Datum anno Domini 1248 in Annunciatione B. M. Virginis.

Multum hæ literæ illustrant corriguntque fastos Osnabrugenses, quibus Engelbertus Jsenburgicus, à cœde D. Engelberti exauctoratus, rursum sistitur sedi suæ Osnabrugensi redditus, quem fasti eorum expungunt, ac loco ejus Brunonem substituunt; qui tamen hoc anno Præpositum tantùm egit sub fratre suo, ac triennio demum post Osnabrugensium Episcopus in locum Engelberti fratris delectus est.

At Conradus Rex, cùm neque adversus Pontificem, neq; Wilhelmum Regem prævalere posset, hæresin tum surgentem fovere cœpit. Fuêre tum impij homines in Suevia, qui palam docebant, Papam nullam habere potestatem in Ecclesiam, Episcopos & Prælatos aut Simoniacos, aut hæreticos: Sacerdotes peccato obnoxios omni potestate absolvendi & ligandi excidisse: Monachos Ordinis S. Dominici & Franciſci, itemque Cistertienses impiam vitam agere: neminem præter se reperiri, qui veritatem doceret: orandum pro Friderico Imperatore, & Conrado Rege, ceteros Principes & Episcopos detestabiles esse. Sed hæc pestilentissima hæresis, ut Albertus Stadensis refert, suppressa statim in fomite, voce & doctrina Catholicorum Doctorum. Quantumq; hoc sceleratorum hominum patrocinio se Imperator & Conradus Rex firmare cogitabant, tantum Principes & populum averterunt.

Conrado Friderici Imp. filius hæreses in Germania fovet.

Annus Christi 1249.

Innocentij IV Pont. 7.
Wilhelmi Reg. 3.
Simonis Episc. Pad. 3.

Fluctuabat interea Germania inter duos æmulos Reges. Conradi quippe partes constanter propugnabant Otto Bavariæ Dux, urbesque Bavariæ, Sueviæ, Wormatia, Spira, Mediomatricum, ceteriq; superioris Germaniæ populi; nec sese à veteri Imperatorum fide minis Pontificis & Legatorum abduci sunt passi. Pro Wilhelmo Rege stabant fidi Belgæ, Moguntini, Colonienses, Saxones, & omnes ferè inferioris Germaniæ provinciæ. Quibus Conradus Rex provocatus ferro flammaque adversariorum agros vastavit. Nec segnior Wilhelmus Rex, suorum agminibus stipatus Rhenum ascendit; expugnatoque

Matth. Paris. Chron. Colon. Spondanus. Bzovius.

Solicitudo Wilhelmi R. & Legati Regis pro novo Archiep. Moguntino Siffridio ſubrogando.

toque Calendis Martij Ingelheimio, Romanæ Eccleſiæ privilegia priſco Regum atq; Imperatorum more regio diplomate confirmat. Inde Moguntiam evocatus acceſſit cum Legato Apoſtolico ad Archiepiſcopi electionem moderandam, quod Siffridus Archiepiſcopus ac Metropolitanus noſter VII Idus Martij humanis exceſſerat. Vir, ut Trithemius inquit, qui Eccleſiam ſuam mirificè ampliârat, interque turbulenta bellorum tempora ſapientiſſimus vixerat; laudabilis etiam in faſtis Moguntinis, quòd inter bella quæ geſſit, & civiles occupationes nunquam Sacerdotalia munia neglexerit, Pontificis, ut ſupra diximus, & Romanæ ſedis ſtudioſiſſimus. Quare magnoperè ſollicitus Wilhelmus Rex & Legatus Pontificis, ut ſuarum partium Archiepiſcopus ſubrogaretur, quòd multum momenti in eo ſpectatiſſimo Germaniæ præſule poſitum eſſet. Moguntini Canonici, ut hanc jacturam tanti præſulis ſarcirent, miſêre oratores ad Pontificem, qui peterent Conradum Colonienſem Archiepiſcopum, ſeu ut ad ſe tranſiret, deſerto Colonienſi Archiepiſcopatu, ſeu utroque ſimul fungeretur. Id cùm Pontifex negaret, elegêre Chriſtianum eo nomine II Moguntinæ Eccleſiæ Præpoſitum, virum quidem doctum, bonum, & prudentem; ſed qui à publicis & Pontificis ſtudio, armorumque tractatione abhorreret, eòque biennio poſt amotus.

Jus advocatiæ in Cœnobium Flectorp. Waldecenſi Comiti aufertur.

Columen interim Reipublicæ per id tempus Conradus Colonienſis Archiepiſcopus, & ſumma poſt Regem apud eum auctoritas. Is hoc anno procerum conventum habuit octavo Idus Septembris prope montem Jſenberg, in quo jus Advocatiæ, quod Adolphus Waldecenſis Comes in Cœnobium Flectorpienſe diœceſis noſtræ obtendebat, diſcuſſum eſt, præſente Simone Paderbornenſi Epiſcopo noſtro, & Hermanno Corbeienſi Abbate. Quanquam ut ex aliis literis biennio abhinc datis conſtat, ab eodem Conrado Archiepiſcopo Flectorpienſis Eccleſia ab omni Advocatiæ onere libera pronunciata ſit. Eò jam dudum Advocatorum avaritia proſerpſerat, ut non defenſionis & Patrocinij, ſed lucri cauſa hæc Advocatiæ munera prenſarentur.

Simon Ep. Gerdenſi Virginum Cœnobio plura bona confert.

Simon præterea Epiſcopus noſter, etſi militari ingenio habitus, hoc ipſo tamen anno ampla feudi bona, quæ ad ipſum reciderant, ex conſenſu Capituli & Miniſterialium Gerdenſi Virginum Cœnobio dedit, palam in tabulis hac ſuper re confectis profeſſus, ſe id exemplo Bernardi Epiſcopi & avunculi ſui pro expiatione peccatorum ſuorum facere. *Teſtes hujus donationis Hermannus Camerarius, Henricus Cantor, Henricus Theſaurarius, Cononici majoris Eccleſiæ, cæterique nobiles viri, Acta ſunt hæc anno Domini* MCCXLIX.

Confirmantur ab Innocentio

Surrexerat jam ædificijs ſacris è pleno Virginum cœtu Vallis Liliorum, ſeu Falckenhagenſe Cœnobium, adjutum patrocinio Simonis Epiſcopi, & liberalitate Pirmontani Comitis, aliorumque.

Quare

Pont. bona & immunitates Monasterij Falckenhagensis.

Quare hoc anno Innocentius Pontifex magnifico diplomate, ad preces Simonis Episcopi, probavit, præmunijtq; Apostolicæ Sedis, tutela.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus, Abbatisse Monasterii de Valle Liliorum, ejusq; sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis enervet. Ea propter Dilecte in Christo filie vestris justis postulationibus clementer annuimus. Et Monasterium S. Dei genitricis & Virginis Marie de Valle Liliorum Paderburnensis Diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cistertiensium fratrum à vobis post concilium generale susceptum in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunq; possessiones, quecunq; bona idem Monasterium impresentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci firma vobis, & eis, qui vobis successerint, & illabata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & pascuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, que propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de ortis, virgultis & piscationibus vestris, & de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in Monasterio vestro professionem fas sit sine Abbatisse sue licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium Ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu totius Capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes, vel alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ut nullus Episcopus, vel quelibet alia persona ad Synodos, vel conventus forenses vos ire, vel judicio seculari de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi venire presumat, nec regularem electionem Abbatisse vestre impediat, aut de instituenda vel removenda ea, que pro tempore fuerit contra statuta Cistertiensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecrationibus vero altarium vel Ecclesiarum; sive pro oleo sancto, vel quolibet Ecclesiastico sacramento nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis Episcopus diœcesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis, Catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Quod si sedes diœcesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere libere & absque contradictione positis, sic tamen, ut ex hoc inposterum proprio Episcopo nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum proprii Episcopi copiam non habetis, si quem Episcopum Romane sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones monialium, vasorum & vestium consecrationes altarium auctoritate Apostolice sedis recipere valeatis. Porro si Episcopi vel alii Ecclesiarum Rectores in Monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo, quod decimas sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, que ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex caritate prestiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus in quibus vos laboratis & alii feriantur eandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra sedis Apostolice indulta prolatam decernimus irritandam. Nec littere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Cistertiensis Ordinis & contra indulta Apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Preterea

terea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro Monasterio excluſis excommunicatis & interdictis divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati veſtre paterna inpoſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum, ſeu Grangiarum veſtrarum nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere, capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Preterea omnes immunitates, & libertates, à predeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ordini veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet exactionibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur earum, pro quarum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura ſalva ſedis Apoſtolice auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove ammonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

✠ Ego Innocentius Catholice Eccleſie Epiſcopus ſſs.
✠ Ego Petrus Albanenſis Epiſcopus ſſs.
✠ Ego Wilhelmus Sabinenſis Epiſcopus ſſs.
✠ Ego Petrus tt. S. Marcelli presbyter Cardinalis ſſs.
✠ Ego Wilhelmus baſilice duodecim Apoſtolorum presbyter Cardinalis ſſs.
✠ Ego frater Johannes tt. S. Laurentij in Lucina presbyter Cardinalis ſſs.
✠ Ego frater Hugo tt. S. Sabine presbyter Cardinalis ſſs.
✠ Ego Johannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis ſſs.
✠ Ego Wilhelmus S. Euſtachij Diaconus Cardinalis ſſs.

Datum Lugduni per manum Magiſtri Marini ſancte Romane Eccleſie Vicecancellarij XVI Calend. Auguſti Indictione VII Incarnationis Dominice anno MCCXLVIIII Pontificatus vero Domini Innocentij PP. IV anno ſeptimo.

Adolphi primi Marcani Comitis obitus & familiæ propagatio.

Objit hoc anno Adolphus primus Markanus Comes, cujus clementiam, liberalitatem & fortitudinem, felicitatemque armorum extollit Levoldus. Suſtulit ex Margareta conjuge Gelriæ Comitis ſorore quatuor filios, Everhardum Colonienſem Canonicum, quem in haſtiludio Noveſienſi anno 1244 temere arma tractantem animiſit, Gerhardum Monaſterienſem Epiſcopum, Ottonem Canonicum Leodienſem & Præpoſitum Ultrajectenſem, eum qui deſerta Clerivita, nuptias cum Jrmingarde Holtani Dynaſtæ filia contraxit, obtinuitq; à fratre Engelberto Altenanam & Blanckenſteiniam præfecturas; at illo ſine liberis defuncto, omnis paterna hæreditas transiit ad Engelbertum quartum filium, ſtemmatis propagatorem. Novi exinde, & potentes Marchiæ Comites, à quibus multum vexati

vicini

vicini Episcopi; ut hujusmodi nunquam Episcoporum bonis exsatiari potuerunt; nec prius æmulandi studium desiit, quàm se crescente potentia Episcopis pares ferrent.

Digladiante inter se Germania D. Ludovicus Francorum Rex, qui anno superiori cum ingenti exercitu suæ gentis transvectus, per mare in Palæstinam penetrârat, hoc anno memorabili felicique prælio Soldanum cum Saracenis fudit; ad quam victoriam Damiatam etiam nobilem urbem aggressus, circa festum Pentecostes expugnavit, recepitque à prima expugnatione, de qua supra relatum in Olivero Episcopo nostro. Enim vero si Germania cum D. Ludovico paribus expeditionis armis concurrisset, nihil propius erat, quàm ut tota Palæstina in potestatem christianorum redjisset. Sed altero mox anno Nonis Aprilis infelici prælio congressus, ad Nilum victus captusque Ludovicus Damiatam reddere coactus est, et vitam centum marcarum millibus redimere. Tam adversâ numinis irâ hactenus pro terra sancta pugnatum, dum Christiani intestinis se dissidiis, & civilibus armis dilacerant.

D. Ludovici Galliæ R. expeditio in terram sanctam. *Matth. Paris. Albertus Stadens. Scriptores Galliæ.*

Annus Christi 1250.

Innocentij IV Pont. 8.
Wilhelmi Reg. 4.
Simonis Ep. Pad. 4.

Tandem anno proximo, qui seculi hujus quinquagesimus agebatur, Italia & Germania Friderico molestissimo Imperatore liberata, quem mors Idibus Decembris sustulit. Mortis genus varium refertur à Scriptoribus. Sunt qui velint à Manfredo notho filio primùm veneno tentatum, ac deinde immissa in os culcitra præfocatum; alij resipuisse in extremis, eoq; anathemate absolutum, & habitu Cistertiensis Monachi assumpto in Apulia fato suo excessisse; quod à Maynardo Immolensi Episcopo, Dandalo, aliisq; relatum; ex Germanis Siffridus presbyter perceptis Ecclesiæ Sacramentis mortuum tradit. Princeps fuit, qui Pontificem, Episcopos, Clerum, & religiosos viros aversatus, per xxxviii annos regni, imperij xxx exagitavit: ingenio sat acri, sed turbido, & commutabili, eoque admirabilem vertumnum quidam dixêre; hoc demum consecutus, ut qui ex illa familia Suevica inter Imperatores Pontificem Romanum semper extremum afflixerat, Imperatorum quoq; extremus esset. Inter omnes hasce turbas, quæ summa temporum felicitas fuit, nullo adhuc bello publico concussa Saxonia. Interim hoc anno, ut Albertus Stadensis scribit, *Joannes Holsatiæ Comes, auxilio Bremensis Archiepiscopi, et avunculi sui Simonis Paderbornensis Episcopi, magno cum exercitu expeditionem in Daniam fecit*, adversus Ericum Daniæ Regem. Is postquam Christophorum fratrem è regni finibus ejecerat, & Kanutum patruum captivum abduxerat castroq; incluserat, Abelem quo-

Moritur Friderico Imperator. *Matt. Paris. Paralip. Vrbs. Alb. Stad. Maynard. Dandalus. Guilhelm. de Puteo. Siffridus Chron. August. Crantz. l. 8. Saxon. c. 18.*

Alb. Stad. Crantz. l. 8. Metrop. c. 15 l. 8. Sax. c. 17

Holsatiæ Comes, auxilio Simonis Ep. Paderb.

aliorumque, aggreditur Ericum R. Daniæ.

que fratrem Ducem Slesvicensem multis hactenus injuriis male tractatum insectabatur: at Abel, quòd sorore Comitis genitus esset, Joannem & Gerhardum fratrem, Joannes verò Comes Simonem avunculum & Episcopum nostrum, vicinosque Comites, quibus Ericus Rex hactenus non minus infestus fuerat, imploravit. Igitur junctis armis ad Daniæ fines progressi, Renoldesburgum arcem, quam olim Kanutus Rex Holsatiæ ducibus extorserat, præmunierantque exinde ceteri Reges Daniæ, oppugnant. Hac in obsidione certis nuncijs intelligunt, Ericum Regem ab Abele interemptum Illum nimirum inter aleæ lusus Abel frater captum abstraxerat in navim, Carnificique capite mulctandum dederat. Tum verò postquam Abel regnum Daniæ adijt, cujus gratia hæc arma sumpserant, omissa arcis oppugnatione Comes Holsatiæ, & Simon Episcopus noster, ceteriq; copias suas reduxêre in provincias suas. Ceterum cum Simon Episcopus noster avunculus Joannis & Gerhardi Comitum Holsatiæ fratrum scribatur, argumento est Hedwigem Hermanni Comitis Lippiensis filiam denuptam fuisse Adolpho Holsatiæ Comiti ejus nominis IV, qui post res præclarè domi & in Livonia gestas, anno MCCXXXIX abdicato Comitatu, transgressus ad familiam S. Francisci Monachum induit, Abelemque hunc Ducem Slesvicensem Jo. anni & Gerhardo filiis tutorem dedit. Inde anno MCCXLIIII Romam profectus, impetrato Pontificis assensu, sacris ordinibus initiatus, Hamburgi in Cœnobio sui ordinis primam Deo hostiam Sacerdos obtulit, cunctis, qui aderant, ad divini operis spectaculũ pietatemq; collacrymantib⁹. Vidêre nimirum ex glorioso Saxoniæ milite æmulum Christi Sacerdotem; tanquam Adolphus Hedwigis conjugis suæ avum Bernardum Comitem Lippiensem imitatus, quem ex Comite Lippiensi Cistertiensem Monachum, Abbatem, & Episcopum Livoniæ supra introduximus. Et vero Adolph⁹ heroica virtute non minus illustris Monachus, quàm Comes. Nam cùm in Oppido Kyl Monasterium sui ordinis erigeret ostiatimque pauperis Monachi habitu pro operariis & fratribus lac colligeret, occurrêre in media platea filii Comitis Joannes & Gerhardus equis sublimes; ad quorum inopinatum aspectum rubore perfusus, sensit humanum quid expudore mendicandi; quem ut generoso virtutis actu vinceret hydriam lactis capiti imposuit, eaque inversa totum corpus à vertice ad talos perfudit. Vixit religiosè annos quatuordecim multisque Cœnobiis Ordinis sui constructis, pervenit ad annum sexagesimum primum.

Adolphus Holsatiæ Comes religionem S. Francisci ingreditur.

Waldomarus Abelis Daniæ R. filius ab Archiep. Colon. captivus abducitur

Ac postquam hoc anno fama tam barbarè interempti Erici Regis Daniæ pervenit ad Conradum Colonien sem Archiepiscopum, Waldomarum ille, filium Abelis interfectoris Rothomago venientem ex Gallia, & per Colonien sem diœcesin transeuntem intercepit, captivumque abduxit. Causa ab auctoribus non proditur. Quæ tamen res haud temerè offendit Simonem Episcopum nostrum;

qui

qui etsi patris factum nunquam probârit, insontis tamen filij causam miseratus est.

Annus Christi 1251.

Innocentij IV Pont. 9.
Wilhelmi Reg. 5.
Simonis Episc. Pad. 5.

Posteaquam Friderici Imperatoris mors renunciata Innocentio Pontifici Lugduni in Galliis versanti, nihil ille sollicitiùs habuit, quàm scriptis ad Ducem Bavariæ & Saxoniæ, ad Marchiones Misnensem & Brandeburgicum, ceterosque Principes & præsules literis regnum in fide Wilhelmi Regis continere. Quam in rem die cœnæ Domini in magna Episcoporum corona Wilhelmi regnum confirmavit, & Conradum anathemate defixit: missusque in Germaniam Hugo Cardinalis, qui Principum animos Wilhelmo Regi conciliaret; demandatumque Gwihelmo Eika, religioso ordinis Prædicatorum viro, ac Regis Sacellano, populos ad crucis vexillum invitaret. Atque ut connubio etiam Wilhelmum firmaret in regno, Pontifex suasit Alberto Saxoniæ Duci, filiam suam Wilhelmo Regi in matrimonium collocaret. Verùm, quod Albertus Stadensis tradit, *Wilhelmus Rex filiam Ducis Ottonis Brunsvvicensis duxit et in ipsa nuptiarum nocte, in palatio, in quo sponsus et sponsa cubabant, neglectu luminis, quod vicinum stramen corripuit, incendium exortum, quo corona Regis multæque res pretiosæ exustæ, præter duos sartores, qui in cubiculo vestibus consuendis occupati erant, absumpti sunt. Rex in idem flammæ circumlambentis periculum venerat, quem Regina gnara domus per opportunos exitus eduxit.*

Innocentij epist. apud Odoricum Stero in Annal. Alb. Stad. Matthæ. Paris. Siffrid. presbyter. Crantz. l. 8. Saxo. c. 19.

Pontifex laborat pro Wilhelmo in Regno stabiliendo.

Aucta connubiis, quæ vincula sunt potentiæ Principum, Brunswicensis familia. Nam alteram filiam Otto Brunswici Dux in matrimonium dedit Alberto Duci Saxoniæ, tertiam Henrico fratri ejus Principi Anhaltino, quartam Landgravio Hassiæ. Filij præterea quatuor Ottoni fuêre, Albertus & Joannes familiæ heredes, & duo ex illis Episcopi, Conradus Verdensis, & Otto Hildesiensis. Horum affinitate se firmabat Wilhelmus Rex.

Nec segnior Conradus Rex in demerendis sibi Principum atq; urbium studiis; multumque laborabat, ut Rhenenses proceres à Wilhelmo Rege abstraheret. Hæc parantem prævertit Hollandus, contractoque per amicorum auxilia justo exercitu, pene improvisus Rhenum ascendit; cui Conradus cum instructis copiis occurrit; commissoq; ad Oppenheimium prælio, victus fususque Conradus. Qua clade accepta abjecit spem Germaniæ retinendæ, & in Apuliam ad defuncti patris hereditatem adeundam maturavit, quam illum certis testamenti tabulis scripsisse tradunt auctores nonnulli.

Conradus R. prælio victus Germania excedit. *Nauclerus Gen. 42. Brovver. in Annal Trevir. l. 16. Paralip. Ursberg. ad annum 1250.*

Inde summa Imperij potestas pervenit ad Wilhelmum Regem. Et

Stero. Beka.

Et quia per diſſidia duorum Regum invaluerant factiones procerum & nobilium, atque urbium, cum primiſque qui Suevicæ familiæ ſtudebant, multaque paſſim tumultuaria bella, latrocinijs, & ſpoliis Clericorum, mercatorum, civium & agricolarum turbabant Germaniam; fœdus publicum convenit inter certos Principes, Comites, atque urbes certas, quod etiam à Wilhelmo Rege per Adolphum Waldecenſem Comitem juridicundo in aula regia præfectum Moguntiæ 29 Junij approbatum volunt. In hanc ſocietatem, quemadmodum id refert auctor Chronici Auguſtani, qui Stero habetur, nomina dedêre Gerhardus Moguntinus, Conradus Colonienſis, Arnoldus Trevirenſis Archiepiſcopi, Jacobus Metenſis Epiſcopus, Abbas Fuldenſis, Ludovicus Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Sophia Landgravia Thuringiæ, Conradus Comes Sylveſter, Richerus Comes de Catzeneleboge, Fridericus Comes de Limgoe, Bertholdus Comes de Zigenhagen: multi præterea Comites, Dynaſtæ, ac nobiles. Inter urbes memorantur Moguntia, Colonia, Wormatia, Spira, Argentina, Baſilea, Friburgum, Briſacum, Columbaria, Slechſtadium, Hagenoa, Weiſenburgum, Nuinſtadium, Winpinæ, Heidelberga, Laurerenbachium, Oppenheimium, Francofurtum, Fridberga, Wetzlaria, Marburgum, Mullehauſium Aſchaffenburgum, Seliſtadium, Bingia, Weſalia, Bopardia, Andernacum, Bonna, Nuſſia, Aquiſgranum. In Weſtfalia Monaſterium, aliæque civitates ſupra LX, quibus & Brema accenſetur. Beka ſupra LXX numerat. Potens fœdus, & Anſiatico non abſimile ad mercimoniorum libertatem, & tranquillitatem publicam ſancitum, quod tamen à morte Wilhelmi Regis ſenſim elanguit.

Fœdus inter complures Principes & urbes Imperii ictum.

Edomeſticis noſtris haud aliud ex hoc anno ſuppetit, quàm quòd Hermannus magnificus Corbeienſis Abbas larga donatione decimas, quibus Comes Waldecenſis, & nobilis de Dalewich hactenus fruebatur, in Flectorpienſe Cœnobium transtulerit; uti hac ſuperre tabulæ ſuis teſtibus hoc anno conſignatæ extant. Simoni verò Epiſcopo noſtro id unice curæ fuit, ut ſacra & civilia in bonam rerum omnium formam componeret. Quanquam quo anno, aut à quibus conſecratus Epiſcopus, ex annalium memoria exciderit.

Annus Chriſti 1252.

Innocentij IV Pont 10.
Wilhelmi Regis 6.
Simonis Ep. Pad. 6.

Brouv. l. 15. Ann. Trev.

Diſceſſu Conradi Regis in Italiam pacatur Germania. Quapropter & Pontifex Wilhelmum Regem ad ſe invitavit Lugdunum in Gallias. Quò poſtquam ab Arnoldo Trevirenſi Archiepiſcopo deductus pervenit, quàm honorificentiſſimè exceptus eſt à Pontifice. Conciliis indevariiſque deſtatu Imperij ſermonibus ultro citroque

Wilhelmus R. Pontificem Lugduni inviſit.

que habitis, die Paraſceves Pontifex è ſublimiori loco, idiomate ſuo peroravit ad populum; quam concionem Arnoldo Archiepiſcopus Regi & nobilibus interpretabatur, ut ex veteri Trevirenſi ſcriptore refert Browerus; adeo per id tempus, quod alij requirunt, munus concionandi non intermiſêrè Romani etiam Pontifices. In eo tamen congreſſu Wilhelmus auguſtali corona decoratus non eſt, quòd Pontifex iter in Italiam apparabat, ut Romæ ſolemni ritu invitatum coronaret; fallunturque Batavi Scriptores, qui Genuæ diademate inſignitum volunt. Rex peractis Lugduni Paſchalibus, in Germaniam redijt, & menſe Julio ineunte celebrem Francofurti conventum Principum habuit; in quo Conradus Rex Imperij hoſtis pronunciatus, bellumq; Margarethæ Flandriæ Comitiſſæ, quòd clientelam Regis detrectaret, indictum eſt. Multa ibi ex conſenſu & concordia Principum ſalubriter ad tranquillitatem Imperij firmandam decreta; laudavitq; Pontifex literis ad Wilhelmum Regem Penſij datis, quòd in comitijs Francofurtenſibus omnes, quotquot intra annum feuda Imperij à ſe non impetrarent, ex conſenſu Principum bonis exuendos ſanxiſſet. Quapropter Matthæum Pariſium mirari ſubit, à quo traditur Wilhelmus fatigatus Principum odijs in Hollandiam profugiſſe. Ceterum Otto Brunſwici Dux, Wilhelmi ſocer, cùm ad comitia Francofurtenſia iturus ſe accingeret, feſto Primi & Feliciani die exceſſit è vita, *à quo*, ut Crantzius inquit, *latè propagata nobilitas domus Brunſvvicenſis*, per Albertum videlicet & Joannem filios, ad hanc uſque diem clariſſimis Brunſwicenſium & Luneburgenſium Ducibus ſuperſtes eſt.

Pòſt conventum Principum Francofurti habet.

Odoricus in hiſtor. Eccleſ.

Alb. Stad.

Moritur Otto Dux Brunſwicenſis.

Hugo Cardinalis presbyter S. Sabinæ, quem Pontifex in Germania reliquit Apoſtolicum Legatum, ad Principum animos in Wilhelmi Regis fide continendos, in Saxoniam digreſſus, Ottonem Brunſwicenſem Wilhelmi Regis ſocerum tum adhuc in vita ſuperſtitem Brunſwici convenit: qua in urbe 8 Calend. Aprilis literas dedit ad Simonem Epiſcopum noſtrum, quibus poteſtatem fecit diſpenſandi cum Widekindo Paderbornenſi Canonico, nobilis viri Comitis de Schawenburg filio, retinendique ſacerdotium, ac ſacrorum munerum beneficia: quæ tamen 500 marcarum annuum ſtipendium non excederent. Eò jam libertas luxusque Cleri invaluerant, poſtquam ſocialis intra clauſtrum vita diſſoluta eſt, literæ ſic habent.

Hugo Cardinalis diſpenſat cum Widekindo Canonico Paderb. in pluralitate beneficiorum.

Simon Dei gratia Paderburnenſis Epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Mandatum Reverendi Patris ac Domini, Fratris Hugonis titulo S. Sabinæ Presbyteri Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legati, recepimus in hunc modum. Viro venerabili Dei gratia Electo Paderburnenſi Frater Hugo miſeratione divina titulo S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem et ſinceram in Domino caritatem. Per ſinceræ devotionis meritum dilectus filius Widekindus Canonicus Paderburnenſis, natus nobilis viri, Comitis de Scovenburg, noſcitur

scitur meruisse, ut ipsum debeamus honore congruo prævenire. Nos igitur ipsius Canonici precibus inclinati, providentiæ vestræ, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus cum ipso quod beneficia Ecclesiastica, si etiam curam habeant animarum, licite recipere si sibi canonice offerantur, et cum illis, quæ obtinet, libere retinere valeat, constitutione generalis concilij non obstante, dispensetis auctoritate nostra usq; ad summam, quam secundum Deum videritis expedire, proviso, quod Ecclesiæ debitis non fraudentur obsequiis, et in eis animarum cura nullatenus negligatur. Datum Brunsvvich VIII Calend. Aprilis, Pontificatus Domini Innocentij PP. IV anno nono. Hujus igitur auctoritate mandati, qua fungimur, in hac parte cum prædicto Videkindo Canonico Ecclesiæ nostræ, quod præter beneficia, quæ obtinet in præsenti, una cum obtinendis, etiam si curam habeant animarum, adhuc alia beneficia, etiam si similem curam habeant, si sibi canonice offerantur, recipere valeat, ac una cum prædictis licite retinere, constitutione non obstante prædicta, usq; ad summam quingentarum marcarum, quia hanc consideratis personæ suæ meritis expedire vidimus, juxta formam dictam in nomine Domini misericorditer dispensamus. In cujus dispensationis testimonium literam hanc conscribi, et sigillo nostro fecimus roborari. Actum et datum Paderburnæ, Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, feria quarta post assumptionem beatissimæ Mariæ Virginis.

Idem Hugo, impertitis indulgentijs, hortatur fideles ad succurrendum PP. Benedictinis in fabrica Monasterii Montis-Martis.

E Saxonia Hugo Cardinalis Coloniam digressus, à religiosis viris Ordinis D. Benedicti, Montem Martis incolentibus, pro subsidio novæ fabricæ, quam moliebantur, interpellatus est; quibus ille hasce publicas literas dedit, cum impertitis indulgentiis, quotquot largitione pia operis structuræ subventuri essent.

Universis Christi fidelibus per Alemanniam constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Frater Hugo miseratione divina titulo S. Sabinæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, salutem in Domino. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout gessimus in corpore sive bonum fuerit sive malum. Oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cœlis, firmam spem fiduciamq; tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam. Cum igitur, sicut dilecti in Christo Præpositus et conventus Monasterij de Monte Martis Ordinis S. Benedicti Paderburnensis diœcesis nobis intimare curarunt, ijdem Monasterium ipsum ædificare cœperint opere sumptuoso nec ad consumationem ipsius propriæ sibi suppetant facultates: Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus de bonis vobis à Deo collatis pias ad id eleemosynas et grata caritatis eis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus ipsum valeat consumari. et vos per hæc et alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos autem de Omnipotentis dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolo-

Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui eis ad hoc manum porrexerint adjutricem, XL dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus: quas mitti per quæstuarios districtius prohibemus, eas si secus actum fuerit carere viribus decernentes. Datum Coloniæ VI Calend. Octobris, Pontificatus Domini Innocentij PP. IIII anno nono.

Transiit hoc anno ad superos B. Joannes Wildeshusanus, gente, ut supra diximus, Westfalus, quartus Ordinis Prædicatorum supremus moderator, rerum gestarum, & miraculorum memoria clarus. Sub quod tempus simul excessit Henricus Colonienſis, ejusdem familiæ sanctissimus sacerdos, hortatorque expeditionis sacræ, quam S. Ludovicus in Palæstinam suscepit, cui & fidelium se comitem adjunxerat. Obitus B. Joannis Wildeshusani & Henrici Colon. ex ordine S. Dominici.

Annus Christi 1253.

Innocentii IV Pont. 11.
Wilhelmi Reg. 7.
Simonis Episc. Pad. 7.

Subit annus MCCLIII, quo Rex Conradus rapida victoria Apuliam & Siciliam subegit, Neapolimque, Beneventum, & Capuam, quæ Pontificis clientelæ se addixerant, arcta obsidione ad deditionem compulit. Quibus successibus elatus, pro ingenio patris sævire cœpit. At cùm Romanæ Ecclesiæ periculosius immineret, Pontifex Carolo Andegauensi Comiti, D. Ludovici fratri, Siciliam jure fiduciario capessendam præscriptis conditionibus obtulit. Nec minus illustris victoria Wilhelmi Regis adversus Margaretham Flandriæ Comitissam. Ea mulier postquam per fraudem inter filios Principatum divisisset, contempsissetque Wilhelmi Regis auctoritatem, ausa etiam est ingenti classe comparata, bellum Hollandiæ inferre; at mox fœda clade, qua supra viginti hominum millia occubuisse feruntur, victa. Id quod justo numine factum scribit Cantipratanus, ad Belgarum superbiam contundendam. Remissis inde belli curis, Rex per Autumnum in Saxoniam digressus cum Regina ad paternam ejus domum; collatisq; cum Brunswigi Ducibus consiliis, inter cetera 6 Idus Septembris Widekindi Mindensis Episcopi electionem, quæ recens facta erat, in locum Joannis Antistitis, ratam habuit, exornatumq; inter Imperij Principes regalibus, in tutelam suscepit; quod hoc egregio diplomate, quo Widekindum consanguineum suum ac Capellanum apellat, posteris notum esse voluit. Conradus infestus Italiæ. *Albertus Stadens. Matth. Paris. Odoricus in hist. Eccles.* Uti & Margaretha Flandriæ Com. Hollandiæ, à VVilhelmo R. devicta. *Meyer. l. 9. Annal. Beka in Henrico Episcopo. Paris. Cantipr. l. 2. c. 2. Chr. Mind.*

Wilhelmus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, honorabilibus viris, Decano et Capitulo, ministerialibus, infeudatis Vasallis, et hominibus Ecclesiæ Minden. dilectis fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum Dignum est, et consentaneum rationi ac regiam condecet Majestatem, ut illorum commodis, et promotionibus quadam regalis munificentiæ gratia VVilhelmus R. Episcopo Mindens. regalia confert.

gratia et favore benignius intendamus, qua per se et suos erga promotionem et exaltationem nostram vigilantibus elaborant. Cum itaque sicut audimus, Venerabilis vir Wedekindus Ecclesiæ Minden. Præpositus dilectus consanguineus et Cappellanus noster, cui nobilitas generis, morum honestas, et alia laudabilia merita suffragantur, à decano et Capitulo ejusdem Ecclesiæ unanimiter sit electus, ne bona ejusdem Ecclesiæ, quam in nostram et Imperij protectionem recepimus specialem, hostili lacerentur incursu, et improborum insultibus dissipentur, regalia et administrationem bonorum temporalium ipsius Ecclesiæ sibi concedimus de benignitate regiæ Majestatis, ut de cetero tanquam Princeps Imperij, bona ipsius Ecclesiæ administret, ordinet et dispenset, prout melius ad utilitatem ipsius Ecclesiæ videbitur expetire: vobis universis et singulis auctoritate Regia firmiter injungentes, ut sibi tanquam nostro Episcopo in omnibus, quæ ad ipsum pertinent, plenius intendatis, nos vero tenore præsentium districtius inhibemus, ne quis ipsum in administratione hujusmodi super bonis ipsis impedire audeat vel etiam molestare, quod qui facere præsumpserit, gravem Celsitudinis nostræ offensam se noverit incursurum, et in reatus sui pœnam centum marcas auri fisco nostro componat. Datum Brunswvig VI Idus Septembris Indictione XI. Anno Domini M.CC.LIII.

Multa exinde præclarè gessit hic Episcopus; interque alia Hammeliam, Oppidum Visurgi adsitum, quingentis argenti marcis Coloniæ numerandis à Monachis Fuldensibus emit; eò quòd fundatio Ecclesiæ Hammelensis xxv annos antecesserit Mindensis Ecclesiæ exordia, atque ab ipso D. Bonifacio, uti Chronici auctor tradit, consecrata sit. Eo quoque Episcopo conditum est Cœnobium Vlotense ad Visurgim in comitatu Ravensbergensi ad fines diœcesis nostræ, liberalitate Henrici Oldenburgici Comitis, quem Bogenarium dixêre, castro videlicet suo in Cœnobium commutato, introductoque Virginum Cistertiensium cœtu ex Leodiensi Monasterio. Constitit aliquando id Cœnobium ad confluentes Werrhæ & Visurgis in vico Remen, loco, qui ex Francorum annalibus celebris est; verùm ob fluviorum exundantiam translatum est ubi nunc rudera conspiciuntur. Prolapsa Virginum disciplina, introducti religiosi è familia D. Benedicti: nec multò post ijs quoq; desciscentibus, Wilhelmus Dux Juliæ ad Ravensbergicum fiscum traxit; quod subinde Wolfangus Dux Neoburgi & Juliæ, syncerus Catholicæ religionis cultor, Patribus societatis donavit. At non ita multò post ab Electore Brandeburgico, adversæ religionis Principe, bona hæc sacra ad fiscum retracta. Conditor primus Henricus Comes pientissimus vir, patre Burchardo Oldenburgico, quem anno 1234 bello Stedingiano occubuisse diximus, progenitus. Is quòd prole careret, Christum heredem scripsit. Idemque hic Comes Oldenburgicus Wildeshusium, quòd hæreditate uxoris, filiæ Comitis de Lucka, possidebat, Ecclesiæ Bremensi vendidit, acceptâ ab Hildeboldo Archiepiscopo pecunia, quæ in capita civium statuta erat; quam tamen ipse Archi-

Cœnobium Vlotense conditur.

epis-

episcopus haud multò post à civibus digna rebellionis pœna extorsit.

Benignior etiam fortuna in Monasterienſem Eccleſiam, cui per id tempus Vechta Oppidum, & totus ille per Embslandiam Comitatus obtigit, induſtria & bellica fortitudine Ottonis Epiſcopi. Res ita ſe habet. Cum Sophia vidua ac Vechtenſis Comitiſſa multum vicinorum injuriis vexaretur, nec imbellis mulier par eſſet inimicorum potentiæ, primò Oſnabrugenſis Epiſcopi, cujus juriſdictioni ſacræ parebat locus, opem implorat; quo recuſante, ſi, inquit, S. Petrus, tutelaris videlicet Oſnabrugenſium patronus, me juvare nolit, D. Paulus imploratus aderit. Quare ad Ottonem Monaſterienſium Epiſcopum converſa ejus auxilia implorat. Otto haud ſecus, quàm Simon Epiſcopus noſter, manu promptus, laboranti viduæ opem tulit, hoſtibuſque oppreſſis in libertatem aſſeruit. Eo beneficio commota Sophia, totum Vechtenſem Comitatum cum Oppido, partim dono, partim pretio, Monaſterienſi Eccleſiæ ceſſit. Quod Matris factum Juditha filia Walramo Monſiojæ in Julia Domino denupta ratum habuit; id quod his literis Monaſterienſium faſti tradunt

Comitatus Vechtenſis Eccleſiæ Monaſterienſi adjungitur.

Jutta miſeratione divina Domina de Monſioye, omnibus hoc ſcriptum inſpecturis ſalutem in auctore ſalutis. Quoniam ætas hominum labilis factorum ſuorum memoriam diu retinere nequit, niſi ſcripturæ teſtimonio roboretur; et quoniam omne Dominium in Vechta ad me ſicut ad veram hæredem pertinuiſſe dinoſcitur, cum ad annos diſcretionis perveneram, et adhuc eadem bona à nobis vendita non fuiſſent, parentum meorum factis, atque piis donis congratulando conſenſi et conſentio per præſentes, Datum anno MCCLI.

Proferuntur & aliæ literæ hoc anno LIII conſignatæ, quibus Walramus & conjux, & mater omnem comitatum, omniaque per Friſiam bona Ottoni Epiſcopo Monaſterienſi tranſcribunt; ad quas deinde literas Wilhelmus Romanorum Rex hoc anno comitatum Vechtenſem Ottoni Epiſcopo & Succeſſoribus jure fiduciario ab Imperio poſſidendum dedit: tabulis hiſce Wilhelmi Regis ſubſcripſit Simon Paderbornenſis Epiſcopus Ottonis frater. Walramum Monſioyæ Dominum, quem ex Teclenburgicis ortum tradit Wilthemius, ad hanc venditionem comitatus Vechtenſis pronum fecit æs alienum, à Theodorico patre contractum; ob quod & alia bona vendidit. Et verò ut altius aliquanto jus Monaſterienſis Epiſcopi in comitatum Vechtenſem, atque ipſam etiam Embdam, veterem Embslandiæ arcem, portumque Germaniæ nobiliſſimum, repetamus, hæc paucis hoc loco ſubjungere viſum eſt.

Celebris Friderico Imperatore, & Henrico filio Rege, inter Weſtfaliæ proceres Hermannus Ravensbergenſis Comes; cui ob præclara virtutum bellorumque decora ab Henrico Rege anno 1225. donatus

Quomodo comitatus Vechtenſis &

Embdana ad Ecclesiam Monasterien-sem pervenerit, & hic ab ea abstractus sit.

donatus Vechtensis comitatus, Oppidumque Embdæ cum arce: additumque non modò jus monetæ in urbe Bilfeldiensi & Embdana, sed & duplici telonio cumulatus est; quorum alterum in Vlote ad Visurgim, alterum Embdæ in Oppido ad Amasim habuit; omniaque hæc beneficio D. Engelberti impetrata, qui tum Henrici Regis juventutem moderabatur.

Mortuo Hermanno Comite, lis orta est inter duos ejus filios Ludovicum & Ottonem de paterna hereditate; ea verò per Episcopum Paderbornensem, Comitem Oldenburgicum, Hermannum Comitem de Lippia, & Bernardum filium composita; cessitque Ludovico Comitat⁹ Ravensbergensis arx, & Bilfeldia, Ottoni comitatus Vechtensis, Vlota, & Embda, sicuti ab alijs comitatum Embdanum scribi lego. Ac postquam Otto Comes excessit è vita, comitatus Vochtensis una cum Embda civitate, relictus penes Sophiam viduam & filiam Juditham, quæ ad eum, ut diximus modum, Ottoni Monasterienſi Episcopo Simonis Episcopi nostri fratri partim donatione, partim venditione transcripsêre. Manfit exinde Vochta, comitatusq; Vechtensis ad hunc diem Ecclesiæ Monasterienſi. Similiter Embda cum arcem retenta per 200 annos in potestate Episcoporum Monasterienſium ad tempora Henrici Morsani Episcopi; habuêreque Episcopi Monasterienses in ea præfectos suos; quos inter cum circa annum 1434 Immola præfectus vectigal Amasis intenderet, prædasq; simul ageret, magna commerciorum jactura, & mercatorum indignatione; Hamburgenses & Lubecenses arcem Embdanam intercepêre, abducto in captivitatem Immola præfecto, & ad mortem retento in vinculis. Accusati ob vim illatam Hamburgenses & Lubecenses; questusque Episcopus de injuria cum Archiepiscopo Colonienſi, Duce Gelriæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium, vicinorum opem implorat: Contra Hamburgenses & Lubecenses omnes Anseaticas urbes in societatem belli traxêre. At ne ea in bellum erumperet, res ad compositionem deducta est; datusque est inter alios arbiter Bremensis Archiepiscopus. Interim moritur Morsanus Episcopus, & res in lite obhæsit, nec restitutio Embdanæ arcis facta est.

Hæc ex vetusto scripto sub signo ☐

Constant hæc ex vetustis literis signo ⊕ *notatis.*

Successit deinde Joannes Bavarus, egregius Monasterienſis Episcopus, interque cetera reparatæ diœcesis opera urſit restitutionem Embdanæ arcis; cùm interea Ulricus Dynasta Frisiæ arcem & munitionem ad se traxit, dolone interceptæ arcis, an, quod verius reputo, transactione cum Hamburgenſibus & Lubecenſibus non adscribitur.

Ex literis signo ⊕ † *notatis.*

Post ubi Henricus Swartzenburgensis ad Monasterienſem Episcopatum pervenit, lis per Conradum Osnabrugensem Episcopum ad compositionem revocata est inter Episcopum Monasterienſem, & Ezardum atque Ukerum fratres Oistfrisiæ Comites; transactumque ea conditione, uti Comites 10000 Rhenensium florenorum

mutuo

mutuo darent Episcopo, urbemq; Embdam cum arce pignoris loco retinerent, donec hæc pecuniæ summa ab Episcopo Monasterienſi refunderetur; præscriptumque anni spatium, intra quod solutio redhiberi posset. Extant hujus contractus inter Henricum Swartzenburgicum & Comites initi tabulæ apud Monasterienses. Verùm ut in aliis consignatum est literis, nunquam hæc pecuniæ summa à Comitibus Episcopo repræsentata fuit. Quæ causa fuit, ut Episcopus Franciscus de Waldeck Embdam omniaque, Monasterienſis Ecclesiæ jura ex integro repeteret. At postquam civilibus turbis Franciscus Episcopus, & bello Anabaptistarum totus involutus fuit, Embdam, & nobilissimum illud Ecclesiæ peculium, portumque in potestate Comitum & hæresis in hunc usque diem reliquit. His omissis nostra prioribus conjungamus.

Literæ sub signo B. Copia contractus inter Episcopum Henricum Swartzenburgicum & Comites.

Reperio tabulas, quibus hoc anno Hermannus Corbeiensis Abbas Advocatiam in Groningen, Coppenstede & Ammendorp, aliaque bona, quæ à Comite Henrico de Blanckenborg ad se recidebant, transtulit feudi titulo in Ludolphum Halberstadiensem Episcopum, & Halberstadiensem Ecclesiam; ea tamen lege, ut Monachorum cœtus, qui in Groningen erat, disciplina claustri, & quæ ad Abbatis imperium & jurisdictionem pertinent, ab hac Advocatiæ translatione perpetuo exempta maneant; sicuti hæc multis inter Ludolphum Episcopum & Hermannum Abbatem convenêre. *Testes Hermannus major Præpositus, Wigerus Decanus Burchardus Vicedominus, Cono de Diepholt, Rodolphus Portenarius, Wolradus de Kerchberg, Volradus Præpositus Walbecensis, Evvervinus Præpositus S. Bonifacij, Widekindus de Nuenberg, Henricus de Drondorp, Hermannus de Cruceberg, Bertholdus de Klettenberg, Albertus de Aldenburg, aliique è primaria nobilitate viri, et Ecclesiæ Halberstadiensis Ministeriales. Acta hæc sunt anno 1253, 3 Idus Maji, Halberstadij anno electionis Ludolphi Episcopi primo, Hermanni Abbatis XXXI.*

Abbas Corbeiensis Advocatiam Groning. &c. transfert feudi titulo in Episc. Halberst.

Annus Christi 1254.

Innocentij IV Pont. 12.
Wilhelmi Reg. 8.
Simonis Episc. Pad. 8.

Annus qui consequitur millesimus ducentesimus quinquagesimus quartus memorabilis primùm excessu Conradi Regis, quem Manfredus frater concubinâ genitus, dato, ut tradunt, veneno II Calend. Junij extinxit, idem qui Fridericum patrem ante quadriennium injecta in os culcitra necasse fertur. Mense Decembri secuta mors Innocentij IV Pontificis, Romana sede dignissimi. Evocârat ille Wilhelmum Regem Romam ad augustalem coronam è manu sua accipiendam, confirmandamque ejus auctoritatem in Imperio (quòd apud multos Principes in contemptionem venerat) seu quòd victoriis

Mors Conradi Regis. *Stero in Chron. Patav. Mon. Matt. Paris. Odoricus in hist. Eccles.* Et Innocentij IV Pontificis

victoriis obtentis languidus uteretur, ſeu quòd apud ſuos in Hollandia & in Imperij angulo reſideret. At quæ majeſtas Regni, quæ priſca Regum poteſtas eſſe poterat? poſtquam jam Duces ac Principes omnes Imperij provincias in hereditariam poſſeſſionem traxerant, nihilq; præter Imperiales urbes, telonia, & regia quædam bona relicta erant, unumque hoc ageretur, ut ſinguli in ſuis provinciis Reges eſſent; unde enatum ut diſſoluto Imperij vinculo, quo membra capiti hærere debebant, diſſidiis & tumultuariis bellis lacerata gemeret Germania. Interim, quod Trithemius tradit, hoc anno convenêre Moguntiæ multarum urbium Legati, fœdus inter ſe renovando, fidemq; Wilhelmo Regi jurando, ad publicam Imperij tranquillitatem conſervandam. Memorantur inter has urbes Moguntia, Wormatia, Francofurtum, Boppardia, Weſalia, Bingia, Oppenheimium, Fridberga, Friſlaria, multæque inferioris Germaniæ civitates; quod Principibus, & militibus, prædonibusque cumprimis, ut Stadenſis refert, minus placuit; quòd dicerent ſordidum eſſe, vivere Principes ac nobiles ſub imperio mercatorum; quæ tamen Stadenſis, Stero, auctorque Chronici Sclavici, ad ſequentem annum referunt.

Conventus Moguntin. in quo conſultum Imperij tranquillitati.

Trithem. in Chron. Alb. Stad. Auctor Chron. Sclav. Stero in Chron. Aug.

Hoc conturbato rerum ſtatu, cùm & Simon Epiſcopus noſter, omnesq; Weſtfaliæ proceres dominatum Colonienſis Archiepiſcopi indignè ferrent; altoque fulnere hæreret in animo Simonis Saltzcottena, quam ad imperium Archiepiſcopi muris nudare juſſus erat fœdus inijt Simon cum adverſarijs Archiepiſcopum. Et irruptionem in Ducatum Weſtfaliæ feciſſe, multaq; damna intuliſſe ſcribit Cleinſorgius; tametſi nihil hac ſuper re Levoldus, aliique tradant; quibus tamen, ut volunt, offenſi Archiepiſcopi clientes, ac Miniſteriales, ceterique Archiepiſcopi nobiles ad arma provolarunt. Horum primarii Godefridus Comes Arensbergenſis, Otto de Altena, Engelbertus de Marca, Theodoricus novi Limburgi Comites: Theodoricus de Bilſtein, Fridericus Furſtenbergicus, ac Wenemarus frater, Bertholdo de Bueren, Albertus de Sturmede Marſchalcus Weſtfaliæ, Henricus de Jſenberg Dapifer Archiepiſcopi, Goſwinus de Rutenberg, Albertus de Hörde aliique complures, ſinguli ſuis militibus ac famulis ſtipati armatiq; movêre in Simonem Paderbornenſem Epiſcopum, virum bellis interritum, ſed in hac hoſtium ſuorum aggreſſione improvidum. Enim verò ſeu conſerta pugna, ſeu aſtu militari factum, interceptus à Colonienſibus Simon Epiſcopus noſter, captivusq; ad Conradum Archiepiſcopum productus; à quo ad biennium exinde in libera cuſtodia attentus eſt. Et cùm hoc anno Wilhelmus Rex, & Petrus Apoſtolicæ Sedis Legatus Noveſij convenirent in comitio Principum, ſimulque Rex & Legatus conſtanter apud Conradum Archiepiſcopum pro liberando Simone Epiſcopo agerent; nihil tamen ab Archiepiſcopo nec precibus Regis, nec Legati minis impetratum

Simon Ep. in bello adverſus Archiep. Colon. captivus Coloniam abducitur & detinetur.

Monumenta Paderb. in ſtemmate Furſtenb.

tratum est; itàque ad postulata utriusq; excanduit Conradus Archiepiscopus, ut subjecto luculento igne domum, in qua Rex cum Legato versabatur, incenderit. Ac nihil propius erat inter gliscentes flammas, quàm ut Rex & Legatus conflagrarent, nisi uterque se tempestivè præsenti periculo subtraxisset. Quemadmodum hæc ab Alberto Stadensi, auctore Chronici Sclavici, & Crantzio perscribuntur. Tam impotentis animi erat Archiepiscopus, quocum Simoni Episcopo nostro de jure Ecclesiæ obluctandum erat. Colonienses, quibus hæc nobiscum communia sunt, omnem belli hujus causam rejiciunt in turbulentum Simonis nostri ingenium, arma pro quiete affectantis; sed qui Conradi Archiepiscopi dominatum, aliaq; adversus Regem & Apostolicum Legatum expenderit, dubium fecerit utri Episcopo culpa potius adscribenda sit; nisi quod duo ferventis ingenij capita collisa belli flammam dederint.

Alb. Stad. in chron. Chron. Sclavicum Crantz. l. 8. Saxon. c. 19.

Rex interim hoc anno insigni victoria potitus adversus Frisones, quos terra marique adorsus, cœsos clade quinque millium obtrivit. Inde victor Frisiam ingressus, rebellem populum compressit; quod ex his simul tabulis, quibus Widekindo Mindensi Episcopo dynastiam Steinwendensem confirmat, exploratum habemus. Juvat hìc literas ad integerrimi Regis pietatem religionemque commonstrandam proferre.

Wilhelmus Rex donat Ecclesiæ Mindensi dynastiam Steinwede, Haddenhusen & Borchere.

Wilhelmus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis sacri Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum in procelsæ dignitatis honore nos protulerit exaltator humilium, et sceptrum Romani Regni, palmamque victoriæ nobis divina dispositione commiserit, Ecclesias et personas Ecclesiasticas, ad imitationem nostrorum prædecessorum Imperatorum et Regum, tanto libentius tantoque liberalius debemus prosequi favore gratiæ specialis, quanto clariori præsagio dignitatem hujusmodi de cœlesti suscepimus voluntate. Cum itaque illustris vir Albertus Dux Saxoniæ carissimus Princeps et affinis noster comitiam liberorum in Steinvvede, Haddenhusen et Borchere, quam à nobis et Imperio tenebat in feudo; ad peditionem venerabilis W. Mindensis Episcopi dilecti Principis nostri per suas patentes literas nostro culmini duxerit resignandam. Nos ejusdem Episcopi piis supplicationibus inclinati, resignationem ipsam ratam habentes, et gratam, prædictam comitiam eidem Episcopo et Ecclesiæ Mindensi sibi commissæ liberalitate Regalis culminis præsumere concedimus, à nobis, et Imperio feudi titulo possidendam; tenore præsentium districtius inhibentes, ne quis eundem Episcopum, et ejus legitimos successores, ac eandem Ecclesiam molestare audeat super his, vel etiam impedire. Si quis autem contra hanc paginam nostræ concessionis, sive inhibitionis et resignationis prædicti Ducis venire præsumpserit, gravem Celsitudinis nostræ offensam se noverit incursurum. Hujus rei testes sunt Veylis H. Spirensis Princeps et Cancellarius, Wernerus de Bollandia Dapifer, et magister Arnoldus Prothonotarius Regalis Aulæ, A. Comes de Waldek, Henricus Comes de Selmesze, et alii quam plures:

plures; in cujus rei evidentiam pleniorem præsentes literas exinde conscribi, et sigillo Majestatis nostræ jussimus communiri. Datum in Castris in depopulatione Westfrisiæ decimo quinto Calend. Junii, indictione duodecima, Anno Domini MCCLIV.

Legatus Apostolicus Monasterium Scakense protegit.

Quo patrocinio Rex Mindensem Ecclesiam, eo Legatus Apostolicus Scakense Monasterium diœcesis nostræ complexus. Testes Legati literæ, quæ apud nos extant, Nonis Decembris Leodij datæ, quibus sacri illius loci Virginibus omnem, quàm cetera habent Monasteria immunitatem dilargitur, defensionemque suscipit.

Petrus miseratione divina S. Georgii ad velum aureum diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, Discreto viro Decano Ecclesiæ Susatiensis, Colonienſis diœcesis, salutem in Domino. Cum personas dilectorum in Christo, Præpositi, Prioriſſæ, et conventus Monasterii in Scaken Ordinis S. Benedicti Badeburnensis diœcesis, et locum, in quo divino sunt obsequio mancipati, sub Ecclesiæ Romanæ, et nostra protectione duxerimus admittendas; Specialiter autem Ecclesias, domos, terras, redditus, villas, curtes, etiam alia bona ipsorum, sicut ea omnia juste et pacifice possident, ipsis et per eos Monasterio ipsorum nostræ protectionis literis confirmantes: discretioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus non permittas ipsos super his contra protectionis et confirmationis nostræ tenorem ab aliquibus indebite molestari: Molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam compescendo. Datum Leodij, II Non. Decembris. Anno Domini MCCLIIII.

Annus Christi 1255.

Alexandri IV Pont. 1.
Wilhelmi Reg. 9.
Simonis Episc. Pad. 9.

Nauclerus. Trithemius. Beka. Meditata Regis in Italiam profectio variè impeditur.

Subinde Wilhelmus Rex, cùm Alexandrum Pontificem sibi non minus quàm Innocentium studiosissimum haberet, seriò de adeunda Italia cogitare cœpit, ad imperiale diadema capiendum. Ejus rei gratia Coloniæ in conventu Principum, 8 Calend Junij convocato, profectionem ad initium Quadragesimæ anno insequenti indicit; alioque haud multò post conventu Principum, Wormatiæ celebrato, de statu Imperij pertractat. At quæ non insolentia per id tempus in Regē? Nam cùm Regina à Comite Waldecensi, alijsq; proceribus aulæ deduceretur ad vicinum Castellum, oblectandi animi causa; ausus nobilis quidam Reginam intercipere, captivamque abducere; nec prius Regi remisit, quàm omni regali ornatu spoliasset. Accessit novum Italiæ expeditionis impedimentum, Frisonum iterata rebellio; de qua postquam Wormatiæ certior factus, secundo Rheno descendit Trajectum, ubi nova injuria exceptus. Considebat fortè Rex in atrio cum primoribus Ecclesiæ; quo observato, homo quidam nefarius grandem silicem è sublimi loco dejecit in caput Regis; sed lapsu fallente meditatum scelus irritum fuit. Rex manu

manu lapidem attolens, ecce, inquit, quàm immeritam mihi necem cives machinentur. Mox in equum sublatus, urbe excedit, minitando, ni intentatæ necis auctorem sibi tradant, urbem se cum civibus exciſurum. Utrumne Rex hoc anno Frisiam sit ingressus, haud satis constat. Nam quæ recitantur Pontificis literæ hoc anno datæ, quibus Regi de victoria adversus Frisones gratulatur, incertum, an de superioris anni victoria agant: annus certè proximus Regi funestus fuit. *Odericus in hist. Eccles.*

Hærebat interea Simon Episcopus noster captivus in potestate Colonienſis Archiepiſcopi; administrabatq; diœcesin ejus loco tantisper Henric⁹ Comes de Swalenberg, Cathedralis Ecclesiæ Præpositꝰ; quemadmodum in literis Gerdensis Cœnobij anno proximo sexto Calend. Aprilis consignatis se vices Episcopi Paderbornensis gerere profitetur. Ac Pontifex etiam, ne quid per absentiam capti Episcopi diœceſis detrimenti pateretur ab infestis hominibus, scripsit ad Præsulem Cantoremq; Osnabrugensis Ecclesiæ, eique curam demandat Ecclesiæ nostræ, potestatemque facit coërcendi prædones & raptores per censuras Ecclesiasticas.

Pontifex scribit ad Cantorem Ecclesiæ Osnabrug. ut Episcopo Paderborn. assistat contra Prædones.

Alexander Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Cantori Ecclesiæ Osnabrugensis salutem et Apostolicam benedictionem. Præsumentium ministros Dei persequi debet elidi temeritas, ut eis à perversitate cohibitis sit illis facile commissi curam officii salubriter exercere. Cum igitur venerabilis frater noster Episcopus Paderbornensis in bonis suis et Paderburnensi Ecclesia à multis, sicut accipimus, plures patiatur injurias et jacturas; Nos pium arbitrantes et congruum, ut super hoc in nobis remedium inveniſſe gaudeat opportunum, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Episcopo adversus prædonum, raptorum, et invasorum audaciam efficaciter assistens non permittas ipsum super dictis bonis à talibus molestari, molestatores ejusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, præsentibus post triennium minime valituris. Datum Anagniæ, Nonis Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

Sanè quantum offenderat Pontificem injuria Regi & Legato suo à Conrado Archiepiscopo Novesij illata, tanto ille sollicitior fuit pro Simone Episcopo ejusque Ecclesia; satisq; intelligebat Pontifex potestate magis Colonienſium premi Simonem Episcopum nostrum, quàm rei æquitas ferre posset. Et Pontifex, ut Episcopum solatio foveret, & Clerum populumq; in fide & amore Episcopi sui contineret, ultro etiam indulgentias è Thesauro Ecclesiæ Paderbornensibus dilargitur, quod adjunctæ literæ testantur.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo, et dilectis filiis, Capitulo Paderburnensi salutem et Apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi à fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit et

Idem Ecclesiæ Paderb. certas ingulgentias largitur.

vota, bene servientibus multa majora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus tamen cupientes reddere Domino populum acceptabilem, Christi fideles ad complacendum ei, quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igiiur ut Ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui Ecclesiam ipsam in anniversario dedicationis ejusdem die venerabiliter visitaverint, annuatim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum confisi quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Anagniæ ------ Octob. Pontificatus ---- primo.

S. PA.
S. PE.

ALEXANDER PP. IIII.

Wilhelmus R. statuit, non posse Abbatem Principem Imp. feuda Abbatiæ suæ abalienare sine consensu capituli sui.

Non hic intermiserim rescriptum Wilhelmi Regis ad Corbeenses supermota per id tempus controversia, Utrumne Abbati sine consensu conventûs fas esset feuda Abbatiæ suæ vendere, aut ab alinare; quam Wilhelmus, cùm prisco Regum more, Egmondæ Hollandia pro tribunali sederet judex in hunc modum decidit.

Wilhelmus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Univers sacri Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam et omn bonum. Ad notitiam universorum volumus pervenire, quod nobis nuper ap Monasterium Egmundense pro tribunali sedentibus requisitum fuit in judicio coram nobis per sententiam diffiniri. Utrum aliquis Abbas Princ Imperii bona et feuda sui Monasterii sine consensu sui Capituli vendere leat, alienare, distrahere, vel donare. Ad quod responsum fuit, et in nos præsentia sententiabiliter judicatum, quod nec vendere, vel alienare, aut strahere, seu donare potest aliqua feuda, vel bona sui Monasterii non requito consensu nostro et sui Capituli, et obtento. Unde cum juri sit consonum et consentaneum rationi, Nos sententiam ipsam ratam et gratam habentes auctoritate regalis culminis confirmamus eandem, et ab universis et singu mandamus ipsam inviolabiliter observari. Si contra factum fuerit, tunc cernentes irritum et inane, nec alicujus habere roboris firmitatem. Dat apud Monasterium Egmundense VI Calend. Augusti. Indictione XIII an Domini MCCLV.

Annus Christi 1256.

Alexandri IV Pont. 2.
Wilhelmi Reg. ult.
Simonis Ep. Pad. 10.

Alb. Stad. Stero in chron. August.

Consequitur nunc annus Christi MCCLVI, Wilhelmo Regi f nesto casu ex Frisonum bello fatalis; ij licet superioribus annis pius à Rege victi obtritique essent, paludum tamen & conspiration fiduc

fiducia ausi denuo rebellare. Ad quos perdomandos Rex cum exercitu fines eorum ingressus, hostes felici primùm successu obtrivit, consilio cumprimis & fortitudine Wilhelmi Brederodij, quem signis militaribus præfecerat Ducem. At dum Rex hyeme gelida per palustres locos glacie induratos temere ac longius speculatum ceteros prægreditur, rupta glacie cum equo altum in paludes haud procul Hochwolda immergitur. Quem ubi obluctantem in cœno conspexêre in vicino arundineto latitantes Frisij, certatim advolant, & jaculis contisque, ignari, ut volunt, quis esset, confodiunt. Accidisse hæc v Calendas Februarij major auctorum consensus tradit. Postquam à Frisiis Regis cœdes cognita, corpus paludibus extractum sepelière clam in rusticana domo. Alij Mittelburgum translatum tradunt, conditumque in Cœnobio quodam. Stadensis, ac Crantzius scribunt, hodiedum ignorari, quo loco humatum sit regium corpus. Occubuit tam miserabili fato Rex anno ætatis XXVII, regni IX, juvenis magnitudine animi, studio religionis, ac bellica laude egregius, & magnis Germaniæ Regibus, si fata sivissent exequandus; eòq; à nobis grata memoria celebrandus, quòd pro Simone Episcopo nostro liberando impensè semper laborarit. Dignus qui regno diuturniore potiretur, nisi Dei consilia, quæ mortalibus incognita, aliud statuissent. Hac funesta Regis morte odium inter Hollandos & Frisios in longa post bella accensum, quod à dominatu Hollandorum in Frisios initium sumpserat. Sed longè calamitosius Germania dissidijs civilibus ac bellis per mortem Regis concussa, postquam Imperium multis collatum, nemo verò Principum acceptare dignatus est. Supererat unicus Imperatorum ac Regum Conradinus puer, Friderici II Imperatoris nepos, Conradi Regis filius, Dux Sueviæ; sed hunc Pontifex datis v Calend. Augusti literis ad Principes, interminata anathematis pœna, eligi vetuit.

Matthæus Paris. Thrithem in Chron. Hirsau. Naucler. Crantzius. Beka in Chron. Chron. M. Belg. Scriptores Holland. & Frisiæ apud Bulchel. in notis ad Bekam.

Funestus Wilhelmi R. à Frisiis occisi, interitus.

Concussus hoc anno intestino bello Albertus Dux Brunswicensis. Nam quæ passim nobilium erat insolentia in Principes, ausus per id tempus Dynasta Asseburgi, opibus & arcibus in ducatu Brunswicensi & diœcesi Paderbornensi præpotens, concitis ceteris nobilibus, arma ostentare adversus suum Ducem, & ludribio etiam contemptioneque insultare. Gerebant inter gentilitia signa Duces Leonem (quemadmodum proavus eorum Henricus Leo id signum ex Anglia induxerat cum regia conjuge) Asseburgici verò lupum; quem cùm in clypeis suis Leoni à tergo inhærentem fugantemque depinxissent, multisque præterea verborum contumeliis Ducem tanquam Leonem ignavum irritassent; Leo ille tanquam per aures tractus tandem expergiscitur, arreptisq; in contemptores armis arcem Asseburgicorum obsidet; eaque expugnata, prædiis & bonis omnibus mulctatos è ducatu ejicit. Inde Asseburgici profugi in diœcesin nostram inclusêre se in arcem Hinneburg, Brakeliæ Oppido in alto monte

Auctor addit ad Lamb. Crantz. l. 8. Saxon. c. 21. Meibom. in notis ad Lerbeckium. Hamelmannus de famil. Saxon.

Familia Asseburgica, è Duce Brunswicensi ob rebellionem pulsa in Diœcensi Paderb. deducitur

monte assitum. Insequitur per Visurgim armatus Dux, arcemque Hinneburg obsidione incingit. Ubi dum hæret Dux expugnationi castri intentus, Theodoricus, seu Conradus, ut alij potius nominant, Ebersteinius ad Visurgim Comes, tracto in societatem armorum Gerhardo Moguntino Archiepiscopo, in Gottingensem Ducis principatum irrumpit, prædis & incendiis omnia vastando. Reliquerat Albertus Dux per ea loca Præfectum cum expedita militum manu; is cùm viribus longe impar esset, consilium ab arte & ingenio militari capit, noctuq; in castra hostium silenter penetrat, ac Comitem cum Archiepiscopo in villa cubante captivum Brunswicum abducit. Archiepiscopum Dux in arcta custodia per annum habuit; Ebersteinium verò Comitem erecta trabe è pedibus suspendi jussit; quo in supplicio per triduum vivus hæsit, dum animam exhalaret, rebellium nobilium prædonumque spectaculum. Hoc Comitis interitu vetus Ebersteiniorum Comitum ad Visurgim familia à quibusdam extincta memoratur. Sed eam hic ad Visurgim ad nostram propè ætatem superstitem fuisse, multa docebunt literarum monumenta & res ab ijs gestæ. Assenburgij diu exules, cùm in Oppido Brake domicilium peterent, amicorum rogatu arcemque etiam Hinneburg impetrarunt sibi relinqui, quam ad nostra usque tempora incolunt. Constans inde, & multis militaribus viris clara familia.

Laboratur pro Simone Ep. è captivitate liberando.

Haud dissimili rerum conturbatione laborabat Westfalia, ob captivitatem Simonis Episcopi. Stabant pro Simone in libertatem asserendo fratres, Otto Monasterienſis Episcopus & Bernardus Lippiensis Comes, ceterique potentis familiæ consanguinei, ac magna pars nobilium Westfaliæ, læsa oppressaq; superbo Colonienſis Archiepiscopi, ejusque clientum ac Ministerialium dominatu. Ac ne in apertum bellum erumperent nobilium factiones, institutus est Episcendiæ totius ordinis equestris conventus, Et facilè se induci passus est Colonienſis Archiepiscopus; quòd jam majoribus imperij curis urgeretur in subrogando Rege Germaniæ. Igitur postquam XIII Calend. Septembris conventum est, in hunc modum primo transactio facta est.

Literæ Compositionis inter Archiep. Colon. & Episc. Paderb. super oppidis Geseka & Saltcottena.

Notum sit omnibus præsens scriptum visuris, quod inter venerabilem Patrem Dominum Conradum Archiepiscopum, Præpositum, Decanum, et Capitulum Colonienſe ex una parte; ex alia vero parte inter venerabilem Patrem Dominum Symonem Episcopum, Præpositum, Decanum, Capitulum Paderburnenſe ita de consilio hominum Ministerialium et fidelium utriusque Ecclesiæ est actum, et convenit, quod Oppidum Saltcoten cum omni ejus utilitate, pertinentius, juribus, et proventibus universis, prout jam est, vel erit in futurum, in augmento cum termino, quod dicitur Wibilde, erit attinens æquali Dominio et pro indiviſo Archiepiscopo et Ecclesiæ Colonienſi et Episcopo et Ecclesiæ Paderburnenſi perpetuo. Si quid verò occurrerit emendum in Oppido, hoc simul ement, et proventus ex hoc emergentes erunt communes, et participabunt æqualiter. Simile erit de Oppido in Gyseke cum mo-

lendin

lendino extra fossatum, et si molendinum adjacens extra villas Saltcoten et Gyseke de novo constructum fuerit communiter ement, et æqualiter participabunt sed si Dominus Symon Paderburnensis Episcopus invaserit Archiepiscopum Dominum Conradum, seu Ecclesiam Colonienſem, seu terram et homines suos incendiis seu rapinis, et hoc fuerit manifestum, eo modo, quod vulgariter Openbare Orloge dicitur, Oppidum Saltcoten in omni redditu cum omnibus pertinentiis et juribus, et cum omni integritate, in qua hoc habuerunt, erit Archiepiscopi et Ecclesiæ Colonien. in perpetuum de expresso consensu et voluntate præfatorum Episcopi, Prælatorum, Capituli, et aliorum Clericorum, et Laicorum Nobilium et Ministerialium Paderburnensis Ecclesiæ, et nihilominus Oppidum Gysike erit Archiepiscopi et Ecclesiæ Colonienſis, sicut fuit ante ordinationem præsentem conscriptam et confectam. Nos vero Archiepiscopus, et Capitulum Colonienſe, et Nos Episcopus et Capitulum Ecclesiæ Paderburnensis, quia præmissa omnia de bona nostra voluntate et consensu facta et ordinata dinoscitur ad majorem rei evidentiam sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Actum apud Essende, præsentibus Ottone Monasterienſi, Brunone Osnabrugenſi Episcopis, Gotzwino Decano, Godefrido choriepiscopo, Philippo Theusaurario, Winrico de Dullendorpe Præposito Monasterienſi, Gerlaco de Hammersten Canonicis Colonienſibus, Stephano Decano, Hermanno Scholastico majoris Ecclesiæ, Volquino Decano S. Pauli Monasterienſi, Hinrico Præposito, Everhardo de Hervordia, Magistro Johanne de Schildesee Prioribus, Scholast. Hinrico Lusco Canon. Paderburn. Joachimplebano in Saltcoten, Godefrido de Arnesberg, Adolpho de Monte, Theoderico de Isenberg, Ottone de Althena, Engelberto de Marcha Comitibus, Bernardo de Lippia, Bertoldo et Bertoldo de Buren, Wernero de Gudensberg, Hermanno de Osde Viris nobilibus, Hunoldo, Mareschalco, Hinrico de Vitinchoven, Bertoldo et Wernero de Bracle militibus, et aliis quampluribus, tam Clericis quam laicis. Datum tertio decimo Calend. Septembris Anno Domini Millesimo ducentesimo, quinquagesimo sexto.

Fœdus ictum inter Colonienſes, & Episc. Paderb. &c.

Tertio ab hinc die, XI videlicet Calend. Septembris, hujusmodi fœdus ictum est inter Colonienſes, Simonem Paderbornensem, Ottonem Monasterienſem, Bernardum Comitem de Lippia fratrem utriusque Episcopi, cæteroſque ejus partis proceres ac nobiles.

Nos Dei gratia G. Decanus, Ph. Thesaurarius ---- Choriepiscopus, ceterique Priores Colonienſes, Præsentibus protestamur, quod nos et subnotati, scilicet G. Præpositus Monasterij in Eifla, Winricus Canonicus Colonienſis, Bertoldus et Bertoldus nobiles de Buren, Hunoldus Marschalcus, Heinricus de Vitinchove, Heinricus Schultetus de Volmenstene, Albertus de Horthe, Gozwinus de Menethe, Godefridus de Meschede, Heinricus Schultetus de Susato, Bertoldus ejus frater, et quidam alii homines Ecclesiæ Colonienſis fide data corporale sacramentum venerabilibus in Christo Patribus, Monasterienſi et Paderbornensi Episcopis D. Bernardo de Lippia, et eorum hominibus super confederatione de mutuo auxilio concepta, et ab ipsis et à nobis

jurata, prout in instrumento exinde confecto continetur præfatitimus, quod Dominum nostrum Colonienſem Archiepiſcopum pro poſſe noſtro bona fide monebimus, et inducemus, ut ipſe, et Dominus H. Trajectenſis Epiſcopus, et duo alii ab ipſo Archiepiſcopo nominandi hanc confederationem jurent corporaliter et obſervent. Quod ſi idem Archiepiſcopus nollet id implere, præfati ---- Monaſterienſis et Paderburnenſis Epiſcopi, D. Bernardus de Lippia, et eorum homines, prout in conditione ante juratam confederationem adjectum extitit, neque tenebuntur, neque nos tenebimur ultra aſtricti vinculo hujus juramenti, ſed erimus abſoluti. Nos præfati Priores contenti ſumus unico ſigillo dicti Decani Colonienſis. Datum in Eſnethe, in octava Aſſumptionis beatæ Mariæ, Anno Domini MCCLVI.

Verùm cùm hæc omnia inter utrumque Epiſcopum infirm adhuc viderentur Colonienſi, multaque ſupereſſent ex utraque ju riſdictione controverſa, de Briloniæ Oppido, de Erwite, de caſtro Vilſen, aliiſque quæ à Simone Epiſcopo in libertatem aſſerto no minus controverti, quàm pro jure poſtulari poſſent; timeretqu Archiepiſcopus, ne vir cordatus, & militari manu promptus, & magnis familiæ nobiliumque Weſtfaliæ ſubſidiis ſubnixus jura ſu armis repeteret: in eodem conventu Eſſendienſi, ad quem t Epiſcopi, Otto Monaſterienſis, Bruno Oſnabrugenſis, Widekind Mindenſis, præterque Comites, totus fere equeſtris Ordo diœce Colonienſis, Paderbornenſis, Monaſterienſis & Oſnabrugenſis con venerant, novis rurſum vinculis præſcriptarum conditionum P derbornenſem Epiſcopum aſtrinxit; compertumq; victo à victo iniquas juxta atq; æquas leges nunquam liberius imponi, quàm cùm acceptandi neceſſitas urget debiliorem. Demum tanquam conſc entia malæ cauſæ perculſus Archiepiſcopus, auſus etiam appellati nem liberam ad Pontificem & Regem Simoni Epiſcopo interve tere. Igitur cùm interſit poſteritatis noſſe, quàm duris conditioni bus actum ſit cum Simone Epiſcopo & Paderbornenſi Eccleſia, juvat hæc univerſalis compoſitionis pacta actaque, quibus priora ſi mul repetuntur, ex ipſis archetypis, & originum literis, quæ apud no extant, annalibus noſtris inſerere; nec pigebit etiam noſtrates ant quas procerum familias, ſplendoremq; Weſtfaliæ nobilitatis ex h revolvere.

Quæ pax inter Archiep. Colon. & Epiſc. Paderb. inita.

Tenor ordinatæ compoſitionis ac pacis inter Simonem P derbornenſem Epiſcopum, & Conradum Colonienſem Archiep ſcopum.

Ante omnia caſtrum Vilſe deſtruetur, Oppidum Saltzcoten manebi indeſtructum, et cum omni ejus utilitate, pertinentiis, juribus et proventi bus univerſis, prout jam eſt, vel erit in futurum in augmento cum termino qui dicitur Wicbilede, erit attinens æquali dominio et pro indiviſo Archiepiſcopo et Eccleſiæ Colonienſi, et Epiſcopo et Eccleſiæ Paderborn. perpetuo. Si quid vero occurrerit emendum in Oppido, hoc ſimul ement, et proventus ex

hoc

hoc emergentes erunt communes, et æqualiter participabunt. Simile erit de Oppido in Geseke cum molendino extra fossatum, et si molendinum adjacens extra vicum Salcoten et Giseke de novo constructum fuerit, communiter ement, et æqualiter participabunt. De Alberto de Stormede ita est ordinatum, quod Episcopus Paderbornensis faciet sibi justitiam Archiepiscopo sibi assistente. Et si idem A. de Stormede eo non fuerit contentus, Archiepiscopus Colonienſis, Monasterienſis, et Osnabrugensis Episcopi cum dicto Archiepiscopo inter Paderbornensem et dictum Albertum amicabiliter component, et si Monasterienſis cum præfatis concordare non possit, stabitur dicto Archiep. et Osnabrug. in hac parte, ita tamen quod hoc non vergat in exheredationem Ecclesiæ Paderborn.

Item Archiepis. et Ecclesia Colonienſis id juris per omnia in Ecclesia Hervorden. habebunt pacifice et quiete, quod antecessores dicti Archiepiscopi obtinuerunt, et Abbatissa Ecclesiæ Hervorden. et ipsa Ecclesia in omni eo jure, ac juris possessione, seu libertate permanebit, quibus sub Archiepiscopi prædecessoribus consistebat, nec Episcopus, aut Præpositus Paderbornensis aliquid juris Ecclesiastici contra ipsius Ecclesiæ libertatem antiquam seu privilegia sibi vendicabit, seu usurpabit, nisi hoc per justitiam obtinuerint, coram judice superiori.

Item altum Iudicium apud Ervethe, quod hogerichthe, dicitur, obtinebit Archiepiscopus, eo modo per omnia, quo sui prædecessores obtinuerunt.

Item Oppidum Brielon idem Archiepiscopus sine omni inquietatione et contradictione ipsius Ecclesiæ possidebit, quemadmodum sui prædecessores bonæ memoriæ Engelbertus et Heinricus Archiepiscopi possederunt.

Item Vilse sine licentia Archiepiscopi nullatenus reædificabitur, et nullo unquam tempore aliqua nova munitio vel castrum aliquod per ipsum Episcopum Paderb. vel ipsius auctoritate, aut promotione, seu procuratione in terminis ducatus Archiepiscopi absque ipsius licentia construetur.

Item nullo unquam tempore ipse Episcopus, vel aliquis suo nomine, procuratione, seu consensu, vel auctoritate in Archiepiscopum, seu Ecclesiam suam, terram aut homines suos violentiam aliquam seu guerram, spolium aut rapinam faciet, sed si quid talium causetur sibi irrogari, hoc prosequatur coram Archiepiscopo Colonienſi, qui sibi faciet de hoc justitiæ complementum.

Item dabit Episcopus Paderborn. literas patentes ad Papam urbano modo, et ad omnes, ad quos Arrchiepiscopus requisierit, quæ contineant excusationem Archiepiscopi super captivitate et detentione Episcopi Paderbornen. et has literas dabit sub sigillo suo, Ecclesiæ suæ, et fratris sui Episcopi Monasteriensis.

Item si quæ sunt super captivitate Episcopi Paderborn. vel detentione, vel aliquod ipsorum negotium contingente, literæ à Domino Papa, vel ejus Legato, vel curia regali obtentæ, nullæ sint, nec eis utatur vel ipse, vel Ecclesia sua, nec aliquis pro ipsis, nullæque ullo tempore impetrentur, et si fuerint impetratæ irritæ sint et inanes.

Item si Archiepiscopus super ista ordinatione, compositione, seu pace,

aut

aut hoc negotium contingente, literam à Domino Papa, seu ejus Legato confirmatoriam aut conservatoriam, aut aliam quamcunque impetrare voluerit per se, vel per procuratorem, Episcopus Paderbornensis nec per se, nec Ecclesia sua, nec aliquis pro ipsis, nec ad procurationem eorum se opponet, quinimo Episcopus dabit literas suas patentes, quod tali impetrationi suus consensus accedat.

Item si Archiepiscopus guerram movere voluerit alicui, vel aliquis ei, Paderbornensis Episcopus contra Archiepiscopum non juvabit, nec assistet alicui contra Archiepiscopum consilio vel auxilio; ita tamen, quod si Archiepiscopus Ecclesiam Paderb. Episcopum Monasterienſem, Dominum Bernardum de Lippia, et ejus primogenitum Comitem Conradum de Rethberg, et ejus natum guerrare voluerit, Episcopus Paderb. pro posse suo se interponet ad hoc sedandum. Si vero ipse infra quindenam in hoc non profecerit, Albertus de Horde, Heinricus de Vitinchoven, Hunoldus Marscalcus, Godefridus de Meschede, electi ab Episcopo, Bertoldus et Hermannus de Brackele, Ludolphus de Herisia, Amelungus de Driborg electi à Coloniensi Archiepiscopo infra quindenam subsequentem component amicabiliter, si possunt; quod si factum non fuerit, Episcopus Osnabrugensis, Albertus de Horde, Heinricus de Vitinchoven, et Hunoldus Marschalcus ex parte Archiepiscopi electi jurati convenient in Susato, inde non recessuri, quousque sub Sacramento suo, quantocius poterunt, dixerint, utrum Coloniensis justam causam habeat guerrandi, et si dixerint eum habere justam, Paderbornensis non juvabit, si vero injustam, juvabit, et stabitur tali determinationi dictorum trium. Si quartus non concordat, cum dictis tribus, idem erit observandum. Si aliquis dictorum amicorum Paderborn. causetur se guerrari et lædi per Archiepiscopum, ut propter hoc vel ad guerrandum compellatur, et si prædictorum quis mortuus fuerit, qui dicere debebat cum aliis, vel alias contigerit, quod interesse non poterit, vel forte noluerit, vel à Domino suo recesserit, alius loco illius de consilio remanentium per Archiepiscopum substituetur, qui juratus cum aliis loco dicto dicet et stabitur dicto, dummodo tres concordent, prout superius est expressum, et ante pronuntiationem istorum quatuor vel trium Episcopus Paderborn. non juvabit.

Item Ecclesia erit infra Oppidum Saltkoten et baptisterium et sepultura, nec quid requiretur ab Oppidanis, attamen aream dabunt infra Oppidum in qua domus suo plebano ædificabitur per Oppidanos et ad structuram Ecclesiæ juvabunt, salvo tamen jure patronatus Episcopo Paderbornensi.

Item Hermanno de Hardenberg, Alberoni de Ole, Gozwino de Rodenberg, Hermanno Pincernæ, Helmwico de Elsepe et aliis hominibus Archiepiscopi, qui dixerint Paderbornæ Episcopum sibi debitorem alicujus pecuniæ, faciet, justitiam coram Archiepiscopo Coloniensi.

Item Paderborn. Episcopus requisitus cum trecentis dextrariis et ferro coopertis una vice serviet Archiepiscopo Colonien.

Tenor assecurationis.

Episcopus Paderb. fidem dabit, et juramentum præstabit corporale, quod

quod observabit supra dicta, videlicet formam ordinationis, compositionis et pacis, Prælati et Capitulum majoris Ecclesiæ Paderborn. et alii Clerici, et nobiles et ministeriales, qui ab Archiepiscopo nominati fuerint, et quos Paderborn. habere poterit, fraude et dolo exclusis. Postmodum fidem dabunt et jurabunt, quod ipsi dominum suum talem habebunt, quod ipse formam supra dictam conservet inconvulsam, et si ipse eandem infregerit in aliqua parte, quod ipsi non assistant sibi consilio et auxilio contra Archiepiscopum Colonien. Ecclesiam suam, neque suos.

Item civitas Paderborn. et Oppidani in Wartbergh literas suas patentes dabunt, quod dominum suum moneant, et inducant pro posse suo, quod conservet formam præscriptam, quam si infregerit in aliqua parte, consilio vel auxilio sibi non assistant contra Archiepiscopum memoratum, Ecclesiam suam, neque suos, nec victualia dabunt, nec vendent eidem.

Dominus de Lipp. frater Domini Paderborn. et ejus primogenitus, et homines eorum duodecim, quos Dominus Archiepiscopus viderit expedire, fidem dabunt et jurabunt, quod ipsi Dominum Paderborn. talem habebunt, quod formam supradictam observet, quod si non fecerit, ipsi non assistent sibi consilio vel auxilio contra Archiepiscopum memoratum, Ecclesiam, neque suos.

Idem faciet Episcopus Monasterienſis cum viginti quinque militibus nominandis. Idem faciet Comes de Rethberg cum sex, quorum nomina sunt, Albertus de Mulede, Otto de Sindene, Ecbertus de Rokinghusen, Henricus de Welde, Hugo de Kleicampe, Rotherus de Sindene. Dominus de Wolterge, Comes de Schouvenburg, Dominus de Hoya, Otto de Ravensberg, de Everstene, et de Cigenhagen Comites. Advocatus junior de Scalkesberg fidem dabunt, et jurabunt, quod si Episcopus Paderbon. formam præscriptam infregerit, ipsi consilio vel auxilio sibi non assistent contra Archiepiscopum memoratum, neque suos, et singuli super hys dabunt literas suas patentes. similiter Bremensis dabit literas patentes cum juramento.

Item Osnabrug. Mind. Episcopi, et Abbas Corbejen. pro ipso Episcopo Paderborn. fide jubebunt, quod ipse supra dicta observet. quod si infregerit, ipsi erunt manifesti adjutores Colonien. contra Paderborn. et illud processum habebit, si præfati voluerint facere ad petitionem Paderborn. Episcopi, et ipse bona fide laborabit. quod hoc fiat.

Item si Dominus de Lipp. et ejus primogenitus contra juramentum suum venientes juverint Paderborn. Episcopum, prædicti duodecim milites fidem dabunt, ut jurabunt, quod Episcopum Paderborn. vel Dominum Lippen. vel ejus primogenitum contra Archiepiscopum Colonien. non juvabunt, vel contra suos.

Item si Episcopus Monasterien. contra juramentum suum veniens juverit fratrem suum Paderborn. viginti quinque milites ex parte Archiepiscopi nominati fidem dabunt, et jurabunt, quod Episcopum Monastr. contra Archiepiscopum Colonienſ. vel suos non juvabunt. Idem fiet de Comite de Retberg cum sex militibus.

Item

Item Episcopus Monasterienſis et Dominus de Lipp eligent, quod ipſi, quod abſit, pejurarint, aſſiſtendo fratri ſuo contra formam ſupradictam venienti, ſe incidiſſe in penam ſex millium marcarum, quas ipſe Archiepiſcopus recuperare poterit in reditibus eorum, et inſuper in perſonis et rebus illorum, qui coadjutores cum armis fuerint eorundem contra Archiepiſcopum memoratum, ſive ſuos.

Item ipſe Paderborn. elegit et acceptavit ſub pena quinque millium marcarum, quod formam ſupra dictam obſervet, quam ſi non obſervaverit, Archiepiſcopo ſalvum erit recuperare dicta quinque millia marcarum in reditibus Epiſcopi Paderborn., et inſuper in perſonis et bonis eum coadjuvantium.

Item ponet Paderborn. viginti quinque fidejuſſores, qui promittent fide data et juramento preſtito, ſi Epiſcopus infregerit intrare Geſeke à die monitionis infra quindenam adjacendum tam diu donec ipſe Epiſcopus impleverit, et emendaverit, quod infregit. et quiſquis fidejuſſorum non ſervaverit, quod promiſit, eliget ſe teneri Archiepiſcopo in centum marcis, quas Archiepiſcopus in perſona et bonis ſuis ſine offenſa recuperabit. Et ſi aliquis horum fidejuſorum deceſſerit, Epiſcopus requiſitus infra menſem ſub ſacramento alium ſubſtituet, qui ei fuerit nominatus.

Item cum compoſitio illa fuerit conſummata, ipſe Paderborn. Epiſcopus procurabit cum Archiepiſcopo, quod civitas Colonien. et aliæ civitates per litteras patentes teſtificentur, quod ipſe Paderborn. talem compoſitionem promiſit ſervare ſub penis, et aſſecurationibus compoſitioni inſertis.

Item dabunt Monaſterien. et Paderborn. Epiſcopi ad Dominum Papam et Legatum futurum patentes literas conſentientes in ipſis, quod ſi Epiſcopus Paderborn. non obſervaverit compoſitionem, quod ipſe elegit ſe auctoritate Papæ excommunicatum ipſo facto, et quo Dominus Papa, et Legatus dent ſuper hoc excecutores, ſeu quaſcunque alias literas, quarum auctoritate, monitione præmiſſa, excommunicatus denuncietur, et compellatur ad ſolutionem pecuniæ ſupradictæ, et ad obſervationem omnium prædictorum. Executores ſuper eo erunt de veteri monte, de Heſterbach, et Campis Abbates Ordinis Ciſtertienſium, vel duo ex ijs.

Item ſi Epiſcopus Paderborn. invaſerit Archiepiſcopum, ſeu Eccleſiam Colon. ſeu terram, et homines incendiis ſeu rapinis, et hoc fuerit manifeſtum eo modo, qui vulgariter Openbare Orlage dicitur, Oppidum Saltcoten in omni redditu, et cum omnibus pertinentijs et juribus, et cum omni ea integritate, in qua hoc habuerunt, erit Archiepiſcopi, et Eccleſiæ Colonien. in perpetuum de expreſſo conſenſu et voluntate præfatorum Epiſcopi, Prælatorum, Capituli, et aliorum Clericorum et Laicorum nobilium, et Miniſterialium Paderborn.

Nihilominus Oppidum Giſeke erit Archiepiſcopi et Eccleſiæ Colonien. ſicut fuit ante ordinationem præſentem conſcriptam et confectam.

Item inter Archiepiſcopum ex una parte, et Monaſt. Epiſcopum ex altera ita conventum eſt, quod caſtrum Lunen. deſtruatur funditus, nec ullo tempore in futurum erit ibi caſtrum vel munitio ſed erit villa, ſicut ultra quadraginta annos.

Nos

Nos Episcopus Paderborn. et Decanus major Colon. protestamur in hanc formam esse concordatum, et in testimonium sigilla nostra præsentibus duximus apponenda—.

Hunc in modum habet exemplar nostri tabularii, quod multò fusius producunt Colonienses adduntque fidejussorum nomina, quos Simon Episcopus noster dederit, memoranturque hi jurasse fidem D. Henricus de Sualenberg Præpositus major, Everhardus de Herivordia, Joannes de Scildeze Priores, Joannes Scholasticus, Henricus Luscus Canonici Paderbornenses, Joachim Plebanus de Vilse. Item super eodem fidem dederunt & juraruntWernerus deGudensberg, Hermannus de Osede, Albertus de Hardenberg, Bertoldus, Wernerus de Brackele, Ludgerus de Herisia, & ejus natus Albero, Amelongus de Driborg, Udo Sumerkalf, Herboldus, & Albertus fratres de Amelungessen, Ludolphus Marscalcus, Tedardus de Nerde, Conradus Scultetus de Wartberg, & ejus frater Gerardus, Henricus Camerarius, Andreas de sola domo, Conrad⁹ Stapel, & Hermannus frater ejus, Walradus de Petersem, Bertoldus Sumerkalf, Henricus de Gummere, Ulricus de Vlusen, Joannes de Nedere, Conradus de Sitteren, Regenbodo Buser, Joannes de Dinckelberg, Willardus de Drevere, Florinus de Vanen, Elias de Ahle, Ulbertus de Bickinghusen, Conradus de Ethen, Lubekinus de Dalberne, Rodolfus de Stenvordia, Albero de Welethe, Henricus de Wevel, Fridericus de Winstorp, Joannes de Grotenvedere, Ulbertus de Essern.

Qui vero nomine Episcopi Monasterienses juravêre compositionem hanc è nobilitate ejus. Simon de Gemene, Wilhelmus Russe, Godefridus Burgravius de Rogehede, Hermannus & Henricus nati ejus, Fridericus Menhuwele, & Rodericus filius ejus, Albertus Dapifer Bernardus filius ejus, Godefridus de Loten, Joannes Pincerna senior, Joannes Pincerna de Mervelt, Bernardus Werens, Gerlacus & Bitterus de Rethe, Hermannus deLangene, Gerlacus deBever, Rudolph⁹ deWerne, Advocat⁹ deWarendorp, Rupertus de Suanesbule, Henricus deCorendin, Hermann⁹ deKakene, Theodoric⁹ deBillerbeck, Henric⁹ deStromberg, Wetzelo deLembeck, Sueter⁹ Werentz.

Rursum cùm alios fidejussores postularet Archiepiscopus, qui fidem jurarent, si Paderbornensis Episcopus pacta violaret, & hos quoque dedit Simon Episcopus noster, recitanturque in Colonienssium tabulis, Bertoldus, Wernerus & Hermannus de Brackele, Ludowicus deHerisia, & Albero ejus natus, Amelungus deTriborg, Verdo de Sumercalf, Hereboldus de Amelungessen, Elias de Ahle, Albert⁹ deScardenberg, Wernerus de Gudensberg, Hermann⁹ deOsede, Ludolphus Marscalcus, Lotharius de Korde, Conradus Scultetus de Wartberg, & Gerardus ejus pater, Henricus Camerarius, Andreas de sola domo, Conradus & Hermannus fratres dicti de Stapel, Alradus de Breitenhusen, Bertold Summercalf, Henricus de Gummere, Olricus Ulvenssen, Joannes deNedere.

Demum Saltzcottani Oppidi, & totius controversiæ transactionem subsignasse referuntur V. P. Conradus Archiepiscopus Coloniensis, Otto Monasterienſis, Simon Paderbornensis Episcopus, Præpositus, Prælati, & Clerici Ecclesiæ Paderbornensis, Bernardus de Lippia & Bernardus ejus natus, Conradus Comes de Retberg, Widekindus de Swalenberg viri nobiles, milites fidejussores. Actum ac datum apud Essende nono Calend. Septemb. Anno Domini 1256.

His tanta ordinum convocatione, tantaque operum mole, & præstructione potentiæ suæ confectis, Archiepiscopus Simonem Episcopum nostrum integræ tandem libertati post biennij custodiam restituit, magnâ deinde cleri populique gratulatione receptum.

Annus Christi 1257.

Alexandri IV Pont. 3.
Alphonsi & Richardi Regum Romanorum 1.
Simonis Ep. Pad. 11.

Acta priori anno inter Archiep. Colon. & Ep. Paderb. ab Alexandro Pont. rescinduntur.

At postquam hæc coacta compositio, & iniquæ transactionis leges ad Alexandrum IV Pontificem relatæ sunt; non modo indignissimè tulit captivitatem Episcopi nostri, sed & omnia compositionis pacta rescidit, omnesque clientes Simonis Episcopi ac ministeriales fidejussoresque à juramento absolvit. Quod Pontificium judicium cum hic instar omnium esse debeat, ad Simonis Episcopi nostri justamque Paderbornensis Ecclesiæ causam declarandam, operæ pretium erit ipsas Pontificis literas ad Episcopum & Capitulum datas referre.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo, et dilectis filiis Capitulo Paderburnen. Salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod venerabilis frater noster Colonienſis Archiepiscopus, et quidam sui complices, te frater Episcope in offensam ordinis clericalis, et pontificalis dignitatis obprobrium ausu sacrilego capientes te tamdiu in castris suis detinuere captivum, donec tu et vos dilecti filij capitulum cum eis quandam ordinationem et compositionem inire estis coacti, per quas nonnulla castra, loca, jura, jurisdictiones, redditus, possessiones, et res alie vestre ac Ecclesie Paderburnen. juri, et proprietati dicti Archiepiscopi et Colonienſis Ecclesiæ cedere debent, et quedam ex castris et locis predictis destructioni penitus subjacere, per quas renunciastis insuper juri vestro, quod vobis in nonnullis castris, villis, Ecclesiis, terris, possessionibus, et aliis competebat, promittentes expresse, quod nullas ab Apostolica sede, vel legato ipsius, aut Imperatore, qui pro tempore fuerit, contra compositionem, vel ordinationem hujusmodi literas impetrabitis, acto in compositione et ordinatione predictis, ut littere hujusmodi si impetrentur, nullam obtineant firmitatem, datis etiam super hoc litteris, confectis instrumentis et documentis publicis, penis adjectis, fidejussoribus, et diversis cautionibus exhibitis, interpositis, fide ac etiam corporalibus juramentis. Nonnullis quoque de vasallis vestris promittentibus

mittentibus juramento, quod vobis non adessent contra Archiepiscopum et complices antedictos, si ordinationem non servaretis eandem. Nos itaque volentes super hys, que redundare dicuntur in gravem dicte Paderburn. Ecclesie lesionem, salubre remedium adhibere, vos et fidejussores datos à vobis, ac vasallos, et alios, quoscunque in ordinatione et compositione predictis, pro vobis nominatos, et obligationibus, promissionibus, renuntiationibus, pactionibus, cautionibus, et assecurationibus fidei et juramenti, exhibitionibus, et quibuscunque aliis in prefatis compositione et ordinatione deductis, premissis veris existentibus, auctoritate presentium absolventes, predictam Paderburnen. Ecclesiam, in eum statum, in quo erat ante tempus compositionis, et ordinationis predictarum, et captivitatem hujusmodi duximus reducendam Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis et reductionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. XVII Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

Ab eodem Pontifice Simoni Ep. facultas datur construendi arces in fundo suæ Ecclesiæ.

Supervenére mox aliæ Pontificis literæ ad Simonem Episcopum nostrum & Capitulum Paderbornense, quibus liberam Episcopo potestatem facit, construendi castra, & munitiones in fundo suæ Ecclesiæ. Nam postquam in judicio Romano obtrusa illa & coacta compositio expensa est, insolens prorsus, & iniquus Colonienſis Archiepiscopi dominatus omnibus videri cœpit, qui Apostolica auctoritate per inter regnum coërceretur, literæ sic habent.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo et dilectis filiis Capitulo Paderburnen. salutem et Apostolicam benedictionem. Vestra devotio promeretur, ut illa vobis libenti animo concedamus, quæ vos et Ecclesiam vestram possint à dispendiis præservare. Sanè petitionis vestræ series continebat, quod eadem Ecclesia et homines ipsius propter munitionum defectum patiuntur à predonibus et nobilibus illarum partium jurium et bonorum suorum non modicum detrimentum, et interdum dicti homines captivantur, super quo petiistis vobis per sedis Apostolicæ providentiam subveniri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, construendi castra et munitiones in fundo prædictæ Ecclesiæ, prout videritis expedire, Venerabilis fratris nostri Colonienſis Archiepiscopi contradictione injusta et prohibitione, seu conventionibus, obligationibus, promissionibus, renuntiationibus, pactionibus, cautionibus, assecurationibus, fidei et juramenti exhibitionibus, et quibuscunque aliis inter eundem Archiepiscopum, et te frater Episcope initis, dum tu, seu obsides à te dati detineremini sub custodia carcerali, sive aliquibus indulgentiis à sede Apostolica impetratis, per quas id impediri valeat, vel differri, nequaquam obstantibus, devotioni vestræ liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum

Viterbii III Calend. Junij, Pontificatus nostri anno tertio.

Alexander PA. PA IIII

Bernardꝰ Comes Lippiensis restituit Castrum Ravensberg.

Haud incelebris hoc anno quoque congressus fuit Hervordiæ, convocatis Simone Episcopo nostro, Ottone Monaster. Episcopo, Gerhardo Bremensi Præposito, ceterisque consanguineis è nobilibus Westfaliæ, in quo Bernardꝰ Comes de Lippia castrum Ravensberg facta compositione, tabulisque in hunc modum conscriptis reddidit.

Bernardus Nobilis de Lippia senior omnibus in perpetuum. Acta solenniter delet oblivio, nisi scripturarum fulciantur testimonio. Noverint itaque tam posteri, quam præsentes, quod nos compositionem sincero pacis osculo firmatam, quam nobilis vir Dominus Henricus Præpositus majoris Ecclesiæ in Patherborne, Hartmannus Wolf, Johannes de Busche, Rodolphus Nagel, Sifridus de Brincke, Tidericus Matevent milites, et Wernerus et Tidericus de Karthem, nec non Ministeriales de Ravensberg, et omnes coadjutores ipsorum nobiscum amicorum nostrorum consilio pacifice inierunt, super eo, quod castrum Ravensberg, quod sub tuitione nostra habuimus, à nobis alienarunt, præsentibus literis nostris patentibus protestamur sigilli nostri munimine roboratis, quod nunquam nec à nobis nec amicis nostris super eo calumniam patientur. Præter ea sub assecuratione militari et fide data ad stabilimentum memoratæ compositionis nos eisdem obligavimus, quod venerabiles fratres nostri Dominus Episcopꝰ Otto Monasterienſis, et Dominꝰ Episcopus Simon Paterbornensis, et nobilis vir avunculus noster Comes Otto de Tekeneburg, nec non filii nostri Dominus Gerhardus præpositus Bremensis, et Dominꝰ Bernardꝰ nobilis de Lippia junior, et civitates nostræ Lippiae et Lemegoviensis suis et sigillis compositionem supradictam protestantes roborabunt. Item si aliquo casu impediente dicta amicorum nostrorum sigilla obtinere non possemus, in reliquis affirmabimus, quæ obtinere prævaleamus, sed quanto cicius semper poterimus literas supradictorum amicorum nostrorum eisdem erogabimus. Datum Hervordiæ, anno Domini 1257 feria quarta ante festum beati Jacobi.

Simon Ep. sacram in Cœnobium Corbeiense jurisdictionem veteri jure repetit.

Sub id tempus, quo hæc agebantur, Simon Episcopus pro sacra jurisdictione suæ diœcesis asserenda haud minus intentus, vetera à Corbeiensibus repetere cœpit; quòd certum haberet Cœnobium illud à primordiis intra limites diœcesis Paderbornensis constructum, ac priscis Episcopis subjectum fuisse. Quare cùm Corbeienses se inter exemptos ferrent, ad Pontificem appellavit. Pontifex qui veteri Episcoporũ juri consultum voluit, hisce rescriptis mandat, aut suam exemptionem commonstrent, aut Episcopo se submittant.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis, Decano et Scholastico Frislariensi, et Archipresbytero Ecclesiæ Nuemburgensis, Moguntinensis diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Episcopus et dilecti filii Capitulum Paderburnense peti-

petitione monstrarunt, quod Abbas et conventus Monasterij Corbeiensis ordinis sancti Benedicti Paderburnensis diœcesis asserentes Monasterium ipsum fore exemptum, et se in exemptionis possessione fuisse à tempore, cujus memoria non existit, eidem Episcopo tanquam Diocesano suo intendere denegant, et sibi de suis juribus respondere, in eorundem Episcopi et Capituli Padeburnensis Ecclesiæ præjudicium et gravamen, quanquam dicti Abbas et conventus exemptionis privilegium non ostendat. Quare dicti Episcopus et Capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis et eidem Padeburnensi Ecclesiæ paterna super hoc sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem Abbatemet conventum ex parte nostra moneatis, et inducere procuretis ut infra quindecim dies post monitionem vestram obediant dicto Episcopo, vel privilegia exemptionis ostendant, alioquin vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis. Facientes quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint, nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hys exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani V. Calend. Martij, Pontificatus nostri anno tertio.

Simon Ep. cum Duce Brunswic. fœdus init contra prædones ceteroſque hostes.

Inter hos Germaniæ fluctus cùm Simon Episcopus noster tam à Colonienſi Archiepiscopo, quàm à cetera, quæ Archiepiscopo hærebat, nobilitate, prædonumque multitudine urgeretur, fœdus injit cum Alberto duce Brunswicensi, quo in mutua auxilia contra insurgentes hostes in hunc modum est conventum.

Simon Dei gratia Paderbornensis Episcopus, sanctæ Bremensis et Corbeiensis Ecclesiarum tutor. et nos eadem gratia Albertus Dux de Brunswike attendentes utilitatem, commodum et honorem, quæ nobis, terris, et hominibus nostris ex mutuis promotionibus et auxiliis poterunt provenire, omnem quæstionem vel discordiam, quæ super quibuscunque causis inter nos hactenus suborta fuerat, concordavimus sub hac forma. Quod ab invicem nos diligere, et fideliter promovere studebimus cum effectu nullum damnum, vel molestiam ab alterutra partium inposterum inferendo. nullus etiam nostrum homines alterius, vel aliquid in præjudicium alterius, vel gravamen manifeste vel occulte manutenebit, vel juvabit in aliquo, vel vovebit. verum si ab Ecclesiis nostris vel terris hinc inde aliquid injuriæ vel damni fuerit irrogatum, aut si super bonis vel proprietatibus aliqua quæstio suscitetur, hoc inter nos componi debet amicitia, vel justitia mediante. Ac quod faciendum octo viros fide dignos ex utraque parte duximus statuendos, qui quæstionem motam componant, prout superius est expressum, et observabitur utrobique, quod ab eisdem in justitia vel amicitia concorditer fuerit definitum. Nos Simon Paderburnensis Episcopus ex parte nostra statuimus Bartoldum et Hermannum de Brakle, Albertum et Herboldum fratres de Amelungessen. nos vero Albertus Dux de Brunswick ex parte nostra statuimus subnota-

subnotatos Hermannum de Olwardeßhusen / *Henricum de* Homburg/ *Georgium de Wetteſen, Hermannum de Uslaria. Si vero præfatorum quis diſceſſerit, alius eidem idoneus infra menſem ſubſtituetur, qui ad hoc fuerit requiſitus, et per præfatos octo infra menſem, poſtquam eis intimatum fuerit, ſe dabitur, ut prædictum eſt, quæſtio ſuſcitata. Nos etiam Simon Parerburnenſis Epiſcopus et Albertus Dux de Brunſwick fide corporaliter præſtita promiſimus ea quæ præſcripta ſunt, perpetuo inviolabiliter obſervare. Huic etiam ordinationi compoſitionis noſtræ teſtes aderant, quorum nomina ſunt ſubſcripta, Joannes et Gerhardus Comites Holſatiæ, Henricus et Joannes, Comites de* Oldenburg/ *Adolfus de* Dannenberg/ *Henricus de Luoghowe, Conradus de Wernyngerothe, Henricus de* Woldenberg/ *Hermannus, Ludovicus et Conradus de* Everſtein *Comites, Gunterus nobilis de* Lindwor *Præpoſitus, Hildeboldus, Engelbertus Canonici Bremenſes, Conradus de* Dorſtatt/ *Luthardus de* Meyerſſen *Nobiles, Henricus de Homborgh, Gevehardus de Bortvelde, Joannes de* Soytenberg *et ceteri quàm plures. Ut autem omnia ſupra ſcripta in ſuo robore perpetualiter perſeverent, præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandam. Actum et datum in campo apud* Elſtorpe/ *anno Domini* MCCLII, *in die B. Laurentii Martyris.*

Honorificum Simoni Epiſcopo, & cum tanto duce fœdus tempori opportunum; cùm nullo adhuc certo Rege ac rectore in locum Wilhelmi ſubrogato, Saxonia totaque paſſim Germania tumultuariis bellis agitaretur, ac tantum quiſque auderet, quantum ſocialibus armis prævalere poterat, palamque nobiles inſurgerent in Principes, & omnia ſpoliis permiſcerent. Albertus Brunſwicenſis Dux præ ceteris Simonem Epiſcopum noſtrum, ob famam rerum geſtarum animiq; conſtantiam, dignum habuit, quocum arma ſua conjungeret. Quod in hiſce literis tutorem ſe ſcribat Bremenſis Eccleſiæ Simon Epiſcopus noſter, facilis ratio redditur ex hiſtoria Bremenſi; quòd, ut ſupra diximus, à Gerhardo Patruo, Bremenſi Archiepiſcopo, Tutor delectus ſit, quem chronicon Sclaviæ anno demum ſequenti objiſſe tradit, Chriſti videlicet MCCLVIII, rexitque Eccleſiam illam tutor per VII annos, ut hiſtoria Bremenſis docet, Præpoſitus videlicet adhuc Paderbornenſis, quem deinde titulum cum munere retinuit Epiſcopus Paderbornenſis, ad mortem Gerhardi Archiepiſcopi. Hunc in modum Corbeienſis Eccleſiæ Tutor, quotum frequens erat, delectus, fuerit, quemadmodum & Henricus Paderbornenſis Præpoſitus, ut poſt referemus, Corbeienſium Tutor fuit. Qua vero cauſa data Simon aggreſſus Corbeienſes Eccleſiæ Paderbornenſi ſubmittere voluerit, utrumne offenſus, an rogatus, incertum habeo.

Stero in Chron. Auguſt. Paduanus Mona. Martinus Polonus.

Turbatus interim per hæc tempora ſtatus in Imperio, qui Colonienſem Archiepiſcopum à privatis hiſce Weſtfaliæ turbis ad publica evocavit. Nam cùm in toto Imperio nullus reperiretur Princeps candidatus, qui ſe poſt obitum Wilhelmi Regis ad coronam Imperij

Imperij offerret, aut oblatam acceptare dignaretur; Conradus Colonienſis Archiepiſcopus, qui ſupremam ſibi Imperij moderationem vendicabat (quòd Gerhardus Moguntinus Archiepiſcopus ſuperiori anno captus ab Alberto Brunſwigi Duce adhuc in vinculis hæreret) in Britanniam navigavit, & Richardo Cornutij Comiti, Henrici Anglorum Regis fratri, ſpem certam regni fecit. Inde in Germaniam reverſus Archiepiſcopus Gerhardum Moguntinum, Ludovicum Palatinum Rheni ejuſque fratrem Henricum Bavariæ Ducem traxit in partes; & quia profuſiſſima largitione ferebatur à Richardo emptus ad ſuffragia occupanda, Ludovico Palatino myriadem marcarum numeravit: Moguntino, qua ſe ex captivitate Alberti Ducis liberaret, octo millia marcarum dependit in lytrum: Arnoldo Trevirenſi Archiepiſcopo quindecim millia marcarum oblata. Sed is cum indignum reputaret majeſtati Imperij, ac fœdum Germanicæ nationi, coronam auguſtalem venalem habere, exterorum aurum & pecuniam reſpuit.

Scriptor Trevir. apud Brouw. Chron. M. Belg. Paralip. Vrbs. Spondan. Marianus. Brouverus l 16 ann. Trevir.

Archiep. Coloniensis laborat pro Richardo Anglo in Imperium extollendo.

Ineunte vere Principes Rheni, quibus jus creandi Regis erat, Francofurtum ad comitia acceſſêre, eo mox diſcordes diſceſſêre. Cauſa diſſidij fuit, quòd Conradus Colonienſis Archiepiſcopus monitus, ne præter morem tam ſuperbo comitatu urbem intraret. Qua re ille offenſus, extra urbem tanquam in caſtris comitia egit, ibique factione ſuorum XIII Januarij Richardum Regem Romanorum pronunciat. Improbat hæc Arnoldus Trevirenſis Archiepiſcopus & Saxo, Richardumque vitio creatum Regem obnunciavêre; eo quòd extra Francofurtum ab armatis extra morem comitiorum delectus; quòdque Colonienſis nullo jure ſuffragij acceſſiſſet, quippe qui ob Legatum Pontificis Noveſij injuriosè tractatum, & ob vincula Paderbornenſi Epiſcopo injecta, ab Eccleſiæ conſortio ſeparatus eſſet. His fretus Trevirenſis unà cum Saxone, Marchione Brandeburgico, Epiſcopo Spirenſi & Wormatienſi, ceteriſque ſuperioris Germaniæ proceribus pridie Calend. Aprilis in pervigilio Palmarum Alphonſum Caſtellæ & Legionis Romanorum Regem cooptavit. Miſſi in Hiſpaniam Conſtantienſis & Spirenſis Epiſcopi, qui in Germaniam evocent. Rex Bohemiæ inter hæc varius, modò uni parti, modò alteri ſuffragium addixit. Interea Conradus Colonienſis Archiepiſcopus eductum ex Anglia Richardum, feſto Aſcenſionis die, Aquiſgrani ſolemni ritu Regem conſecrat, & trabea indutum in ſede Caroli M. collocat, cui & à pleriſque Rheni inferioris Principibus, arcium præfectis & urbium Legatis fides jurata eſt.

Diſcordia Principum in electione novi Regis.

Archiepiſcopus Trevirensis cum aliis coronam Imperij defert Alphonſo Regi Caſtellæ.

Richardus ab Archiep. Colon. Aquiſgrani coronatur.

Inter Epiſcopos, qui coronationi Regis Aquiſgrani interfuêre, memoratur quoque Simon Epiſcopus Paderbornenſis, Regem deinde Coloniam comitatus inter Imperij Principes; ibi enim cum Richardus Rex Aquiſgranenſium privilegia ritu majorum comprobaret, diplomati ſimul regio ſubſcripſit. Teſtes quippe recitantur dilecti

Heiſter. in ſuffrag. Apologia Maxim. Archiep.

cti Principes nostri, videlicet Conradus Colonienſis, & Gerhardus Moguntinenſis Archiepiſcopi, Bruno Oſnabrugenſis, Simon Paderbornenſis, & Nicolaus Cameracenſis Epiſcopi, & Albertus Abbas Monaſterii Verdenſis, Goſwinus majoris Eccleſiæ Decanus, Philippus ejuſdem Eccleſiæ Theſaurarius, Otto Aquenſis Eccleſiæ Præpoſitus, Walramus Dux Limburgenſis, Adolphus Comes Juliacenſis & Walramus frater ejus, Joannes Comes de Schavenberg, aliique complures Comites, proceres, ac nobiles, uti hæc acta recenſentur anno MCCLVII XXVI Maji.

Annus Chriſti 1258.

Alexandri IV Pont. 4.
Richardi & Alphonſi Reg. 2.
Simonis Epiſc. Pad. 12.

Alphonſo abingreſſu Germaniæ retardatur.

Fluctuabat interea inter duos Reges Germania. Alphonſus etſi votis ſuorum expetitus in Germaniam, atque is etiam ſe oſtenderit non alienum à capeſſendo regno, quòd maternum genus duceret à Sueviæ ducibus, & Germanis Imperatoribus, quippe filius Beatricis, per eamque Philippi quondam Auguſti nepos; diſtulit tamen acceſſum in Germaniam, ſeu quòd inteſtinis regni ſui motibus implicaretur, ſeu quòd voluntati ſuorum procerum diffideret filiorum ætate nondum matura ad ſucceſſionem regni. Quare ſatis illi in præſens fuit regni imperijque titulus; qua mora multum obtulêre ejus factionis ſtudia. Et mirum, inquit Crantzius, qui ſpes exteros erexerit ad capeſſendam Imperij coronam. Magis autem admirari ſubit, aut ignavos, aut dementatos Principum animos, quibus placuit pro more evocare exteros ad Imperij coronam, quæ toto retro ſæculis apud Germanos Saxoneſque tanta concertatione & gloria ſervata fuerat. Sed effata ſenſim, & ſua ſenectute ex ſanguine Germania, non reperit inter Principes ſuos, qui humeros Imperii oneri ferendo ſubjicere, vellet aut idoneus cenſeretur. Sunt tamen qui hæc ad diſcordiam ipſorum Principum retulêre, tanquam quiſque gnarus, quanta aliorum ambitione & invidia Imperium à populabus admitteretur. Pontifex ne quem Regum offenderet, partium ſtudia declinavit, dominante cumprimis per Italiam Manfredo Friderici Imperatoris filio ex concubina genito, à quo Neapolis capta & Sicilia ſubacta: Conradi Regis filij tanquam ex rerum natura expuncti; nulla nec regni, nec hereditatis paternæ proviſio.

Richardus interim hoc anno in Germania ſubſtitit: nec aliud memorabile ab eo geſtum, quàm quòd per urbes ad Rhenum & Moſam magno nobilium comitatu circumvectus, Regem ſe majori profuſione pecuniæ, quàm auctoritate regia oſtentarit; eò calamitoſus per Germaniam ſtatus, confuſus judiciorum ordo, nulla imperandi parendique proviſio, libera tumultuantium bella, dum ſinguli

vel

vel in suarum rerum defensionem, aut alienarum direptiones intenti arma rapiebant. Ac nullibi fœdius tumultuatum per biennium, quàm inter Colonienses, plebe in patricios, patriciis in plebem concitatis; habuitque Conradus Archiepiscopus satis quod domi persanaret, qui totius Imperij vulnus in se trahebat curandum. Tumultus Coloniæ plebem inter & patricios.

Annus Christi 1259.

Alexandri IV Pont. 5.
Richardi & Alphonsi Reg. 3.
Simonis Episc. Pad. 8.

Richardus demum Rex, cùm biennium in Germania oberrasset, perlustrando civitates, postremumque Basileam venisset, atque istic ut in ceteris urbibus ærarium exhaustum reperisset; abjecta Germaniæ cura, trans mare, unde venerat, contemptus à Germanis in Angliam remigravit, relicto Vicarij munere in administranda Repub. penes Conradum Colonienſem Archiepiscopum; cui in mandatis simul datum, ut Episcoporum electiones moderaretur, eisque regalia suo nomine impertiret, quemadmodum id auctor vetus chronici Sclavici scribit; quem tamen in eo corrigas, quòd regalium donationes investituram appellet, jam diu è Germania proscriptam. Adjuncti Conrado Archiepiscopo Philippus Falckensteinius, & Philippus Hohenfeldius; alterique horum Weteravia, alteri Imperialium urbium præfectura commissa. Tam exilis tum majestas Imperij, in quo nec vicarios Duces, nec Marchiones, nec Comites, alioſque provinciarum præfectos, ritu antiquorum Cæsarum ac Regum, appellare ausus; quod jam omnes illi ex temporariis ministris hereditarios se dominos ferrent. Ac rectè Crantzius de Saxonia nostra, Dux Saxoniæ post Henricum Leonem magnum rerinuit titulum, sed tenuem ditionem; quando exinde ad Duces Brunswicenses & Lunenburgenses ceteroſq; Marchiones omnis provinciarum possessio transijt. Ne quid hîc memorem de Archiepiscopis & Episcopis, penes quos idem Principatus erat, uno quidem omnes pares, quòd in regalibus accipiendis Cæsarem ac Regem agnoscerent; sed eo semper Episcoporum causa potior, quòd à Carolo M. ac ceteris Cæsaribus Regibusque suas dioceses hereditaria ac perpetua possessione in Successores transmittendas obtinuerint, Richardus R. Angliam repetit, relicta Imperij administratione penes Archiep. Colon. *Auctor anonymus apud Brouwer. lib. 16. Annal. Trevir. Auctor vetus Chronici Sclavici. Crantzius l. 8. Metrop. c. 25.*

Igitur hoc dejecto statu, ut cetera perturbata diximus, Ottocarus Rex Bohemiæ juventutis audacia præceps, anno superiori Bavariam invasit (ex qua tamen cum clade rejectus ab Henrico Bavariæ Duce) præterque Austriam attractam multas urbes, magno Germaniæ contemptu, regno suo adjecit. Tartari Poloniam extremum vastarunt, multis hominum millibus in captivitatem abductis. Ottocarus R. Bohemiæ Bavariam Austriamq; invadit. *Stero in Chron Augusti.*

Amisit hoc anno Simon Episcopus noster duos præclaros fa-

 miliæ Moriun-

turGerardus Bremenſis, & OttoMonaſterienſis Antiſtites Simonis Ep. Pad. fratres.

miliæ ſuæ Epiſcopos, Gerhardum patruum, Bremenſem Archiepiſcopum, & Ottonem fratrem, Monaſterienſem Epiſcopum. Ac Gerhardum quidem hoc anno exceſſiſſe è vita, tradit auctor Chronici Sclavici & hiſtoriaBremenſium Archiepiſcoporum. Nam ex quo Gerhardus hic cognomento victorioſus Gerhardo ſeniori Archiepiſcopo Bremenſi,anno Chriſti MCCLXIX aut XXI Francofurti in comitiis extincto, ſucceſſerat, per annos XXXIX Bremenſem Archiepiſcopatum geſſit, & ad hunc, in quo verſamur, annum vitam produxit; eoque Simon Epiſcopus noſter ſe Tutorem Bremenſis Eccleſiæ ſcribere potuit. Memorat de eo auctor Chronici Sclavici, dum adhuc Canonicum Paderbornenſem ageret, occurriſſe ei

PrædicturGerardo, fore ipſum Præpoſitum & Epiſcopum.

hominem incultu habitu,vultuque nec turbido nec læto,dixiſſe observa hunc diem Gerharde, anno enim evoluto eris Paderbornenſis Præpoſitus, & cùm munus adieris, pendes mihi duas marcas. Res, ut prædixerat, evenit. Redijt hic denuo ad Gerhardum, edixitque, anno evoluto, & hoc, quem deſigno, die, eligêris Archiepiſcopus Bremenſis, & poſtquam in ſolio collocatus fueris, dabis mihi quinque marcas, prorſus ut prædixerat factum eſt. Redijt tertiùm hi vates, duas, inquiens, res tibi, uti evenêre, prædixi : nunc tertia tibi pandam ſine remuneratione. Quinquaginta ſcilicet annis vives Archiepiſcopus, ijs expletis, nulla tibi vitæ dies ſupererit. Sed hoc vaticinio mendax ille demum compertus ; vixit enim in Archiepiſcopatu ſuo Gerhardus annos XXXVIII, & triceſimo tandem nono anno, feſto Pantaleonis die abijt è vita.

Ottonem quoque Epiſcopum Monaſterienſem hoc anno ceſſiſſe è vita mortalium, tradunt faſti & chronica Monaſterienſium Epiſcoporum, unde hi verſus adnotati ad ejus obitum.

Otto bis ſenis huic ſedi præfuit annis,
Vechta cum rebus eſt noſtris empta diebus,

Quæ annorum ratio convenit cum Alberto Stadenſi, qui eum anno MCCXLVII electum tradit: aut noſtræ etiam opinationi, qui ſequenti anno eodemque quo Simonem Epiſcopatum adijſſe diximus; quemadmodum inchoati anni, & medij, quo defunguntur ſæpe pro integris numerantur à ſcriptoribus.Præſul certè Otto, q integra laude Epiſcopatum geſſit; nec in alio reprehenſus, quam quòd liberalitate effuſior ſæpe viſus ; Simoni Epiſcopo noſtro p omnem vitam fraterno amore & auxilio conjunctiſſimus fuit, a nobilium & prædonum inſolentiam refrænandam. Succeſſorem nactus Wilhelmum ejus nominis II exHoltiorum nobilium familia, ex qua jam anteMonaſterienſium Epiſcopus Ludolphus,& Wilhelmus poſtea Colonienſium Archiepiſcopus delectus. Hanc plerique in diœceſi Oſnabrugenſi collocant; quamvis non nemo ſedem

Teſchemaker.

horum nobilium deHolte trans Luppiamprope DinslaciumClivia Transrhenanæ & Weſtfaliæ Oppidum monſtret, qui genere olim, opibus,

opibus, & potentia clari vestram Recklinghusanam possederunt.

Obitus Arnoldi Archiep. Trevir. *Brouverus lib. 16. Annal. Trevir.*

Sustulit præterea hic annus Arnoldum Trevirensem Archiepiscopum, virum ea tempestate egregium. Et cùm à morte ejus alij Arnoldum Sleidanum, alij Bolandinum deligerent, Pontifex tertium, quòd uterque vitio creatus esset, Henricum Effingium solio imponit, virum genere & sapientia egregium.

Annus Christi 1260.

Alexandri IV Pont 6.
Richardi & Alphonsi Reg. 4.
Simonis Episc. Pad. 14.

Consecuta altero mox anno, qui Christi MCCLX succedit, mors Gerhardi Moguntini Archiepiscopi; eique subrogatus Wernerus Metropolitanus noster, ex familia Comitum Falckensteiniorum, nepos ex fratre Siffridi Archiepiscopi, majoris Ecclesiæ Præpositus, *vir*, ut Trithemius scribit, *excellens ingenio et prudentia, qui Ecclesiam suam optimè per 24 annos administravit.* Is cum statim ab electione Romam proficisceretur ad salutandum Pontificem, & pallij decus impetrandum, comitem itineris aliquamdiu ultro sibi oblatum habuit Rudolphum Habsburgensem Comitem, quem postea Germania glorioßissimum Imperatorem sortita est. Jam tum Rudolphum ex religione & virtute cognitum designabat Wernerus, quem ad Imperij coronam eveheret. Tradit Siffridus presbyter per id tempus quatuor Metropolitanos Moguntinum Trevirensem, Bremensem, & Magdeburgensem ab Alexandro IV Pontifice Romæ consecratos esse Episcopos.

Brouver. l. 16. Annal. Serrarius in Mogunt. Trithemius. Defuncto Gerardo Archiep. Mogunt. succedit Wernerus.

At Conradus Colonienßis Archiepiscopus, postquam ab Alexandro Pontifice de lustranda diœcesi sua, & collapsis in Clero moribo emendandis monitus esset, celebrem hoc anno, 4 Idus Martij provincialium suorum Episcoporum synodum magno Westfaliæ bono habuit; in qua cùm multa salubriter XIV legibus sancita sunt; tum Clericis gravibus pœnis detractæ concubinæ, interdictaque negotiatio: vetitum ne quis in Clerum recipiatur, nisi literis & scientia apprime instructus: præscripta tonsura & decorus Canonici habitus. Interque alia sancitum, ut in omnibus Canonicorum Collegiis repararentur Dormitoria & domicilia, ad quæ Canonici ad communem somnum capiendum & chorum frequentandum ex prisco more convenirent, post decantatas verò matutinas laudes omnes à Decano deducerentur ad prælectionem sacram audiendam, rituq; Ecclesiæ perdiscendos; quemadmodum ordo sacrorum, & cura divini numinis quotidiè peragendi, ceteraque præscribuntur; Præposito verò ea, quæ extra Ecclesiam aguntur, bonorum videlicet & redituum procuratio, ex quibus Clerici vivant, & possessionum defensio committitur. Pistrinum etiam publicum esse voluit syno-

Statuta Ecclesiæ Colon. Tom. XI. concil. Paris. recent. edit. Synodus Colonienßis, & quæ in eâ sancita.

dus, ex quo panes quotidie distribuerentur Clericis, non frumentum; & quæ hujusmodi ad disciplinam Cleri formandam requirebantur, ea in synodo sapientissimè ordinata sunt. Quam ob rem acta hujus synodi ita censuêre digna Parisienses, quæ inter concilio. rum decreta referrent. Adeo per id tempus non tota communis vita dissoluta fuit. Sensim hæc prolapsio facta, dum primùm sociali in claustro habitatio, deinde communis mensa, postremùm noctur. na illa congregatio solveretur. Ex quo Canonicorum, priusquam cooptantur, mos etiamnum apud nos obtinet, quo per certos dies intra vetus claustrum pernoctare, & primi matutinum psalmorum Chorum frequentare jubentur. In eadem Colonienſi synodo Conradus Archiepiscopus XXVIII salubria statuta edidit, secundum quæ Monachos D. Benedicti intra suam diœcesin vitam conformare voluit.

Sub id tempus Simon Episcopus noster jam bona amicitiæ conjunctus cum Conrado Archiepiscopo Colonienſi, magnopere probavit, quæ in Colonienſi synodo acta erant, connixus cum ceteris Westfaliæ Episcopis prolapsos inter belli turbas mores instaurare commodumque Simonem inviserat Gerhardus frater, Præpositus Bremensis Ecclesiæ, vir judicio Bremensium Canonicorum minime dignus; quocum & alia pertractavit, quæ ad politicam diœcesis gubernationem pacemque poscebantur. Inde Calend. Junij celebrem conventum Præsulum, ac nobilium, Ministerialiumque suæ diœcesis habuit Warburgi; in quo consulibus ac civibus potestatem fecit muniendi urbem, includendique novam partem urbis, quæ superiori indescensu montis subjecta est, & ad dimolam fluvium porrigitur; idque se ob fidam hactenus operam ac merita civium indulgere profitetur. Ab eo dehinc tempore vetus & nova civitas in unum Reipublicæ corpus, unumque munimentum coaluit, magnumq; semper diœcesis præsidium in ea fuit adversus finitimorum Hassorum aliorumque hostium incursus, ex quo à Dedicone Comite olim urbs illa cum castello è comitatu Warburgensi Meinwerco Episcopo donata cessit. Literæ Simonis Episcopi sic habent.

Simon Ep. Warburgensibus dat facultatem muniendi urbem, muroque incingendi.

Simon Dei gratia Paderbornensis Episcopus universis præsentia viris in perpetuum salutem in eo, qui est omnium vero salus. Ut factarum rerum memoria perpetuo perseveret, expedit actus nostros temporales per scripturas authenticas æternari. Hinc est quod nos novum Oppidum Wartberg, per quod Ecclesia nostra Paderbornensis in omnibus suis necessitatibus est subsulta, cupientes in omnibus specialiter promoveri, Consulibus et universitati ejusdem Oppidi, Capituli nostri Paderbornensis, Ministerialium et universitatis ejusdem Ecclesiæ nostræ communi accedente conniventia et consensu, ex dilectione et gratia speciali duximus indulgendum, ut oppidum suum muro necessario inter se et oppidi vicinum et sibi contiguum et munitionibus circumquaque necessariis muniant et circumdent. Et ut hæc nostra ordinatio et

gratia

gratia sibi facta à nobis et nostris successoribus et ab Ecclesia nostra perpetualiter firma et inviolabilis observetur, præsens scriptum sigillo nostro, et Ecclesiæ Paderbornensis, Hermanni Nobilis de Oesede nomine omnium Castellanorum in Wartbergh, Bertholdi Werneri, et Hermanni Dominorum de Brakelo, civitatis Paderbornensis et Oppidanorum in Wartbergh sigillorum munimine jussimus et fecimus roborari coram testibus subnotatis, Gerhardo Præposito Bremensi, et Widekindo de Oesede Canonico Patherbornensi, Adolpho Comite de Waldeck, Hermanno de Oesede, Hermanno de Holthusen, Nobilibus Bertholdo et Wernero de Brakelo Conrado de Ettelen, Conrado de Reckelinghusen, Henrico dicto Pankoken et Helia nato ejus, Theodorico de Mederike, Johanne de Osserhusen, et Castellanis nostris Friderico de Jstorp, Conrado et Alberto fratribus de Welde, Gotscalco de Welde, Conrado et Volperto fratribus de Eysen, Denhardo de Noerde, Gerhardo et Gotscalco fratribus de Dinckelenbergh, Conrado, Gerhardo, et Helmico fratribus et Scultetis, Johanne de Nedere, Ludolfo de Humbranen Militibus, Hermanno Marscalco, Joanne de Velle de, Bertramo et Frederico, Theodorico et Theodorico de Noerde, Berhardo et Helmico fratribus Schulteti nati, Conrado Lusche, et Conrado de Ettelen. Famulis Conrado de Sindessen, Regene Budone dicto Bassen, Henrico de Hoegeden, Johanne de Oisten, Ernesto et Henrico de Grimmelsen Militibus, Adolpho de Binelsdorp, Gerhardo, Alexandro, et Conrado de Nedere, Joanne et Alberto fratribus de Nedere, Amelungo et Gotscalco fratribus de Nedere, Volperto de Rosbecke, Conrado de Ossendorp, Frederico de Dasbergh, Johanne de Hoeveden, et sororio ejus Hermanno Ruffo, Henrico et Conrado fratribus de Rotvvorsen famulis, et civibus prædicti Oppidi. Proconsulibus Alberto et Siffrido. Monetariis et consulibus pro tempore Hermanno de Dalhem, Conrado de Wickelen, Wernero Schulteto, Conrado dicto Radt, Hermanno de Amelunxen, Conrado de Papenheim, Johanne de Natzung, Conrado Bruvvardi nato, Henrico Sartore, Alberto dicto Lethe, Arnoldo de Helmerdeshusen Eckardo Ernberti nato, Hermanno de Heindessen, et universitate Oppidorum in Vvartbergh, cum aliis quam pluribus. Nos enim omnes suprascripti vel Ministeriales Vasalli et universitas Ecclesiæ Patherbornensis, qui sigilla nostra non apposuimus, vel sigilla propria non habemus, sigillis appensis contenti sumus, et omnia supra dicta dicimus ita esse vera. Actum et datum Wartbergh anno millesimo ducentesimo sexagesimo in Calend. Junii Pontificatus nostri anno XIV.

Referunt ad hunc annum verisimiliter mortem Brunonis Osnabrugensis Episcopi Isenburgici Comitis, viri integerrimi, & præclarè de sua Ecclesia meriti; nihilque ad famam nominis, & virtutum decora in eo, nec in ceteris duobus Episcopis desideratum fuit, nisi quòd disparem indole fratrem sortiti Fridericum, interfectorem D. Engelberti; jam multo senio confectus, qui in hos annos vitam produxit. Subrogatus Brunoni Widekindus è Comitum Waldecensium familia. Nihil his temporibus frequentius per Saxoniam, quàm ubique in Episcoporum thronis conspicere Comitum filios, generis

Obitus Brunonis Ep. Osnabrug. *Ertman. in chron. Osnabrug. Cranz. l. 7. Metrop. c. 43.*

generis & virtutum claritudine eminentes, quorum auctoritate & familiarum potentia diœceses servabantur defensæ adversus nobilium & prædonum spolia.

Annus Christi 1261.

Alexandri IV Pont 7.
Richardi & Alphonsi Reg. 5.
Simonis Ep. Pad. 15.

Siffridus presby. Serrarius in Mogunt. histo. & Wernero.

Nam cùm per interregnum, quo alter Regum in Hispania, alter in Anglia versabatur, nullo certo rectore Imperium gubernaretur, omnia liberius factionibus, & deprædationibus ac turbis miscebantur. Auctor interim est Siffridus Presbyter, hoc anno à Wernero Moguntino Archiepiscopo concilium Episcoporum jussu Alexandri Pontificis celebratum, quod & ab aliis Archiepiscopis imperatum memorat, ob Tartarorum incursiones, aliaque Ecclesiæ pericula; mandatumque à Pontifice, ut ad signum crucis per præcones sacros convocarent Christianos, publicisque precibus ac sacrificiis præverterent iram Numinis. Quare facile mihi persuaserim Simonem cum ceteris ejus Metropolis provincialibus Episcopis ad hanc synodum convenisse, quam Serrarius extare scribit.

Moritur Alexander Pontifex cui Succedit Urbanus II.

Nangius Odoric. in histo. Eccles.

At non diu superstes Alexander Pontifex, postquam has saluberrimas curas sumpserat; excessit enim hoc anno VIII Calend. Junij. In cujus locum sublectus Urbanus IV, gente Burgundus; seu ut alij Gallus Fricassinus. Is licet humili loco natus; postquam tamen ob ingenij doctrinæque præstantiam, in omni cleri gradu inclaruerat, primum Episcopus Virdunensis, post Hierosolymitanus Patriarcha factus. Quo ex munere cùm Viterbium accesserat, punctum causæ acturus, dissidentibus Cardinalibus in electione novi Pontificis, ipse extra numerum purperatorum deligitur. Is ille Urbanus Pontifex, qui festum corporis Christi, divino in hoc sacramentum amore ac spiritu afflatus instituit.

Mors Conradi Archiep. Colon.

Conjungit hic annus mortem Conradi Colonienſis Archiepiscopi, à quo Simonem Episcopum biennij custodia inclusum divimus. Præsul, fuit, qui magnis animis magna opera pro Archiepiscopatu suo; vicarioque Regis munere pro Imperio gessit: uti hæc multis annales Colonienſium extollunt. Quanquam dum inferiores hasce provincias regeret, dominatu sæpe supra antistitis sacri modestiam se efferre visus sit: gesto in 24 annum Archiepiscopatu, Successorem habuit Engelbertum eo nomine II Falkenbergi Comitem, D. Gereonis Præpositum.

Et Widekindi de Hoja Ep. Mindensis.

Tertium funus Widekindi de Hoja Mindensium Episcopi accessit. Multis ille possessionibus locupletavit Ecclesiam suam, magnaque constantia propugnavit adversus hostes. Nam & ducem Lunenburgensem, Comitemque Wunstorpium auxiliaribus Mindensium

Mindensium civium copijs superavit: & Comitem Ebersteinium, qui cum Hamburgensibus conspiraverat, armis domuit; ut tum in sago non minus, quàm in toga Episcopali salus posita erat. Episcopatum excepit Cono, quem alij è familia Diepholtiorum Comitum, alij è Dynastarum Weggiorum producunt.

Annus Christi 1262.

Urbani IV Pont. 1.
Richardi & Alphonsi Reg. 6.
Simonis Ep. Pad. 16.

Trahebatur adhuc interregnum, magna Germaniæ perturbatione. Urbanus Pontifex ab utroque Rege sollicitatus pro augustali dignitate, audita utriusque Regis causa, nihil decidit; ac ne alterutrum offenderet, utrique Cæsaris titulum detulit. Interim dum Germaniæ Principes contrariis inter se studiis pugnant, fuere qui Conradinum Conradi Regis filium postulandum suaderent. Quo comperto, Urbanus Pontifex haud secus, quàm Alexander fecerat, scriptis ad Moguntinum, Colonienſem & Trevirensem Archiepiscopos literis, interminatáque anathematis pœnâ mandat, ne Conradinum ad Imperium evehant. Tam exosa inviſaque stirps illa erat, ob diras majorum vexationes, quibus tot annis Romanam sedem afflixerant.

Odoricus in hist. Eccles. Pontifex pro neutro Rege decidit, & Conradinum eligi vetat.

Interim Argentorati, Treviri, Coloniæ civiles turbæ bellaque adversus Episcopos suos: alibi nobilium conspirationes; quibus malis expers non fuit Simon Episcopus. Nam Albertus de Sturmede, inquietus per Westfaliam dynasta, & quæ illi hærebat factio nobilium, rursum vexare Episcopum nostrum ac diœcesin cœpit. Ob hujus viri tyrannidem, ut monumenta nostra loquuntur, coactus Simon alia Ecclesiæ suæ bona oppignorare, alia divendere, militemq; scribere ad insolentiam adversariorum reprimendam, quod hæ Simonis literæ docent.

Vrsberg. sup Annales Trevir. Chron. Colon. Albertus de Sturmede Diœcesin Paderb. infestat.

Simon Dei gratia Paderbornensis Episcopus, et Capitulum ejusdem Ecclesiæ omnibus præsens scriptum visuris in perpetuum, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum labilis sit memoria hominum super terram, ad confirmationem ipsius literæ sunt inventæ, ut quod ea mortali hominum deficit, per scripturas authenticas æternaliter æternetur. Hinc est quod notum esse volumus, tam præsentibus quam futuris, quod medietatem decimæ in majori Dasburg, et aream superiorem in eadem villa Monasterio in Hersvith Cysterc. Ord. et nostræ diœcesis pro centum marcis legalium denariorum numeratæ pecuniæ et solutæ ob evidentem necessitatem Ecclesiæ nostræ, quæ nobis per tyrannidem Alberti militis de Stormede, et aliorum æmulorum Ecclesiæ nostræ imminebat, emptionis titulo præcedente et dominio ejusdem decimæ cum omnibus pertinentiis suis ad jus et proprietatem ejusdem Monasterii integraliter translato tradidimus et assignavimus ex omnium consilio et consensu perpetuo possidendam. Ad cujus facti nostri perpetuam evidentiam et

munimen

munimen præsens scriptum sigillis nostris fecimus communiri. Datum Paderborn. anno Domini MCCLX *Ido* IV *Nonas Junii.*

Annus Christi 1263.

Urbani IV. Pont. II.
Richardi & Alphonsi Reg. 7.
Simonis Episc. Pad. 17.

Auctor Addit. ad Lamb. Schaff. Siffridus Presbyt. Cranzius lib. 8. Sax. c. 27.

Infelici prælio Albertus Brunswicensis cum Landgravio Thuringiæ congreditur.

Mox longè gravius bellum exarsit in Saxonia, inter Albertum Thuringiæ & Henricum Hassiæ Landgravium. Hassus quòd validioribus armis à Thuringo opprimeretur, confugit ad Albertum Brunswicensem Ducem, cujus sorore genitus erat; eòque Brunswicensi promptior ad ferandam opem consanguineo suo, cum ingenti exercitu Thuringiam ingressus, Saxoniam imperio tributariam fecit. Hic exacerbatus Thuringus Theodoricum Marchionem Misniæ implorat, junctisque armis Brunswicensem aggressi atrocissimo prælio superant. Pugnatum in pervigilio Apostolorum Simonis & Judæ prope Wetin à solis ortu ad horam diei nonam. Vulneratus, captusque magnus Saxoniæ bellator Albertus Dux Brunswicensis, quocum in captivitatem venere Zuerinensis, Eberstеinius Hanaltius, alijq; complures Comites, ac nobiles. Dux per annum in vinculis hæsit, non prius solutus, quàm octo marcarum millia, octoq; munitiones Thuringo daret. Utrumne Simon Episcopus noster, quem Brunswicensi confœderatum diximus, in belli societatem venerit in compertum habeo.

Simon Ep. amplam Archidiaconorum facultatem comprobat.

Ceterum Simon Episcopus, quantumvis armatis controversijs cum nobilitate Colonienſi in propugnanda diœcesi distringeretur, non tamen omisit annuos synodos ad Cleri disciplinam multò impensius formandam; interque alia convocatis Archidiaconis suæ diœcesis, quos præcipuos sacrorum ministros habebat, oculosq; Episcopalis muneris, veterem illis atque amplam sanè jurisdictionem, quam obtendebant hisce literis comprobavit.

Simon Dei gratia Episcopus Paderbornensis, Heinricus Præpositus in præpositura, et in Huxaria sedium Archidiaconus, R. Decanus Archidiaconus in Detmele, Præpositus Volradus Archidiaconus sedis in Harhusen, L. Archidiaconus Hervordensis, Magister Johannes Decanus Hilden. Archidiaconus sedis in Stenhem, Mauritius Cantor Paderburnensis Archidiaconus sedis in Wartberg, W. Thesaurarius Archidiaconus in Lemego, H. de Sunnighusen Præpositi Apostolorum Petri et Andreæ, et Camerarii Paderburnensis et in Archidiaconatibus ad dictam Præposituram et Cameram pertinentibus vices gerens, universis Plebanis Ecclesiarum rectoribus et Presbiteris Paderburnensis diœcesis utriusque vitæ salutem. Noverint universi præsens scriptum visuri, quod à tempore, cujus non extat memoria, et secundum canonicas sanctiones has habuit Ecclesia nostra consuetudines, quas adhuc observamus, quòd Plebani et Presbiteri in alicujus Archidiaconatu constituti

stituti coram Archidiacono loci sunt conveniendi; et quod Archidiaconi, si volunt, ipsos possunt ad suam præsentiam in Ecclesiam Paderbornensem citare, et super excessibus suis, si sint enormes, ab officio suspendere, interdicere, et excommunicare. Idem etiam Plebani et presbiteri sententias ab Archidiacono personaliter, sive litteratorie, vel per nuntium suum, cui vices suas commiserit, latas modis omnibus exsequentur. Has auctoritates et jurisdictiones ab antecessoribus nostris, et actenus à nobis observatas, à Successoribus nostris cupientes observari, quia sic ad nos sunt devolutæ, quod nullatenus immutare volumus, vel audemus, Auctoritate venerabilis Patris et Domini nostri Paderburnensis Episcopi, cujus vices nos Archidiaconi gerimus, et propriâ, præcipimus sub vera obedientia dictas auctoritates et jurisdictiones inviolabiliter ab omnibus observari. Nos etiam Episcopus jus et consuetudinem Archidiaconorum nostrorum approbantes omnes Plebanos, sive Ecclesiarum rectores, et alios Clericos nobis ad obedientiam restrictos juri prædictorum Archidiaconorum nostrorum qui derogare præsumpserint in præmissis, auctoritate præsentium ab officio decernimus esse suspensos. Datum Paderbornæ. Anno Domini millesimo ducentesimo, sexagesimo tertio.··· *Idus Martii.*

(LS) (LS) (LS) (LS) (LS) (LS) (LS) (LS)

Annus Christi 1264.

Urbani IV Pont 3.
Richardi & Alphonsi Reg. 8.
Simonis Episc. Pad. 18.

Civium Colon. contra Archiep. suum rebellio. *Trithem in chron. Hirsau. Chron. Colon.*

Anno dehinc proximo resuscitata gravis rebellio civium Colonienſium adversus Engelbertum Archiepiscopum suum. Nam postquam is Roma redierat cum minacibus Pontificis literis, Cives spretâ Pontificis auctoritate, primò Theodoricum Archiepiscopi fratrem ex hospitio in custodiam abripiunt; postridie impetu facto in palatium ipsum Archiepiscopum captivum trahunt ad portam Rhenanam, multisque contumeliis & injuriis per furorem plebis tractatum conjiciunt in carcerem. Quæ postquam vulgata in publicum, advolavit Henricus Leodiensis Episcopus, ejusque frater Otto Gelriæ Comes, Engelbertus Marcanus Comes, omnisque Metropolis, ac Ducatus Westfaliæ nobilitas ad liberandum Archiepiscopum suum. Horum armato adventu cives ad certa concordiæ pacta, & mulcta 400 marcarum deducti, Archiepiscopum dimisêre liberum. Hæ domesticæ Colonienſium turbæ, quibus per omnem vitam exagitatus Archiepiscopus, quietum fecêre Simonem Episcopum, ne Colonienſium procerum injuriis premeretur.

Compositio quædam facta inter Comites Ravensberg,

Evocatus subinde Simon Episcopus noster ad conventum procerum Westfaliæ, quo inter Ottonem & Ludovicum Comites Ravensbergenses, Simonis consanguineos, & Ludolphum, ac Bernardum milites de Gesmele in hunc modum est transactum.

& Nobiles de Gesmele.

Otto Comes in Ravensberg omnibus in perpetuum. Ne modernorum pacta legitima ulla vetustatis posteritate valeant calumniari, expedit, ut quæ rite geruntur literarum testimonio roborentur. Noverint itaque tam posteri quam præsentes, quod hæc est forma compositionis inter Ludolfum et Bernhardum fratres dictos de Gesmele milites, et animicos eorum consummatæ hinc inde ex una parte, et nos et Ludovicum fratrem nostrum, et heredes nostros, nec non amicos nostros hinc inde ex altera. Dominus Ludolphus de Gesmele, et Dominus Bernhardus frater ipsius super rancore, qui vertebatur inter nos et ipsos, in hunc modum nobiscum composuerunt, quod nobis cum centum viris, quinquaginta armatis et dextariis phaleratis ũit aq̃u, qui vulgariter Mase vocantur ad Albiam cum tribus septimanis ante nostram expeditionem non requisiti fuerint, tribus vicibus obsequentur, prima vice cum quinquaginta, secunda vice cum totidem, nec non tertia vice modo præmisso jure militari. Item si alicujus guerræ necessitas nos urget, nos et heredes nostros, pro ut melius poterunt, adjuvabunt. Item nullis nobis malignari volentibus servient, Ecclesiâ suâ, et consanguineis eorum duxtaxat exceptis. Item decem marcarum reditus nobis erogabunt, et illos à nobis aut nostris heredibus tenebunt jure pheodali. Item decimam in Weringthorpe Ut meringthorpe Ecclesiæ Osnabrugensi resignabunt, et operam efficacem ut nobis concedatur, adhibebunt. Similiter ut huni ministerialium jam dictæ Ecclesiæ, cui præmissam decimam habere voluerimus, confirmetur, omni occasione postposita præstabunt. Item ut omnia præmissa ad effectum perducantur, et inviolabiliter observentur à parte jam sæpe dictorum militum Ludolfi et Bernardi viginti quatuor milites fide militari data promiserunt, ut si in omnibus promissis aliquis defectus acciderit, quod illi, qui sunt de diœcesi Monasterienſi civitatem Monasterienſem intrabunt, et alii qui sunt de diœcesi Osnabrugensi civitatem Osnabrugensem inde non exituri, donec omnia promissa fuerint adimpleta. Horum nomina sunt hæc Hermannus de Langen, Heinricus de Monasterio, Rolandus de Ugthorpe, Bernhardus de Gesmele, Bernhardus de Beveren, Harbertus de Asthorpe, Fridericus Vos, Johannes de Tinglage, Herbordus de Spredocœ, Nicolaus Hovet, Fridericus Vegesack, Hermannus de Davernberg, Iohannes et Hermannus fratres de Merevelde, Jacobus Bitter, Lutbertus de Lange, Wescelus de Lembeke, Conradus Gans, Wescelus de Evernhem, Engelbertus de Westerrothe, Nicolaus de Beveren, Rembertus de Stochem, Otto Friso milites. Item nulla mors poterit hæc cancellare, quin prænominati fratres Ludolfus et Bernhardus et eorum fidejussores compositionem præmissam tam nobis quam heredibus nostris debeant adimplere. Item hujus compositionis testes sunt venerabilis vir Dominus Simon Episcopus Paderbornensis, Dominus Widekindus Præpositus major Monasterienſis, Præpositus Hermannus de Lippia, nobilis de Lippia junior, Ludolfus de Dasle, Hugo Ursus, Herbordus Vos, Iohannes de Busche, Henricus Vincke, Godscalcus Vener, Alradus Pallidus, Rembertus de Busche, Ludewicus Hake, et alii quam plures. Item ut in facto tam legitimo nulla imposterum possit intervenire calumnia, præsentem paginam fecimus

mus conscribi et sigillorum Domini Patherbornensis, et Domini Lippiensis junioris, nec non Domini Præpositi jam dicti, et Domini Hermanni de Lange munimine et nostro roborari. Datum Monasterii anno Domini 1264. 3 Calend. Iulii.

(LS.) (LS.)

Ad quid Canonici Huxariensis se Abbati Corbeiensi obstrictos agnoscant

Supereſt quoque hujus anni rescriptum, quo Canonici Collegij S. Pauli, quod intra Corbeiam & Huxtariam situm erat. Abbates quidem Corbeienses suos fundatores agnoscunt; de cetero, cùm diœcesis Paderbornensis sint, non ad aliud Abbati obstrictos teneri, quàm ut certis per annum festis diebus Corbeiensium supplicationes deducant, id ita habet.

Nos Hermannus Dei gratia Præpositus, Henricus Decanus, ac totum Capitulum novæ Ecclesiæ apud Corbeiam Paderburnensis diœcesis protestamur et recognoscimus per præsentes, quod cum Abbates Corbeienses, qui fuerunt pro tempore, jam prædictam Ecclesiam nostram à prima fundatione construxerint, et de bonis ipsius Monasterii Corbeien. adservandum ibidem sub debita gubernatione Præpositi et Decani Canonicorum Collegium sufficienter dotaverint, et in hujus rei recognitionem non immerito nos ac nostri Successores Abbati Corbeiensi, qui pro tempore fuerit, tanquam nostro patrono temporali, in cujus ordinationi Præpositura Ecclesiæ nostræ semper consistit, et ipsi Corbeiensi Monasterio, salvo nobis jure liberæ electionis Canonicorum nostrorum, quod semper habuimus, ad honorem ac reverentiam specialem perpetuo teneamur, in quarundam solemnitatem processionibus vespertinis ac missalibus ab antiquo servatis, nominatim inferius exprimendis, tenemur eosdem specialiter honorare. Nobis autem, ut nostris Successoribus, neque Abbas, neque alii Prælati seu officiati Monasterii Corbeiensis ad jura aliqua tenebuntur, nisi tantum ad quarundem solemnitatum servitia, cum ad ipsos processionem fecerimus, ita tamen si infra refectorium cum ipsorum confratribus, quando eis hæc in refectorio ministrantur, voluerimus acceptare. Processiones itaque vespertinæ, quas nisi necessarium impedimentum obstiterit, observare, ac facere tenemur, ad Monasterium Corbeiense sunt istæ in S. die Paschæ ad Vesperas, in Vigil. Inventionis S. Stephani. In Vigil. dedicationis Monasterii Corbeien. in die nativitatis Domini ad Vesperas. Processiones verò missales observabimus illis quinque diebus, qui immediate prædictas Vigilias aut vesperas consequuntur. Item processiones rogationum. Item in die Ascensionis ad Missam. Item in secunda feria Pentecostes. Item in festo B. Iustini, quod est ad vincula Petri. Item in assumptione B. Virginis gloriosæ. Item in festo omnium Sanctissimorum. Item in purificatione B. Mariæ Virginis. Item in die palmarum. Item ad Monasterium in Rodhen, in inventione S. Crucis, et in festo B. Mariæ Magdalenæ processiones more solito faciemus. Ad habendam itaq; firmiorem hujus rei memoriam et servandum hæc omnia prærotata, et nunquam ab hujusmodi recidendum, Nos Præpositus, Decanus, et Capitulum supradicti has præsentes literas ad cautelam, et perpetuam firmitatem decrevimus roborandas. Datum Anno MCCLXIV. *3 Idus Maji.*

Moritur Urbanus IV Pont.

Sexto deinde Nonas Octobris excessit è vita Urbanus IV Pontifex; observatumque quo die decumbere cœpit, horribili aspectu cometam illuxisse, qui deinde post tres menses ea nocte, qua sanctissimus Pontifex animam Deo reddidit, repente evanuerit. Nec vanum fuit prodigium multarum calamitatum; consecuta enim mox bella inter Principes & Reges, discordiæ inter cives & Præsules sacrorum, aquarum inundationes, maris tempestates, pestis, multaque passim mortalium mala.

Annus Christi 1265.

Clementij IV Pont. 1.
Richardi & Alphonsi Reg. 9.
Simonis Ep. Pad. 19.

Siffridus presby. Stero. Trithem. Odoricus in histo. Eccles. Spondanus.

Interim sub initium anni sequentis, quæ Dei fuit providentia obtigit Ecclesiæ Clemens IV, nonis Februarij absens in locum Urbani IV subrogatus, natione Gallus Narbonensis, quanquam matre Germana genitus: vir inter ævi illius sapientissimos auctoritate virtute singulari. Sapientissimè quoque Saxoniæ nostræ Princ pes, cùm & per interregnum omnia dissolvi viderent, & per fas sidus impendentia mala timerent, convenêre Quidlenburgi; Al tus nimirum Thuringiæ Landgravius, Otto Marchio Brandeburgensis, Albertus & Joannes duces Brunswicenses, Marchio Misniæ, Comites Holsatiæ, ceterique primores, consultantes in medium de pa ac concordia conservanda; tanquam priscam Saxonum Rempubl cam instauraturi, cùm nec Regem certum, nec Cæsarem haben Imperium. Eo quoque in conventu bellum sacrum adversus p ganos in Prussia decretum, sumptumque est ingentibus animis l vexillo crucis; quanquam ob hyemis lenitatem penetrare no licuerit.

Conventus Principum Saxon. *Auctor addit. ad Lamb. Crantz. l. 8. Saxon. c. 27.*

Thymo Ab. Corbeien. Advocatiam Oppidi Huxarienf. transfert in Duces Brunswicenses.

Hoc præterea anno cùm per interregnum omnia liberis nob lium infestationibus miscerentur, urbesq; adversus suos dominos r belles insurgerent, Thymo Corbeiensis Abbas Advocatiam Opp di Huxtariensis, quam ultro abdicavit Comes de Pyrmont, transt lit ad Albertum & Joannem Brunswicenses Duces, ad rebelles C pidi cives retundendos. Quemadmodum & Simon Episcopus m ster, ut supra diximus, cum eodem Alberto Duce mutuum defens onis fœdus inijt, quo se magis adversus hostes suæ diœcesis Brunsw censium auxilio firmaret.

Tymmo Dei gratia Abbas Corbeiensis, & Henricus eadem gratia Paderbornensis præpositus, Tutor Ecclesiæ antedictæ. Vniversis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris hanc paginam inspecturis salutem à Domino & Domino Dei filio Iesu Christo. Recognoscimus & tenore præsentium protestamur, quod ad liberam resignationem Comitis Hermanni de Piromont, suæque conjugis, ac recti fratris sui Comitis Gotscalci bonæ memoriæ, nec non puerorum utriusque ac hæredum, illustrioribus Principibus Dominis Ducibus Alberto & Joanni de Brunswvig Advocatiam Hoxariensis civitatis infra muros porreximus, eo jure quo præfati,

præfati Comites de Piromont ab Ecclesia nostra tenuerunt in feudo multis annis, salvo tamen eo, quod nobis nostrisque Successoribus, Abbatibus, Præpositis, & Ecclesiæ nostræ permaneant salva & integra jura nostra, quæ sunt hæc secundum consuetudinem hactenus observatam. Cives Hoxarienses ad expeditiones nostras, cum indiguerimus, tenebuntur; potest & Abbas pro tempore facere petitiones pro subsidio faciendo. Præposito vero super vino, pane, & cervisia tale jus servabitur, sicut multis temporibus servatum est. Nullus minister, vel de Abbatis familia, aut conventus in civitate Huxariensi obligabitur, nisi prius coram Abbate de eo querimonia deposita fuerit, sicut decet. Insuper Advocatiam in Bodenfelde *&* Hamelen/ *quam Hermannus & Ernestus milites de Vslaer à nobis & à nostra Ecclesia tenuerunt in feudo, porreximus Ducibus memoratis simul cum feudo, quod Bodo Domini Bartoldi filius de Hamborgh à nobis tenere debebat, & nunquam curabat recipere, & si etiam recepisset, propter multiplices suos excessus, quos adversus nostram perpetravit Ecclesiam, ipsum suum feudum culpis suis dignoscitur merito perdidisse. Domini Duces etiam jam præfatum feudum Domino Henrico de Homborgh nobis astantibus porrexerunt, promittentes in manus nostras, quod nunquam deinceps præfatum feudum dicto Bodoni restituent, vel relinquent. Præter ista Domini Duces sæpius nominati nos & Ecclesiam nostram tueri debent contra quemlibet, & in suis juribus conservare. Cæterum cum privilegia nostra imperialia perspexerimus cum rescriptis eorundem privilegiorum ad dictos Dominos Duces, nostræ nuncios Ecclesiæ remittemus, secundum quæ rescripta super feudis eorum possit nova forma concipi literarum. De supra abundante autem gratia adjicimus, si Hoxarienses rebelles extiterint, & in quibus tenentur, non velint Dominis Ducibus obedire, quod ipsis de omnibus castris Ecclesiæ ac munitionibus contra Hoxarienses pro viribus astabimus & muniale auxilium præstabimus bona fide. In prædictorum siquidem omnium firmissimum argumentum, & ad omnem dubietatis scrupulum de cordibus tam futurorum quam præsentium penitus amovendum, præsentem paginam super his conscriptam sigillorum nostrorum appensione exquisiti de maturo fidelium nostrorum consilio, & ipsorum consensu accedente pariter & conventus assensu duximus roborandam. Hujus itaque rei testes sunt & præsentes aderant venerabilis pater Dominus Theodericus Viconensis Episcopus, Henricus Prior Corbeiensis, Fridericus Præpositus, Borchardus Cellerarius, Henricus Custos, Requimus Magister Caritatum, Bartoldus Capellanus Domini Abbatis, Henricus Decanus novæ Ecclesiæ, Cantor, Plebanus Corbeiensis, Comes Henricus de Sterneberg, Comes Ludolphus de Hallermunt, Lotardus de Meinersen, Henricus de Homborg, Gebhardus de* Bortfelde/ *Fridericus de* Nemdorff/ *Baldewinus de* Grenichen/ *Henricus de* Boreſtede/ *& alij quam plures. Actum & datum Hannoveræ. Anno Domini MCCLXV. in Vigilia Ascensionis Domini ejusdem anni.*

Multum patrocinij ex his literis quærunt Duces Brunswicenses nostrorum temporum, quo sibi hereditariam à Tymone Abbate advocatiam Hoxtariensis Oppidi asserant; possetque eodem jure Episcopus Paderbornensis sibi hereditarium Tutoris munus vendicare, cò quòd per id tempus bis Tutor Corbeiensium delectus. Sed hæc tum potissimum temporaria fuêre munia, perturbulenta interregni tempora, tam Episcopo quàm Duci delata ad defensionem ac tutelam; quæ pro arbitrio Abbatis & Cœnobitarum, si res poscceret, abrogari illis, transferrique in alios poterant. Et quæ unquam lex Cæsaris, aut Regis per Imperium Episcopos & Abbates alligavit ad perpetuum & hereditarium Tutorem, vel Advocatum? cùm tot tabulæ Cæsarum adsint, quibus Abbatibus & Abbatissis libera potestas data eligendi Advocatum. Imo quantum non laboratum per id tempus, ut noxium & infestum illud genus advocatorum eliminaretur ex Ecclesiis? & quæ non in hanc rem Pontificum decreta? tantum abest, ut Pontifices hereditarias esse voluerint advocatias. Quanquam olim cùm una religio possideret Germaniam, Advocati cooptati

cooptati adversus hostes juris sacri, & bonorum sacrorum; post ubi nostro fatali ævo hæresis turbavit Germaniam, urbesque cum Advocatis à vera religione descivêre; Advocati qui Episcoporum & Abbatum jura, & religionem adversus rebelles urbes tueri debebant, munus suum convertêre in patrocinium hæresis, Deo & dominis suis, quorum ministri erant, infidi.

Excedunt è vivis Wilhelmus II. Ep. Monast.

Eduxit hic annus è vita mortalium duos Westfaliæ Episcopos; primò Wilhelmum ab Holte, eo nomine II Monasterienſium Antistitem, quanquam sine Episcopi consecratione, quam longius ac par fuit, distulisse scribitur. Vir cetera religiosus, qui festum undecim SS. Virginum, D. Gregorij, ac Vincentij Martyris per diœcesin solemni ritu colendum præscripsit. Auxit urbem Monasterienſem Ecclesia D. Lamberti, & Bilderbecensem gravi Advocati jugo liberavit; sublectus in locum ejus Gerhardus à Marcka, Adolpho Comite genitus, Engelberti tum regentis frater.

Et Cono Ep. Mindens. *Chron. Mind. à Pistor. editum inter scrip. veteres Chr. Mind. à Meibomio editum. Leerbeck. in Chron. Sclav. Crantz. l. 8. Metrop. c. 42.*

Alter, qui excessit, Cono Mindensium Episcopus, gesta per quatuor annos & menses quinque præfectura sacra. Præsul quem fassi mirificè commendant à continuo precandi studio; quippe cui familiare ipsas noctes vigilijs & precibus conjungere & prisca Episcoporum religione præfulgere. Successorem habuit Ottonem, è Predicatorum familia sacerdotem. Ita enim de illo Antonius Senensis. Otto de malis ex equestri ordine diu militiam tractavit, pòst renunciatis omnibus institutum D. Dominici amplexus; ex quo ob singularem prudentiam & virtutum decora Mindensis Episcopus delectus est. Cleinsorgius Ottonem hunc ex Hojanorum Comitum familia deducit; ut falli dixeris Crantzium alioſque qui obscuro loco natum tradunt. Eo præsule Mindæ pons Visurgi instratus, ac mirificè Prædicatorum ordo ea in urbe eruditis & præstantibus viris floruit. Verùm cùm Otto sex annis & undecim mensibus præfuisse, obijsseque anno MCCLXXV in utroque Chronico tradatur, aut, ut Leerbeckius vult, anno MCCLXXIV; necesse est Mindensem Cathedram ab excessu Canonis biennium ex dissidio aliquo eligentium vacasse, quod & Crantzius judicat, opinaturque à Pontifice impositum.

Annus Christi 1266.

Clementis IV Pont. 2.
Richardi & Alphonsi Reg. 10.
Simonis Ep. Pad. 20.

Carolus Comes Andegavensis Rex Siciliæ renunciatur

Annus dehinc sexagesimus sextus supra ducentesimum & millesimum lætus Romano Pontifici Italiæque affulsit. Nam Carolus Andegavensis Comes, S. Ludovici Francorum Regis frater, jam antè ab Urbano IV Pontifice evocatus in Italiam Rex Siciliæ renunciatur, à quo memorabili hoc anno ad Beneventum prælio victus Man-

Manfredus Friderici II Imperatoris ex concubina filius. Eo inter ceteros interempto, liberata est Romana Ecclesia infesto Tyranno, qui pro majorum malignitate Pontifices dirè vexârat. Regnumque Siciliæ à Suevis ac Germanis ad Francos est translatum. Langue-scentibus jam per multos annos Germanis, ac fœdè inter duos Re-ges dissidentibus, supererat Conradinus Conradi Regis filius, unicus stirpis Suevicæ hæres; sed & hunc victor Carolus exclusit regno. *Monachus Paduan. l. 3. Richard. in hist. Nangius in gest. S. Ludov. Steronis Append. Odoricus. in hist. Eccles. Spondanus. Leveldus.*

Turbida non minus Germania, ob insolentiam nobilium atq; urbium, ubique ferè convellentium immunitatem Ecclesiarum. Quam in rem Engelbertus Colonienſis Archiepiscopus synodum congregavit, multisque salutaribus decretis Clericorum libertati consuluit. Sed jam eò invaluerant hæc mala, ut non tam censuris Ecclesiasticis, quàm armis libertas vindicanda. Subinde Coloniæ cruentum dissidium inter patricios & plebeios. Quâ opportunitate oblata, Archiepiscopus copiis Moguntini Archiepiscopi, Adolphi Montium & Theodorici Cliviæ Comitum, suorumque clientum adjutus, urbem obsidet, ratus ex dissidio civium urbem in suam potestatem venturam; sed casso eventu: obsidio frustrata Archiepiscopum, odia civium multò acerbius accendunt in ipsum præsulem. Diffidet à suo præsule Colonia.

Tranquillior Simoni Episcopo sua diœcesis erat; & qua valebat auctoritate apud suos & vicinos Principes, in pervigilio D. Bartholomæi, quod ex vetustis Huxtariensium literis accepimus, rursum Tutor Corbeiensium est delectus. Nam quantum ex ceteris eorum temporum monumentis accipimus; Thymo Abbas, & celebre illud Cœnobium magnoperè nobilium ac prædonum insolentiâ infestabatur. Quam in rem Simon Episcopus noster Collegium Canonicorum D. Pauli, quod in ripa Visurgis intra Cœnobium & Huxtariam erat, pro Episcopali auctoritate ejus loci, transtulit in ipsum Huxtariæ Oppidum; id quod exinde S. Petri Collegium appellatum est, Ecclesia ejus loci Collegium transmutata. Quæ per has tabulas consignata posteris esse voluit. Simon Episcopus iterum Tutor Corbeiensium delectus. Collegium Canonicorum foris situm in Oppidum Huxariense transfert.

Symon Dei gratia Paderbornensis Episcopus, omnibus hanc paginam inspecturis salutem in vero salutari. Cum omnis ætas ab adolescentia sua prona sit ad malum, ideoque hominum malitia succrescente in tantum invaluerit prædonum audacia, quod viri Ecclesiastici maxime sæculares Canonici extra munitiones nequeant cum securitate debita Domino famulari. Nos attententes, quod una conventualis Ecclesia sita inter Corbeiam et Huxar. nostræ diœcesis propter prædonum insultus et tribulationes varias honore debito in divinis, et in observantia religionis antiquæ est, modis omnibus destituta, et Canonicorum ædificiis destructis incendio, ipsi necessitate urgente nolentes et dolentes reliquerunt eandem Ecclesiam desolatam, et insuper perpendentes utilitatem in vario præbendarum incremento ipsam Ecclesiam cum suo conventu et cum reliquiis beati Pauli et beatæ Luttrudis cum sepultura mortuorum, et Sc̃otis nostri Capituli et aliorum discretorum accedente con-

conſilio et conſenſu in locum alium munitum videlicet Huxar *in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti transferimus ad Eccleſiam beati Petri, volentes et conſtituentes et in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandantes, ut Præpoſitus, Decanus et Capitulum ſic translati à nobis diſciplinam et religionem, quam ipſorum Anteceſſores in nova Eccleſia olim conſueverant ſervare obſervent, ac omnem honorem et juſtitiam, quam Corbeienſes Eccleſiæ ſtatutis temporibus in proceſſionibus facere conſueverunt, in Huxar reſidentes ipſi Corbeienſi Eccleſiæ faciant reverenter, ac ſi in nova Eccleſia perſonaliter reſiderent. Volumus etiam et conſtituimus, quod dicta Eccleſia S. Petri cum ſuo conventu et cum ſua emunitate gaudeat, quantum ad libertatem tam in perſonis quam in rebus privilegio, quo gaudet noſtra Paderb. Eccleſia ſecundum conſtitutiones canonicas et legales. Præcipimus etiam quod dicta nova Eccleſia auctoritate Capituli S. Petri Huxar per honeſtum et bonæ converſationis presbyterum officietur perpetuo in divinis. Ut autem hæc rata et in confulſa ſubſiſtant præſentem litteram tradidimus noſtri et Capituli noſtri ſigillorum appenſionibus roboratam. Actum et datum in Paderborn anno Domini* MCCLXVI. v. *Calend Maji.*

Simon Ep. Cœnobiis Gerdenſi & Hardehuſano, benefacit.

Animo deinde converſo in Cœnobia religioſorum, Simon Iburgi in arce ſua varias donationes, Gerdenſi Virginum Cœnobio factas auctoritate Epiſcopali ratas habet. Inde Lovenæ pro tribunali in congreſſu præſulum ac nobilium jus dicendo moleſtam litem Gerdenſibus motam decidit. *Teſtes* ſiſtuntur *venerabilis Dominus Thymo Abbas Corbeienſis, Hermannus Hoſpitalarius, Albertus Comes de Everſtein, Joannes de Kalenberg, Godſcalcus et Gerhardus de Dinckelburg, Udo de Wethen, Hermannus, et Joannes de Patberg, aliique complures* è nobilitate viri. *Acta ſunt hæc in octava Nativitatis B. Virginis, anno* MCCLXVI. Simul ex his aliiſque literis conſtat, non omnem adhuc Everſteniorum Comitum ſtirpem, poſt actum in furcam Comitem Eberſtenium, ut ſupra ex aliorum narratione retulimus, ad Viſurgin extinctam fuiſſe. Alijs præterea tabulis hujus anni Simon Epiſcopus ampla decimarum bona in pagis Dasburg & Corbeke, quæ ex feudo ad ipſum reciderant, Cœnobitis Hardehuſanis dilargitur, dilectus cumprimis, ut fatetur, ſingulari in religioſos viros affectu. Verò ſicuti ex conſenſu Capituli facere neceſſe habuit; ita tales magno munero adſcribuntur è clero, & nobilitate, actaque hæc referuntur Paderbornæ IV Calend. Maji.

Annus Chriſti 1267.

Clementis IV. Pont. 3.
Richardi & Alphonſi Reg. II.
Simonis Epiſc. Pad. 21.

Annus inſequens, qui Chriſti affluxerat MCCLXVII, Simoni Epiſcopo honorificus fuit duorum Archiepiſcoporum congreſſu. Nam cùm per id tempus, ut Gobelinus noſter memorat, Wernerus Mo-

Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, acerbis calculi doloribus cruciaretur, audijssetq; D. Liborium eo in genere morbi celebrem esse miserorum patronum, multosque ejus implorata ope cœlitus juvari; fama miraculorum excitus, confisusq; Paderbornam accessit. Atque is postquam à Simone Episcopo benignè exceptus, ad Divi corpus, quod apud nos ex Gallijs translatum colitur, supplex procubuit, votaque exsolvit, omni deinde calculi dolore liberatus est. Lætusque non minus, quàm gratus Archiepiscopus literas mox vulgavit, quibus 40 dierum indulgentias elargitur omnibus, quotquot in Moguntina sua diœcesi subsidia ad restaurationem basilicæ Paderbornensis collaturi essent; id quod publicum simul testimonium ac monumentum hujus cœlestis beneficij fuit. Ac Simon Episcopus noster suam erga Divos testatus pietatem, festum undecim millium Virginum denuo celebre esse voluit.

Gobelin. aetat. 6. c. 67. Archiepiscopus Moguntinus, implorata D. Liborij ope, calculi doloribus Paderbornæ liberatur.

Alter Simonis Episcopi nostri congressus fuit cum Engelberto Colonienſi Archiepiscopo, pro Tutoris Corbeiensium munere, quo uterque se inscribit in literis mox producendis. Enim vero cùm per id tumultuarij interregni tempus multis injuriis & spoliis tractarentur Corbeienses à vicinis, ausus est & Adolphus Waldecensis Comes arcem & Oppida & bona Corbeiensium per vim invadere, adscitis in societatem belli Widekindo filio, Osnabrugensium Episcopo, ceterisque nobilibus & clientibus etiam Corbeiensium, quorum rapaces manus pronæ erant in spolia Ecclesiarum. Hos Simon Episcopus noster, pro Tutoris munere, armis suæ diœcesis, & Corbeiensium est aggressus, multosque perfidos fiduciarios in vincula traxit. Id verò bellum cùm tumultuarijs dimicationibus alterniſque deprædationibus traheretur per has Westfaliæ partes, ne latius serperet, indixêre tutores Episcopi Engelbertus Colonienſis, & Simon Paderbornensis Episcopi publicum in campo conventum; ad quem præter Comites & equestris ordinis viros evocati sunt Gerhardus Monasterienſis & Widekindus Osnabrugensis Episcopi, quorum judicio & arbitrio transactum est inter Thymonem Corbeiensem Abbatem, & Adolphum Waldecensem Comitem de castro Lichtenvelt olim etiam à Dithmaro Abbate instaurato duobusque Oppidis Sassenberga, & Vorstenberga ceterisq; possessionibus Corbeiensium à Waldecensi interversis; latius enim per Waldecensem Comitatum se porrigebant bona Corbeiensium, quàm Comitum rapacitas ferre poterat; ipsumque adeo Corbacum, quod nunc primarium Waldecensium Comitum est Oppidum, vetus Corbeiensium possessio erat. Quæ eò indignius per spolia rapi ferebat Simon Episcop⁹ noster, quòd per eundem Comitatum se quamlatissimè porrigeret jurisdictio sacra Paderbornensis Ecclesiæ; quemadmodum Corbacum etiam Sedes erat Vice

Simonis Ep. studium in reprimendo Waldecensi Comite, Corbeiensibus infesto.

Archidiaconi Paderbornensis. Igitur ut compositione fumus belli sopiretur, in hunc modum transactio partium arbitrio facta est.

Compositio discordiæ inter Engelbertum Arch. Colon. Simonem Ep. Paderb. & Comites de Waldeck.

In nomine Domini Amen. *Nos Engelbertus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ac sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, et Simon eadem gratia Paderbornensis Episcopus recognoscimus et tenore præsentium protestamur, quod discordia, quæ inter nos et amicos nostros ex parte una, et nobilem virum A. Comitem de Waltecke et amicos suos ex parte altera dudum extitit, sopita est amicabiliter sub hac forma. Quod nos qui nunc Corbeiensis Ecclesiæ tutores existimus, de consensu Abbatis et Capituli dicto Comiti et heredibus suis de Waltecke castrum Lechtenvels, et duo oppida Sassenberg ac Vorstenberg dictæ Ecclesiæ pertinentia cum hominibus, terris, possessionibus, et omnibus juribus suis ab Oppido Corbeke, et sursum versus Lichtenvels pro septingentis marcis denariorum apud Corbeke et Medebeke, legalium Ecclesiasticis beneficiis, et Ministerialibus duntaxat exceptis, obligamus, quæ in vigilia, vel in sancto die, aut in crastino Beatæ Walburgis, et non in alio anni termino annis singulis pecunia integraliter persolvenda infra oppidum Corbeke dum volumus et poterimus redimemus, et qui pecuniam Corbeke adduxerint, firmum conductum habebunt illac veniendi et ad propria redeundi. In cujus rei robur testimonium nos dictæ Ecclesiæ Abbatem et Capitulum cum effectu inducemus ut præfatam obligationem ratam et gratam habeant, et eam sub patentibus literis approbent et confirment. Promissum est etiam, quod dicta Ecclesia ad redimendum castrum et Oppida præfata cum omnibus juribus suis quocunque modo nobis ab Ecclesiæ tuitione cedentibus liberam habebunt facultatem in annis et terminis prænotatis. Si vero dictas literas Abbatis et Capituli procurare non potuerimus, nos præfatum Comitem et heredes suos ab omni actione tam spirituali quam sæculari, quæ contra ipsos ratione dictæ obligationis et bonorum à quibuslibet moveri poterit, penitus absolvemus, ipsis insuper contra omnes in dictis castro et oppidis injuriam et violentiam ex parte Ecclesiæ Corbeiensis ratione dictæ obligationis facere volentes, tam spirituali quam seculari brachio pro nostris viribus favorabiliter consilio et auxilio succurremus, salvo omni jure omnium dictos terminos inhabitantium, ita quod quilibet bona hactenus et nunc obligata per memoratum Comitem et heredes suos redimi non poterunt, nisi possidentium vel Ecclesiæ fuerit voluntate. Præterea sepedictus Comes cum decem militibus, Comes de Arnesberg et filius suus cum sex militibus firmam præstabunt cautionem, ut cum memorata pecunia integraliter persoluta fuerit, prout superius est expressum, castrum, oppida, et bona prænotata cum integritate omnium suorum Corbeien. restituentur Ecclesiæ, et inhabitatores eorum jurabunt, quod eidem pertineant, ut tenentur. Nos Dei gratia E. Colon. Archiepiscopus, S. Paderb. G. eadem gratia Monasterienſis Episcopi, W. Osnabrugensis electus, O. de Marca, F. de Retberg Comites, H. Dominus de Lippia, H. Burchgravius de Stromberg, H. Marscalcus Westfaliæ, Hermannus de Monasterio, Wezelus de Lembeke, Hugo Ursus, Bernhardus*

hardus de Beveren, Henricus et Bertholdus fratres de Susato, Gervvinus de Rankenrodte, Godefridus de Huvele, Thidericus dictus Valenspit, Hermannus de Mervelde, Nicolaus de Beveren, Albertus Dapifer, Albero dictus Criveth, Rodolfus de Horne, Herboldus de Amelungessen, Johannes de Brocbeke et Conradus de Etlen, dicimus publice omnia supra dicta per nos amicabiliter fuisse, et concorditer ordinata, quod nos qui sigilla non habemus sigillis appensis contenti sumus. Actum et datum in campo apud Distide. Anno Domini MCCLX *septimo in Vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ.*

Adsunt præterea Simonis Episcopi literæ, quibus in captivos nobiles de Itteren, ac ceteros perfidos Corbeiensium clientes, quòd Adolpho Waldecensium Comiti adversus suos Dominos militassent, sæverè animadvertitur; quos non prius captivitate laxari permisit, quàm jurarent se Paderbornensi Episcopo & Corbeiensi Abbati cum XII armatis equitibus per triennium militaturos, quorum singuli phaleratum equum ducerent in omnem expeditionem parati. Literæ hæ pridie Natalis Virginibus consignatæ in oppido Volmersen. Ea sanè tum temporum & prædonum licentia erat, unde sagum pro toga sumendum erat sacrorum præsulibus, aut jactura omnium sacrorum bonorum facienda.

Nec Engelbertus Colonienſis Archiepiscopus multum ab hac transactione quietus fuit, quando hoc ipso anno rursum tumultuatum Coloniæ inter plebem & optimates. Et cùm ad malum illud persanandum evocaretur à patriciis in urbem Wilhelmus Juliacensis Comes, auctoritate atque armis per id tempus prævalidus, discordantes quidem optimates cum plebe composuit; verùm urbem contra Archiepiscopum longe graviori vulnere concitavit. Quo comperto Archiepiscopus arma convertit in Juliacensem, contractoque milite, quem nobilitas, clientes & Clivienſis Comes submisêre, cum subitario exercitu, præcipitantius quàm ab amicis probabatur, movit in hostem. Nec segnius Wilhelmus Juliacensis Comes ac filius contraxere suas ac fœderatorum copias, quibus adversus Archiepiscopum processum; ventumque est ad locum, qui sylva Mariæ dicitur inter Tulpetum & Lochonich. Ibi, ut auctor chronici M. Belgij memorat, commissum est acre prælium. Cæsus captusque Archiepiscopus, & per tres annos supraque in Nidecano carcere à Juliacensi constrictus hæsit. Pugnæ huic interfuit Gerhardus Comes Marcanus, Monasterienſis Episcopus Juliacensis partes secutus, captumque Archiepiscopum sine sensu doloris spectavit. Ob quod inhumanum facinus à Clemente Pontifice anathemate percussus, & diœcesis Monasterienſis interdicto sacrorum subjecta est. Vir erat Archiepiscopus indole bonus & benignus in omnes, sed bello infelix; quòd malitia temporum non ferret optimos Ecclesiarum præsules, nec ipse Conradi antecessoris Archiepi-

Chron. Colon. Chron. M. Belgii. Gelen. actis ex Archi. product. Heisterus in suffrag.

Iterata Coloniensium rebellio indeque prælium, quo victus captusque Archiep. Colon.

scopi consiliis paruisset, à quo designatus successor, jussus fuerat obsides, & rebellia Colonienſium civium capita retinere in custodia; quos dum Engelbertus pro ingenij bonitate laxarat vinculis, illi beneficium convertêre in novam rebellionem, attractoque in societatem perduellionis Juliacensi Comite, homine superbo, contempsêre Clerum et sacrorum præsules, quos per omnem vitam multis injuriis & spoliis divexarant. Auctor est Ubbo Emmius hoc eodem bello præsulem Paderbornensem à Gerhardo Monasterienſi Episcopo captum esse, cujus rei ego nullum vestigium reperio in monumentis nostris; quamvis mihi facilè persuaserim Simonem Episcopum nostrum Colonienſi auxiliares copias submisisse.

Ubbo Emmius lib. XI histor. Frisi.

Multis hæc denarrantur in chronico Colonienſi, sed ordine temporum confuso. Sanè captivitatem Archiepiscopi ad exitum hujus anni referendam esse, satis docent ea, quæ Clemens Pontifex scriptis anno statim proximo per Castanetum Legatum suum egit pro liberando Archiepiscopo, uti id multis deducit Gelenius & Hesterus ex actis Colonienſis Ecclesiæ.

Gelen. tom. 2 Biblioth. M.S. Hesterus in Suffrag.

Annus Christi 1268.

Clementij IV Pont. 4.
Richardi & Alphonsi Reg. 12.
Simonis Ep. Pad. 22.

At longè tristior anno proximo casus Conradini juvenis, quòd Conrado Rege genitus, unicus supererat Imperatoriæ familiæ heres, à Germanis quibusdam Principibus & Henrico Romanæ urbis præfecto persuasus, ingentes copias è superiori Germania contrahit, quibus per Alpes in Italiam cum Friderico Austriæ Duce ceterisque Germaniæ proceribus transcendit ad recuperandam Siciliam, & paternæ hæreditatis regna adeunda. Ac felicia Conradini erant initia; & postquam Gibellinorum accessione auctus, magno cum triumpho à multis Italiæ populis est exceptus, frustra obstante Pontifice, in cujus conspectum Viterbij etiam acies victorem modum explicare visus. Ad quæ cùm ij, qui circum Pontificem erant, trepidarent: Pontifex omnis, inquit, hic conatus, fumus istar brevi evanescet. Ferunt præterea Pontificem, cùm Viterbij è muro Conradinum & Fridericum Austriæ conspexisset, cum gemitu dixisse: video hos duos adolescentes tanquam victimam duci ad mortem; nec vaticinium dicto abfuit. Etenim non multò post deventum ad prælium haud procul Neapoli, quo Conradini & Caroli Andegavensis acies commissa. Pugnatum acerrimè tribus horis, & jam pro victore se gerebat Conradinus, ordinesque in prædam solvebantur; quando hoc animadverso Carolus cum expedito militum globo coortus totam aciem disjicit in fugam: & Conradinus è fuga retractus, agnitusque ex annuli indicio, una cum

Stero. Paduanus Monach. S. Anton. Siffrid. Odoricus in histor. Eccl. Conradini Ducis inreritus, quo cum familia Suevia extincta.

cum Friderico Austriæ Neapoli à carnifice obtruncatur. Tragicus vitæ exitus, quem præter Nangium, Villanum, Steronem, aliosque Lipsius eleganti stylo dedit. Auctor est Nangius, antequam victoris gladio percuterentur, permissum in vicino sacello audire Sacrum funebre, quod pro ipsis tanquam defunctis oblatum, factaque confessione ad supplicium ductos. Ita verò in Conradino extincta Sueviæ Ducum, tot Regum atque Imperatorum familia, Deo, ut Paduanus scripsit, in tertiam quartamque progeniem ulciscente parentum in sedem Romanam delicta. Sueviam orbatam herede, ut, ruente quercu, quilibet ligna colligit, divisere Badenses, Wirtenbergenses, & Habsburgij. Haud levem interim apud Principes invidiam contraxit Carolus ob severitatem supplicij, eoque à Pontifice etiam objurgatus; tantum abest, ut Pontifex suasor necis haberi possit. Quanquam alij post obitum Pontificis supplicio demum affectum memorent. Excessit Clemens Pontifex in pervigilio S. Andreæ, sedemque duobus annis ob diversa Cardinalium studia vacuam reliquit, nova temporum calamitate, quòd præter Imperij accederet Sacerdotij interregnum. Moritur Clemens Pont. & Sedis 2 annis Vacat.

Ceterum per Saxoniam res quietæ, aut obscuræ potius Scriptorum inopiâ, neque in Simone Episcopo aliud subministrant monumenta nostra, quàm quòd Præposito & Cœnobio Gerdensi venditionem bonorum publicis tabulis in conventu nobilium & multorum testium Jburgi ratam habuerit; & quia eadem bona Adolphi Comitis Waldecensis feuda erant, ipse jure feudi ultro cessit, permisitque Gerdensium Virginum Cœnobio transcribi. Qua super re Comes publicas, quæ apud nos extant, tabulas confecit, suo, & Widekindi filij electi Osnabrugensis, ut vocat, Episcopi sigillo consignatas. Adeo jam Simon & Adolphus Comes Waldecensis in unam donationem, & bonam amicitiam convenerant; quantumvis antea armis inter se pugnârant. Rursumque his literis Widekindum filium electum ac nondum consecratum Osnabrugensem Episcopum lego, ut verisimile habeas, Widekindum non ita pridem Brunoni Episcopo in ea Ecclesia Osnabrugensi subrogatum; quam tamen successionem alij ad annum 1260 reducunt. Nec minus falli dixeris, qui Widekindum Episcopum hoc anno extinctum tradunt, subrogato Balduino de Rusle in sedem Osnabrugensem.

Annus Christi 1269.

Sed. Vac. 1.
Richardi & Alphonsi Reg. 13.
Simonis Episc. Pad. 23.

Sauciabat per hæc multorum animos indigna Engelberti Coloniensis Archiepiscopi captivitas; & Juliacensis Comes, morte Cle- *Litera Constaneti apud Gelen. M. S.*

Archiep. Colon. è captivitate liberatio, factâ conspiratione, frustra tentatur.

Chron. Colon. Chron. M. Belgij. Levoldus.

Clementis Pontificis obstinatior, facilè eludebat Constantini L gati labores, pœnisque Ecclesiasticis liberationem urgent. is Quem admodum hæc constant ex publicis Constantini literis, ceterisqu ad Henricum Spirensem Episcopum, ad Præpositum & Decanum Osnabrugensem, ad Præpositos Agrippinates SS. Gereonis & G orgij, quibus Juliacenses interdicto sacrorum castigari jubet. A nulli magis exacerbati captivitate Archiepiscopi, quàm ejus consa guinei, affines, confœderatique. Horum vindicta primùm ver in Colonienses. Opportunitas ad id oblata est conspiratione qu rundam civium, quos inter veteramentarius cum tugurium incol ret, sub arcu muri clam murum perfodit, aditumq; aperuit, per quem armatum virum cum equo intromitteret. Igitur, ut conspiratum erat, ad condictum diem convenêre Walramus Limburgicus Du Theodoricus Valckenburgicus Archiepiscopi frater, Dominus d Hinsberg, alijque conjurati, noctu urbem intrant, magnoqu numero se colligunt; detecta proditione, convolant cives, & p quod intrarant foramen muri repellunt; trucidatus Valckenburg cus Archiepiscopi frater, captus in ipso ostio muri, extractus Limburgicus, ceteri aut cæsi, aut elapsi. At hæc dum Levol Auctor Chronici Belgij, & vetus Coloniæ inscriptio ad hunc num MCCLXIX referunt, haud video, uti post liberationem Archi piscopi factam narrentur, quem in triennij carcere adhuc hæsi oportuit.

Simon Ep. prædium quoddam prope Burenam Cœnobio Holthusano vendit.

Simon Episcopus noster, qui per tumultuaria bella mult impensas fecerat, cùm multa alia Ecclesiæ bona, tum hoc an prædium Holthusanum prope Buranum Oppidum, ex consen Cathedralis Collegij, Virginibus Holthusani Cœnobij vend necesse habuit; quod his publicis literis ob memoriam Canonic rum, quos inter Otto Comes Retbergensis Simonis Successor, ferre visum est.

Simon Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Omnib hanc literam visuris perpetuam in Domino salutem. Ne gesta in tempo lapsu temporis evanescant, utiliter scripturæ memoriæ commendan Noverint ergo præsentes pariter et futuri, quod cum villicationis curtis Holthusen/ *prope* Buren *proprietas et dominium ad nos et Capitulum n strum Paderbornense pertineret, Nos Decani et Capituli nostri accede consensu prædictam villicationem et prædictæ villicationis aream cum su pertinentiis Abbatissæ et conventui Sanctimonialium Ordinis Cistertiens habitantibus nunc ibidem pro LX. marcis legalium denariorum, quos ad opus Ecclesiæ nostræ in necessitate erogavimus, de communi consensu Capi tuli nostri vendidimus, et contulimus jure proprietatis et dominij perpetu possidendam, Ab annua pensione duarum marcarum, quas Obedientiario qui pro tempore fuit, solvere consueverunt, præfatum conventum tenore præ sentium absolventes; et ne unquam inposterum de prædicta villicatione*

et

et Capitulo nostræ Ecclesiæ, vel à nostro Successore de prædictis quæstio valeat moveri, duarum marcarum reditus prædictæ pensionis nostræ, de consilio et consensu Capituli Ecclesiæ nostræ, et Molendino nostro sito infra muros Paderbornenses persolvendos assignavimus perpetualiter pro restauro. Acta sunt hæc coram Hinrico Præposito, Rabadone Decano, Everhardo de Hervordia, Magistro Joanne de Scildesce Cantore, Widekindo de Osethe, Joanne de Messingh/ Hinrico dicto Lusco Cellerario, Walthero Thesaurario, Hermanno de Summingh Scholastico, Theodorico de Susato, Ottone de Retbergh/ Camerario, Wernero de Patbergh/ Friderico Amelungo, Bernardo de Warentorp/ Theodorico de Lippia Præposito Orientali, Magistro Conrado de Boümelo, Bartoldo de Assenbergh/ Magistro Thetmaro, et aliis quamplurib. sacerdotibus, et Laicis Ottone Comite de Ravensbergh/ et Nobilibus viris fratribus Dominis de Lippia, scilicet Bernardo et Hermanno. Ut autem perpetuis temporibus firma permaneant, nos hanc litteram appensione nostri sigilli duximus roborandam. Nos etiam Decanus et Capitulum præfatæ collationi consentientes Ecclesiæ nostræ sigillum duximus apponendum. Actum et datum Paderbornæ, Anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo nono, XIII Calend. Novembris.

Locus Sigilli Episcopalis.

Locus Sigilli Capitularis.

Annus Christi 1270.

Sed. Vac. 2.
Richardi & Alphonsi Reg. 14.
Simonis Episc. Pad. 24.

Anno dehinc septuagesimo supra millesimum ducentesimum S. Ludovicus Galliarum Rex alteram illam expeditionem adversus Saracenos ex magno belli apparatu suscepit in Affricam, totSriptorum calamis celebratam; cui se Carolus frater Siciliæ Rex, Theobaldus Navarræ Rex, multique Galliarum proceres adjunxêre. Facta exscensione, capta Carthago; & dum ad Tuneti expugnationem expeditur Carolus, exercitus lue corripi, absumique cœpit, qua haud multò post S. Ludovicus Regum Francorum glorioſissimus absumptus est. Per id tempus & Frisij nostri, ut auctor est Erfurtensis Monachus, ad sacram militiam recepto crucis signo convolarunt, contractoque supra quadraginta millium bellatorum exercitu, conscenderunt classem; utrumne adversus Saracenos, an barbaros in Livonia auctor suppressit. At Ubbo Emmius à quo res Frisicæ diligenter conscriptæ, auctor est, Frisios à Ludovico Rege invitatos ad sociale bellum adversus Saracenos; quam in rem submissus sit à Pontifice Gerhardus Legatus, vir religiosus ac facundus, cujus opera convocatus populus, inflammatusq; sese classi S. Ludovici junxerit.

Expeditio contra Saracenos, in qua S. Ludovicus obijt.

Paduanus Monachus Gaufridus in vita S. Ludovici. Villanus l. 7. Nang. de gest. S. Ludovici Guvilel. Carnet. Stero in Annal. Erfurt. Monach. in addit. ad Lambert.

At

Schaffn. Ubbo Emmius l. XI. Histor. Thuring. Spangenberg. in chron. Dilichius in chron Hass.

At domesticum nobis bellum, quod in hunc modum scribit auctor historiæ Thuringensis. Anno MCCLXX Westfali de Episcopatu Paderbornensi intrârunt Hassiam, adversus Henricum Landgravium pugnando, multaque damna intulerunt. At postquam arma collegit Landgravius, rejecti sunt cum clade Westfali, occisis centum quinquaginta militaribus viris, ceteris per fugam servatis: capti fuêre centum & viginti, qui deinde vitam ingenti pecunia redemêre. Bellum hoc Spangenbergius & Dilichius à Simone Episcopo nostro illatum memorat, Oppidaque Wolfhagen, Immenhausen, & Grebenstein spoliis evastata esse. causam belli nemo prodidit; lacessitum tamen Hassorum injuriis, tam facilè crediderim, quàm pronum fuit ea tempestate civiles Principes vicinosque nobiles involare in jura & bona Ecclesiarum. Quemadmodum Landgravius modò cum Abbate Fuldensi, modò cum Moguntino Archiepiscopo pro juvenili ætate collisus refertur. Nec enim ij tantum sunt boni Episcopi in Germania (ubi Principes simul imperij munus gerunt) qui ex toga modestiam, sed fortitudinem etiam ex sago, ubi res poscit, exserunt. Et pacis studium in Simone commendat pax Castrensis, quam inter Buranos, Dynastas, & cives Stipidi Burani secundo Februarij die composuit.

Simon Ep. colliditur cum Landgravio Hassiæ.

Annus Christi 1271.

Sed. Vac. 3.
Richardi & Alphonsi Reg. 15.
Simonis Ep. Pad. 25.

Richardi Regis obitus. Appendix ad Paris. Stero. Nangius de rebus gestis Philippi. Odoricus in histor. Eccles. Spondanus Histor. Landg. Thuring. Brovver. l. 4. annal. Fulden.

Moritur post illa Richardus in Anglia, quarto Nonas Aprilis alter Germanorum Rex. Nec propterea Alphonsus alter Rex, delectus ex Hispanis, pedem intulit in Germaniam, solo regio titulo contentus. Idemque hic annus novum Pontificem dedit; delectusque absens in legatione Orientali, Calend. Septembris, Theobaldus Archidiaconus Leodiensis, patria Placentinus, ac Gregorius x. appellatus; vir religione, prudentia & liberalitate in egenos egregius. Is verò quòd anno sequenti in Quadragesima consecratus Pontifex nonnulli ejus Pontificatum ab hoc tempore auspicantur.

Neque in Germania quicquam memorabile ex hoc anno praeter nobilium tumultuaria arma, & ingentem famem quam in tres annos continuatam scribit Siffridus presbyter, multorum mortalium interitu. Per hanc nobilium clientumque insolentiam in suos præsules, tres vasalli Bertholdum Fuldensem Abbatem in suo sacello intra Missarum solemnia confodiunt, revulsoque ab humeris capite truncum corporis ante altare in sanguine voluntatum profugi relinquunt. Nefandum scelus, cujus Deus mox ultor fuit cùm per interregnum justitiæ gladius exularet.

Occiditur à Vasallis suis, tempore sacri, Bertholdus Abbas Fuldensis.

Obtigit

Obtigerat interim per hæc turbulenta tempora priscæ pietatis spectatæque virtutis Moguntinæ sedi Wernerus Archiepiscopus, columen Christianæ religionis, qui pro veteri instituto Metropolitanorum quotannis subjectas suæ Metropoli diœceses aut per se, aut per suos legatos instituere solitus, ne quid in disciplina Cleri, populique à se neglectum desideraretur; id verò cùm pro Metropolitani auctoritate & sollicitudine muneris hoc anno ageret Wernherus, videretque Simonem Episcopum fortè bellicis magis & civilibus, quàm sacris intentum multa negligere, misit in diœcesin nostram Arnoldum de Solmessen è Canonicis suis, & Magistrum Hermannum Decanum, visitatores, cum hisce ad Simonem Episcopum literis.

Mittuntur à Metropolitano ad Simonem Ep. Visitatores.

Wernherus Dei gratia sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam Archicancellarius, venerabili in Christo Fratri Domino Paderburnensi Episcopo, viris quoque honorabilibus Præpositis, Decanis, Capitulis, conventibus, tam regularibus quam sæcularibus, totique clero civitatis et diœcesis Paderburnen. salutem et sinceram in Domino karitatem. Licet ex officii nostri debito teneamur annis singulis circa nostram provinciam visitationis officium exercere, fratrum tamen et Coëpiscoporum nostrorum, nec non Cleri nobis et eis subditi, non absque læsæ conscientiæ scrupulo, pepercimus usque modo laboribus et expensis. V^m^g q^m^ nunc demum commisso nobis officio decrevimus adjuvante Domino operam impendere aliqualem, aliquas provinciæ nostræ diœceses, ubi commode fieri poterat, per nos ipsos, quasdam etiam per discretos viros Ecclesiæ nostræ Canonicos curavimus visitare. Hinc est igitur quod universitatem vestram requirimus, et in Domino diligentius exhortamur, nihilominus Metropolitica vobis auctoritate in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatinus cum propter statum terræ multipliciter inæqualem ad vestra non possimus præsens confinia personaliter nos conferre, discretos viros Arnoldum de Solmessen Ecclesiæ nostræ Canonicum, et Magistrum Hermannum Decanum Ecclesiæ S. Victoris Mogunt. pro exequendo hujusmodi visitationis et correctionis officio à latere nostro missos cum reverentia debita admittatis. Ipsi siquidem ex causa hujusmodi ad vos venient proxima feria secunda post dominicam lætare proxime nunc instantem. Datum Maguntiæ, Anno Domini MCCLXX *primo.* VII *Idus Februarij.*

Annus Christi 1272.

Gregorij X Pont. 1.
Alphonsi Reg. 16.
Simonis Episc. Pad. 26.

Tenebatur per hæc forte dispari Nidecani castri incluſus carcere Engelbertus Colonienſis Archiepiscopus à Wilhelmo Juliacensi Comite; nec ullus Principum tanti præsulis liberationem magnopere

Chron. Colon. Literæ Gregor. X.

Archiep. Colon. è captivitate sua certis conditionibus liberatur,

pere suscipiebat. Ea tum temporum erat iniquitas, ea vel unius Comitis insolentia, conspiratione Episcopi Leodiensis, Trajecten. sis, & Monasterienſis innixit. Tandem Archiepiscopus diuturni carceris, & malorum pertæsus fertur ad se Colonia evocasse Albe tum Magnum Ordinis D. Dominici Provincialem virum ea tempe state summæ apud omnes auctoritatis, cujus prudentia pax pri mùm inter Archiepiscopum & Colonienſem urbem in Basilic B. Virginis ad gradus in certas leges convenit: transactumqu deinde cum Juliacensi Comite, quamvis legibus multò iniquior bus, secundum quas Archiepiscopus demum carceribus laxatus, a liberam Ecclesiæ suæ gubernationem rediit.

Quas tamen rescindit Gregorius Pont.

At Gregorius Pontifex postquam edoctus accepit, quàm in què actum esset cum Engelberto Archiepiscopo, transmisso diplo mate omnia pacta, quæ cum Colonienſibus & Juliacensi Comit ex carcere vi metuque ad actus inierat, rescidit. Quemadmodum id Pontificis literæ apud urbem veterem 8 Idus Septembris anno primo Pontificatus datæ, & à Gelenio ex tabulario Colonienſi duct æ testantur.

Puniuntur reliqui Episcopi conspirationis in Archiep. rei.

Sensêre & reliqui Episcopi pœnas suas, quotquot in capti tatem Archiepiscopi conspiraverant. Leodiensis post in concil Lugdunensi exauctoratus: Gerardus Monasterienſis Episcopus dir proscriptus, simulque diœcesis interdicto subjecta; ad quam Ep scopi sui proscriptionem, alij procerum in exauctorationem E scopi sui abiêre, alij in fide Episcopi persistendum censuêre. Q in discordia, cùm omnia turbis & deprædationibus miscerent nec auctoritas Episcopi valeret ad reprimendam nobilium & M nisterialium insolentiam, primores Capituli Ottonem Teclenbu genſem Comitem elegêre Tutorem diœcesis, quod genus patr cinij tum frequens erat adversus potentum injurias, aut intestin motus continendos, cùm nec Regem nec Imperatorem habe Germania, ad quem discordantes partes, oppressive provocare

Annus Christi 1273.

Gregorij X Pont. 2.
Rudolphi Imper. 1.
Simonis Ep. Pad. 27.

Stero in Annal. Albert. Argent. Trithem. Guvuliman. lib. 7. Orig. Austr. Annal. Colmariæ Siffrid. presbyter

Illuxit tandem pro votis omnium annus serenissimus, qui pol tot Imperij turbas, & sedecim annorum interregnum Rudolphum Imperatorem dedit, magnis Germaniæ Imperatoribus, religione justitia & rebus præclarè gestis exæquandum. Auctor electioni summus Pontifex Gregorius x, ut vel inde recognoscant heterodox Deum per Romanos Pontifices laboranti Ecclesiæ prospicere. I cùm videret Germaniam Principum factionibus, nobilium inso lentia, urbium rebellione, privatorum latrociniis, ac tumultuarij armis

armis jam à tot annis fœdum in modum lacerari, missis in Germaniam legatis, sevêre commonefecit Principes, ut citra cunctationem atque ambitum sibi deligerent eum Imperatorem, qui conturbatam Rempub. in pristinum statum reponeret. Qua in re quisque suam conscientiam conveniret; ne alium aut partium studio, aut depravato animo sumerent, quàm eum, quem maximè Imperatoriis virtutibus dignum censerent; Deum enim singulorum judicem, secus si fecerint, justas exacturum pœnas. Quæ enim morum & legum sit confusio, quæ per omnes provincias judiciorum perturbatio, quæ civilia arma, quæ urbium rebelliones, quæ spolia sacrorum bonorum, quæ disciplinæ in barbaros etiam mores prolapsio sit, satis ipsos in conspectu habere: omnia circum regna suos habere Reges, solam Germaniam, penes quam Dei providentia, & Romanorum Pontificum beneficio, & Electorum sit potestas, & Imperatoria majestas, suo Rege & Imperatore jam in decimum sextum annum destitui. Eligant tandem Regem; sin minus, se aliaratione Reipub. Christianæ consulturum. His aliisque Pontificis monitis excitati Principes, sub exitum mensis Septembris convenêre Francofurti. Jbi Wernherus Moguntinus Archiepiscopus, vir ea tempestate, ut supra retulimus, religione ac sapientia facile præstantissimus, pro Rudolpho Habsburgio toto suffragatorum conatu laboravit, primumque traxit in vota Henricum Trevirensem Archiepiscopum, qui cum mille & octingentis armatis militibus accesserat; deinde Engelbertum Colonienſem Archiepiscopum sibi adjunxit. Nam Siffridus quem alii hîc introducunt, anno demum proximo post Lugdunense concilium subrogatus Engelberto. His in Rudolphum conspirantibus accessêre ceteri Electorum, Ludovicus Palatinus & Henricus Boius fratres, quibus unum conjunctumque suffragij jus erat, Albertus Saxo, & Marchio Brandeburgicus (quem postremum Argentinensis addit) spe nuptiarum cumprimis prolecti; nam senas Rudolphus habebat filias, eleganti forma, & lectissimis moribus. Solus Ottocarus Rex Bohemiæ desideratus, etiam hactenus coronâ per interregnum ipsi oblatâ.

Spondanus Odoricus. Gregorio 9 Pont. hortatur Imperij Principes ut novum Regem eligant.

Igitur concordi omnium suffragatione Rudolphus 12 Octobris, uti Argentinensis scribit, vel ut Stero circa octavam D. Michaelis absens Francofurti Romanorum Rex est renunciatus, quòd eo tempore Basileam obsideret. Accepto per Comitem Zellerarium & Henricum Papenheimium nuncio, obsidionem solvit; factaque cum Episcopo Basileensi pace, magno Principum procerumque, ac viginti millium selectorum militum comitatu Francofurtum accessit, delatumque sibi imperium acceptavit. Bopardiam cùm perventum lancea Imperialis, & corona aurea, augustalia Imperij ornamenta, Rudolpho oblata sunt. Inde recta Aquisgranum ingenti pompa ac magnificentia discessum; tantusq; fuit concursus ad

Rudolphus Comes Habsburgicus eligitur Imp. Rom.

Et Aquisgrani coronatur.

ad spectandum deducendumque novum Regem, vix ut ad tria milliaria publicæ viæ caperent hominum multitudinem. Inter Principes & Episcopos, qui Aquisgranum ad inaugurationem convenêre, numeramus Simonem Fpiscopum nostrum à Wernhero Metropolitano suo evocatum. Nihil deinde celebrius coronatione Regis Aquisgrani peractum; quam alij 3 Calend. Octobris, alij tertio post festum D. Lucæ die, alij ultimo Octobris, plerique cum Spondano Calend. Novembris in celebritate omnium Sanctorum factam volunt. Ibi verò cùm pro more majorum proceres ad juramentum fidei postularentur, ac sceptrum augustale, (incertum quo casu) non esset ad manum, plerosque religio incessit, an absente sceptro fides juranda. Tum verò Rudolphus arrepta prolataque effigie crucis, *Ecce signum*, inquit, *in quo nos et totus orbis est redemptus, hoc salutare signum loco sceptri nobis sit*. Quæ res fausto omine accepta; nec fuit ex toto Principum & procerum ordine, qui non illam crucem exosculatus, lætus sese juratusque Rudolpho obligaret. Majus etiam è cœlo prodigium adfuit. Nam eadem hora, qua Rudolphus inungebatur Rex, visa est supra Basilicam Virginis candida in aëre nubes, in formam crucis exporrecta, quasi sim in sanguineum colorem mutata evanuit; id quod anno proximo in consilio Lugdunensi patribus fide publica narratum est. Ob hæc cœlestia signa Rudolphus Cœnobium Tulnæ, quod Austriæ Oppidum est, condidit; confisusque crucis præsidio Constantini M. instar hostes exinde suos feliciter debellavit, cognomento etiam Victoriosus appellatus. Quanquam jam ante Rudolphus alio nominus illustri præsagio, aliaque Dei remuneratione ad imperij coronam destinatus. Nam cùm anno 1251 illi occurreret sacerdos Eucharistiæ Sacramentum pedestri & molesto itinere deferens ad infirmum, descendit submissus ex equo, ac toto corpore prostratus humi Christum adoravit in Sacramento præsentem; & cùm indignum diceret se equo sublimem vehi, Christum verò tam humilem deportari à Sacerdote, mox Sacerdoti equum donavit, sublatumque imposuit. Idem Domini exemplo fecit famulus, simulque equum suum Sacerdotis ministro dedit. Digressus inde Rudolphus Comes pervenit ad reclusam quandam sanctamque Virginem; quæ hodie, inquit, Deum largè sancteque honorasti; sed multò largiorem illum erga te intra triginta annos experieris, magnis honoribus remuneratus. Dixit hæc vates, & vigesimo secundo ab hinc anno Rudolphus Imperator renunciatus, Quemadmodum memorabilem hanc rem refert Serrarius ex veteri Moguntino Chronico, Annales domus Austriacæ, Chronicon Helueticum, Widmandstadius, aliique Scriptores. Natus erat Rudolphus Alberto patre Habsburgi Comite & Landgravio Alsatiæ. Nec Comes tantùm erat Rudolphus, quæ vulgi persuasio, sed Alsatiæ Landgravius, e

Guilman. Ezinger. Miræus Spondanus.

Serrarius in Wernero Archiep l. 5. Histor. Mogunt.

Rudolpho Christum in Eucharistia submisse Venerato corona Imp. prædicitur.

Serrar. l. 5. in Gerhardo Archiep. Chron. Mogunt. vet.

vete

veteri & clarissima Habsburgicorum familia, Urbis Argentinæ vexillifer, Dominus Nosbergi, Kiburgi, Mulbergæ, Grozingæ Dulaci, paterniſque opibus inter Principes Alemaniæ præpotens; at longè illustrior religione in Deum, prudentia, justitia, bellica fortitudine. Jam ante Ottocaro Regi Bohemiæ supremus magister equitum militârat; inde multis præliis, & bellicis triumphis clarus, inter præstantissimos Germaniæ bellatores celebrabatur. Nec è tanto Principum numero electuri Rudolphum erant, nisi fama hunc juxta ac virtus supra reliquos extulisset, *Annal. domus Austr. Chron. Helvet. Widmandstad. in præfat. in Syr. Schererus con. in Festo Corp. Christi.*

Filiæ Rudolphi Imp. diversis Regibus & Principibus denuptæ.

Adhuc Aquisgrani morabatur Rudolphus in comitio Principum, cùm Mechtildem filiam Ludovico Palatino Rheni, Agnetem Alberto Duci Saxoniæ, Hedwigem Ottoni Marchioni Brandeburgico tribus simul Electoribus dedit in matrimonium. Ceteræ filiæ haud dissimili honore elocatæ. Juditha Wenceslao Bohemiæ Regi, Catharina Ottoni Regi Ungariæ, ac Duci Bavariæ, Clementia Carolo tertio Regi Neapolis, nepoti Caroli Siciliæ Regis denupta. Rara hæc præ ceteris Austriacorum felicitas, connubiis auxisse potentiam. Post regnum aditum prima Rudolphi cura fuit, pacem & justitiam per Imperium restituere. Cœptumque hoc præclarum opus à Colonienſibus, qui jam multis annis cum suo Archiepiscopo dissidebant. Quam in rem Gelenius ex tabulario Colonienſi produxit Rudolphi Imperatoris literas, 5 Calend. Novembris Aquisgrani Engelberto Colonienſi Archiepiscopo datas, quibus promittit se nec per Rhenum, nec mosellam transiturum, quin Colonienſes cum suo Archiepiscopo componat, civesque ad jura Ecclesiæ reddenda compellat. Inde se convertit Imperator ad latrocinia & deprædationes per totam Germaniam extripandas. Sensimque viarum securitas & commerciorum libertas reddita, aliaque Imperij facies, qualis sub priscis temporibus fuit conspici cœpit.

Rudolphus Colonienſes compescit, & pacem Imperio restituit.

Annus Christi 1274.

Gregorij X Pont. 3.
Rudolphi I Imp. 2.
Simonis Ep. Pad. 28.

Annus insequens haud minus Reipub. Christianæ concilio Lugdunenſi salutaris, quod Gregorius x Pontifex indixit ad subsidia terræ sanctæ, ad collapsos Cleri populique mores corrigendos, ad pactum conjunctionemque Ecclesiæ Græcæ cum latina, quòd ad id Michael Palæologus Græcorum Imperator, & Patriarchæ ultro se offerrent, idemq; Tartari per legatos ad Pontificem missos expeterent. Igitur Lugduni præter Constantinopolitanum & Antiochenum Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi quingenti, alij septingentos numerant Episcopos, universim, si minores *Consil. Paris Stero in Annal. Siffrid. presby. Odoricus in histor. Eccles.*

Concilium Lugdunenſe, & acta in eo.

minores præſules accenſeantur, patres mille & ſexaginta numerati fuêre. Concilio præſedit ipſe Gregorius Pontifex. Ex Germaniæ Epiſcopis acceſsêre Wernerus Moguntinus, Henricus Trevirenſis, Engelberrus Colonienſis, Conradus Magdenburgenſis, Giſelbertus Bremenſis Archiepiſcopi: Conradus Argentinenſis, Leo Ratisbonenſis, Orto Mindenſis Fridericus Merſeburgenſis, Widego Miſnienſis, Idobrandus Eiſtadenſis Epiſcopi. Memorantur hi Germaniæ præſules è reliquorum numero pro Pontificis & conſilij voluntate recognoviſſe privilegia, ab Ottone IV. & Friderico II Romanæ Eccleſiæ poſtremùm confirmata, quæ deinde Rudolphus Imperator ritu majorum ſtabilivit, auxitque. Multa præterea eo in conſilio ſalubriter XXXI ſacrorum Canonum legibus ſunt ſtatuta. Græci in concordiam Romanæ Eccleſiæ recepti, Rudolphus Pontificis & Patrum auctoritate Imperator renunciatus, rejecto Alphonſo Rege, juſſus interim promittere, venturum ſe Romam ad Imperij coronam à Pontifice accipiendam. Nonnulla quoque de Pontificis creatione ſunt ſancita, & poſtulata quædam à Patribus, ut de Romano Imperatore creando præſcriberetur. Sed nihil ex publicis hac ſuper re reperias; niſi fortè de modo eligendi aliquid in privato Patrum congreſſu ſit ſtatutum. Quare magnopere falluntur ij, qui ſeptem Electorum numerum à Gregorio X præſcriptum demum volunt; cùm ex Scriptoribus ſupra relatis coſtet, ad Rudolphi electionem conveniſſe eo numero & ordine Electores, qui ad noſtram ætatem obtinuit. Quam in rem diſertè Albertus Argentinenſis, *Defuncto Friderico II Imperatore Principes Germaniæ virtute translationis ad ipſos ex morte Ottonis III Imperatoris facta eligere decreverunt Richardum, ijdem deinde Wilhelmum, & poſt interregnum elegêre Rudolphum Imperatorem.*

Odoricus in hiſtor. Eccleſ. Chron. Colon. Hiſtor. Brem.

Odoricus in hiſtor. Eccleſ. Coſſartius in notis ad concil. Albertus Argentin. Siffrid. presby.

Rudolphi Imp. in omnes benignitas.

Ceterum Rudolphus Imperator per omnes Imperij urbes circumvectus, incredibili omnium plauſu & obſequio eſt exceptus. Et mirum qua affabilitate & lenitate omnium ſibi animos devinxerit, jus omnibus ex æquo pro tribunali dicendo; acciditque ut infimæ ſortis homo ab acceſſu ad Imperatorem à Prætorianis repelleretur; quo animadverſo inquit Rudolphus. Quid obſecro agitis? ſinite, accedat. Quorſum Imperator ſi miſeris non ſuccurro? an ideo datus ſum ut tanquam gemma recludar in arcula Sacrarii? provectæ licet ætatis eſſet, inquit Siffridus, omnibus tamen affabilis, & jucundus ſermone. Princeps, qui mentis ſerenitatem, & bellicam fortitudinem pulcherrimo temperamento complexus erat. Nec tamen defuêre conjurati hoſtes, qui per invidiam Rudolphi exordia, ut ceterorum Regum concuſsêre, horum Dux Everhardus Comes Wirtenburgicus, conſpiratione cum aliis duodecim comitibus inita, arma in caput Rudolphi corripuit; quos ille contractis copiis ſubegit, compulitque ad obſequium. Saxonia noſtra, quæ

tamen

licet novis Regum imperiis turbida sæpe se objecerit, Rudolphum tamen ex gente Alemannica haud secus, quàm ex sua una omnium lætitia & consensione accepit. Tantus omnium amor erat in Rudolphum, ut cùm Episcopus Secoviensis, ab Ottone Bohemo missus, Norimbergæ in comitiis electionem ejus controvertere vellet, parum abfuerit, quin dejectum è concilio contrucidarent.

Engelberti Archiep. Colon. obitus.

Hoc anno Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus reverſus è concilio Lugdunenſi in diœceſin exceſſit è vita; ut falli dixeris, qui cum Trithemio, Merſeo, Browero anno 1272 defunctum volunt; niſi nos acta publica concilij fallant, ex quibus concilio cum ceteris Germaniæ Epiſcopis præſentem retulimus. Præſul ob præclaras virtutes meliori fortuna dignus! ſed optimi Principes tum ſæpe infelices, quando eorum pietatem ferre non poteſt populi inſolentia. Mortem diſſenſio excepit, aliis Conradum Adolphi Montium Comitis fratrem, Præpoſitum ad gradus B. V. aliis Sifridum de Weſtenburg Præpoſitum Eccleſiæ Moguntinæ deligentibus: illum nobilitas & populus, hunc Clerus poſcebat, qui & Pontificis judicio ſubrogatus eſt.

Annus Chriſti 1275.

Gregorij X Pont. 4.
Rudolphi Imp. 3.
Simonis Epiſc. Pad. 29.

Annales Colmar. Auſtral. hiſtor. Trithemius Vrsberg. Paralip.

Ottocarus Bohemiæ R. faſtu ſuo injuriisq; Rudolphum Imp. adverſus ſe concitat.

At Rudolphus Imperator, poſtquam Imperium ab inteſtinis prædonum malis & rebellium motibus vindicaſſet, animum adjecit ad provincias ab imperio per Interregnum abalienatas recuperandas. Cujus rei gratia Herbipoli comitia Principum per ferias Pentecoſtes indixit; miſſique ad Ottocarum Bohemiæ Regem legati, Henricus Baſileenſis Epiſcopus, & Fridericus Zolleranus, qui Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Marchiam Vinedorum & portum Naonis repeterent; has enim ampliſſimas provincias, quas dote Margarethæ conjugis adierat per interregnum, non modò clientelares ab Jmperio accipere dignatus, ſed à morte etiam Leopoldi ultimi Auſtriæ ducis ſibi hereditarias vendicare auſus; quòd Margaretham dato libello repudij abjecerat, neque ullam ex ea prolem ſuſceperat. Quam Imperii jacturam cùm indignè ferret Rudolphus magnanimus Jmperator, per legatos repetiit; ad quæ ſuperbus Rex indignatus, converſuſque ad ſuos. Videte, inquit, rem inſolentem, Comes de Habspurg ante hac magiſter noſter equitum, ac ſervus regiæ majeſtatis noſtræ, nos ad obedientiam & ſervitutem ſuam vocat. Auxit Rex perduellionis crimen, necando nuncios, qui literas Rudolphi detulerant, conducendo, qui Jmperatorem veneno tollerent, trahendoque Henricum

ricum Bojariæ Ducem in partes rebellionis. His Rudolphus ad juſtum bellum provocatus, quod proximo anno cœptum. Jmperator ſubinde 8 Calend. Septembis Friburgum obſidet, ac 18 Octobris cum Regina, ac liberis omnibus Lauſannæ Gregorium Pontificem ex Gallia redeuntem convenit. Multa eo in congreſſu agitata de ſubſidiis in Palæſtinam ſubmittendis. Quam in rem in concilio Lugdunenſi decimæ ſacrorum proventuum ad ſexcennium permiſſæ erant. Invitatus etiam Rudolphus à Pontifice in Jtaliam ad Auguſtales honores proximo anno capiendos; quæ tamen omnia caſſo eventu fuêre.

Multum præterea laborabat Jmperator, quo Principes in pace contineret; non tamen impediri licuit, quo minus hoc anno Theodoricus Marchio Landsbergenſis, tracto in ſocietatem belli Conrado Magdenburgenſi Archiepiſcopo, hoſtilibus armis Thuringiam ingrederetur, fratrique Alberto Thuringiæ Landgravio bellum inferret; quem tamen Landgravius mox cum clade rejecit.

Diſſidium Simonem Ep. inter & urbem. Paderborn.

Diſſidebat & Simon Epiſcopus noſter hoſtiliter cum civitate Paderbornenſi. Quemadmodum hac tempeſtate paſſim urbes inſurgebant in ſuos præſules; tantumque invaluerat diſſidium, ut Epiſcopo urbem intrare non licuerit. Quæ res poſtea in apertum bellum cum Ottone Succeſſore erupit. Per hanc absurbe abſentiam lis orta ardebat inter Capitulum & Henricum Præpoſitum Comitem Swalenbergenſem. Is quòd in xxx annum male adminiſtrârat bona Eccleſiæ, poſtulatus à Canonicis ad rationes reddendas; & quia in omnem partem tergiverſandi ſe movebat, Simon Epiſcopus tandem appellatus à Canonicis Præpoſito Saltzcottenæ diem dixit, aut ſiſteret ſeſe, & ſatisfaceret Clero, ob inopiam ſubtracti panis chorum & ſacra jam ſæpius intermittenti: aut munere Præpoſiti dejiciendum. Producta ad id decreta etiam concilij Lugdunenſis, quæ Wernherus Moguntinus Archiepiſocpus ac Metropolitanus noſter Simoni Epiſcopo transmiſerat. Ob has aliaſque cauſas, quòd Præpoſiti bona Cleri in ſuum luxum converterent, munus œconomiæ adminiſtrationiſque à Clero paſſim retractum, certaque illis cum ceteris primoribus Eccleſiæ portio, ex qua viverent, attributa eſt.

Gerardi Ep. Monaſt. mors & præclarè acta.

Subtraxit hoc anno mors duos Saxoniæ Epiſcopos; quorum primus Gerardus Monaſterienſis antiſtes, Engelberti Marcani, ut diximus, Comitis frater, 11 Auguſti obiit, una labe notatus, quòd bello ſe miſcuerit adverſus Colonienſem Archiepiſcopum, quem

quem captum spectavit quemque sine ope in carceribus reliquit; ob quod factum à Pontifice è cœtu piorum aliquamdiu remotus, & diœcesis Monasterienſis interdicto sacrorum punita. Cetera præsul egregius, quem Levoldus virum literatum, Crantzius verò sacerdotio illo, ac majore etiam dignum censuit; Quippe qui decennio, quo præfuit, Engelbertum jura Ecclesiæ violantem fortiter repressit. Ob has Marcanorum injurias Alena, vetus ab ævo D. Ludgeri locus, muro & præsidio militari firmatus in Oppidum; sicuti & Beckemium ad confinia Marcanorum præmunitum, & jure civitatis donatum. Quo in oppido, ut præsidio simul sacro tutius esset, insigne Collegium Canonicorum, prædiis & bonis anno 1269 largè dotatum, condidit. Longè utiliori opere convertit arma in nobilium castra, quæ per id tempus receptacula prædonum erant, evertenda; & inter hæc primum Ludinghusanum castrum & Oppidum expugnatum, dejectisque in fossas muris omni munitione nudatum, ac nobiles duo fratres Hermannus & Bernardus ceterique Castrenses jussi sua bona diœcesi submittere. Inde Langense castrum in iisdem ad Luppiam locis prædonum habitaculum eversum est. Post Horstmariam aggressus, adsitumque Oppido castrum expugnavit; ultimusque Dynasta Fridericus Retbergensis, qui Beatricis conjugis dote id tenebat, subactus; ea tamen lege relictus, ut sponderet se non alij, quàm Episcopo Monasterienſi venditurum. Id cùm postea faceret Retbergensis, numeratâ pecuniâ, cessit vetus illud castrum tot heroum Horstmarienſium sedes in possessionem Monasterienſis Ecclesiæ, quod hisce versibus consignatum posteritati.

Cleinsorg. Wittius in Chron.

Horstmar cum rebus fuit illis empta diebus
Marcis millenis pro quindecies quoque denis.

Sed non minus ex toga clarus in servanda Cleri disciplina. Ejus rei gratia frequentes synodos habuisse traditur, & Coesfeldia Monachos S. Francisci Minoritas evocasse Monasterium, sacris ejus loci Virginibus Coesfeldiam transportatis. Omnium verò operum ejus pulcherrimum Basilica Cathedralis Ecclesiæ, in qua magnifica fabrica, ut modò conspicitur, ante eum quatuor Episcopi supra xxx annos laborârant, Theodoricus Isenburgicus, Ludolphus, Otto & Wilhelmus. Id nobile opus Gerhardus demum absolvit, & celebri Episcoporum conventu solemni ritu consecravit. Successorem nactus in Episcopatu Everhardum de Deest; nam qui Everhardo quorundam suffragiis æmulus objectus erat Wigboldus ab Holte, Præpositus ad S. Mauritium, is

Coloniæ ad nobiliorem postea Cathedram provectus. Gerhardum hoc anno obijsse testantur literæ Collegij ad Mauritium, in quibus anno proximo Everhardus Monasterienſis Episcopus, Wigboldus Præpositus ad S. Mauritium, Brunstenius Decanus, Henricus Cantor, Lubertus Magister, Canonicique alij consignantur; ut prorsus fallant chronica Monasterienſia, quæ ad annum 1277 vitam prorogant.

Mors item Ottonis Ep. Minden. *Chron. Minden. apud Lindebroch Chron. Minden. à Meibom. edit.* Et Balduini Ep. Osnabr.

Alterum funus est Ottonis Mindenſis Episcopi, 18 Novembris Mindæ extincti; quem supra ex familia Prædicatorum ad illam sedem evectum & concilio Lugdunenſi etiam præsentem retulimus, virum præclarè de Ecclesia sua meritum, ut fasti etiam sui commendant.

Tertium hoc anno funus conjungunt Balduini de Rusle Episcopi Osnabrugenſis, cui subrogatus sit Conradus Comes Ritbergenſis; sed eorum præsulum Chronologia tam involuta, ut nihil certi proferre mihi licuerit; quando nec à Crantzio, neque ab Ertwino, aliisque quicquam traditur.

Annus Christi 1276.

Innocentij V & Hadriani V PP.
Rudolphi Imp. 4.
Simonis Ep. Pad. 30.

Plurium Summorum Pont. obitus.

At proximus annus multò tristior trium Pontificum Romanorum funeribus; decessit enim III Idus Jannuarij Gregorius cui subrogatus Innocentius v. ex sacra Prædicatorum familia primus Pontifex, qui objit 22 Junij: illi mox sublectus Hadrianus v, quem mors 18 Augusti sustulit; huic substitutus 13 Septembris Joannes xxi, qui altero rursum anno in Majo ruina conclavis oppressus.

Histor. Austr. Albert. Argent. Stero in Annal. Annal. Colmar. Brovver. l. 16. annal. Eberhardus Trithem. Dubravius Rudolphi Conventum Principum Boppardiæ indicit; acta

Eo nunc lætior annus Rudolpho Imperatore. Is ut collapsam Rempub. revocaret ad pristinum statum, quem sub optimis Imperatoribus habuerat, Boppardiæ ad Rhenum comitia indixit. Adquæ præter Wernherum Moguntinum, Sifridum Colonienſem, Henricum Trevirenſem Archiepiscopos, ceteri inferioris Rheni Saxoniæque Episcopi ac Principes Dominica Palmarum die accessêre, cum his de summa rei consultatum est. Etenim ex quo tempore Principes ac Magistratus præsidio Cæsaris hactenus destituti fuerant, ipsi res suas quibuscunque modis poterant tuebantur; multi interim eorum, quæ Cæsaris erant, ad se traxerant, nec feuda recognoscendo, nec Imperii obsequia præstando; tanquam convulsis jam nervis Respublica in extremas ruinas & confusionem iret. Quæ postquam in commune consultata fuêre, publico senatus consulto decretum fuit, imperatumque quotquot feuda habe-

rent

rent, intra annum feudi Dominum recognoſcerent, & fidem ſuam ſacramenti religione obligarent. Quæ lex cum alios per Franconiam, Sueviam, Saxoniam, & Bojariam; tum maximè Ottocarum Bohemiæ Regem ſpectabat. Cæſar poſtquam Archiepiſcopos, ſuprema Imperij capita, inferioremque Germaniam & Saxoniam ſecum conſpirantem habuit, primùm cum valido exercitu, quem copiis Ludovici Palatini, multorumque Epiſcoporum, Marchionum, Comitumque auxerat, movit in Marchionem Badenſem, ſibi & Imperio rebellem. Quo obtrito, ceteros nobiles aggreſſus, quotquot poſſeſſiones, vel civitates ab exceſſu Friderici Imperatoris per Sueviam, Franconiam & Alſatiam violenter invaſerant, ad reſtitutionem obſequiumque deduxit. Quos inter Fleckenſtenius, quòd Epiſcopum Spirenſem captivum abduxerat, ad deditionem compulſus. in eo conventu.

Poſt illa, comparato ingenti exercitu, IV Auguſti progreſſus per Bojariam verſus Danubium, Paſſaviam pervenit; transitiſque, Oeno, Anaſo & Truna fluviis, in Auſtriam prorupit. Cæſarea caſtra ſecutus Moguntinus, Colonienſis, Herbipolenſis, Ratisbonenſis, Paſſavienſis Epiſcopi priſca Cæſarum majeſtate. Interque duces numerati Ludovicus Palatinus Rheni, Henricus Dux Bavariæ, & magna ex Rheno, Franconia & Suevia nobilitas. Territa ad tam potentis exercitus ingreſſum Auſtria, cum omnibus caſtris & urbibus ſe ultro dedit, præter Viennam & Neoburgum; quas urbes cùm obſidione premeret Rudolphus & Neoburgum ejecto Bohemi præſidio expugnaret, Ottocarus ex deſperatis ſaniora conſilia circumſpicere cœpit, ultroque ſe ad pacem offerre. Dati mox arbitri à Cæſare Bertholdus Herbipolenſis Epiſcopus, & Ludovicus Palatinus Rheni, ab Rege Epiſcopus Olmucenſis & Otto Marchio Brandeburgicus. Horum opera in has leges conventum: redderet Ottocarus Auſtriam, Stiriam, Carinthiam Jmperio. Cetera trans Danubium verſus Aquilonem Cæſaris beneficio acciperet, captivos ſine pretio laxaret, ac demum publicè fidem juraret, flexis, ut clientum mos eſt, coram Cæſare genibus. Quo nihil acerbius fuit ſuperbo Regi; quippe coram eo procumbere, qui ſibi olim magiſter equitum ſervierat. Sed jam ita fortuna mutârat vices. Cæſar cùm nihil magis Regem averſari notaret, in Cambergam inſulam invitat Regem, ubi tentorium juſſerat explicare, in quo remotis arbitris juramentum fidei populo diceret: interim tabernaculum ita parari mandârat, ut laxatis funibus facilè ex omni parte diſſolvi poſſet. Eò accedit Rex ſuperbo habitu, auro oſtroque fulgens: Contra Cæſar cinericeo vulgarique militis chlamide indutus conſcendit thronum. Monitus à ſuis ut ſplendidiori cultu prodiret, *ſinite* inquit, *in hac ſcenâ,* Rudolphus Imp. Ottocarum Bohemiæ R. ſubiugat.

paupertatem hodie de purpura triumphare. Tum verò Ottocarus regio ornatu ac pompa ingressus tentorium procubuit ad Cæsaris pedes, & vixdum solemnia juramenti verba cœperat, cùm repente papilio deductus in latera, & humi lapsus, supplicem circumstanti multitudini ostentavit Regem, tanto Gemanorum risu, quanta indignatione Bohemorum. Quàm id ex ingenio Cæsaris insè compositum sensit Rex, tam altum hæsit in animo Regis, primumque irritamentum fuit ruptæ postea, quam juraverat, pacis. Pacta quidem erat in matrimonium filia Cæsaris Wenceslao Ottocari filio, vicissimque filia Regis Rudolpho Cæsaris filio; sed ira vindictaque apud Ottocarum ante connubia fuêre.

Pax Westfaliæ ex fœdere plurium Principum & Comitum. *Cleinsorgius*

Quædum armis in superiori Germania geruntur, pacis studia culta fuêre in Westfalia, providentia Sifridi Colonienſis Archiepiscopi, viri ea tempestate inter antistites præstantissimi. Is priusquam cum Cæsare moverer in Austriam, auctor salutaris fœderis fuit, in quod hoc anno convenerunt Simon Paderbornensis Episcopus noster, idemque tutor vicini Comitis de *Lippia* nepotis sui, Henricus Hassiæ Landgravius, Wilhelmus, Comes Juliacensis, ejusque filius Wilhelmus, Adolphus Comes Montium & frater Henricus, Godefridus Comes Seinensis, Otto Comes Nassaviæ, Engelbertus Comes Marcanus, fraterq; Eberhardus, Wilhelmi Comes Solmensis, Henricus Comes de Viernberg, Otto Comes Tecklenburgicus, Theodoricus Comes Limburgensis, Henricus Isenburgicus, unaq; Gerlacus & Ludovicus filij, Bertholdus de Bueren, Waramus de Valckenberg, Arnold9 de Viernborg, Otto Waldecensis, Simon de Lippia, Otto Wickerodius, Fridericus & Henric9 Reifferscheidius. Potens fœdus, quod publicis tabulis jurata fide consignatum extat. Ejusmodi enim fœdera per hæc turbulenta tempora clypei erant adversus insolentiam, injurias, & deprædationes. Ejusmodi quoque fœdus mutuæ defensionis reperio tum inter Ecclesiam Mindensem & Osnabrugensem initam; in quod anno sequenti, moderante Volcquino Mindensium electo Episcopo, recepit se Otto Ravensbergensis Comes, Abbatissa Hervordensis, Nova, & antiqua urbs Hervordiæ, Bilfeldia, ceteraque oppida id quod Idibus Februarij juramento publicis literis consignatum.

Synodus ab Archiep. Colon Sifridoindicta.

Haud minus laudabile opus Sifridi Archiepiscopi Colonienſis synodus, quam hoc anno magna omnium sacrorum ordinum frequentia celebravit. Extant ejus salutaris synodi præclara decreta ad Cleri populique disciplinam, quæ turbidis Engelberti temporibus multùm collapsa erat, resarciendam.

Afflictus Ecclesiæ Paderb. status.

Non minus afflicta Paderbornensis Ecclesia cùm propter negligentem Præpositi administrationem, quem ob id jam exauctorâ-

auctorârant Simon Episcopus & Canonici, subrogato in ejus locum Ottone Retbergensi Comite; tum propter multa Simonis bella, bellorumque sumptus. Quare cùm Simonem Episcopum jam aut senio aut morbo ad extrema vitæ urgeri adverterent, maturo consilio præsules & Canonici in unam sententiam convenêre, non alium se successorem electuros, quàm qui contracta Ecclesiæ debita promitteret se dissoluturum, quod ejusmodi decreto accepimus.

Canonici Eccles. Paderb. docernunt non alium se Episcopum electuros, quàm qui promittat Ecclesiæ debita se dissoluturum.

Nos Dei gratia Otto Præpositus, Henricus Decanus et Capitulum Paderbornensis Ecclesiæ universis, ad quos præsens scriptum pervenerit, notum facimus, et recognoscimus per hoc scriptum, quod Successorem Domini nostri Episcopi Simonis talem habebimus, quia juris est, ut debita ipsius Simonis solvat, quæ pro necessitate seu utilitate Ecclesiæ nostræ contracta invenerit, nec soluta sunt. In cujus rei testimonium hanc literam conscribi et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Paderb. ipso die Johannis Evangelistæ, Anno Domini MCCLXXVI.

Ac Simon Episcopus noster, tanquam & ipse ultimum sibi vitæ annum imminere conspiceret, largior etiam in egenos, & religiosos homines fuit. Testes tabulæ, quibus decimarum proventus Heristallensis sacelli Virginibus Cœnobij Cistertiensis Beringhusen dilargitus est literis festo D. Stephani hoc anno Paderbornæ consignatis, quibus & Paderbornensis diœcesis esse scribit id Cœnobium, anno MCCXXXIV ab Hermanno Corbeiensium Abbate cœptum in Ottberga, evocatis Isenno ex Thuringia Sanctimonialibus. Inde, & Hoxtariam ab eodem Abbate translatæ, collocatæque ad S. Ægidium trans pontem Hoxtariensem. Ibi cum frequentia accessus turbarentur, post annos XI quietis causa migravêre in villam Brenchusen, fixumque istic Cœnobium erexêre. Demum tempore hæresis collapsa disciplina in Cistertiensium instituto formatæ sunt ad D. Benedicti regulam.

Annus Christi 1277.

Joan. XXI Pont.
Rudolphi Imp. 5.
Simonis Episc. Pad. 31. & ultimus.

Levoldus. Fœdus inter Westfaliæ proceres initum turbatur obitu I Engelberti Marcani Comitis.

Fœdus verò, quod magno Westfaliæ bono cum Sifrido Colonienſi Archiepiscopo pactum diximus, anno statim proximo multorum illustrium virorum obitu debilitari turbarique cœpit. Ex his fœderatis Engelbertus Marcanus Comes, cùm iter faceret in Teclenburgicum comitatum, interceptus ex insidiis ab Hermanno de Loen, multisque vulneribus sauciatus, abducitur in castrum Bredevordum; ubi haud multò post non tam ex vulnerum,

rum, quàm animi dolore atque impatientia extinctus eſt. Tanta tum nobilium licentia erat; quanquam juſta etiam pœna Engelbertum conſecuta videri poterat, quod in Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi captivitatem conſpirârat, ac Gerhardum fratrem Monaſterienſem Epiſcopum in eandem belli ſocietatem traxerat.

Levoldus Annal. Colon. Henr. de Hervor. Cleinſorg. Meibomius in notis ad Levoldum.

2 Wilhelmi Juliacenſis Comitis, ab Aquiſg. occiſi.

Eodem anno, inquit Levoldus (tametſi alij ad ſequentem annum referant) Wilhelmus Juliacenſis Comes, unà cum filio Wilhelmo, ac duobus aliis ex concubina genitis Aquiſgranum clam ingreſſus, urbem in ſuam poteſtatem redigere tentabat; jamque in forum penetrârat, cinctus ſupra 400 armatorum equitum comitatu; cùm cives ad arma conciti Comitem per cæcos plebis furores cum filiis obruunt, & contrucidant. Digna Comitis pœna, qui tot annis ex impia vita divexârat Colonienſem Eccleſiam, ac duos Colonienſes Archiepiſcopos Conradum & Engelbertum captivos in vincula traxerat. Comperta nece Comitis, Sifridus Colonienſis Archiepiſcopus, Coloniam accelerat, congregatoque clero, ſolemne ſacrum in Baſilica decantat, de vinculis S. Petri, læto ſacrificij exordio, *Nunc ſcio, vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, et liberavit me de ore Leonis.* Mox novo fœdere inito, cum 12 illuſtribus viris, quorum auxilliaribus copiis auctus, Juliam armatus ingreditur; expugnatoque Juliaco, munimentum loci ſolo æquat. Inde Marcodurum, Bedeburam ac XXIV Oppida & caſtra præter Nideccam & Hambochiam in poteſtatem redegit, totique provinciæ novus præfectos victor imponit, brevi tempore felicique ſucceſſu multorum annorum injurias ultus. Poſt illa victorem militem convertit in Weſtfaliam adverſus Godefridum Arnsbergiæ Comitem & Ludovicum filium; huic quia Petronella Juliacenſis filia denupta erat, uterque cum Juliacenſi infeſta Colonienſibus arma junxerat. Quibus Sifridus provocatus, Comitem obruit, expugnatoq; Nihemio Oppido, Comitem ad pacem petendam compulit, quæ & in caſtris Nihemenſibus conſignata fuit. Quare nullo obſiſtente Sifridus Werlam, Warſtenam, Callenhardum & Almenam Oppida, caſtrumque Furſtenbergicum, veterem Furſtenbergicorum Dynaſtarum in edito ad Ruram monte ſedem, præmuniit. Bello hoc pro Archiepiſcopo ac Duce ſuo fidi pugnavêre Weſtfaliæ proceres; interque hos clari Fridericus & Wenemarus Furſtenbergij. Acceſſit in ſocietatem belli Conradus Oſnabrugenſis Epiſcopus, Conradique frater, Fridericus Ritbergenſis Comes. Quo ſimul conſtat per id tempus Balduino in Oſnabrugenſi Cathedra ſubrogatum fuiſſe Conradum Epiſcopum ex Ritbergenſi familia, ex qua mox etiam producemus Ottonem Ritbergenſem, Simonis Epiſcopi in Paderbornenſi Eccleſia Succeſſorem.

quo mortuo, Archiep. Colon. Juliacenſem Ducatum armatus ingreditur & occupat.

Idemque Comitem Arensbergenſem ad pacem petendam compellit.

Felici-

Feliciori per hæc morte hoc anno vitam clausit Simon Episcopus noster. Dies obitus in aliis necrologiis annotatus IV Idus, in aliis VI Junij: annus mortis à Cleinsorgio rectius, quàm aliis hic ipse MCCLXXVII traditur; quo certè adhuc superstes fuit, quando ex hoc anno literas à Simone consignatas possidemus, quibus Wilbacensi Virginum Cœnobio donationem, à nobilibus Hermanno deBracule & Hermanno deKalenberg factam scriptis tabulis probat. Testes sistuntur Albertus Comes deEverstein, Albertus & Herboldus fratres de Amelungessen, Lubertus Marschalcus, Albertus de Lubersen, Fridericus de Harchusen, Henricus de Osterhusen, Bernardus de Dalwig milites, ceterique nobiles & ingenui viri; ut jam prorsus nos Bruschius, Kersenbrochius, & Pideritius fallant, qui anno 1274 obiisse scribunt. Longius aberrant, qui cum Gobelino nostro, & Crantzio Episcopatum tantummodo in XXIII annum gessisse tradunt, quem nos hactenus certa temporum serie in XXXI annum produximus.

Obitus Simonis Episc. *Necrologia Bustorf. Wilbacense Gerdense Herisiense Marienmunstr.*

Quàm fluctuantes in annis Scriptores, tam diversa eorum de Simone judicia. Auctor historiæ Bremensis, *Simon*, inquit, *bella et discordias dilexit, sed bello semper infelix pugnator.* Hæc quidem ille libera voce pronunciavit: verùm in ea tempora incidit Simon, quibus necessitas arma pro libertate Ecclesiæ conservanda imperabat; qualia omnibus circum Episcopis tum communia fuêre ob prædonum & vicinorum rapacitatem. Nec alia ex causa collisus cum Conrado Colonienſi Archiepiscopo, quàm ob injurias nobilium ministrorum Archiepiscopi, quas cùm ille ferre non posset, armis jura Ecclesiæ suæ propugnanda suscepit; quamvis haud multò post non modò reconciliatus Conrado, sed & à Conradi Successore tutor Dicatus Westfaliæ postulatus. Sifrido deinde conjunctissimus vixit; quocum commune fœdus adversus Colonienses & suæ Ecclesiæ hostes, ut diximus, habuit, pacis certè, quàm bellorum amantior; nec alia fere bella gessit, quàm quæ necessitas expressit pro jure Ecclesiæ asserendo. Eaque Capituli & ordinum consensu sumpsisse videri debet, quòd hi æs alienum ex ijs contractum ultro solvendum sumpserint. Et cui tum Episcopo Saxoniæ, in illa prædandi rapiendique licentia, sine armis Ecclesiam administrare concessum? quando nobiles, ut quidam est auctor, citra infamiam palam & impune latrocinia & prædas agebant.

Histor. Brem. in Gerhardo Diversa de Simone Scriptorum judicia.

Virum hunc tanti fecit Justinus Lippiensis presbyter, ut præterito Ottone fratre ejus Monasterienſi Episcopo, Poëma illi suum, quod de primordiis comitatus Lippiensis deductum à Bernardo avo Sanctissimo, de Hermanno parente bellatore egregio, ceteriſque ejus familiæ heroibus conscripsit, Simoni Episcopo

Commendat illum Justinus presbyter, poëmate ei inscripto

M. Juſtin. in Lippiſlo.

ſcopo noſtro inſcripſerit dedicâritque; tanquam, qui paternis veſtigiis præclarè inhæſerit. Eo in poëmate legimus multis Simonem dilaudari à doctrina & facundia, à liberalitate & ſuavitate morum, à conſtantia & fortitudine, rectèque Simonem Petri nomen ſortitum eſſe.

Te bene cum Petro communio nominis æquat,
Tu caput Eccleſiæ firmaque petra tuæ:
Tu lapis indocilis frangi, ferroque rebelles,
Deſpicis hoſtiles corde vigente minas.
Tu tutela tuis, tu mitis mitibus, hoſtis,
Hoſtibus, eloquij manat ab ore favus.

Et quæ multis in laudem Simonis in ſimplici & candido illo poëtarum ævo attexit. Poſtremùm alludens ad roſam quæ gentilitium Lippienſium Comitum inſigne eſt, inquit,

Tu flos Pontificum, flos nobilitatis, odorem
floris diffundis.

Cetera quibus res geſtæ virtuteſque Simonis Epiſcopi exornandæ eſſent, incuria, ætas & Scriptorum deſidia ſubtraxit; tantaque oblivione hæc ſepeliit, ut nec ſupremæ mortis, nec ſepulchri locus ad nos pervenerit. Baſilicæ tamen funus ad ceteros Epiſcopos illatum creditur.

ANNA-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XII.

OTTO Comes Ritbergensis XXV.

GUNTHERUS Comes Svvalenbergensis XXVI.

THEODORICUS ab Itteren XXVII.

EPISCOP. PADERBORN.

OTTO

OTTO Comes Ritbergensis XXV.

EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1277.

Otto Comes Ritbergensis succedit Simoni Episcopo Paderborn.

HAud multum vacua Paderbornæ Episcopi Sedes ab excessu Simonis; Canonici enim, qui jam antè vivo Simone convenerant, sollicitâ de Successore, qui Diœcesis debita exsolveret, maturato comitio, & consentientibus suffragijs, elegêre Episcopum Ottonem Ritbergensem Comitem. Fuerat is à primis annis coop tatus in clerum Paderbornensem, & ob m rita virtutum per gradus dignitatum inter os provectus, primùm Camerarius, postremumque Præpositus P derbornensis Ecclesiæ; ex quo supremo Cleri munere ad Episcop tum evocatus fuit: Vir acris ingenij, & præcelsi animi; qui superst Simone, & per senium languente, multa cum consilio Canonico rum reparanda susceperat; eóque etiam conturbatis hisce tempo ribus opportunior, quòd & vicinæ Ritbergensium Comitum fami liæ potentiâ innixus esset, & Conradum fratrem Episcopum Osna brugensem haberet.

Domat Albertum de Sturmede Ecclesiæ Paderborn. infestum.

Post inaugurationem Episcopatûs administrationem magnis animis est aggressus; eodemque statim anno, quo Simoni subroga tus, infestissimum Paderbornensis Ecclesiæ hostem, Albertum de Sturmede, auctorem omnium turbarum, quibus Simon Episcopus cum Conrado Colonienſi Archiepiscopo collisus fuit, mutatâ bell sorte, captum in vinculis habuit: sive jam ab ipso Ottone sub ipsa ex ordia gubernationis, sive per interregnum ab Ottone & Capitulo armis domitus in captivitatem protractus fuerit. Id sanè compe tum habemus ex literis publicis tabularij nostri, Albertum de Stur mede ejusque filium Albertum hoc ipso anno 1277, in pervigilio vi ginis in cælum assumptæ ab Ottone ad transactionem adactos esse

Priùs

Priùs verò quàm vinculis laxarentur, in has leges per arbitros utrimque datos juratosque conventum est. *Pater ac filius de Sturmede renunciant Villicationi in Erwite, Vilte, et oppido Saltzcotteno: nunquam illis fas sit Castrum et oppidum Stürmede reparare; neque unquam se Paderbornensi Ecclesiæ hostilem in modum opponere. Villicationem verò in Munninghusen retinebunt sibi 400 marcis à Simone Episcopo oppignoratam; eâ verò summâ pecuniæ numeratâ cedet rursum Paderbornensi Ecclesiæ, quæ id prædium à Corbeiensibus 300 marcis coëmit. Quam in rem hi Fidejussores Ministeriales ab Alberto dati: Bernardus de Brake, Godefridus de Huvele, Bernardus de Hurde, Gosbertus de Dedinghusen, Godefridus de Summer, Conradus, Henricus et Albertus fratres de Luthardessen, Alardus Magister, Conradus de Hoeden, Theodoricus de Piscina, Bertholdus de Lippia, Willekarus de Vornde.* Adsunt & aliæ literæ ex tabulario nostro, anno 1288 datæ, quibus Albertus Sturmedensis inter Ministeriales diæcesis Paderbornensis numeratur; quo pronum est existimare, præter Marescallum, Pincernam, Dapiferum & Camerarium Episcopi, etiam Ministerialium nomen communicatum fuisse cum ijs, quotquot è nobilitate clientelari aliquo beneficio, aut certè feudi vinculo Episcopis ad Ministerium obstricti erant. Ita tandem turbulentus ille nobilis, ausus Simonem Episcopum captivum abducere, everso castro & oppido suo Sturmedensi, ad obedientiam compulsus.

Annus Christi 1278.

Nicolai III Pont. 1.
Rudolphi I Imp. 6.
Ottonis Episcopi Paderb. 1.

Salutaris dehinc Imperio consequitur annus Rudolphi Imperatoris victoriâ adversus Ottocarum Bohemiæ Regem. Urebat nimirum Bohemum jactura Austriæ pacificatione amissæ, intoleranterque ferebat assurgentem Cæsaris fortunam; quibus accedebat Cunegundis Regina. Superba mulier, exprobrando exaggerandoque ignominiam, quam in professione clientelari coram Cæsare nudato tabernaculo passus erat; hanc injuriam nisi armis vindicaret, probro posteris omnibus futurum. His accensus Rex omnia consilia in bellum vertit, ingentemque ex Bohemia, Poloniâ, Pomeraniâ, Saxoniâ & Misniâ conscriptum exercitum colligit; quocum Pragâ à clero eductus in Austriam procedit. Nec segnior Rudolpus Cæsar ex Franconia, Sueviâ, Bavariâ & ab Rheno copias educit; cui & Salisburgensis, Basileensis, alijque Episcopi auxilia submisêre; accesseruntque postremùm diversæ Ungarorum gentes Ottocarum perosæ. Postquam ad Lavam oppidum in Campo Marchvelt uterque exercitus in conspectum venit, Cæsar pro tessera militari nomen Christi iterato inclamari jussit; Bohemus Pragæ vocabulum dedit, addito singulis peplo, quo humeros Symboli simul usu integerent: mox VII

Rudolphus Cæsar devincit Ottocarum Regem Bohemiæ *Cuspinian. in Rudolpho. Dubravig. Stero in annal. Annal. Colmar. Albertus Argentin. &c.*

Calend. Septembris acri prælio decertatum ; primoque statim conflictu Rudolphus Cæsar præsens vitæ periculum adijt ; quippe audaciſſimus quidam miles, pretio conductus à Bohemo, per medios hostium cuneos penetrat, suffossoque equo Rudolphum Cæsarem in terram detrahit; & nihil propius erat, quàm ut ipsum Cæsarem confoderet, nisi Cæsaris stipatores subvertissent. Captus extemplo percussor, & Cæsari ad dignam scelere mortem oblatus: at Cæsar pro insigni clementiâ, finite, inquit, vivere tam fortem militem, qui hæc ausus. Mox Cæsar in alium equum sublatus, multò ardentiùs ordines in hostem ducit, editáque ingenti strage, Bohemorum aciem in fugam disjicit, ex qua jam ultrò multi nobiles alijque profugerant, exacerbati Regis crudelitate in suos. Pugnabat interim fortiter Ottocarus cum reliquis, qui in acie perstitêre, dum ad extremum multis vulneribus saucius occumberet. Et nudus hic pòst inter cadavera repertus, diu inhumatus latuit. Morti Regis ingemuit Cæsar, qui vivum malebat Regem quàm mortuum in potestatem suam venire. Cecidisse cum Rege memorant supra quatuordecim armatorum virorum millia. Tam cruenta illa pugna fuit. Sed victoria, & is Regis casus, magnam rerum mutationem, & tranquillitatem Imperij tandem attulit. Cæsar exinde Wenceslai adolescentis, quem Ottocarus unicum reliquerat filium, patrocinium suscepit, tutoremque illi dedit Ottonem Marchionem Brandeburgicum. Wenceslao post filia Cæsaris, ut pactum erat, in matrimonium data; quæ affinitate priora inimicitiarum vulnera Cæsar & Imperii Principis curanda suscepêre.

Engelbertus Comes Marcanus Bredevordam castrum captum destruit. *Levoldus in chron. Marcano.*

Alterum Engelberti Marcani Comitis bellum fuit, qui patrem necem ulturus Castrum Bredevordanum aggressus arctâ obsidione pressit. Territi Juvenis fortitudine præsidiarii patris cadaverè castro transmittunt; quod postquam Comes Cappenbergæ honorifico tumulo intulerat, redijt ad obsidionem, majorique quàm antea furore cœpit oppugnare. Sustinuêre aliquamdiu præsidiarii fortiter insultus; ubi verò ad extrema se urgeri didicêre, noctu clam omnes per paludes profugerunt. Comes vacuum castrum ingressus famosum quoque illud prædonum receptaculum funditus evertit. Inde ad Rudolphum Imperatorem se contulit, receptus in aulam & militiam Cæsaris; cui exinde ob facetias & bellicam fortitudinem percarus fuit.

Guntherus Comes Swalenbergensis fit Archiepiscopus Magdenburgensis

Hoc præterea anno Guntherus Comes Swalenbergensis, magnum Diæcesis nostræ ornamentum, subrogatus est in locum Conradi Archiepiscopi Magdeburgensis, vir toga sagoque illustris. Is primo statim anno præfecturæ Ericum Marchionem Brandeburgensem, ex dissidio novæ electionis rejectum, vexantemque Ecclesiam Magdeburgensem, prælio vicit, captumque cum 300 nobilibus abduxit, nec prius dimisit, quàm 7000 argenti marcas pro lytro penderet.

deret. Hanc verò pecuniam mox ultro inter pauperes & religiosorum monasteria distribuit. Altero deinde anno majori etiam rerum humanarum contemptione, cùm multis æmulis urgeri se videret, Archiepiscopatum ultro posuit. Magna & rara sacrorum præsulum laus, qui tam facilè Episcopatu abire, quàm adire parati. Sed hæc illustris virtus Guntherum in privata vita consistere non est passa; Ottoni enim Episcopo nostro, ut tempori referemus, in Paderbornensi Episcopatu subrogatus est.

Crantius l. 8. Sax. c. 32. Strevers-dorff. in Arch. Magdenb.

Annus Christi 1279.

Nicolai III Pont. 2.
Rudolphi I. Imp. 7.
Ottonis Ep. Paderb. 2.

Rudolphus Cæsar exinde in Austriam profectus, 17 Kal. Mart. Viennæ Principum comitia habuit. In his, rogante Nicolao Pontifice, privilegia, bonaque Romanæ Ecclesiæ, pro antecedentium Imperatorum instituto, confirmat, egregiam erga Apostolicam sedem religionis observantiam palam testatus; quod & ceteri Electores Cæsaris exemplo fecêre. Retulitque annalium Colmariensium scriptor, Rudolphum à Nicolao III Pontifice publicè Imperatorem nominatum esse, omnesque hostes ejus ab Ecclesiæ communione proscriptos. Hinc Rudolphum, quæ ceteros religiosissimos erga sedem Apostolicam Imperatores, felicitas consecuta est. Hæsit autem per id tempus Cæsar in Austria, ut filio suo Alberto, quem postea in Imperio Successorem habuit, Ducatum Austriæ Principum auctoritate stabiliret, primus Austriæ in familiam assertor, primusque Austriacorum Imperator.

Cæsar bona & privilegia Romanæ Ecclesiæ confirmat.

Odoricus in hist. Eccl.

Inter hæc inferior Germania turbata à Joanne Duce Brabantiæ, & Walramo Duce Limburgensi. Hi ut Wilhelmi Juliæ Comitis filios in paternam possessionem restituerent, à qua per Sifridum Colonienſem Archiepiscopum dejecti erant, magno armorum strepitu ingressi Juliam & Colonienſem agrum, frustra Limburgicus Tolpiacum, & Brabantinus Aquisgranum tentavit. Fortè tum Sifridus Adolphum Montium Comitem oppugnabat, adegeratque ad pacem petendam, dejectis duabus turribus, quas Comes Mulhemij & Monhemij contra jura Colonienſis Ecclesiæ exstruxerat. Dux Brabantiæ, ut laboranti Comiti subveniret, Rhenum transgressus Sigebergæ castra fixit; at cùm re inter Archiepiscopum & Comitem confectà serius accederet, ad ostendendam Brabantinorum magnificentiam, decursiones equestrium virorum magno apparatu adornavit: quibus inter Westfalos peractis, redijt in Brabantiam.

Duces Brabantiæ & Limburgi Juliam & agrum Colonienſem hostiliter ingrediuntur.

Levoldus. Chron. Colon.

Hujusmodi tumultuario bello per id tempus Otto Episcopus noster implicatus erat, de quo ad annum 1281 memorandum. Quàm verò pacis & concordiæ amans fuerit Otto Episcopus noster, testes sunt

Otto Episcopus Paderb. Ecclesiam & villam Sta-

pelhagensem certis terminis circumscribit,

sunt publicæ Ottonis Electi Episcopi tabulæ, quibus villam Ecclesiamque Stapelhagensem, quæ in montibus teutonicis Abbatis Marienfeldensis erat, certis terminis circumscripsit, discrevitque à Paderbornensis Diœcesis finibus, ne qua inter posteros lis esse posset. *Testes hujus compositionis ex parte Capituli Henricus Præpositus, Hermannus Scholasticus, Magister Thetmarus, Dominus Amelungus de Driborg Cantor, Wernerus Dapifer, Volmarus de Brincke, Godefridus de Patberg milites. Ex parte Joannis Abbatis Dominus Conradus Osnabrugensis Episcopus frater, Comes de Ritberg, Otto Comes de Ravensberg, Hermannus Custos Osnabrugensis, Godeschalcus, Henricus, Lubbertus fratres de Slavi, Joannes de Rube milites, aliique quam plures. Acta sunt anno* MCCLXXIX. *pridie Beati Pauli Eremitæ.*

Alio deinde beneficio Collegium Canonicorum Bustorffianum affecit Otto, transcribendo decimarum proventus in Husen; quos à Marescballo Episcopi, ejusque filio Ludolpho Canonico Collegium illud quadraginta & sex marcis emerat; & quia jus quoque in has decimas erat Episcopo, totum illud ultro cessit Collegio. Inter testes recitantur Magister Wigmannus, Ludolphus de Dalborne, Conradus de Attelon milites, aliique: quæ hoc ipso anno Paderbornæ festo D. Luciæ acta referuntur. Marca verò puri argenti, quod ijsdem tabulis notatur, valebat 14 solidos & sex denarios.

Annus Christi. 1280.

Nicolai III Pont. 3.
Rudolphi I Imp. 8.
Ottonis Ep. Pad. 3.

Conquiescebat per hæc Germania (quæ rara temporum felicitas erat) sub imperio Rudolphi Cæsaris. Tantam illi auctoritatem amoremque omnium pepererat triumphus adversus Ottocarum Regem, & militaris fortitudo; ut jam extra ceterorum Principum æmulationem odiumque Imperium in quiete possideret. Et ille, ut familiæ simul potentiam firmaret, in Austria consedit, impensèque coluit fœdus & amicitiam cum Ladislao potentissimo Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ladomiriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ Rege; tot enim gentibus Rex ille Catholicus, & Romanæ sedi conjunctissimus imperitabat.

Initium Cœnobii Eremitarum S. Augustini Lipstadii, Fundatore Friderico ab Hoerde.

Hoc præterea anno, qui Octogesimus supra Mcc agebatur, Alberti etiam Magni obitu clarus, erigi cœpit Lipstadii, ad fines Diœcesis nostræ, celebre Augustinianorum Monachorum Cœnobium, quos à cultu quietioris vitæ Eremitas vocant; evocatique Colonià Cœnobitæ, qui exordia religiosi instituti sui istic caperent. Conditor Fridericus ab Hoerde è prisca & prima Westfaliæ nobilitate, vir, ut Gelenius scribit, non minus religione, quàm paternis opibus celebris. Adeo illa tempestate, ut diximus, inter tot prædo-

nes

nes per Westfaliam nobiles, non defuêre unquam præclari piique ex equestri ordine viri. Accessit altero ab hinc anno Sifridi Archiepiscopi Colonienſis auctoritas, Monachisque publicis tabulis concessit facultatem concionandi, excipiendi pœnitentium confessiones, colligendique liberalium hominum subsidia. Floruit Monasterium religiosis viris ad tempora Lutheri; & Lutherus ipse ejusdem Ordinis desertor, postquam hæreses suas per Saxoniam spargere cœpit, infecit & hoc Cœnobium; ostenditurque adhuc cella, quam aliquando incoluit. Tum verò quàm religiosi istic olim, tam perversi postea monachi, deserto claustro, Lutheri hæreses primùm per has Westphaliæ partes disseminâvere; ab eoque tempore Monasterium vastum jacuit, cessitque in potestatem hæterodoxorum. *Gelenius l. 3. Sacr. Syntag: 44. Stangefolio.*

Otto similiter Episcopus noster hoc ipso & sequenti anno per exordia Episcopatus, totus fuit in dotandis Ecclesiis & Cœnobiis; extant enim binæ ejus tabulæ, quarum alteris Paderbornæ consignatis largas Decimarum donationes fecit Cœnobitis Hardehusanis Ordinis Cistercienſium; alteris Wartbergæ subscriptis litem ijsdem Monachis motam super decimas decidit. Testes producuntur *D. Hermannus de Osede Nobilis, Henricus de Brakele, Rudolphus de Steinforde, fratres de Pappenheim, et Olricus de Westen milites.* Otto Ep. Paderb. benefacit Cœnobitis Hardehusanis.

Vetus deinde oppidum hujus Diœcesis Nihemium ob fidem civium & merita multis Privilegiis exornavit; ad quæ pro prisco ejus ævi more cognoscendo juvat ipsas Ottonis tabulas recitare. Et pluribus Privilegiis exornat oppidum Nihem.

Otto Dei gratia Paderborn. Ecclesiæ Electus, Universis hoc scriptum visuris notum facimus et recognoscimus, protestando, quod nos de consensu Capituli nostri, et Ministerialium nostrorum, oppidanis nostris in Nihem jus dedimus subnotatum, videlicet, quod dictum opidum libertavimus, ita quod possint recipere in cives quoslibet homines, dummodo Nobis, Canonicis, Claustris, Ecclesiis nostræ Diœcesis, et Ministerialibus seu Castellanis nostris non pertineant. Item Judicem nomine Opidanorum statuimus, qui judicabit de excessibus, citra pœnam ultimi supplicii, et emendarum hujusmodi excessuum recipiemus partem tertiam, et duas partes recipient Opidani. Et si emenda ad quatuor solidos se extenderit, hæc inter nos et opidanos æqualiter dividetur. Si vero homicidium in opido contingat, et homicida profugus fiat, heredes ipsius Legittimi bona sua retinebunt, dummodo homicida de bonis hujusmodi nullum emolumentum habeat seu promotionem. Si vero homicida ultimo supplicio delictum suum luat, heredes sui legittimi bona ipsius libere retinebunt. Item si aliquis paupertate pressus de opido prædicto cesserit, bona si qua dimiserit inter creditores radentis pro rata secundum quantitatem debiti dividentur. Item si aliquis in dicto oppido decesserit, liberi vel cognati secundum quod proximiores infra opidum fuerint, defuncti recipient bona seu hereditatem, quæ Hervverde dicitur sive Rade. Sed si infra opidum consanguinei non fuerint habitantes, consanguinei extra opidum admittentur jure suo. Si vero advena fuerit, bona ipsius ad annum et diem integrum integra

per

per Judicem et Consules servabuntur. Et si nullus heres verus infra dictum tempus venerit, bona hominis nostra erunt. Item Movale, quod Stock dicitur, secundumque prædecessor et avunculus noster ipsis opidanis dederat, damus eisdem ad emendationem opidi memorati. Item bona opidanorum, quæ Wicbilae dicuntur, sicut hactenus habuerunt infra opidum et extra, pratis, silvis, aquis, campis, pascuis, possidebuntur ab eisdem libere et quiete. Item erunt liberi à thelonii datione infra nostros terminos, et erunt infra opidum absque judicio advocati. Item si arbitrati fuerint aliquid in rem propriam ad utilitatem opidi sine præjudicio juris nostri illud equanimiter toleramus. In cujus rei testimonium presens scriptum eisdem opidanis dedimus nostro sigillo roboratum. Et nos Præpositus, Decanus, et Capitulum Paderbornense sigillum appositum nostrum, in testimonium prædictorum. Datum Paderborn. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo.

Annus Christi 1281.

Martini IV Pont. 1.
Rudolphi I Imp. 9.
Ottonis Ep. Pad. 4.

Publica Cæsaris acta in Imperio. *Trithemius in Chron. Annal. Colmar. Serrarius in Mogunt.*

Cæsar rebus in Austria anno præterito compositis, publica hoc anno Imperii negotia impensius pertractare cœpit; quam in rem primùm Norimbergæ, deinde Francofurti Principum senatum convocavit: in utroque comitio adversus prædones decretum. Quapropter à Cæsare castella, prædonum latibula, summa vi expugnata. Post illa cum exercitu in Burgundiam progressus, captaq; vesontione, Comitem ejus provinciæ prælio Victum imperata facere cogit. In reditu Alsatia purgata, expugnatàque Colmariâ, Friburg Hagenoâ rebelles cives castigati, & ad obsequium reducti. Amis per hæc Anna Rudolphi Conjunx, quæ ab Episcopis & mille Clericis Basileæ tumulo illata. Nihil luctu retardatus Cæsar Moguntiam descendit; ubi XII Decemb. Wernerum Archiepiscopum & Comitem Spanheimensem, ceterosque XII Comites, qui cum Spanheimensi Alsatiam turbaverant, pace factâ, composuit.

Confluentini discordes cum Archiepiscopo suo componuntur. *Browerus in Annal. Trevir.*

Rebellârat per id tempus Confluentia, conjurata cum nobilibus adversus Henricum Archiepiscopum suum. Cæsar, cui omnis labor erat in pacis studio, negotium illud dedit Sifrido Coloniensi, & Wernero Moguntino Archiepiscopo, & Matthiæ ordinis Teutonici supremo Magistro; quorum operâ confluentini Archiepiscopo reconciliati sunt.

Et cives Paderbornenses cum

Hoc Cæsaris, hoc aliorum Episcoporum exemplo, Otto Episcopus noster multorum annorum dissidium, quod inter urbem Paderbornensem & Clerum exarserat, hoc ipso demum anno, ut Gobelinus noster scribit, solerter composuit. Ausi enim Cives Paderbornenses, postquam multitudine & opibus aucti erant, libertatem Cleri Ecclesiæque per vim multis modis violare: irrumpere in ædes

in ædes Canonicorum: trahere Clericos ad civile judicium: excommunicationes censuraſque Eccleſiaſticas, quibus ab Epiſcopo coërcebantur, ludibrio habere; nec Sacram modo Epiſcopi, ſed & civilem, quam Principis nomine juriſdictionem habebat in urbem, ſpernere. Cœpit hæc rebellio, quod ea tempeſtate commune Epiſcopalium civitatum erat malum, Simone Epiſcopo; quam ob cauſam, ut ſupra retulimus, Simon ſe ab urbe continuit, nec tutum habuit intrare. Otto Epiſcopus ut hæc ex publica Cleri populiq; offenſione ad concordiam adduceret, ex omni ordine delegit arbitros, viroſque ſapientes, quorum induſtria in certas pacis leges conventum eſt; interque alias: ne in clericos ullam juriſdictionem exerceant, nec ullos è familiâ Canonicorum ſine Dominorum conſenſu in judicium vocent: ne excommunicatos in Senatum recipiant, aut ad conſulatum admittant, & extra publica munia & conſortia habeant, ut ſacræ leges præſcribunt. Hæc atque alia ſanctè jurata à civibus, & in publicas tabulas, cùm ſingulorum ordinum ac civium ſigillis relata ſunt. Orta poſt etiam lis de judicio forenſi, quod in urbe Paderbornenſi agebatur; id cùm cives ſuum eſſe contenderent, in quod nullam Epiſcopus haberet poteſtatem; ea quoque diſcordia, poſtquam recognita eſt per arbitros, pronunciarunt illi judicis in urbe officium eſſe feudum Eccleſiæ Paderbornenſis; quanquam id Gobelinus anno demum Mccxcix controverſum deciſumque velit. Multa hujuſmodi pacta juratáque inter cives & Epiſcopum; quæ cùm cives minus ſervari quererentur, ægreque ferrent veterum Cleri libertatem, & jura à majoribus aſſerta, facta conſpiratione, ex urbe proruunt, caſtrumque novum, quod nunc Neuhuſium dicimus, uno ab urbe lapide diſſitum, occupant, domum Epiſcopi diripiunt, & injectis etiam ignibus exurere contendunt. Hærebat interim in oculis civium caſtrum novum nondum planè everſum, quod tanquam frenum urbi impoſitum intuebantur. Vetus iſtic Epiſcoporum domicilium ac ſedes erat, ad Confluentes Paderæ, Luppiæ atque Almæ fluviorum, loco opportuno & amæno; ubi olim Romanorum caſtra memoravimus, ſive illud à Simone Epiſcopo, ſive ab aliis præmunitum fuerit adverſus civium inſolentiam. Sanè Paderbornenſes, cùm è conſpectu urbis frenum illud ſublatum vellent, aliâ concitati audaciâ cum ingenti multitudine ſe ex urbe effundunt palis armiſque inſtructi, caſtrum novum funditus deſtruunt; ac ne quod veſtigium ſupereſſet, foſſas contento labore implent. Quo in opere dum gnaviter occupati verſantur, advolat cum collectis militum & clientum nobilium copijs Otto Epiſcopus, cives ex improviſo obruit, commiſſoque prælio magna cum clade in urbem rejicit. Cæſi eo die quingenti civium, & ultra; quorum cadavera Epiſcopus plauſtris injici, & in urbem reportari permiſit; ubi omnes in unam confatalem foſſam

Clero & Epiſcopo ſuo. *Gobelinus ætat. 6. c. 66.*

Quitamen iterum rebelles Neuhuſium ſubvertunt, ſed ab Epiſcopo cæduntur

conjecti, qui Caſtri foſſas impletum venerant. Hæc ex Gobelini narratione retulimus; à quo tamen accuratiorem annorum rationem, quibus geſta ſint ſingula, requirimus; nam hæ controverſiæ cum urbe, ut idem fratetur, per multos deinceps annos ſunt continuatæ.

PP. Prædicatores Warburgi ab Ottone Epiſcopo collocantur. *Chron. Mindenſe Annal. Colmar.*

Ceterum hoc anno Otto Epiſcopus haud minus laudabili pietatis opere Ordinis D. Dominici religioſos viros in Diœceſin evocavit, ſedemque Warburgi, in veteri ad Dimolam ac celebri Diœceſis civitate capere juſſit, attributo illis loco & vitæ ſubſidiis. Obluctati quidem pòſt cives vehementer; ſed cauſam religioſorum conſtantiſſimè tutatus Epiſcopus; jam enim Tremoniæ, Suſati, aliiſque vicinarum provinciarum locis magno religionis bono receperant: & hoc ipſo anno Mindæ, ubi jam dudum anno Mccii à Dithmaro ſanctiſſimo Epiſcopo introducti erant, generalem patrum ſuorum congregationem habuêre, magna Volcquini Epiſcopi Comitis Swalenbergici liberalitate excepti. Inſignis ille Ordinis patronus erat, cæleſti olim beneficio præventus; nam cùm uſu oculorum orbatus eſſet Epiſcopus, fuit inter ſacræ iſtius familiæ ſacerdotes Burchardus Haddingius, vir eximiæ ſanctitatis, & miraculis etiam celebris, ipſique Epiſcopo Volcquino à confeſſionibus; cujus cæleſti beneficio viſum recepiſſe memorant Mindenſium annales.

Decimæ in Stuckenbroch Cœnobio Marienfeldenſi venduntur.

Non hîc omiſerim ſingularem Ottonis Epiſcopi benevolentiam erga religioſos Cœnobitas Campi-Mariæ; ternas enim hujus anni literas reperio, quarum duabus decimas in Breckmen (quo nunc locus in Sennæ ericeto prædiis excultus Stuckenbrochius appellatur) ducentis marcis vendit ex conſenſu Capituli, pecuniam in aliam Eccleſiæ utilitatem converſâ; tertijs verò tabulis commutationem novalium multorumque locorum per idem ericetum cum Abbate fecit. Ita verò cum florente Chriſtiana religione vaſtum illud ericetum Sennæ, Caroli etiam M. literis celebre, ubi fluviis & rivis intervenientibus opportunum eſt, ad noſtra uſque tempora excoli cœpit, mirâ hominum induſtriâ terræ ſterilitatem ſuperante.

Annus Chriſti 1282.

Martini IV Pont. 2.
Rudolphi I. Imp. 10.
Ottonis Ep. Paderb. 5.

Siculi adverſus Gallos conſpirant. *Honor. Epiſt. ad*

Annus inde octuageſimus ſecundus ſeculi hujus, Meſſanæ Panormique conjuratione adverſus Francos, & Siculis Veſperis celebris. Quippe ut per totam Siciliam conſpiratum erat, ipſo die Chriſto reſurgenti Sacro, Siculi Signo Veſpertini officii dato, ex compoſito arma capiunt, Galloſque omnes nullo ætatis Sexuſque diſcrimine ad

ne ad internecionem delent, tanto furore, ut prægnantium etiam uteros ferro scrutati sint, quotquot è Francis concepisse suspicio erat. Inde Siculæ Vesperæ in proverbium abiêre. Fax hujus rebellionis Petrus Aragonum Rex; quòd ducta in uxorem Constantiâ Manfredi filiâ, ad Siciliæ regnum aspiraret; faciñus verò hoc Carolum regem & totam Italiam commovit. *Gerh. Jordanus Ptolom. Luc.*

Pacatius Rudolpho Cæsari imperium erat; eòque Augustæ Vindelicorum Principum Comitia habuit, in quibus solenni ritu Albertum filium Ducem Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ; Rudolphum verò natu minorem Ducem Sueviæ creavit. Læta hæc tristibus obturbata; quippe Hartmannus filius cum duodecim nobilibus in Rheno submersus interiit, præcelsæ indolis Princeps, cui Regis Angliæ filia desponsata erat. Cæsar subinde ad inferiorem Rhenum digressus, V Kal. Octob. Boppardiæ principum conventum habuit; in quo cùm multa pro Reip. bono ac pace, tum res monetaria pertractata; decretumque marcas, quæ 13 solidorum & 4 denariorum pretium explerent, per totum Imperium valituras, siquidem cum effigiè Cæsaris cuderentur: quo Privilegio etiam Sifridus Coloniensis Archiepiscopus donatus. Cæsar Varia Comitia pro bono Reip. celebrat. *Hist. Austr. Annal. Colmar. Cuspinian. Gelenius.*

Extraxit hic annus è numero Saxonicorum præsulum Volquinum Mindensem Episcopum, virum, ut Crantzius scribit, omni virtutum ornatu conspicuum, &, si Mindenses fastos consulas, præsulem, qui præclare de sua Diœcesi meritus, pietate cumprimis & vitæ integritate inter prisci seculi Episcopos numerandus sit; quo vivente juvanteque mirificè floruit Mindæ S. Dominici familia eruditis & præclaris sacerdotibus. Ortus erat Volquinus è Comitum Swalenbergensium familia, quæ præclarum simul Diœcesis nostræ decus Guntherum Magdenburgensem Archiepiscopum dedit: præter tot pios egregiosque ejus stirpis Comites; à quibus Cœnobium B. Mariæ, & Valckenhagense apud nos conditum diximus. Moritur Volquinus Episcopus Mindensis. *Annal. Mind. Crantzius l. 8. Metrop. c. 51.*

Annus Christi 1283.

Martini IV Pont. 3.
Rudolphi I Imp. 2.
Ottonis Ep. Paderb. 6.

Cæsar post illa, eversis per Alsatiam & superiorem Germaniam prædonum Castellis, Herbipoli principum Comitia indixit; ad quæ frequentes Episcopi, Abbates, Duces ac Principes convenêre. Accessit quoque à Martino IV Pontifice legatus, Episcopus Tusculanus; qui inter alia Reipub. Christianæ causâ ibi agitata à clero per totam Germaniam decimum quemque nummum petijt, ad conturbatas res in Italia erigendas, tantumque cùm à populo exposceret Rudolphus Cæsar, & Principes plerique in utrumque proni essent, obstitêre libera voce in Comitiis Sifridus Coloniensis, & Henricus Acta Cæsaris aliorumque in Comitiis Herbipolensibus. *Trithemius in Chron.*

ricus Trevirensis Archiepiscopus, magnitudine tributi & immoderata exactionis offensi; & rem acri disceptatione eò deduxêre, ut tam Legatus Pontificis, quàm Cæsar, postulati irritus, ex Comitiis recederet.

Otto Ep. Paderb. Stabilire nititur Warburgi PP. Prædcatores.

Otto verò Episcopus noster omne studium suum convertit in firmanda Prædicatorum familia, quam Warburgum induxerat; ejus rei gratia parochialem Ecclesiam B. Virginis sacram, medioque inter vetus & novum oppidum loco sitam, religiosis viris attribuit: parochianis ad Ecclesiam novi oppidi translatis, conjunctisque in unum parochiæ cœtum; id quod pro jure & auctoritate Episcopi sibi fas esse profitetur, & hæ fundationis literæ planiùs docent.

Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ electus et confirmatus, dilectis in Christo Fratribus Prædicatorum Ordinis Conventus Warburgensis oppidi et Diœcesis nostræ salutem et cumulum cælestium præmiorum. Quoniam ad tenorem Evangelicum habundante jam iniquitate refriguit charitas plurimorum, quæ tamen juxta sacrum eloquium Mater et forma est virtutum cæterarum, utpote sine qua cæteræ non sunt Deo placitæ, velut defectivæ, hac uullatenus excidente, ad quam excitandam, ac in hominum cordibus accendendam, cum Deus ordinem vestrum suscitaverit, ac sedes sancta Apostolica confirmaverit, et Ordinariis locorum mandaverit, admonuerit et rogaverit Ordinem ipsum per ipsos defensari et in suis necessitatibus adjuvari; Nos ob reverentiam Sacræ sedis, majorum exemplis et vestigiis inhærentes, hæc benevolentius et munificentius cupimus adimplere. Unde cum nostri juris sit, parochias urgentibus causis necessariis dividere ac unire, teneamur nihilominus ipsis Ecclesiis in divino officio providere, Ecclesiam parochialis beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ, nominata in Vico Wartbergensis oppidi antedicti, in redditibus adeo sit tenuis, quod non possit in ea sustentari Rector secundum suas necessitates et decentiam Clericalem, quibus de causis, et ut Ecclesia officietur melius, vobis statuimus libere, omni conditione cessante et pacto, propter Deum, Matrisque suæ gloriosæ honorem, et concedimus et damus in propriètatem perpetuam pro claustro fundando ad vestri Sacri ordinis institutiones, ipsam eandem Genitricis Ecclesiam cum cœmiterio pro culto divino ampliando jugiter possidendam; et quæcunque, quæ semel Deo dicata sunt, secundum patrum instituta non debent nec possunt ordinationi Laicæ subiacere, simul concedimus vobis ea, quæ in libris, calicibus, paramentis, ornatu, campanis et aliis, quæ in eadem Genitricis Dei Ecclesia continentur, et ad ipsam Ecclesiam attinuisse hactenus dignoscuntur. Insuper ne parochiales oporteat municipium exire, et ne nimia distantia gravent parochiæ, parochiam totam, quo ad jus parochiale addimus et unimus parochiæ S. Joannis novi oppidi ibidem pluries nominati, sic tamen ut ad ipsarum parochialium solatium, quod alias unicuique esset, et est liberum eligere salvo jure Ecclesiæ parochialis, ad antedictam gloriosæ Dei genitricis ecclesiam deferantur, et inibi in cæmiterio tumulentur, et quando et quoties eis libuerit, aut aliquibus ex ipsis dictis parochialibus possint eandem Dei genitricis

ecclesiæ

ecclesiam in divinis, ut antea, libere frequentare, sine præjudicio Ecclesiæ S. Ioannis, exceptis illis diebus, in quibus in sua Parochia, scilicet S. Joannis, tenentur audire divina, ac vestris fratribus etiam in lecto ægritudinis et omni tempore, salvis constitutionibus super hoc editis, quibus derogare non possumus nec debemus, secundum tenorem privilegii vestri valeant confiteri. Acta sunt hæc præsentibus Henrico custode orientalis Ecclesiæ in Paderborna, Fratre Conrado Lectore, Fratrum in Wartberg, Fratre Burchardo de Buren, Ecberto Spigel, et Ravenone seniore militibus, et Iacobo famulo de Moguntia in Hersvvedehusen Anno Dni M° CC° LXXXIII° Dominica die ante festum B. Ioannis Baptistæ. Ut autem hæc rata permaneant et inconvulsa, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum in Paderborna Anno Dni M° CC° LXXXIII° feria quinta posteaquam Lætare in Dominica cantabatur.

Tradita in hunc modum Ecclesia, circumjacentem Ecclesiæ fundum ære suo comparatum Otto Episcopus Prædicatoribus donat, in quo Cœnobium erigerent; quemadmodum his simul literis consignatum.

Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ electus et confirmatus, universis Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis in vero salutari salutem. Tenore præsentium publicè protestamur, quod fundum totum cum omni jure, quem nulli in toto nec in aliqua parte recognoscimus, vendidimus fratribus ordinis Prædicatorum, conventus Warburgensis, oppidi et diœcesis nostræ, pro marcis triginta examinatis, id est, marcis quinquaginta usualis monetæ, apud eos, eum videlicet fundum, qui continetur inter murum novi oppidi et murum Bernam locum dividentem à veteri oppido, et viam nunc usitatam, qua itur et ascenditur à valva nunc usitata tendente versus dictam Bernam, usque ad cæmiterium ecclesiæ beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ ad vineam nominatæ, et sic circa cœmiterium usque ad viam ad partem ejusdem cœmiterij occidentalem per quam exitur, et usque portam novi antedicti oppidi versus habitum cœmiterium, ubi granaria sunt locata, et totum locum areæ Plebani, et si quæ aliæ sunt areæ ad ipsam sanctæ Mariæ prænominatam Ecclesiam attinentes. Acta sunt hæc præsentibus Henrico Custode Orientalis Ecclesiæ in Padiborna, Fratre Conrado Lectore Fratrum in Wartberg, Fratre Burchardo de Buren, Ecberto Spiegel, et Ravenone Seniore militibus, et Jacobo famulo de Moguntia in Hersvvedehusen, Anno Domini M° CC° LXXXIII° Dominica die ante festum B. Joannis Baptistæ. Ut autem hæc rata permanent et inconvulsa, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum in Paderborna Anno Domini M° CC° LXXXIII° Feria quinta posteaquam Lætare in Dominica cantabatur.

Operis tam pij ac salutaris fundamento posito, Otto Episcopus literas dedit ad Martinum IV Romanum Pontificem, quibus Cœnobij à se inchoati institutionem, & translationem Ecclesiæ in Prædicatorum jus, & conjunctionem parochiæ cum altera Apostolicæ Sedis auctoritate ratam haberi expetit. Extant hæ literæ apud nos plenæ

plenæ obsequii & venerationis erga Apostolicam sedem. Nihil enim per id tempus sollicitius habuit Otto Episcopus, quam ut augendæ religionis cultum per suam Diœcesin, uti in omnibus suis literis profitetur, per novos hosce operarios firmaret. Quemadmodum integerrimorum Episcoporum semper fuit religiosos ordines, languente Clero, in subsidium evocare, atque omni ope & subsidio fovere: & nescio quid vanitatis & extincti divini spiritus observaverim in ijs, quotquot sacrorum ordinum homines aversati, politici magis Principis, quàm synceri Episcopi munus sectari visi sunt.

Ecclesia S. Magni cedit Religiosis Montem Martis incolentibus.

Ad hunc Cleri & pastorum laborem sublevandum Otto quoque Ecclesiam S. Magni ex consensu Archidiaconi Horhusani dedit præposito in Monte Martis & religiosis Ordinis D. Benedicti viris montem incolentibus; eò quòd languentibus Scholis & Clericorum studiis intelligeret operam religiosorum sibi opportunam offerri.

Defenditur à Pontifice libertas Corbeiensium in admittendis bonis patrimonialibus.

Non defuêre hac ætate maligna etiam politicorum ingenia, qui contenderent, possessiones ac bona filiorum non posse ab ijs trahi secum jure paternæ hereditatis ad patrimonium Cœnobii; id cùm Corbeiensibus etiam controverti cœpisset, Martinus IV præclaro diplomate libertatem Corbeiensium in hunc modum sanciit.

Martinus Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filiis Abbati et Conventui Monasterii Corbeiensis ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentis Ordinis S. Benedicti Pagdeburnensis Diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati præsentium vobis authoritate concedimus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, quæ liberas personas fratrum vestrorum, mundi relictâ vanitate ad vestrum Monasterium convolantium, et professionem facientium in eodem jure successionis, vel alio justo titulo, si remansissent in sæculo, contigissent, et ipsi potuissent libere aliis erogare, feudalibus duntaxat exceptis, petere, recipere, ac retinere libere valeatis, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud urbem veterem XVI Calendas Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

Annus Christi 1284.

Martini IV Pont. 4.
Rudolphi I Imp. 12.
Ottonis Ep. Pad. 7.

Acta publica in Imperio à Cæsare aliisque.

Anno dehinc proximo ineunte Rudolphus Cæsar, ductâ mense Aprili Agnete Ducis Burgundiæ filiâ in matrimonium, exercitum parat adversus Sifridum Colonienſem Archiepiscopum, imploratus ab heredibus Juliacensis Comitatus; hos enim, ut diximus Sifridus

toto

toto fere Comitatu exuerat : accenderat præterea Cæsarem libertas Sifridi Archiepiscopi, quâ tributa ausus in superioribus Comitijs abjudicare Cæsari. Jam magna procella imminebat inferiori Germaniæ, tracturæ in partes Principes & Episcopos, cùm Sifridus ultro, permotus auctoritate Pontificis, Juliam heredibus reddit. Quapropter evocatus Wilhelmus Præpositus Aquisgranensis, hereditate propinquior, abjectâque Cleri vitâ, undecimus Juliæ comitum renunciatur. Cæsar subinde celebratis 24 Julij Wormatiæ comitiis, Herpiboli obsidionem intentat; at territi cives Cæsarem muneribus placavêre. *Annals Colmar.*

Ultus hoc anno Florentius Hollandiæ Comes Wilhelmi Romanorum Regis necem; cæsique magna clade Frisones Patris corpus reddere jussi sunt; quod Florentius Trajectum deportavit, & Middelenburgi deinde in Monasterio regali tumulo intulit. *Beka in Joanne I. Ep.*

Magno præterea Cæsaris & Cleri sui luctu eductus è mortali vita Wernerus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, vir pacis amantissimus & columna religionis; qui Paderbornensem Diœcesin ex cælesti D. Liborij beneficio sibi commendatissimam habuit. A morte ejus Archiepiscopi sedes biennium vacua fuit: alijs è clero Petrum Basileensem Ecclesiæ Præpositum, ac Rudolphi Cæsaris ante hac medicum; alijs Gerardum Epsteinium Trevirensem Archidiaconum deligentibus, donec Pontifex utroque rejecto, Henricum Basileensem Episcopum imponeret, quem ex Monacho ordinis minorum ac Doctore Theologiæ Rudolphus Cæsar sibi à confessionibus habuerat. Obitus Werneri Archiep. Moguntini. *Annal. Colmar. Trithemius in chron. Serrar. l. 5. Mogunt.*

Hoc deinde anno Eberhardus Monasterienſis Episcopus Castrum Bredenfort 400 Monasterienſium legalium marcis emit à Balduino Steinfordiæ Domino; quâ emptione cetera ejus castra, prædia & jura cessêre Monasterienſi Ecclesiæ, quod publicæ hac super re tabulæ in pervigilio palmarum confectæ, & in Monasterienſium tabularijs servatæ, docent. Castrum Bredenfort acquiritur Ecclesiæ Monasterienſi.

Ac nostra ne hîc præteream, reperio Martini IV Pontificis diploma, quo ratam habet donationem prædij, quod Henricus Præpositus ex paternis bonis Ecclesiæ suæ patrimonio adjecit; eo nimirum pietatis consilio, ut ab obitu suo canonicos pro se & progenitoribus apud Deum supplices haberet; ita verò habet. Et prædium in Balhorne Ecclesiæ Paderbornensi.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Decano et Capitulo Paderburnensis Ecclesiæ salutem et Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod dilectus filius Henricus Præpositus Ecclesiæ Paderbornensis cupiens terrena pro cælestibus, et transitoria pro eternis salubri commertio commutare, quandam curtim sitam in territorio Ville de Balhorne Padeburn. Diœc. ad dictum præpositum

ſitum ratione perſonæ ſuæ ſpectantem, pro ſue et progenitorum ſuorum ani-marum remedio vobis et eidem Eccleſiæ Padeburn. intuitu contulit pietatis pro ut in literis inde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur veſtri ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc pie ac provide factum eſt, ratum et gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, et præſentis ſcri-pti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-nam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Da-tum apud urbem veterem X Kal. Maji, Pontificatus noſtri anno quarto.

Canonici Huxarienſes ex urbe ad veterem ſuam ſedem remigrant.

Canonici, quos Simonis Epiſcopi noſtri auctoritate ex nova Eccleſia D. Pauli ob temporum injuriam & vaſtitatem loci intra Hoxtariæ oppidum migraſſe diximus, atque ad S. Petri Eccleſiam transtuliſſe Collegium, ij hoc anno mutato Conſilio redeunt ad veterem Collegij locum ac ſedem, quam à primordiis habuêre in-tra Corbeiam & Hoxtariam. Id verò uti convenerit inter Henri. cum Abbatem Corbeienſem, & Præpoſitum, Decanum, ceteroſq; Canonicos, conſtat ex tabulis, quæ apud nos ſunt, hac ſuper recon-fectis; quibus tamen jus Diœceſanum Epiſcopi Paderbornenſis integrum ſervari velint. Modò ejus celebris Collegii à Corbeienſi Abbate fundati, & multis opibus dotati, ne veſtigium quidem ſu-pereſt, præter vetera Cœmeterij quædam monumenta.

De puerorum Hammelenſium amiſſione.

Fatalem præterea hunc annum faciunt Hammelenſi ad Viſur-gim urbi centum & triginta puerorum amiſſione; quos præſti-giator quidam ex urbe in vicini montis cavernam eduxerit: rem hunc modum denarrant. Infeſtabat per id tempus indigenas inge-murium & ſoricum multitudo, magna frugum pernicie; ad quo malum tollendum cùm varia conſilia agitarentur, obtulit ſe repen-te vir quidam civibus peregrino habitu & prodigioſa ſtatura, pol-citus ſe malo huic remedium daturum. Accepta pollicitatione, de certa pecunia pactum; ac mox ille extracta è peris fiſtulâ inflataq; ingentia murium agmina ex omnibus domorum tectis & *angulis* eduxit, quæ aulœdum illum in flumen ſecuta, ultroque ſe aquis im-mergi paſſa ſunt. Addum peracto incantamento præſtigiator mer-cedem poſcit, & cives eam detrectant; offenſus ille comminatur ſe mercedem multo magis noxiam brevi exacturum. Minæ hæriſo exceptæ. Poſtero verò die præſtigiator venatoris habitu prodiit in publicum, inflatàque diverſi& amœnioris ſoni fiſtulâ, omnis intra quadriennem & duodennem ætatem totius oppidi pueros & puel-las extraxit, deduxitque in vicini Montis cavernam, è qua nunquam poſtea, tanquam è Mortalium numero expuncti, in conſpectum parentum redierint. Addunt per id tempus in Tranſylvania ignotæ linguæ pueros repente apparuiſſe, qui & ſedem iſtic fixerint, & Sa-onicam etiam linguam retinuerint; tanquam præſtigiator dæmo-

nis ope gregem puerorum eo transtulisset. Decantata apud Saxonum vulgus narratio, quæ multorum etiam scriptorum rapuit fidem asserentium; quos inter Lossius, Albinus, Meibomius, Lampadius, Wierus, Werdenhagius, Calixtus, Athanasius Kircherus, alijque, Erichio cumprimis innixi, qui peculiari libello in hanc rem edito factum persuadere conatus est. Verùm aliorum meliorumque judicio non tam historia quàm canora fabula reputatur; quòd neque Hermannus à Polda Hammelensium per id tempus scriptor, neque Crantzius, neque Trithemius, neque Gobelinus noster, neque Leerbeckius in fastis Episcoporum Mindensium, neque ullus fastorum aut Chronicorum per id tempus scriptor, quales tam multos pervolvendo ex Saxonia & Germania produximus, rei tam memorabilis indicium reliquerit. Quapropter dum dicunt servatam hujus rei memoriam inscriptione, quæ in veteris templi fenestris, & porta Hammelensi, ac deinde in Hammelensium literis, quibus annos ab exitu suorum puerorum consignarint, visa sit, inter assutæ fabulæ hujus commenta accensentur; quemadmodum hæc omnia Martinꝰ Schockius eruditè in disquisitione hujus fabulæ exponit. Quanquam Athanasius Kircherus, cujus magna apud me est auctoritas, fateatur Dæmonum artibus, permittente Deo ob incognitas nobis causas, fieri potuisse; sibique aliquando depictam in Hammelensi Ecclesia historiam hanc, & montis cavernam monstratam esse.

Annus Christi 1285.

Honorij IV Pont. 1.
Rudolphi I Imp. 13.
Ottonis Ep. Paderb. 8.

Impostor Fridericum Imperatorem se fingens punitur.

Certior scriptorum testimoniis narratio de insigni impostore, qui se Fridericum Cæsarem jam dudum defunctum ferebat: homo decrepitæ ætatis & versutiæ Coloniam superiori anno ingressus, populo persuasit, se, cùm tædio imperii ante xxx annos alium suo loco subrogasset, atque inde peregre profectus esset, nunc redire Coloniam ad veteres suos amicos; quem magistratus in carcerem detrusit, nec multò post tanquam emotæ mentis hominem dimisit. Unde Novesium se contulit, ubi multos reperit, interque hos nobiles etiam, quibus se Fridericum Imperatorem persuasit; tantusque credulorum brevi ad sycophantam concursus fuit, ut aulam ex imperitis & factiosis hominibus formârit. Quo comperto, Sifridus Coloniensis Archiepiscopus, ut malum in fomite comprimeret, Novesium armatus advolat; cui Novesienses portas occlusêre. Quare literis Rudolphum Cæsarem de periculo admonet. Cæsar re contemptâ, hominem Novesij intactum reliquit; ubi jam ipse publicum tribunal erexerat, ausus etiam Florentium Hollandiæ Comitem à Frisiis accusatum citare ad judicium suum. Verùm cùm à Sifrido Archiepi-

Sifridus Presbyter. Chron. Colon. Ursberg. Paralip: Joannes à Beka, aliiq.

ſcopo ſibi timeret, relicto Noveſio, cum fideliorum hominum agmine Weſtfaliam ingreſſus, auxit famam nominis & factionis multitudinem; quacum deinde Wetzlariæ in oppido conſedit, & publicam rebellionem machinari cœpit. Jam & multæ urbes, quas inter Colmaria, Rudolphi Imperium exuere, & novum hunc Fridericum Cæſarem colere; cùm hominum horum colluviem armatus Sifridus Archiepiſcopus inſequitur; cui haud multò poſt Cæſar ſe conjunxit, Wetzlariamq; obſeſſam brevi ad deditionem compulit. Ibi captus impoſtor, & quæſtionibus ſubjectus, impoſturæ ſcelus fatetur, quod ex aulico quandoque Friderici Imperatoris ſe Imperatorem finxiſſet. Quare Cæſaris judicio in rogum conjectus: & Colmaria 4000 auri marcis eſt mulctata. Noveſium, quod Sifrido Archiepiſcopo impoſtorem caſtigaturo portas clauſiſſet, omnibus privilegiis à Cæſare exutum, & Archiepiſcopo ſubjectum fuit. Quæ ſententia à Cæſare Wetzlariam in caſtris pro tribunali ſedente pronunciata eſt. Tam brevem & tam tragicum ſcena illa finem habuit.

Cæſar celebratis Ægræ in urbe filiæ ſuæ nuptiis cum Wenceslao Bohemiæ Rege ceteram anni partem conſumpſit in Alſatia & Suevia; multumq; laboris habuit in Friburgo, Colmaria, Hagenoa, ceteriſque rebellium urbibus perdomandis. Ad quæ ſuperioris Germaniæ loca Henricus Abbas Corbeienſis Cæſarem inſecutus

Henricus Abbas Corbeienſis privilegiorum ſuorum confirmationem à Cæſare obtinet.

Gamundiæ jus & privilegium ſaltus Solingani, liberamque Ven tionem publico diplomate confirmata obtinuit; ſicuti hæc ab O tone IV Imperatore donata conceſſaque erant.

Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Univer Sacri Imperii Romani fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam omne bonum. Veniens ad noſtræ Majeſtatis præſentiam Venerabilis Henricus Abbas Corbeienſis Eccleſiæ, Princeps noſter dilectus, privilegium claræ recordationis Ottonis IV Regis Romanorum prædeceſſoris noſtri Eccleſiæ ſuæ prædictæ traditum et conceſſum nobis præſentavit, humiliter ſupplicando, ut ipſum privilegium de verbo ad verbum innovare et confirmare de benignitate Regia dignaremur, cujus privilegii tenor talis eſt; uti Ottonis Imperatoris literæ ſupra à nobis ad annum MCXCVIII relatæ, atque hic à Rudolpho inſertæ habent. *Nos itaque prædicti Abbatis precibus favorabiliter inclinati præſens privilegium in omnibus ſuis articulis, pro ut ſuperius ſunt expreſſi, innovamus, confirmamus, et præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis et confirmationis infringere, aut ei in aliquo auſu temerario contraire. Quod qui fecerit, gravem noſtræ Majeſtatis offenſam ſe noverit incurriſſe. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi, et Majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt Venerabiles Rudolfus Saltzburgenſis Archiepiſcopus, et Henricus Baſilienſis Epiſcopus. Illuſtres Albertus Dux Saxoniæ, Conradus Dux de Tecke. Nobiles viri Eberhardus*

hardus Comes de Catzenellenbogen, Albertus et Burchardus Comites de Hohemberg, Ludovvicus Comes de Oetingen, Eberhardus Comes de Wirtenberg, et quam plures alii fide digni. Datum Gamundiæ XIII Kal. Aug. Indict. XIII, Anno Domini MCCLXXXV, regni vero nostri XII°.

Annus Christi. 1286.

Honorij IV Pont. 2.
Rudolphi I Imp. 14.
Ottonis Ep. Pad. 9.

Cæsar postquam anno superiori amiserat Godefridum Patavienſem Episcopum, gente Westphalum, quem antè à secretis epistolis & negotiis habuerat, virum eruditum ac pium, hoc anno Henricum Basileensem Episcopum, quem ex Monacho Franciscano & conscientiæ suæ arbitro ad eam dignitatem evexerat, Romam misit ad Pontificem Legatum, publicorum negotiorum pertractandorum causâ. Ejus viri eruditione & facundia ita captus fuit Pontifex, ut ex dissidio Moguntini cleri Moguntinum Archiepiscopum renunciarit; quod nec ingratum accidit Rudolpho Cæsari. Hic ille Archiepiscopus ac Metropolitanus noster; qui postquam milites ac nobiles in publicis conviviis ac congressibus anteferret clero, immemor ex quam humili loco, fabri filius, & Monachi professione ad eam dignitatem perveniſſet, magno cleri odio & ludibrio exceptus est, passimque hic versus in eum jactatus.

Henricus ex Basileensi Ep. fit Archiepiscop9 Moguntinus. *Stero in Annal. Hundius in Metrop. Salisb. Annal. Colmar. Buschius. Serrarius. Trithemius in Chron. Hirsang.*

Nudipes Antistes, non curat clerus ubistes,
Si non in Cœlis, stes ubicunque velis.

Verùm haud ultra biennium in hoc honoris fastigio perstitit, morte dejectus.

Cæsar interim expugnatis per Sueviam variis rebellium Castellis, Ducem etiam Wirtenbergensem aggressus è castro ejecit, supplicemque atque ad pedes provolutum habuit.

Quàm hæc præclarè Cæsar agebat, tam indecorum à Scriptoribus reputatum, quod Lucensibus Florentinis, Genuensibus libertatem pretio emendam obtulerit. quo exemplo ceteræ deinde per Italiam civitates invitatæ, retento fidelium Imperii nomine, se in libertatem asseruêre; quarum aliæ ad justum Pontificis & Ecclesiæ imperium rediêre, aliæ Principum potestati subjectæ. Visusque est Rudolphus primus viam aperuisse ad regni illius excidium, quod à Longobardis institutum Franci excepêre, ac demum ad Germanos transmisêre; in eo verò retinendo cùm Reges tot ac Cæsares ob contumaciam Italorum, imperia Germanici Principis detrectantium, laborassent, frustraque hactenus tot Germanorum exercitus insumpsissent, Rudolphus Italia sibi abstinendum censuit; quam in rem apologum de Leone & vulpe referre solitus; quod cùm hæc ad familiarita-

Cæsar Italiam deserit.

miliaritatem & subeundum Leonis spelæum invitaretur, respondisse introducunt, se quidem ingredientium multa vestigia observare, sed nulla egredientium. In hoc unum Rudolphus sapienter intentus, ut Imperium in Concordia, ordine & pace contineret. Et summa per Westsaliam Saxoniamque quies erat.

Otto per hæc, quod & ceterorum Episcoporum negotium fuit, in religione exornanda occupatus, hoc anno accepit ab Honorio IV Pontifice literas, quibus hic & fundationem prædicatorum in civitate Warburgensi factam, & conjunctionem parochiarum, ut in alterius Ecclesiam prædicatores introducerentur, apostolica auctoritate in hunc modum ratam habet.

Honorius Pont. confirmat Fundationem PP. Prædicatorum Warburgi.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filiis priori et conventui Fratrum Ordinis Prædicatorum Wartbergen Paderburn. Diœc. salutem et Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat; quod dilectus Filius Otto Electus Paderburn. postquam electio de se ad Ecclesiam Paderburn facta extitit Canonicè confirmata, proinde considerans, quod Ecclesia parochialis, beatæ MARIÆ in vinea, oppidi Warburgen. adeo tenuis in redditibus existebat, quod Rector in ea non posset de illis commode sustentari, ut cultus Divinus magis augeretur, ibidem parochia ipsius Ecclesiæ S. Mariæ parochiæ S. Joannis sibi vicinæ unita Ecclesiam ipsam, cujus collatio ad ipsum electum libere pertinebat, cum juribus et pertinentiis suis, ordini Fratrum prædicatorum pro ædificando inibi claustro, et aliis officinis, suis usibus opportunis, pia et provida deliberatione contulit, prout in patentibus literis inde confectis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc per eundem Electum provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate Apostolicâ confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, defectum qui extitit in præmissis, pro eo quod ad id Capituli Paderbornensis non accessit assensus, supplentes nihilominus de plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis et Suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam V Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno primo.

Quod idem facit Otto Ep. Pad.

Pontificis literis conjunxit hoc anno suas Otto Episcopus, quibus Ecclesiam parochialem B. Virginis & fundum circumjacentem à se emptum prædicatoribus præclaro cum elogio ordinis possidenda tradit; quas hîc simul recitare juvat.

Otto Dei gratia Paderburnensis Ecclesiæ electus et confirmatus, Dilectis in Christo Fratribus Prædicatorum Ordinis Conventus Wartbergensis Diœcesis et Civitatis nostræ salutem et cumulum cœlestium præmiorum. Quoniam ad tenorem evangelicum abundante jam iniquitate refriguit charitas plu-

plurimorum, quæ tamen juxta sacrum eloquium Mater et forma est virtutum cæterarum, utpote sine qua cæteræ Deo non sunt placitæ velut defectivæ, hac nullatenus excidente, ad quam excitandam et in cordibus fidelium ac infidelium accendendam cum Deus ordinem vestrum suscitaverit, ac S. Sedes Apostolica confirmaverit, et ordinariis locorum mandaverit, admonuerit et rogaverit vos debere per ipsos defensari et in vestris necessitatibus adjuvari; Nos ob reverentiam sedis antea memoratæ majorum exemplis et vestigiis in fundatione priorum locorum inhærentes, hæc benevolentius et beneficentius cupimus adimplere; unde cum nostri juris sit parochias dividere ac unire, causis necessariis ingruentibus, ac teneamur nihilominus ipsis Ecclesiis in divino officio providere, Ecclesiaq; parochialis gloriosæ Dei genitricis MARIÆ civitatis Warburgensis in vinea in redditibus adeo sit tenuis, quod in ipsa non possit sustentari Rector secundum suas necessitudines et decentiam clericalem, ijs de causis, et ut locus officietur melius vobis, statuimus libere, omni conditione cessante et pacto, propter Deum, et suæ matris honorem, et concedimus ac damus in proprietatem perpetuam pro claustro fundando ad vestri sacri ordinis institutionem ipsam eandem gloriosæ Dei genitricis Ecclesiam cum campanis et cœmiterio pro cultu Dei amplificando jugiter possidendam. Insuper fundum totum cum omni jure, quem nulli nec in toto nec in parte recognoscimus vobis venditum pro marcis quinquaginta usualis monetæ apud nos, puplicè protestamur, cum videlicet fundum, qui continetur intra murum novæ civitatis, et murum Bernam locum dividentem à veteri civitate, et viam nunc usitatam, qua itur et descenditur à valva tendente usque dictam Bernam usq; ad cœmiterium B. V. et sic circa cœmiterium usq; ad viam, ad partem cœmiterii ejusdem occidentalem, et usq; ad portam, qua exitur de nova jam habita civitate, et locum juxta cœmiterium ipsum, ubi granaria sunt locata, et totum locum curiæ plebani, et si quæ aliæ areæ sunt ad ipsam sæpe habitam Ecclesiam attinentes, per præsentes et obligamus et adstringimus nos pro vobis de victione et evictione responsuros, et ut vulgo dicitur, Warandiam quoties, quando et ubi requisieritis, præstituros, et literas hoc negotium quocunque modo contingentes, quoties petieritis daturos et innovaturos, et pro ut unquam poterimus citius Capituli nostri Padeburnensis literas et sigillum horum plenarie robur et consensum continentes, obtenturos. Si autem parochiales dictæ Ecclesiæ oporteat municipium exire, et ne nimia parochiæ distantia prægraventur, dictæ Ecclesiæ de Rectore pro tempore providebimus, quousque parochialibus de loco et parochia commodius poterimus providere. Præterea ut malignantium astutijs per justitiam coërcitivam plenius obvicmus, protestamur nos hæc facere potuisse, quia secundum juris tenorem proprio loco fundando possemus et quinquagesimam vel centesimam proventuum nostrorum sine requisito consensu tradere perpetuo juxta velle. Ad hæc sub pœnis suspensionis, Interdicti, et excommunicationis latis sententiis in his scriptis, in omnes et singulos, qui huic donationi et orainationi sive verbis sive factis contraiverint, præcipimus tam Clericis et Laicis, ut has donationes, ordinationes, claustri ædificationem nullus impediat ullo modo.

Com-

Committimus et Castellanis nostris in Wartberg, Videlicet Ravenoni et Conrado fratribus et Egberto Spegel militibus, ut postquam eos requisieritis per præsentes, ducant et mittant vos infra triduum auctoritate nostra in donatorum sive venditorum omnium corporalem possessionem Præcipimus autem, qui ex parte nostri ibi est advocatus, sive temporalium dispensator, ut vobis totum fundum ante nominatum liberum ab omni impetitione faciat, et hortos ibi sine auctoritate nostra locatos amoveat, et per omnia fundum vestrum auctoritate nostra, quam in hoc integre sibi committimus, proprium faciat, et ostendat, et à vobis omnes Violentias et injurias propulset, hominum malignorum per præsentes et sub prædictis pœnis præcipimus plebano Castri, sive ei, qui vices ejus gesserit, ut easdem sententias publicet et denunciet quoties, quando et ubi et qualiter fuerit requisitus. Acta sunt hæc præsentibus Fratre Nicolao Priore et Fratre Burchardo Suppriore domus Wartbergensis, Egberto Spegel, Alberto de Amelungessen, utroque Ravenone militibus, et aliis pluribus fide dignis, Anno Domini Millesimo Ducentesimo LXXXVI Non Martji.

Annus Christi 1287.

Honorii IV Pont. 3.
Rudolphi I Imp. 15.
Ottonis Ep. Pad. 10.

Acta in Concilio Herbipolensi. *Historia Australis Sifridus Presb. Concilia Binii & Parisiensia.*

Miserat subinde Pontifex Joannem Tusculanum Episcopum in Germaniam Legatum, cujus auctoritate Herbipoli in Quadragesima celebris Archiepiscoporum, Episcoporum & præsulum totius Germaniæ synodus convocata; quo accessit & Rudolphus magno procerum comitatu. Multa in eo concilio XLV sacrorum canonum decretis salubriter sancita in clero ac populo. Verùm cum Legatus decimum quemque nummum ex cleri bonis in quintum annum poscceret, una omnium voce reclamatum est, non sine publico Germanorum tumultu, quo Legati ex sorore filius occisus est. Idem periculum subjit Romanus nobilis, quem Cæsar servavit. Honorius subinde Pontifex in Cœna Domini excessit. Stero prædictam Synodum retulit ad annum 1290, visusque cum Erfordensibus comitiis, de quibus referam, confundere; cùm tamen Honorii mortem huic synodo subjungat.

Germaniâ item, Frisia, & ad Rhenum, ubi Wernerus puer à Judæis occisus. *Annal. Colmar.*

Cæsar post illa in rebellium Castris per Alsatiam expugnandis occupatus fuit; quo simul tempore Wernerus puer die parasceves à Judæis Westaliæ ad Rhenum excruciatus sepultusque in Bacharensi oppido multis exinde miraculis inclaruit. Quo perfido facinore injuriarum in Christum tota prope Germania in Judæos excindendos exarsit. Frisiis quoque hic annus eluvione aquarum fatalis, qua supra 80000 hominum millia extincta periêre. Eâ cladis opportunitate Florentius Hollandiæ Comes Frisiam ingressus patris necem Ulcisci non desiit.

Indux-

Induxerat anno priori Otto Episcopus noster prædicatores Ordinis S. Dominici in Ecclesiam B. Virginis, collocâratque in fundo à se coëmpto; cùm haud multò pòst oppidi Warburgensis cives, concitati à curione suo, nihilque veteri Pontificis & Episcopi auctoritatem, prædicatores è templo & possessionis loco dejicere attentant: quos cùm Episcopus censuris Ecclesiasticis perstringeret, illi majori insolentiâ inflammati manus violentas religiosis viris injiciunt, plebeque per pulsum campanarum ad rebellionem excitâ, per vim prædicatores exturbant. Qua sacrilega injuria provocatus Episcopus, cives hujus facinoris participes nominatim anathemate perculsos sacris omnibus & piorum consortio interdicit; quam deinde sententiam, missis ad omnia Collegia parochiasque suæ Diœcesis literis, palam denunciari jussit; atque ut tum rigidæ adhuc disciplinæ moriſque erat, extinctis palam luminibus per omnes cœtus & festos dies execrationem repeti jussit. Quam in rem proderit ipsum Ottonis diploma recitare.

Trithemius Brouverus in Annal. Trevir. Ubbo Emmius l. 12. Warburgenses Fratrum prædicatorum violenti expulsores ab Ottone Ep. excommunicantur.

Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus Dilectis in Christo de Gerdene, de Wilbodessen, de Aroldessen sanctimonialium piis, nec non universis Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, Canonicis, Capellanis, presbyteris & Clericis nostræ Paderb. Diœcesis, & maxime Archidiacono sedis Warburgensis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino. Cum nos matura deliberatione, consideratis provide considerandis, ut cultus divinus magis per nostram Diœcesin, & in nostro Warburgensi oppido augeretur, parochialem Ecclesiam Sanctæ Mariæ in vinea prædicti oppidi parochiæ S. Ioannis sibi vicinæ univerimus, Ecclesiam ipsam S. Mariæ, cujus collatio ad nos pertinebat, cum juribus & pertinentiis suis priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Warburgen. nostræ Diœcesis pro ædificando inibi claustro et aliis officinis suis usibus opportunis, pia & providaconsideratione contulimus, eademq. collatio sive donatio sic provide de dicta Ecclesia per nos facta per privilegia ipsis Fratribus & Ordini à sede Apostolica indulta, defectum etiam, siquis existit in præmissis, de plenitudine potestatis per summum Pontificem supplendo, sit specialiter & ex certa scientia confirmata: quanquam etiam nos ipsum Priorem & Fratres cum debita solemnitate in possessionem dictæ Ecclesiæ S. Mariæ & montis adjacentis, quem nulli alteri vel in toto vel in parte recognoscimus, induxerimus præsentialiter corporalem, contradictores & rebelles quoscunque & se dictis Priori & Fratribus ac Ordini in præmissis opponentes, & impedimentum quoquo modo præstantes, sententia excommunicationis auctoritate nostra ordinaria innodaverimus: Henricus tamen Magister Civium, Vserus, Conrado Stete, Ludolphus Steve, Ioannes Bischof, Hermannus, Heriboldus, Thydericus Hogeri, Ioannes Pardan, Ioannes Jude, Menfridus, Thymmo & Thimo, Henricus Kakevvel, Conradus de Wilmere, Henricus de Roden, Arnoldus Crusen, Conradus de Voldessen, Henricus Vden, Albertus Cluseners, Wernerus Servatii, Bartholdus Servatii, Bartholdus Busse, Ioannes Lepus, & quidam alii Filij iniquitatis eorum in hac parte complices oppidani oppidi Warthergensis prædicti contra concessionem, donationem & collationem, per privilegia Sedis Apostolicæ, ut dictum est, confirmatam & approbatam, ausu nefario, Spiritu rebellionis assumpto; temere venientes ipsos Priorem & Fratres domus in Warburg Ordinis memorati impediunt, & impedimentum procurant, & præstiterunt eisdem, quominus ipse Prior & Fratres dicti Ecclesiam S. Mariæ, & montem adiacentem cum suis juribus & pertinentiis uti possunt & possidere pacifice & quiete, & suam exinde facere liberam voluntatem juxta formam concessionis seu donationis prædictæ. Et his nos non contenti malum malo accumulantes, & Burchardum de Buren Suppriorem dictæ domus, & Friderlcum de Brunsvveich Fratres Ordinis Prædicti manus injecerunt temere violentas, facientes nihilominus pulsari campanas ibidem publicè contra ipsos Suppriorem & Fratres, tanquam contra Fures & Latrones congregata multitudine oppidi antedicti, alias & verbis probrosis & factis contumeliosis injuriosi existentes eisdem. Arnoldus etiam perversitatis Presbyter iter præbens aliis ad ruinam ipsis malefactoribus sic excitatis præsentibus contra nostram inhibitionem & excommunicationem expressam in dicta Ecclesia S. Mariæ divina, voluntate

voluntate perversâ, celebrare, immo quantum in eo est prophanare non formidavit, se propter hoc excommunicationis sententiæ, à nobis, ut dictum est, auctoritate ordinaria promulgatæ involvendo, in ipsorum Prioris & Fratrum sæpedicti ordinis grave præjudicium, & iniuriam non modicam & gravamen, & in contemptum clavium Ecclesiæ, periculum animæ suæ, & in scandalum plurimorum. Nos igitur prædictam nostram donationem factam liberaliter Priori & Fratribus Warburgensibus de dicta Ecclesia S. Mariæ in vinea, & missionem in corporalem possessionem ejusdem Ecclesiæ & montis adiacentis cum omnibus juribus & pertinentiis suis volentes, ut tenemur, defendere cum effectu, vobis & cuilibet vestrum, ita quod in his exequendis unus vestrum alium vel alios non exspectet, auctoritate ordinaria in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis & suspensionis latæ sententiæ, quam in vos in his scriptis in quemlibet vestrum, trium dierum monitione præmissâ facimus ex nunc ut ex tunc, si præsens mandatum nostrum diligenter & fideliter non fueritis executi, districtè præcipiendo mandamus, quatenus prænominatos malefactores & eorum complices publice quoque nominatim singulos & quoslibet ipsorum omnibus Dominicis diebus & festivis, campanis pulsatis, accensis candelis, ex tunc ut ex nunc excommunicatos publice in vestris Ecclesiis & Capitulis præsente populo nuncietis, quando & quoties à prædictis Fratribus super hoc fueritis requisiti absque alterius mandati nostri exspectatione. Parochiam etiam S. Petri, & olim parochianos S. Mariæ in vinea, quos ex nunc Ecclesiastico supponimus interdicto, vos auctoritate eadem & sub pœnis præscriptis interdictam & interdictos faciatis firmiter observari, quoadusque ipsos Priorem & Fratres Ecclesiâ S. Mariæ in Vinea & monte prædictis cum suis juribus & pertinentiis, præ ædificando inibi claustro & aliis officinis suis usibus opportunis, gaudere permittant, ita quod ipse Prior & Fratres eandem Ecclesiam & montem cum suis utilitatibus & commoditatibus apprehendant, teneant, & habeant plene, libere, pacifice & quiete, nec de cætero in his ipsis aliquod impedimentum per se vel per alium seu alios præstent, vel præstari procurent publice vel occulte; & Deo præcipue, nobis, ac memoratis Priori & Fratribus injuriam passis & Ordini ipsorum emendam decentem & honorabilem exhibeant, & alias satisfaciant reverenter. Arnoldum insuper Presbyterum prædictum, qui contra nostram inhibitionem & excommunicationem in dicta Ecclesia S. Mariæ ausu temerario divina celebrare, immo potius prophanare præsumpsit, quem propter hoc excommunicatum & irregularem singulis diebus Dominicis & festivis, nec ipsum in quacunque Ecclesia nostræ Diœcesis sinatis recipi aliquatenus ad Divina. Intimantes prædictis malefactoribus, quod si in sua malitia perstiterint, contra ipsos annuente Domino usque ad condignam satisfactionem, prout ordo juris exigit & culpa deposcit, duximus procedemus. Insuper vobis præcipimus Prædictarum Ecclesiarum prædictis & cuilibet vestrum, ita quod in his exequendis unus vestrum alium vel alios non exspectet, sub pœnis prædictis damus firmiter in mandatis, quatenus omnes & singulos, quos in executione præsentis mandati nostri negligentes inveneritis & remissos, quos nos his scriptis trium dierum monitione pro vos faciendam præmissa, ut mandatis nostris obtemperent, si non obtemperaverint, suspendimus, & excommunicamus, suspensos & excommunicatos publice & solemniter in Ecclesiis & Capellis præsente populo nuncietis, quando & quoties super hoc à Prædictis Fratribus fueritis requisiti, reddatis literas cum appensione sigillorum vestrorum in signum executionis. Datum Paderbornæ Anno Domini Mo CCo LXXXVIIo pridie Idus Maji.

Ijdem Episcopo sese submittunt.

Hac constantia & severitate Episcopi flexi tandem cives sese Episcopi voluntati permisêre: dati mox utrimque arbitri, & omnis controversia ex æquo bonoque inter paucos menses composita; quemadmodum in his Episcopi tabulis sancitum est.

Nos Otto Dei gratia Paderbornensis Episcopus, universis præsens scriptum visuris notum esse cupimus, quod super discordia, quæ vertebatur inter priorem & conventum Fratrum Prædicatorum novellæ nostræ plantationis in Wartberg ex una, & parochianos Ecclesiæ S. Mariæ in vinea oppidanos veteris oppidi super dicta Ecclesia & aliis quibuscunque ex parte altera, dictæ partes in nos communiter in arbitrum arbitratorem seu amicabilem compositorem compromiserunt, & nos sponte arbitrarium seu compromissum in nos recipientes, arbitrando sive diffiniendo pronunciamus in hunc modum, primo statuentes, quod dicti Fratres Ecclesiam S. Mariæ in vinea prædictam, quam eis donavimus propter ampliandum Divini Numinis cultum, & ob memoriam nostram ibidem post mortem nostram perpetuo peragendam pacifice obtinebunt, & montem cum hortis usque ad domos ibidem ædificatas, quem montem dicti Fratribus

Fratribus vendidimus, quiete & pacifice, sine tamen ædificatione latrinarum præjudicalium & cloacarum deformitate qualibet, retinebunt. Sed domus fusoris campanarum per dictos Fratres de nostro arbitrio redimetur. Versus occidentem cœmiterium dictorum Fratrum usque ad planas se extendens: de vico verò, quo transitur cœmiterium ex consilio dictorum Fratrum, Castellanorum & consulum commendatum nostro arbitrio reservamus. Infra murum vero versus Berne & structuras dictorum Fratrum spatium commune, continens in latitudine sedecim pedes, absque aliquo impedimento pro utilitate omnium transeuntium permanebit. Libros autem, Calices, Campanas, & alia quæcunque ornamenta dictæ Ecclesiæ prædictis oppidanis assignamus ad pios usus de nostro consilio quærendo. Item parochiam sæpe dictæ Ecclesiæ de vinea parochiæ Ecclesiæ S. Petri auctoritate ordinaria duximus uniendam. Præterea consecrabimus Ecclesiam in honorem B. Virginis, & cœmiterium infra vetus oppidum sine parochianorum expensis, quando fuerimus requisiti, quam esse volumus baptismalem. Nundinas etiam apud Ecclesiam sæpe dictam frequentatas, transferimus ad vetus oppidum memoratum. Item domum, in qua celebraverant Fratres, cum spatio, quod ad cœmiterium deputaverant, dictis oppidanis veteris oppidi assignamus. Insuper prædicti Fratres, quandocunque dicti oppidani ædificare voluerint Ecclesiam, & in aliis eorum negotiis toto posse fideliter promovebunt, quod Laici Fratribus facient vice versa. Item sententias excommunicationis & alia quæcunque gravamina occasione hujusmodi in quoscunque latas relaxabimus humiliter requisiti, volentes quod omnis rancor, discordia seu dissensio inter Fratres & oppidanos ex nunc sit penitus abolita & sopita. Statuentes nihilominus & mandantes dictum arbitrium sup pœna centum marcarum debere inviolabiliter observari; quam pœnam incurrere volumus partem arbitrium non servantem, & nobis sine diminutione aliqua & contradictione persolvendam. Datum & pronunciatum Warburgi feria quarta ante Pentecosten Anno Domini Mo CCo LXXXVIIo

Otto, qui hactenus ac superiori etiam anno se electum & confirmatum scripsit antistitem, in his demum literis, repe itur mutato titulo Episcopum se inscribere; quo facto mihi persuadeo hoc aut superiori anno consecratum fuisse Episcopum; à quibus autem Episcopis hæc consecratio facta sit, cum ceteris ex annalium nostrorum memoria excidit. Quod inde in superioribus Ottonis literis sanctimonialium Aroldense Cœnobium memoratur, id in Comitatu Waldecensi fuit jurisdictionis Episcopi nostri, eo loco, ubi Comitum Aroldæ sedes est; quanquam ejus origo & conditor inter cetera per hæresis turbas ad nos nondum pervenerit.

Publicum præterea hoc anno congressum sibi condixere Novesii Sifridus Colonienſis Archiepiscopus, & Otto Paderbornensis Episcopus, ad quem uterque Episcopus cum magno procerum & nobilium comitatu accessit; Ottonemque Episcopum nostrum assectatus est Conradus Osnabrugensis, Ottonis frater, idemque Ritbergensis Comes. Is verò conventus uti pacis & concordiæ firmandæ causa institutus fuit, ita in eo plena oblivio omnium offensionum ac injuriarum sancita est. Oppida deinde Geseke & Saltzcottena, sicuti supra convenisse diximus, communi utriusque Episcopi juri & possessioni asserta confirmataque. Juratum postremò inter Episcopos de mutuis subsidiis adversus omnes utriusque hostes; ex quo pacto Paderbornensis excepit Moguntinum Metropolitanum suum, Colonienſis suæ Metropolis provinciales Episcopos. Tabulas hujus pacificationis, quæ tribus sigillis Archiepiscopi, Capituli Paderbornensis, & Conradi Osnabrugensis Episcopi adhuc integris apud nos sunt, hic proferre visum est.

Novesii pacis gratia conveniunt Archiepiscopus Colonienſis & Episcopus Paderbornen. sis.

Nos Sifridus Dei gratia sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, & nos Otto eadem gratia Paderbornenſis Epiſcopus, notum facimus univerſis præſens viſuris, quod propter vinculum unionis, pacis & concordiæ perpetuo inter nos, noſtros ſucceſſores & Eccleſias noſtras habendum & firmiter obſervandum ita convenit, quod nos Archiepiſcopus prædictus omni rancori, damno & injuriæ nobis & Eccleſiæ noſtræ, ac aliis noſtris amicis & hominibus à dicto Domino Epiſcopo Paderboruenſi & ſuis illatis, mediantibus noſtris hinc inde amicis, renunciavimus, & præſentibus renunciamus, recipientes eundem Dominum Epiſcopum Paderbornenſem & Eccleſiam ſuam in noſtram gratiam pariter & favorem: & è contra nos Epiſcopus Paderbornenſis prædictus damnis & injuriis, nobis & Eccleſiæ noſtræ illatis à prædicto Domino Archiepiſcopo Colonienſi & ſuis, ſimiliter renunciamus. Vt autem hujuſmodi unionis & pacis vinculum inter nos & Eccleſias noſtras hinc inde firmum maneat, & ſtabile perſeveret, ita inter nos convenit, & eſt conditum, quod ab hora in antea tam nos, Eccleſiæ noſtræ, quàm ſucceſſores noſtri communiter habeamus & teneamus cum ſuis pertinentijs opida tam Gyſike quam Saltcoten infra muros ſepta & foſſata eorundem, pro ut jacet, ſicuti prædeceſſores noſtri tenuerunt & habuerunt, & ad quemlibet noſtrum juriſdictiones, obventiones, utilitates & fructus, ſi quæ & ſi qui jam ſunt vel provenire poterunt, in futurum pro media parte æqualiter pertinebunt. Conditum eſt etiam, quod ſi inter nos & noſtros aliqua controverſia vel diſſenſio, quod abſit, oriatur, nos Archiepiſcopus pro nobis & Eccleſia noſtra Erenfridum de Bredenol militem, & Godefridum de Meſchede noſtros fideles; & nos Otto Paderbornenſis Epiſcopus ſimiliter pro nobis & Eccleſia noſtra Conradum de Ellen majorem, & Wolmarum de Brencken milites ordinamus, & ad hoc conſtituimus, ut hujuſmodi controverſiam vel diſſenſionem in amicitia vel in jure terminent vel componant, ad quod faciendum prædicti quatuor ſe fide data obligant & aſtringunt, & ſi aliquem ex prædictis quatuor mori contingeret, æque idoneus loco defuncti ſubſtituetur ab illo, ex cujus parte idem fuerat conſtitutus, & ſi quis coram dictis quatuor jus ſive amicitiam recipere recuſaverit, veleorum dictis & ordinationi non aquieverit, illum vel illos, quicunque fuerint, in caſtris ſive munitionibus noſtris non defendemns, nec recipiemus, nec recipi permittemus ad damna aliqua facienda, vel pignora capienda. Nos verò Otto Paderbornenſis Epiſcopus conſenſu & voluntate noſtri Capituli, Miniſterialium, Caſtrenſium, Civitatis, & opidorum noſtrorum accedente, obligamus nos, ſucceſſores noſtros, & Eccleſiam noſtram, & promittimus fide data, & juramento præſtito corporali, eidem Domino Archiepiſcopo, Eccleſiæ ſuæ & ſuis ſucceſſoribus ſincerè, toto poſſe noſtro potenter & patenter contra omnes ſuos injuriatores, excepta Eccleſia Moguntina noſtra Metropoli, te eundem Dominum Archiepiſcopum Colonienſem in jure ſuo pro viribus conſervare, omni fraude & dolo penitus excluſis. Nos etiam Archiepiſcopus prædictus de voluntate & conſenſu Capituli noſtri, Miniſterialium, Caſtrenſium, Civitatis & opidorum noſtrorum obligamus nos ſucceſſores noſtros & Eccleſiam noſtram, & promittimus ſimiliter fide data, & præſtito juramento Corporali eidem Domino Epiſcopo Paderbornenſi, Eccleſiæ ſuæ ac ſuis ſucceſſoribus contra omnes ſuos injuriatores fideliter aſſiſtere potenter & patenter, & ipſum in jure ſuo ſimiliter pro viribus conſervare, omni dolo & fraude penitus excluſis, ſuffraganeis noſtris prorſus exceptis. In cujus rei teſtimonium & perpetuam firmitatem præſens ſcriptum noſtris & Capitulorum noſtrorum ſigillis, ac Venerabilis Patris Domini Oſnabrugenſis Epiſcopi ſigillo, quod præſentibus hinc & inde apponi rogavimus, fecimus communiri. Et nos Capitulum Colonienſe, & Capitulum Paderbornenſe Præſentibus publice proteſtamur huic unioni & conventioni conſenſum, & auctoritatem noſtram adhibuiſſe & adhibere, & ſigilla noſtra de certa noſtra ſcientia appoſuiſſe. Datum & actum in Nuſſia, Dominica, qua cantatur, Eſto mihi, anno Domini M. CC. LXXXVII.

Non incongruum fuerit ex his literis obſervare Miniſterialium nomine etiam comprehendi caſtrenſes Epiſcoporum ac Principum quemadmodum ſupra monuimns, eo nomine denotari etiam Epiſcopi Mareſchallum, Pincernam, Dapiferum, & Camerarium, ceteroſque clientelari beneficio obſtrictos. Sifridus etiam ad hæc pacta & fœdera eo pronior videri poterat, quòd jam belli procellam, qua anno ſequenti jactatus, ſibi imminentem conſpiceret.

Epiſcopi

Episcopi sui exemplo urbs Paderbornensis cum Ottone Ravensbergensi Comite hoc anno composuit. Controversia hæc adeo exarserat, ut Comes pecora civium abduceret; cives vero incolas Ravensbergenses in custodiam & vincula abriperent, multisque infestationibus se mutuo divexarent Paderbornenses & Ravensbergenses. Extant publicæ hujus pacificationis literæ, quibus vetus amicitia redintegrata est. Paderbornenses & Ravensbergenses discordes reconciliantur.

Annus Christi. 1288.

Nicolai IV Pont. 1.
Rudolphi I Imp. 16.
Ottonis Ep. Pad. 11.

Quo dehinc tempore Rudolphus Cæsar cum florentissimo triginta millium exercitu occupatus fuit per Burgundiam & Helvetiam in rebellium & prædonum castris expugnandis, cruentum exarsit bellum in inferiori Germania ad Rhenum, quod totam prope Westfaliam attraxit in societatem armorum, Ottonemque etiam nostrum, ex fœdere superioris anni cum Sifrido Colonienſi Archiepiscopo inito; à quo & auxiliares Sifrido copiæ submissæ sunt. Auctor est Trithemius supra centena armatorum millia convenisse. Causa belli Ducatus Limburgensis, quem Walramus Dux sine herede filio anno 1281 extinctus vacuum reliquit. Hunc cum sibi Adolphus II Montium Comes, Walrami Ducis ex fratre nepos, vendicaret, obstitit Reinoldus Gelriæ Comes, qui Ducatum illum sibi ex dote uxoris assertum volebat: duxerat enim Irmgardem Walrami filiam, tametsi nullam ex ea prolem susceperat. Geldro accessit Sifridus Colonienſis Archiepiscopus, Montium Comitem aversatus; contendebatque Limburgicum Ducatum esse feudum S. Petri ac Colonienſis Ecclesiæ, quem pro arbitrio, cui vellet, donare posset. Montium Comes cum se Geldro & Archiepiscopo imparem videret, jus suum vendit Joanni Brabantiæ Duci 230000 marcis; quam venditionem à Rudolpho Cæsare probari petiit. Gelder interim anno 1282 Limburgicum Comitatum occupat; quemadmodum & Colonienſis venditionem Comitis Montium irritam pronunciavit. Frustra exinde Brabantinus Geldrum ex Ducatu ejicere tentavit, multaque frustra tractando agitata, donec conspiratione partium hoc anno flamma publici belli erumperet. Brabantino junxêre Socialia arma Godefridus frater, Adolpus Montium Comes, Henricus Comes Waldecensis, Walramus Juliaci Comes, Everhardus Comes Marcanus, Comes S. Pauli, Comes Lossensis, Episcopus Leodiensis, cives Colonienses (quos Brabantinus Agrippinam ingressus contra Archiepiscopum suum armaverat) magnaque procerum & nobilium multitudo. Cum Geldro & Sifrido Colonienſi Archiepiscopo in societatem armorum venêre Henricus Comes

Funestum bellum ad inferiorem Rhenum.

Annali Colmar. Trithemius in Chron. Chron. M. Belgij Chron. Colon. Pontan. l. 8 hist. Gelr. Annal. Fland. Clemsorgius Levoldus in Chron. Marc.

Luxemburgicus, Walramus Comes Valckenbergius, Joannes Comes Limburgicus ad Lenam, Henricus Comes Westenbergius Archiepiscopi frater, Adolphus Nassoviæ Comes, quem postea Germania Cæsarem habuit; magna deinde Westfaliæ nobilitas, quam Sifridus ex Ducatu suo cum auxiliaribus copiis evocârat.

Dux Brabantiæ postquam Colonienſem Diœcesin evastasset, Woringam oppidum & castrum rogatu Colonienſium obsidet, id Romani Buruncum dixere, creditur que ex quinquaginta Drusi Castellis esse inter Coloniam & Novesium ad Rheni ripam, quod Sifridus Archiepiscopus ad referendos Colonienses præmunierat. Sifridus nunciatâ obsidione exercitum ad Rodenkirken lustrat, quocum Braweleriam deinde festinavit. Ibi cùm in concilio militari plerique dicerent, exspectandas esse copias Bonnenſium, Andernacenſium & Westfalorum, castraque inter Coloniam & Woringam ponenda, ad commeatum hosti præcludendum; Sifridus & Gelder aliorum sententiis abducti, temere in hostem movent. Pugnatum 5 *Junij* ad Woringam ab ortu solis ad Vesperum cruentissimo prælio. *Cladis* causam dedêre Geldri è pugna ad prædam versi. Victor ad ultimum Dux Brabantinus acies hostiles disjecit. Captus Gelder à Guidone Comite S. Pauli, Sifridus Archiepiscopus ab Adolpho Montensi Comite: Vivi præterea in potestatem Brabantini venêre Adolphus Nassoviæ, & Theodoricus Meursiæ Comes. Inter cæsos occubuere Henricus Comes Luxemburgicus cum utroque fratre Henricus Westenbergius Archiepiscopi frater, multique alii nobiles nec minus cruenta pugna Brabantinis fuit.

Ferunt à Colonienſibus urbis claves in medium prælii campum curru provectas, quo hortamento cives pro libertate urbi decertarent; sed hanc vulgi fabulam plerique explodunt; quòd eo in bello non sit decertatum pro libertate Agrippinæ: neque id Sifrido Archiepiscopo integrum fuit, successoris jura in unum incertum prælij eventum dare.

Post partam Victoriam expugnata, soloque æquata *Woringa*. Inde Brabantinus Coloniam triumphans ingreditur, magno etiam plausu exceptus & in numerum civium adscriptus. At nulli victoriâ insolentiores, quam Juliacenſis, Montenſis & Marcanus Comites; hi uno impetu effusi ferro flammàque Colonienſem Diœcesin evastavêre. Expugnata à Marcano Werla, dejectisque muris fossæ impletæ. Volmunsteinium & Isenburgum castra, complureſq per Westfaliæ Ducatum Archiepiscopi arces eversæ. Ita armis intestinis sævitum inter Westfalos, postquam Comites sensim principibus pares ferre non potuerunt Episcoporum potentiam, nec Episcopis refrenare licuit urbium & Comitum insolentiam.

Adolphus Comes Swalen- Saniori consilio Adolphus Swalenbergenſis Comes, ut in literis præfatur, pro remedio animæ & salute parentum suorum, Cœnobio

nobio Mariæ Ordinis D. Benedicti apud nos liberalem prædij donationem fecit, auxitque Cœnobium hoc tum viris religiosis florens, quod à majoribus ejus conditum memoravimus. Consignatæ tabulæ in paterno castro Swalenberg, festo Purificationis B. Virginis, anno MCCLXXXVIII; nec alij testes proferuntur, quàm Albertus & Guntherus Comitis fratres. Et Guntherus, quem in his literis Canonicum & Thesaurarium Magdenburgensis Ecclesiæ vocat, hic ille est, quem supra electum Magdenburgensem Archiepiscopum diximus, positoque Archiepiscopatu ad privatam Canonici vitam redjisse, ex qua Ottoni nostro in Paderbornensi Episcopatu subrogatum memorabimus.

berg. Benefacit Cœnobio S. Mariæ.

Annus Christi 1289.

Nicolai IV Pont. 2.
Rudolphi I Imp. 17.
Ottonis Ep. Paderb. 12.

Inter memoratos inferioris Germaniæ motus, non minus per Bohemiam, Burgundiam, & Ungariam tumultuatum; quare Cæsar hoc anno Agræ conventum principum indixit; rebusque feliciter compositis, exercitum duxit in Burgundiam, expugnatàque Paterniaco urbe, rebellem Burgundiæ Comitem, ac toties periurum hominem bello vicit, & in vincula conjecit. Inde adversus Sabaudiæ & Montis Bellardi Comites progressus, utrumque captum obsequium Romani Imperij & fidem jurare coëgit. Ungariam sibi Albertus filius Dux Austriæ domandam sumpsit; atque is postquam priori anno interiorem Ungariam ingressus Possonium cepit, hoc tursum anno Juvanum Comitem, Austriæ & Stiriæ provincias rapinis & cædibus depopulantem, armis subegit; expugnatisque XXXIV prædonum arcibus, pòst cum alio exercitu ex Austriis, Carinthiis, Stiriis, Bavaris & Bohemis, Gunsam urbem, Juvani sedem, difficili oppugnatione tandem cepit, evertitque. Visi tum Cæsar & filius bellica fortitudine armorumque gloriâ inter se decertare.

Gesta Cæsaris & filij. *Annal. Colmar. Trithemius in Chron. Stero in Annal. Hist. Austr.*

Turbine superioris anni discusso, sensim ad quietem redjit Inferior Germania Westfaliaque. Et hoc ipso etiam anno Sifridus Colonienſis Antistes è castro novo in quod eum Montium Comes conjecerat, liberatus est; quod Colmarienſium annalium per id tempus scriptor retulit: acceditque Browerus, à quo refertur Boemundus Trevirensis Archiepiscopus hoc anno 8 Septemb. à Sifrido Colonienſi Archiepiscopo, Friderico Duce Lotharingiæ, magnoq; nobilitatis comitatu in urbem suam introductus. Sanè Nicolaus Pontifex, qui pro liberando Archiepiscopo magnopere laboravit, literis anno proximo de liberatione gratulatur; ut falli Trithemium necesse sit, qui Sifridum septennio in carcere hæsisse scribit. Magni interim stetit Sifrido liberatio; jussus enim Waldenbergam, Rodenbergam,

bergam, Wendenam, Aspelam & Widam, aliaque partim oppida, partim castra cedere Montensi, sponderequenunquam Woringam abs se instaurandam. Non his dejectus Archiepiscopus Brulam castrum in locum Woringæ muniit, quo freno Colonienses continuit; nec multò pòst Adolphum Montium Comitem, mutatâ fortunæ scenâ, cepit, & in tetrum carcerem conjecit; si qua tamen hujus captivitatis fides, de qua nihil Levold9 in Marcanis suis meminit.

Otto Episcopus Paderb. Privilegia civitatis Braculensis confirmat.

Otto Episcopus noster, ne qua flamma tumultuarij hujus belli Diœcesin suam afflaret, Vicinorum fœderibus, & concordia suarum civitatum se præmunjit; ejus rei gratia urbi Brakelensi, ob fidam hactenus navatam operam, vetera privilegia instauravit, ac novis etiam decoravit; quod hisce literis consignatum est.

Nos Otto Dei gratia Paderbornensis Episcopus, Decanus, totumque Capitulum ibidem, præsentibus publicè protestamur, quod discretos viros, Judices, Consules ac universos et singulos opidanos in Braclo ex nunc in antea tanquam nostros Burgenses in suis agendis et negotiis intendimus fideliter promovere. promittimus nihilominus fide data prædictis Burgensibus, quod extra ipsos et ipsis exclusis nullas treugas dabimus, nec admittemus in præsenti guerra, nec etiam inibimus aliquam compositionem cum nostris adversariis, nisi prædicti Burgenses semper in perpetuum manserint apud nos et Ecclesiam Paderbornensem in compositionibus et in treugis. Ad ampliorem verò cercitudinem Nos Wernerus Decanus, Hermannus Scholasticus, Remboldus Thesaurarius, Widekinus de Qsede, Fridericus de Hervordia, Amelungus de Driborg, Otto de Retberg, Georgius de Sola domo, Theodoricus de Itere, Jordanus Slavus, Lyppoldus ae Amelungessen, Ludolfus Marscalcus, et Herboldus de Sosato Canonici Ecclesiæ Paderbornensis. Item Volcmarus de Brinke, Conradus Senior de Etlen, Conradus Junior, Lippoldus de Etlen, Wilhelmus de Verende, Joannes de Cleverdessen, Albertus et Wernerus fratres dicti Cancri, et Ludolfus de Elmeringhusen milites, Joannes et Hermannus fratres dicti de Driborg, Mengerus de Grafhem, Hermannus de Hyrse et Stapel famuli fidejussores unanimiter constituti promittimus fide data omnia prædicta ex certa scientia et voluntate Capituli nostri prædicti et ministerialium Ecclesiæ Paderbornensis, si dictum Dominum nostrum Ottonem mori aut captivari contingeret, inviolabiliter observari. Datum Paderbornæ, actum in Monasterio, in Capella Sanctæ Mariæ; in cujus promissionis et obligationis testimonium præsentem paginam Nos O. et Capitulum prædicti dedimus Sigillis nostris appensis dictis Burgensibus roboratam VII Kal. Octob. Anno Domini MCCLXXX nono.

Vicissim urbs Brakelensis, quæ una vetustissimarum hujus Diœcesis est, fidem suam Ottoni Episcopo & successoribus publicis hisce literis obligavit.

Nos Judex, Consules, et universitas Burgensium in Brakele tenore præsentium recognoscimus, publicè protestantes quod nos et singuli nostri Burgenses apud Venerabilem Patrem et Dominum Episcopum Paderbornensem ac

suum

suum Successorem, nec non apud Capitulum et Ecclesiam Paderbornensem bona fide in perpetuum permanebimus, ac ipsis, Episcopo, Ecclesiæ suæ in parte sua et in omnibus intendimus obedire tanquam fideles Burgenses Domino suo vero, et hæc sub fidelitate sibi præstita promittimus bona fide. In cujus obligationis et fidelitatis testimonium dicto Domino nostro Episcopo ac suæ Ecclesiæ præsentem paginam ex certa scientia et voluntate singulorum Burgensium nostræ civitatis sigillo dedimus roboratam. Datum et actum Brakele in Cœmiterio sexto Kalend. Octobris, anno Domini Millesimo, ducentesimo, octuagesimo nono.

Minoritæ Paderbornenses exustum Cœnobium suum restaurare intendunt.

Exustum est per id tempus templum ac Cœnobium Minoritarum in urbe Paderbornensi; quare impetrârunt hoc anno Fratres ejus ordinis Româ literas á decem Episcopis consignatas, quibus indulgentur peccatorum noxæ, quotquot liberaliter ad ruinas ejus incendij subvenerint.

Annus Christi 1290.

Nicolai IV Pont. 3.
Rudolphi I Imp. 18.
Ottonis Ep. Pad. 13.

Comitia Erfurdiensia, multorum accessu Principum valde celebria.

Subit nunc annus seculi hujus nonagesimus, Comitiis Erfurdiensibus celebris, de quibus ita Sifridus Presbyter. *Anno* MCCXC *Rex Romanorum Rodolphus intravit Thuringiam, reformans pacem non solum illi terræ, sed et aliis in confinio ejus, et convocans Principes, et multos nobiles, in convivüis et deliciis cum eisdem mansit in Erfordia civitate per plures dies. Fueruntque secum ibidem filii sui Albertus et Rodolphus Dux Austriæ, qui adhuc vixit, licet de morte sua anticipando dictum sit: filiæ quoque ejus Jutta regina Bohemiæ; item ducissa Bavariæ, et ducissa Saxoniæ, et aliæ multæ nobiles fœminæ.* Rara Cæsaris felicitas, cui quinque simul generos, Wenceslaum Regem Bohemiæ, Albertum Ducem Saxoniæ, Ludovicum Palatinum Rheni, Ottonem Ducem Bavariæ, & Marchionem Brandenburgicum, quibus ejus filiæ denuptæ erant, regali convivio in tanto Principum congressu, tractare concessum. Scriptor etiam historiæ Thuringiæ refert Rudolphum Imperatorem accessisse Erfurtum cum quadraginta Germaniæ principibus. Hi verò Principes recensentur à Monacho Erfurtensi, auctoreque additionum ad Lambertum Schafnaburgensem: nimirum ex Principibus Ecclesiasticis convenêre *Archiepiscopi Moguntinensis, Archiepiscopi Saltzburgensis, Archiepiscopus Magdenburgensis: Episcopi Simplices: Herbipolensis, Babenbergensis, Hildenesheimensis, Paderbornensis, Neuburgensis, Mersburgensis, Misnensis, Tolnensis, Laventinensis, Halberstadiensis, Eistetensis, Werdunensis, Constantiensis: Abbas Fuldensis, Abbas Hersfeldensis. Principes sæculares: Marchio de Brandeburg et frater ejus, Marchio Fridericus Misnensis, Lantgravius Albertus cum filiis suis Friderico et Ticemanno, Dux Henricus de Brunsvic et Fratres ejus Albertus et Wilhelmus, Henricus Lantgravius Hassiæ, Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Rudolphi filius*

filius Rudolphi Regis, Dux Bavariæ, Dux Carinthiæ, Dux de Lunenburg, Dux Saxoniæ gener Regis Rudolphi: Comes Guntzelinus de Zvvirn, Comes de Catzenelnbogen, et filius ejus, qui ibidem obiit; item filius ejus Comes de Bren juvenis, qui ibidem obiit sine hærede: Dux de Meckilburg, Comes de Anhalt, duo fratres de Hohenlohe, quorum unus ibidem obiit: item alius de Hollo; item Burgravius de Nurnberg, et multi alii. Eosdem fere ex hoc celebri conventu percenset Engelhusius, interque Archiepiscopos addit Colonienſem. De his quoque comitiis auctor Paralippomenon ad Ursbergenſem, multosque ex his introducit Episcopos, & Duces, quibuscum Rudolphus Cæsar Erfordiam hoc anno ingressus. Quapropter cùm hi auctores à nobis producti conveniant in annum hunc Mccxc, quo Comitia hæc Erfurti celebrata sint, erroris comperti sunt Stero & Everhardus in annalibus suis, qui a Tusculano Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, celebratam Synodum Herbipolitanam, de qua supra retulimus, in hunc annum conferunt, permiscentque cum Erfurdiensibus hisce comitiis; cùm illa Episcoporum Synodus, hæc publica Imperii ac Principum Comitia fuerint; in quem etiam errorem se ab Everhardo Scriptore passus est abduci Binius. Certè annalium Colmariensium auctor dum hoc anno Rudolphum Cæsarem memorat Thuringiam ingressum, & magna pro dignitate gessisse, satis hæc comitia designare visus est; in quibus, ut ceteri quoque scriptores tradidêre, multa præclarè constituta sunt, tot Principum auctoritate & concordiâ, ad pacem in Imperio firmandam, quod unicum Cæsaris semper negotium fuit. Et verò cum nullum hactenus malum Imperium magis afflixerit, quàm illa latronum & prædonum multitudo; tanquam debellatis circum barbaris nationibus, & ad Christi fidem perductis, hæc intestina pestis successisset ad viscera Imperii dilaceranda; Cæsar evocato in Thuringiam exercitu, supra LXVI castra munitionesque prædonum diversis per Thuringiam & Saxoniam locis funditus evertit; quemadmodum superioribus annis in Alsatia, Suevia, Burgundia, Austria, ac superiori Germania fecerat. Addunt scriptores Cæsaris hujus sententiâ una die viginti novem ejusmodi nefarios homines Erfurti captos supplicio affectos esse. Et Cæsar, qua erat severitate in turbatores pacis, eâ liberalitate visus in exornandis bene de Repub. meritis; quos inter in hoc congressu Principum Comitem Zolleranum, sorore genitum, Burgravium Nurenbergensem extulit. Celebres ab eo Burgravii ad Fridericum, quem Sigismundus Imperator Marchionem Brandenburgensem dixit. Wenceslao præterea Regi Bohemiæ ac genero Cæsaris Pincernæ Imperii & Electoris dignitas confirmata. In his quoque Comitiis, quia Otto Episcopus noster, ut diximus, præsens fuit, Cæsari cumprimis carus, Cæsar singulari privilegio Ottoni potestatatem fecit construendi duas munitiones adversus iufestantium hominum insolentiam, quod hoc diplomate VIIJdus. Maji dato accepimus, Nos

Rudolphus Imp. facultatem dat Ottoni Episcopo

Nos Rudolfus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus. Ad universorum notitiam tenore presentium volumus pervenire, quod nos venerabili Ottoni Padelburnensi Episcopo et Principi nostro dilecto presenti serie concedimus, et auctoritate Regia indulgemus, ut in sua Dioceſi duas munitiones edificare et construere valeat contra adversantium turbines oppressorum. Dantes sibi has nostras litteras in testimonium superdictorum. Datum Erfordie VII *Idus Maji, ind. III, anno Domini M° CC° Nonagesimo, Regni vero nostri anno* XVIII.

Soluto Principum conventu, Cæsar ex Thuringia in Saxoniam est digressus, quod ceteris scriptoribus silentibus annalium Colmariensium auctor, ordinisque D. Dominici sacerdos, æqualis eorum temporum, his paucis verbis ad hunc annum consignavit: Rex Rudolphus in Saxonia multa laudabiliter peregit. Quanquam quo usque interiora Saxoniæ intrârit, aut quæ ab eo gesta sint, à nullo nostratium scriptore notatum repererim: haud dubium interim, quin prisco Cæsarum & Regum instituto præcipuas inter Albim, Visurgim & Rhenum Episcoporum & Principum urbes inviserit, jus dixerit, & pacem concordiamque populorum firmârit; nam magnam anni partem in his regionibus consumpsit; & in Thuringiam reversus mense Octobri Erfurti pro tribunali jus publicè, antiquorum Regum more, dixit; quod ex hisce tabulis, Abbati Werthinensi datis, facile æstimare fas erit.

Abbati Werthinensi vis dicis de non alienandis bonis sine Domini consensu

*Nos Rudolfus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus. Ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire, quod nobis sedentibus pro tribunali apud Erfordiam comparuit in judicio coram nobis sufficiens procurator venerabilis - - - Abbatis Werdinensis Principis nostri dilecti, qui ipsius Abbatis nomine proponebat, an aliquis vasallus, vel alter quicunque, qui bona tenet à Domino quocunque nomine constanter possit alienare, vel distrahere illa bona Domino suo super hoc nullatenus requisito, et de nostrorum procerum consilio sententialiter extitit diffinitum, quod neque vasallus, vel alter aliquis fidelis præter scientiam Domini ipsa bona, quæ tenet à Domino, non possit alienare, vel distrahere quoquomodo, et si contrarium fecerit, ipsa bona ad manus Domini devolvuntur, et de ipsis Dominus poterit ordinare pro suæ libito voluntatis. Hujus rei testes sunt illustris Albertus Dux Saxoniæ Princeps et filius noster dilectus. Nobiles viri Fridericus Burgravius de Nurenberg, Eberhardus Comes de Catzenellenboge, Ludevvicus Comes de Oetingen, Gerlacus de Brubergh, et Conradus de Winsperch. Strenui viri de Bappenheim Marschalcus Curiæ nostræ, et - - - Magister Curiæ nostræ, et alii quamplures fide digni. In cujus rei testimonium præsens scriptum Majestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Datum Erfordiæ XII Kalend. Novemb. Indictione * III Anno Domini MCC Nonagesimo, Regni vero nostri anno decimo octavo.*

* al. III.

Præclarè tum adhuc agebatur in Imperio, cum Reges et Cæsares pro tribunali jus dicerent, et lites ipsi dirimerent, quæ nunc per tot impensas et ambages in tot annos circumducuntur.

Otto Episcopus noster postquam in Diœcesin reversus, nihil antiquius habuit, quàm omni diligentiâ curare sacra, singulis jura reddere, & cives sibi demereri. Ex his quia Warburgenses benignè tandem recepêre S. Dominici religiosos viros in Ecclesiam & fundum, Otto ipsis curiam inferiorem, veterique oppido adjacentem, facili pretio una cum fundis transcripsit, & secundum Wigboldi jus ab omni pensione liberam permisit; id quod Cleinenbergæ in oppido transactum, consentiente H. Præposito, W. Decano, H. Scholastico, R. Thesaurario, G. Cantore, & Capitulo; præsentibus vero Egberto de Spegel, Conrado de Etlen, Lippoldo Dapifero, Wernero dicto Cancro, Ravenone & Conrado fratribus de Pappenheim, Gerardo Schulteto militibus, Henrico & Conrado de Epe, Joanne de Wellede, Henrico Judeo Advocato, Henrico Judeo Seniore, Theodorico, Joanne & Gerardo fratribus de Norde, cœterisque castrensibus in Watbergen, Anno Mccxc, die Cosmæ & Damiani Martyrum.

Annus Christi 1291.

Nicolai IV Pont. 4.
Rudolphi I Imp. ultimus.
Ottonis Ep. Paderb. 14.

Ptolemais in Oriente amittitur. *Sifridus Presb. Stero Albert. Arg.*

Annus insequens funestus Christianæ Reip. quo Ptolemais quæ unica in Palæstina restabat Christianis urbs, expugnata à Soldano Ægypti Rege, amissaque. Cæsa supra xxx Christianorum millia nullo sexus ætatisque discrimine, postquam supra ducentos annos tot expeditionibus & tanta bellorum mole frustra laboratum pro terra sancta recuperandâ. Causa affertur à Sterone multitudo imperantium ex diversis nationibus, discordiaque, qua totus demum Oriens amissus. Ceteri, qui superstites fuêre Christiani, in Cyprum profugêre. Accessit Rudolphi Cæsaris mors tristi non minus casu; is tamen hoc anno Francofurti primùm Principum conventum egit; in quo cùm multa de stabiliendo regno pertractasset cum Principibus, cœpit de Alberto filio Duce Austriæ in Regem Romanorum subrogando consilia agitare; id cùm proceres plerique abnuerent, Argentinam discessit. Inde jam senex, ac militiæ laboribus præstractus, cum letalem morbum contraxisse à medicis intelligeret, Spiram se deportari jussit, dictitans, ut per omnem vitam facetus erat, multos illic sibi Reges conveniendos esse. Quo satis innuebat, tumulum ibi se quærere apud consepultos tot Romanorum Reges. Eò dum properat, Gerreshemij ex itinere xviii Cal. Augusti, festo nimirum divisionis Apostolorum, ut monumenti inscriptio Spiræ indicat, moritur; tametsi Albertus Argentinenses, alijque, pridie Cal. Octobris obijsse velint; quo die fortè Spiræ tumulo illatus; nam eò deportatus, humatusque est in Cathedrali Basilica. Princeps

Moritur Rudolphus Imperator.

fuit

fuit staturâ formàque corporis decorâ, capite haud magno, crinibus raris, naso aquilino, cibi potusque continentia, dum vixit, admirabili, prudentia, bellica fortitudine, religione magnis cæsaribus exæquandus; à quo collapsum Imperium restitutum. Vixit annos tres & septuaginta, imperio in XIX prorogato: primus qui Imperii dignitatem in familiam Austriacam invexit. Inde supra quadringentos annos ad Leopoldum, quo regnante hæc scribimus, per XIII cæsares producti; quâ felicitate diuturnitateque apud nullam adhuc familiam, neque à Julio Cæsare ad Carolum M. neque ab illo ad hanc ætatem Imperium Romanum constitit.

Cœpit hoc anno Westfalia rursum conturbari Everhardi Marcani Comitis insolentiâ; is quia victoria superiori inflatus armatos circumferebat milites, irruptionem fecit in Osnabrugensem Diœcesin. Belli causa prætexta tutela Ottonis Teclenburgensis Comitis, quam & Engelbertus pater Teclenburgensis susceperat; re autem urebat Marcanum, arcem Teclenburgensem ante biennium pro 900 marcis Conrado Osnabrugensi Episcopo oppignoratam. Conradus Episcopus ubi didicit Marcanum sibi imminere, imploravit opem fratrum suorum, Ottonis Episcopi nostri, & Comitis Ritbergensis; Sifridi præterea Colonensis Archiepiscopi, Conradi Mindensis Episcopi, Comitis de Lippia, aliorumque Westfaliæ procerum; qui dum Osnabrugum venissent, copiis nondum in unum contractis, Marcanus militari agmine expeditus, verno jejunij tempore in Diœcesin Osnabrugensem prorupit, grassatusque octo diebus per agros & pagos, cum prædain Marchiam recessit. Quo eventu cetera peracta, scriptorum silentio intercidit.

Collidunt. tur Episcopus Osnabr. & Comes Marcano, unde turbæ in Westfalia. *Levoldus in Chron. Ertvvinus Cleinsorg. Gerardus ab Horreo in Chron. Marcano.*

Non destitit interea Otto Episcopus diversis Cœnobiis benefacere; nam & Gerdensibus Virginibus ratam habuit Venditionem agrorum, tabulis Paderbornæ pridie Nonas Aprilis confectis: & Cœnobio Virginum in Beringhusen decimarum proventus, quos Adolphus & Albertus fratres Comites de Swalenberg beneficio Episcopi Paderbornensis olim acceperant, cesserantque Virginibus, Otto Episcopus liberali quoque donatione sua permisit, palam in literis, quæ sexto Calend. Septembris consignatæ sunt, professus, ad inopiam sacrarum Virginum, Deo quotidie famulantium, sublevandam omni studio Episcopum debere esse pronum.

Otto Ep. Paderb. benefacit diversis Cœnobiis.

Annus Christi. 1292.

Nicolai IV Pont. ultimus.
Adolphi Regis I.
Ottonis Ep. Pad. 15.

Excessu Rudolphi Cæsaris Imperium in pristinos fluctus revolvi cœpit; ineunte enim anno Electores renunciârunt Adolphum Nassoviæ Comitem Romanorum Regem, virum quidem magnitu-

Adolphus Nassoviæ Comes in Romanorum Re-

gem eligitur, opera & astu maximè Moguntini Archiepiscopi. *Annal. Colmar. Chron. Colon. Brouverus Paralip. Ursberg.*

dine animi, & bellicis artibus egregium, sed qui nec opibus, nec potentiâ, nec auctoritate, ut Trithemius scribit, majestatem Imperij sustineret. Trium id Archiepiscoporum studio factum, Gerardi Eppensteinij Moguntini Archiepiscopi, quem consangineum habebat Adolphus, Sifridi Colonienſis, cui contra Brabantinnm militârat, & Boëmundi Trevirensis, cujus cliens erat. Quo præterea astu Moguntinus cæterorum suffragia occupârit, denarrat Cuspinianus. Habebat Rudolphus Cæsar quatuor Electores generos, certa eligendi Alberti filij munimenta, ut sperabat; ex quibus Rex Bohemiæ suffragium suum Moguntino detulit, eligendi, quem vellet, dummodo Albertum Rudolphi filium non faceret Regem. Tam altè hærebant patris vulnera, etsi ipse Cæsaris gener esset. Albertus Saxoniæ Dux, cùm à Moguntino accepisset, suffragia concurrere in Ducem Brunswicensem, quem sibi infestum habebat, suum quoque suffragium Moguntino dedit, ea spe fretus, fore, ut Albertum Austriæ Ducem eligeret. Pari arte Ludovicum Palatinum circumvenit, is enim cùm Albertum Austriæ destinaret regno, Moguntinus illi renunciavit, frustra pro Alberto agi, quando Electorum suffragia jam in Regem Bohemiæ parata sint, quem Palatinus maximè exosum habebat: quodolo impetravit à palatino, ut suum quoque suffragium sibi permitteret, modo Bohemiæ Regem non eligeret. Restabat Brandeburgici suffragium: at cùm per id tempus duo Brandeburgici Marchiones Joannes & Otto de potestate eligendi contenderent, Ottoni persuasit, ut jus suffragandi sibi permitteret; nec enim Joannem patruum id sibi vendicare posse. Otto quoque Bojus, qui haud minus quàm palatinus sibi eligendi jus vendicabat, per Legatos Moguntini arbitrio se permisit, dummodo Albertum Austrium non diceret Regem. Tam fallax inter tot generos affinitatis fides, post quam ad certamen æmulationis perventum. His per Moguntinum in hunc modum compositis, renunciatur Francofurti Adolphus Nassoviæ Comes Romanorum Rex; qui è vestigio Coloniam descendit, atque inde Aquisgranum deductus, augustalibus cæremoniis à Sifrido Colonienſi Archiepiscopo, festo S. Joannis Baptistæ, inungitur, simulque Irmargina, Gerlaci Limburgici filia, Adolphi conjux, regina coronatur. Adolphum deinde, qui trium Archiepiscoporum studio electus erat, Regem Clericorum haud secus quàm Rudolphum olim dixêre.

Synodus provincialis Moguntina *Trithemius in Chron. Hirsaug. Serrarius in Gerardo.*

Celebrem quoque per id tempus Moguntinus Archiepiscopus Metropolitanus noster synodum egit Aschaffenburgi; ad quam provinciales Episcopi convenêre, Eistadensis, Spirensis, Augustanus, Herbipolensis, Bambergensis, Hildesimensis, & Wormatiensis, cum magna Abbatum, præpositorum, Decanorum & presbyterorum frequentia. Multa in ea provinciali synodo ad res Ecclesiasticas sarciendas statuta memorat Trithemius & Serrarius. Utrumne Ot-

to

to Episcopus noster cum ceteris ejus Metropolis Episcopis evocatus accesserit, etsi verisimile sit, incompertum habeo.

Nec enim aliud ex hujus anni memoria reperio de Ottone, quàm quòd Comitiam sive jurisdictionem super Tringen aliasque villas xxxvi marcis emerit à Bertholdo Canonico Paderbornensi, ejusque fratribus nobilibus Ottone & Friderico de Everstein. *Testes hujus emptionis proferuntur Albertus nobilis de Svvalenberg, Gerhardus de Sunnighusen, Burchardus et Lippoldus fratres de Etlen, Henricus de Immerssen, aliique complures. Uti hæc anno MCCXCII, festo S. Scholasticæ Virginis, publicis tabulis consignata sunt.*

Adsunt & aliæ literæ, quibus Otto Episcopus largam bonorum donationem fecit Abbatissæ & Cœnobio Virginum ad S. Udalricum in urbe Paderbornensi, provocatus nimirum singulari Virginum Deo quotidie famulantium pietate; nihilque impensius habuit integerrimus Episcopus, quàm ut omnia suæ Diœcesis Cœnobia cultu veteris disciplinæ exornaret. Ottonis Ep. beneficentia in Cœnobium ad S. Udalricum Paderbornæ.

Annus Christi 1293.

Sedes Vacat.
Adolphi Reg. 2.
Ottonis Ep. Paderb. 16.

Novi subinde Regis auspiciis collectus exercitus ad Rhenum, cui Colonienſis, Moguntinus & Trevirensis Archiepiscopi, ceteriq; Episcopi ac proceres suas copias conjunxêre, quibuscum Adolphus Rex Rhenum ascendit; castraque assectati sunt Colonienſis & Moguntinus Archiepiscopi in Alsatiam adversus Anselmum Rapozstenij Dominum, Imperio rebellem; nam postquam Colmaria, Princeps Alsatiæ urbs, proditione Rapotzsteinio in potestatem data, visus est toti Alsatiæ inhiare. Quare Colmaria post sex hebdomadarum obsidionem expugnata. Præfectus urbis ex fuga retractus rotæq; impositus per castra circumducitur, tribus dexteræ digitis ad stipitem arrectis, quod perjurij signum Rex populo esse voluit. Quâ pœnâ contentus Rex ad preces Basileensis Episcopi turri inclusit: Rapotzsteinio similiter vita, rogatu Argentinensis Episcopi, condonata. Per id tempus accessit Regem Albertus Dux Austriæ, Regique sese submittendo, Austriam feudi beneficio accepit; ac cùm vicissim Rex filiam Ducis filio suo expeteret in matrimonium, quæsivit à Rege Dux, utrumne filiam suam principem facere posset; nimirum an filiam suam uni filiorum dare, quem se principem facturum promitteret? quo quantum offensus Rex, tanta inter utrumque æmulatio accensa. Rex Alsatiam invadit. *Annal. Colmar. Albertus Argent. Stero Sifridus.*

Rebus in Alsatia compositis, Rex in Thuringiam cum exercitu movit, non tam Reip. quam privato lucro invitatus. Enimvero Albertus Thuringiæ Landgravius ex dissidio cum filijs ipsos demum *Histor. Thuring.*

filios

filios exheredes scripsit, Thuringiamque Adolpho Regi emendam obtulit; ideo Rex ad capiendam possessionem festinabat; qua re magnam sibi principum cumulavit invidiam, belloque non minus difficili se implicuit.

Sifridus Archiep. Colon. Marchiam infestans à Comite Lippiensi repellitur. *Leuoldus.*

At Sifridus Colonienſis Archiepiſcopus, quem annales Colonienſes magno ſplendore ducentorum phaleratorum equorum, tentorioque centum pedes longo & lato ſpectatum in caſtris ad Colmariam referunt, Rege in Thuringiam abeunte, redijt in Diœceſin, ulturus Everardum Marcanum Comitem. Et jam Marchiam armatus ingreſſus erat, cùm Simon Comes de Lippia, qui abſentis Marcani provinciam adminiſtrandam ſuſceperat, Archiepiſcopum retudit; ac mox etiam Marcanus, quod abſens Regem in Thuringiam ſectatus, accepto periculo, in Marchiam properavit, feſtoque Natalis Chriſti ſuis adfuit.

Fundatur Collegium Canonicorum Bilfeldiæ.

Quæ dum illi armis inter ſe agitant, longè ſalubriori conſilio atque opere, Otto Comes Ravensbergenſis una cum Hedwige conjuge, ſorore Ottonis Epiſcopi noſtri & Conradi Oſnabrugenſis, condunt dotantque Bilfeldiæ, in primaria Comitatus ſui urbe, Collegium Canonicorum, æde parochiali B. Virginis in Collegium mutata; in quo ſacerdotes quatuor, Diaconi quatuor, totidemque ſubdiaconi Deum quotidie colerent: Evocati ad conſenſum filij, Ludovicus Præpoſitus Collegij Oſnabrugenſis ad S. Joannem, quem poſtea Oſnabrugenſis Eccleſia Epiſcopum habuit: Hermannus Præpoſitus Tungrenſis, Otto Canonicus Oſnabrugenſis, ac Bruno. Juvabit nunc ipſius Comitis literas pietate Chriſtianâ & ſpe æternæ mercedis plenas, quibus Collegium hoc ſuum dotat, & ab omni etiam propria advocatia liberum eſſe voluit, ſubjungere.

Nos Otto Comes et Hadvvigis Comitiſſa de Ravensberg Capitulo et Canonicis Eccleſiæ Beatæ Mariæ Bilfeldienſis, Paderbornenſis Diœceſis, tam vitæ præſentis commoda quàm futuræ. Bonæ rei operam dare, et præſentis vitæ habere ſubſidium, et æternæ retributionis præmium enitimur exſpectare. Quapropter pro remedio animarum noſtrarum vobis et Eccleſiæ veſtræ quam nos de conſenſu Reverendi Patris ac Domini noſtri Ottonis Paderbornenſis Epiſcopi in honorem Dei et memoriam Sanctæ Mariæ prædictæ, et Beati Georgii Martyris fundamus, ac poſſeſſionibus ſeu prediis, tam ruſticis quam Urbanis, nec non ſervis, agricolis et Colonis veſtris immunitatem ac libertatem concedimus ab omni exactione tam rerum quam ſervitii temporalis, volentes ut prædicta Eccleſia veſtra, domus et curiæ veſtræ infra immunitatem clauſtri veſtri conſtitutæ, ac familia veſtra domeſtica ea immunitate ſeu libertate vel privilegijs gaudeant, quibus aliæ Eccleſiæ Collegiatæ, domus, et curiæ, nec non familia canonicorum de jure gaudere noſcuntur: vobis nihilominus ſpecialiter concedendo, quod immunes ſitis ab omnibus contributionibus, vigiliis vel cuſtodiis, et defenſionibus à civibus, vel oppidanis, ſeu aliis in prædicto oppido Bilfeld commorantibus communiter faciendis. Ut autem

tempræbendas competentes sortiri possitis, Ecclesias Parochiales ejusdem oppidi, tam novi quam veteris, in quibus jus Patronatus habemus, de consensu ejusdem Reverendi Patris et Domini Episcopi Paderbornensis et Capituli duximus concedendas; nobis tamen jure Patronatus in collatione præbendarum per omnia reservato. Cæterum in electione Decani, Thesaurarii et Scholastici nihil juris nobis vel hæredibus nostris reservamus, sed liberaliter capitulo et canonicis committimus memoratis. Recognoscimus insuper, quod nec nos, nec heredes nostri aliquam advocatiam habemus in bonis dictæ Ecclesiæ vestræ, nec possimus aliquatenus vendicare. Præterea damus vobis et cuilibet vestrum jus et communem usum in pratis, lignis et pascuis communibus, sicut alii in Bilefelde morantes oppido noscuntur habere. Cæterum in eadem Ecclesia duodecim præbendas de dicti patris ac Domini Episcopi et Capituli Paderbornensis prædicti consensu taliter ordinamus, ut quatuor ex illis sint Sacerdotes, quatuor Diaconales, et quatuor Subdiaconales, ita ut nulli Canonicorum fructus præbendæ ministrentur, donec promotus ad sacrum ordinem fuerit, quem debita sibi præbenda requirit, nisi per decanum et Capitulum aliter fuerit ordinatum, nec alii quam residenti personaliter; nisi in negotio Ecclesiæ, vel causa studii de licentia Capituli quenquam abesse contingat. Prædictam verò concessionem et ordinationem de consensu et voluntate honorabilis viri Domini Ludovici Præpositi sancti Joannis Ecclesiæ in Osenburg esse et processisse præsentibus protestamur. Et nos Hermann⁹ Præpositus Tungrensis, Otto Canonicus Osnabrugensis, Ludovicus et Bernardus fratres prædictorum Comitis et Comitissæ filii hæredesque legitimi supradictam concessionem et ordinationem per omnia ratam et gratam et firmam tenebimus et tenemus. Et in testimonium et certitudinem pleniorem præsens cedula Sigillis videlicet comitis et comitissæ prædictorum, ac venerabilium virorum Dni Ludovici et Hermanni supradictorum communitur. Datum et actum anno Dni M c c nonagesimo III. II Idus Julij.

Et ab Ottone Ep. Paderb. confirmatur.

Hanc verò Collegii fundationem uti Otto Episcopus noster, inter cujus sacræ jurisdictionis limites Bilfeldiam Comes profitetur, ratam habuerit, hisce literis posteritati relictum est.

Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus, universis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum nihil sit, quod lumine clariore præfulgeat, quam in viro nobili recta fides, et nihil sit, quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera religio; nam cum utraq; rectorem vitæ vel luminis respiciant, rectè et tenebras respuunt, et nesciunt defectui subiacere. Quamobrem fidem et devotionem ac religiositatem nobilis viri Domini Ottonis Comitis in Ravensberg affinis nostri devotissimè commendantes ex eo, quod ut religio et divini Numinis cultus augeatur, in novo Oppido Bilfelde Dominii sui, districtus nostræ Diœcesis, collegiatam Eccclesiam Canonicorum secularium de Parochiali Ecclesia ejusdem novi oppidi fundare, et eandem suis rebus dotare ad honorem omnipotentis Dei, et gloriosæ genitricis ejus Virginis Beatæ Mariæ intendit. Nos eidem Comiti cupientes cooperari, quatenus bonorum operum ejus efficiamur par-

participes, ut, quemadmodum pia devotione concepit, perficiat, et Ecclesiam eandem collegiatam de parochiali fundet et dotet de rebus suis, ut dictum est, et de fructibus, proventibus, obventionibus et oblationibus Ecclesiarum veteris et novi opidorum in Bilfelde, ita quod hujusmodi fructus, proventus, obventiones et oblationes inter Canonicos ipsius Ecclesiæ Collegiatæ dividantur æqualiter et distribuantur, eidem nobili viro, de consensu et benevola voluntate Thiderici de Bilstene Præpositi, Hermanni de Sumichusen Decani, et totius Capituli Ecclesiæ nostræ, plenam concedimus facultatem, volentes, ut, postquam in dicta Ecclesia, in opido memorato conventus Canonicorum secularium fuit institutus, eadem Ecclesia, et personæ ipsius Ecclesiæ, ac familia eorundem, nec non bona eorundem mobilia et immobilia omnibus libertatibus et immunitatibus et commodis, quibus Ecclesiæ jure gaudere debent, et præcipuè, quibus Ecclesia S. Petri nostræ civitatis Paderbornensis gaudet in personis, rebus et familiis, gaudeat, et gaudere debet in perpetuum indiscusse. Item volumus et concedimus, ut, postquam dicta Ecclesia Collegiata fundata fuit, et personæ institutæ ad eandem, videlicet duodecim vel plures, in ipsa prima institutione, et postmodum in subsequentibus institutionibus, sive provisionibus, jus institutionis sive patronatus dictus nobilis vir Comes in Ravensberg habeat, et idem jus institutionis sive patronatus ipsius Domini Comitis transeat in hæredes. Item volumus et concedimus, ut redditus, proventus, obventiones et oblationes omnes, ac omnia jura spiritualia et temporalia dicta Ecclesiæ in Bilfelde apud dictos Canonicos ejusdem Ecclesiæ integraliter maneant, contributionibus auctoritate Diœcesani faciendis, nec non procurationibus et omnibus juribus Archidiaconi loci salvis; ita tamen ut Diaconus ex eorundem Canonicorum electione, et nostra, sive successorum nostrorum confirmatione Canonicè ordinetur; et ut dictus Decanus ad regendam parochiam ab Archidiacono loci curam recipiat animarum; et occasione receptionis hujusmodi curæ idem Decanus tenebitur dicto Archidiacono plenam servare obedientiam, et ad exactionem omnium mandatorum ipsius, sicut tenebatur sacerdos, qui in omnibus annis retroactis rector exstitit seu provisor. Si qui autem hujusmodi concessiones nostras, quas deliberato consilio decrevimus perpetuo valituras, infringere aut temere violare, vel etiam malitiosè impedire præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli, nec non excommunicationis sententiam, quam in tales ex nunc et extunc in his scriptis ferimus, se noverint incurrisse. In hujus rei testimonium præsens scriptum, nostro et Capituli nostri sigillis exstitit sigillatum: et nos Præpositus, Decanus, et Capitulum prædicti in signum consensus nostri sigillum nostrum apponi fecimus huic scripto. Datum anno Dni M c c x c *tertio.*

Otto Ep. Paderb. statuit, posse Canonicos suos pro-

Adhæc Otto Episcopus noster convocatis in concilium Decano, ceterisque Ecclesiæ Cathedralis præsulibus & Canonicis, præclarum edidit statutum, quo emancipatis Canonicis potestatem fecit excolendi se in literarum studiis, & sublimioribus scientiarum academiis sine jacturâ fructuum, qui absenti non minus quàm præ-

sen-

senti præstentur; quòd eo se consilio facere profitetur, ut sint in clero viri non modò in omni scientiarum genere exculti, sed & moribus etiam, & virtutum ornamentis conspicui; hanc verò gratiam se duobus tantum annis facere, ac non nisi duobus simul Canonicis; ne per eorum absentiam imminuatur chorus, & quotidianum ministerium sacrorum. Quod argumento est, tum strictam frequentandi chori disciplinam viguisse. Alia deinde constituta de anno gratiæ, ut vocant, ad persolvenda debita, si quis ea Canonicus post mortem retinuerit de concesso Canonicorum testimonio secundum Bernardi III decretum de successione ab intestato; quæ tam sollicitè ab Ottone ordinata sunt, ut priscæ disciplinæ Episcopum aspicias. Acta hæc sunt Paderbornæ x Calend. Septembris.

ficisci ad academias, salva perceptione fructuum.

Rogatu deinde illustris Principis Hassiæ Otto Episcopus Commendatori domus Teutonicæ in urbe Marburgensi decimarum proventus ex pago Herstensi dilargitur; ea tamen lege, ut quotannis duas libras ceræ pendat Thesaurario Ecclesiæ Paderbornensis; idque Paderbornæ feria quarta post festum omnium SS. consentiente Capitulo consignatum est.

Decimas in Herstenden donat Commendatori Marburgensi.

Haud dissimili beneficio Canonicos Bustorffiani Collegij de panibus æqualiter inter eos quotannis dividendis inferendisque in eorum domus prospexit; quos tamen tales esse voluit, quibus mendicantes simul refici possent. Transacta hæc sunt Paderbornæ, festo D. Nicolai die inter Episcopum & Præpositum ejus Collegij, cum adhuc Præpositi æconomi munere fungerentur in procurandis bonis, & dividendis portionibus fratrum.

Annus Christi 1293.

S. Cœlestini V. Pont. 1.
Adolphi Reg. 3.
Ottonis Ep. Paderb. 17.

Bellum per hæc, quod cœperat Adolphus Rex, serpebat per Thuringiam; quantumq; Rex inhiabat vendito sibi principatui ad familiam Nassovicam extollendam, tantum Landgravii filij, Fridericus & Tyzemannus, ex justo toro hæredes obluctabantur, implorando opem vicinorum Principum. Quare Rex, collecto majori quàm antè exercitu, Thuringiam ingressus, omnia spoliis & cœdibus pervastat; eaque fuit disciplinæ militaris solutio, ea militum sævitia, ut nec sexui, nec ætati, nec Ecclesijs, nec Cœnobijs parcitum. Cæsa jacuêre per agros innocentium corpora, rapti in vincula Sacerdotes, constupratæ sacræ Virgines. Refert Sifridus presbyter in hac vastatione Thuringiæ duas matronas, cùm ad vicinum S. Gangolphi templum profugerent, se suasque fortunas servaturæ, interceptas fuisse à militibus Regis; quas illi barbarum in modum spoliatas, exutasque vestibus, nudas deinde pice & sevo perlitas, excusso lecto, in plumis obvolutârunt,

Histor. Thuring. Sifrid. Presby. Spangenberg. Adolphus R. Thuringiæ sibi venditæ inhians eam miserè devastat.

runt, & cum ludibrio ab se abegêrunt. Quæ postquam in conspectum Comitis Heensteinij venêre, illacrymari cœpit, ab eoque ad Regem sunt deductæ; sed alia Regis commiseratio, pœnaque in nefarios non fuit, quàm quòd diceret, puniendos, si sisterentur. Ipse interim in subigendâ Thuringiâ occupatus, oppida & castra expugnat, donec à Mulhusij civibus cum cladê rejectus, confectum fame militem compulsus in Misniam deducere. Nam & hanc provinciam Landgravij filij tenebant; quam ut Rex quoque suæ potestati submitteret, pari crudelitate, quâ in Thuringia, sæviit in Misnia. Hanc vastitatem in quartum annum productam scribit auctor historiæ Thuringiæ: Sifridus adeo in subigenda Misnia extremo ad huc regni sui anno occupatum fuisse memorat. Ita verò Reipub. curis intermissis Rex sua tantum agebat. Quanquam, ut ex Gelenio constat, Rex hoc anno Nurenbergæ pro tribunali sederit, pronunciaritque in congressu Principum pro Reinaldo Gelriæ Comite; insulam, quam Rhenus fluvius adjecerit fundo Comitis, cum telonio Comitis fore: nullam istic novam munitionem extra Comitis aut Principis voluntatem ab aliquo excitandam: castrum si quod inaudito Rege obsideretur, Regis esse.

Gelen. tom. 5. MS.

Controversia de oppidis Saltzcottena & Gesekena tollitur, Gesekena Archiep. Colon. & Saltzcottena Ep. Paderb. attributa.

Tandem & hoc anno controversia de duobus oppidis, Gesekena & Saltzcottena, toties agitata hactenus inter Sifridum Colonien sem Archiepiscopum & Ottonem Paderbornensem Episcopum, ad firmam compositionem deducta est à Conrado Osnabrugensi Episcopo, Ottonis Episcopi nostri fratre, & Wigboldo Decano Colonien sis Ecclesiæ, convocato in hanc rem ex utraque diœcesi Canonicorum & procerum conventu; ea fidelicet lege, ut sublata communitate duorum oppidorum, Gesekenam posthac solus Colonensis, Saltzcottenam verò Paderbornensis Episcopus sibi vendicaret. Quod ad memoriam posteritatis hisce conventionis tabulis referendum intererit.

Nos Syfridus Dei gratia sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri imperii per Italiam Archicancellarius, notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod cum nos, anteceſſores noſtri, et Eccleſia Colonienſis, et venerabilis in Chriſto Pater Otto Paderburnenſis Epiſcopus, ſuique anteceſſores, et Eccleſia Paderburnenſis oppida Geſeke et Saltcoten retroactis temporibꝰ communiter, et pro indiviſo tenuiſſemus, et haberemus, ſic de novo de conſilio Prælatorum et fidelium noſtrorum, attendentes in hoc commodum et utilitatem noſtram, et Eccleſiarum noſtrarum, hinc inde inter nos conventum et concordatum eſt, ita videlicet, quod nos et Eccleſia noſtra cum plenitudine omnis juris retinebimus, poſſidebimus, et habebimus oppidum noſtrum Geſeke antedictum; dictus vero Paderburnenſis Epiſcopꝰ et Eccleſia ſua oppidum ſuum Saltcotē cum plenitudine omnis juris poſſidebunt, et habebunt univerſa, pro ut literis inter nos et dictum Dominum Epiſcopū ſuper hoc confectis plenius continetur, Nos igitur omni juri, impetitioni, literis et inſtrumentis quibuſcunq; ego non

nobis, et Ecclesiæ nostræ in dicto oppido, seu quoad Oppidum Saltcoten competunt, seu quoquo modo competere possunt, pure et simpliciter renunciamus, Scabinos, Consules, et universos oppidanos ibidem nomine nostro, et Ecclesiæ nostræ à quovis fideliter homagio in hoc nobis et Ecclesiæ Colonienſi præstito penitus absolventes. In cujus rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillo Ecclesiæ Colonienſis præsentibus duximus apponendum. Et nos Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Colonienſis sigillum nostrum in testimonium apposuimus huic scripto. Datum XVI *Calend. Martij, anno Domini Millesimo* CC *nonagesimo quarto.*

Actum præterea in hoc congressu de munitione in Borcholtz, quod oppidum est diœcesis nostræ, alioque castro, quod Otto Episcopus noster non ita pridem excitârat; sed ea controversia in aliud tempus rejecta est. Conventum præterea uti uterque Episcopus laboraret in dejiciendis munimentis, quæ Otto Waldecensis Comes in Roden & Landavv magno utriusq; Ecclesiæ præjudicio erexerat.

Et verò cùm tumultuaria bella renascerentur sub tumultuario Rege, magnaque pars posita esset in dejiciendis arcibus & castris, Everhardus Monasterienſis Episcopus arcem Sassenbergam opportuno inter paludes ad confinia vicinorum Comitum loco instaurare ac præmunire cœpit. Contra eadem opera laboratum in vicinorum castris dejiciendis, cùm vicina ex his potentia suspecta esse cœpit. Hanc ob causam cùm Widekindus Corbejenſis Abbas vetus Saxonum castrum Brunsbergam ad Visurgim, quod antiquitus à Carolo M. expugnatum memoravimus, in edito ad Hoxtariam monte reparasset, ex eoque diœcesi Paderbornensi, & vicinis Comitibus infestus esset, Otto Episcopus noster, & Swalenbergenses Comites, Adolphus & Albertus, facta conspiratione, castrum dejecêre. Nam etsi alia castra fuerint munimenta defensionis erecta; alia tamen passim conspiciebantur spoliaria prædonum, è quibus illi luporum instar, omissis circum cubilia Catulorum prædis, eas in remotioribus agris lociſque agebant.

Everhardus Ep. Monast. Sassenbergam præmunit.

Otto Ep. Pad. castrum Brunsbergam dejicit.

Annus Christi 1295.

Bonifaij VIII Pont. 1.
Adolphi Reg. 4.
Ottonis Ep. Paderb. 18.

Grave exinde bellum anno proximo inter Eduardum Angliæ & Philippum Franciæ Reges exarsit; quo Germania haud leviter involvi cœpit. Angliæ enim Rex, ut Germanorum armis Francum opprimeret, Adolphum Regem traxit in societatem belli, missisque centum millibus marcarum argenti puri, sibi stipendiarium fecit. At Rex Adolphus, quòd bello Thuringico & Misnico exhausisset ærarium, pecuniam illam non ad scribendum armandumque militem, sed, quod Albertus Argentinenſis scribit, in emendum Marchiona-

Histor. Austral. Albert. Argent. Sifrid. presby. Chron. Colmar. Naucler. Trithem. Adolphe R. Angliæ

Regi factus Stipendiarius Principum Imperii odium incurrit.

chionatum Misniæ & res suas convertit. Quo indecoro perfidiæ simul & avaritiæ facto non modò Regem Angliæ offendit, sed apud Imperij Principes vilescere cœpit; quòd indignum regiæ majestati, & inauditum dicerent, eum, qui se Cæsarem ferret, Regis mercenarium fieri. Eoque cognito, Albertus Dux Austriæ auditus est dicere: *Si Rex Romanorum stipendiarius factus est Regi Angliæ, et ego minori dedecore Franciæ esse potero.* Fœdum illud factum, quo toti Germanicæ nationi perpetuam labem aspersam detestabantur Principes; quodque non modò Albertus Argentinensis, Sifridus presbyter, auctor Chronici Colmariensis, ceterique eorum temporum scriptores retulêre; sed & Bonifacius VIII Pontifex in literis suis Adolpho Regi exprobravit.

Odoric in Histor. Eccles. ad hunc annum. Sifridus l. 2.

Quapropter & Gerhardus Moguntinus Archiepiscopus Pragæ, quò supra XXXVIII Episcopi ac Principes convenerant ad Wenceslai Bohemiæ Regis convonationem, agitare cum reliquis Principibus consilia cœpit de exauctorando Adolpho Rege: cui præterea crimini palam datum vastasse Ecclesias, constuprasse Virgines, Imperium neglexisse in Augusto nomine, & quod multò turpius erat, accepisse stipendia ab Anglorum Rege, qui dignitate multo inferior sit Cæsare. Quid dicturi hi Principes? si in vitam rediret, viderentque multa his contraria impune modo in Germania perpetrari.

Oppidum Recklinghusanum Marcanus Comes cum Duce Brabantiæ expugnat.

Rege per Thuringiam & Misniam tumultuante, è quibus provinciis filios Landgravius ejecerat, Everhardus Marcanus Comes homo inquieti ingenij, Westfaliam perturbat. Oppidum enim Recklinghusanum Archiepiscopi Colonienſis aggressus, obsidione incingit; in quo expugnando dum ancipiti eventu agitur, accedit Joannes II Dux Brabantiæ imploratus à Marcano, transmissisque per Rhenum copiis, Marcani castris se jungit: tum validiori manu expugnatum Oppidum, diruta mœnia, exæquatæ solo fossæ; vastatisque circum agris, copiæ rursum per Rhennm traductæ ad Wassenbergæ castrum, quod Geldro oppignorârat Colonienſis Archiepiscopus, idemque à Paschate ad Pentecosten ductâ obsidione expugnatum, & utrique ereptum. Quid interea Archiepiscopus egerit cum Ottone nostro & Conrado Osnabrugensi Episcopis, ceterisque confœderatis, à Levoldo aliisque scriptoribus prætermissum est.

Neque aliud de Ottone etiam nostro ex monumentis hujus anni, quàm quod annum gratiæ, ut vocant, fructum que sacerdotii ad biennium ab obitu permiserit Bustorffianis ad S. Petrum & Andream Canonicis: tertij verò anni fructus fabricæ cedere voluerit. Scholaribus etiam ad studia alacrius tractanda certa pecunia indulta. Infesto Purificationis hujus anni certis tabulis consignatum.

Decimæ quædam feudales,

Multò largiori beneficio complexus Otto Episcopus Wilbacense Virginum Cœnobium. Nam quas decimas Ravenius de

Papen

Papenheim miles, & Otto Comes de Waldeck feudi nomine possidebant ab Episcopo Paderbornensi, eas ab utroque permisit donari Virginibus hisce sacris. *Testes hujus donationis Henricus Decanus, Otto Scholasticus, Georgius Cantor, Wernerus de Wolmenstein Cellerarius, Bertholdus Præpositus Orientalis Ecclesiæ, Amelungus, Bertholdus de Everstein, Lippoldus de Amelungessen, Paderbornensis Ecclesiæ Canonici: Abbas SS. Petri et Pauli in urbe, Abbas de Monasterio apud Suvalenberg, Conradus Præpositus de Gerdene: Dominus Albertus Comes de Suvalenberg, Burchardus de Assenbrock, Albertus de Amelungessen Senior, Ecbertus Spegel, Ravenius de Papenheim Senior, milites, et quamplures alii. Actum anno millesimo CC nonagesimo quinto tertio Idus Martij.* Ottonis Ep. nutu, transferuntur ad Cœnobium Wilbacense.

Mirabitur Lector si omnes superiorum Episcoporum decimas nobiscum revolverit; quarum aliæ retentæ ab Episcopis, aliæ Collegiatis Ecclesiis, aliæ in dotem Cœnobiorum, aliæ in feudum nobilium, aliæ beneficio Episcoporum in alios sacrorum usus cessêre: Unde nimirum illæ decimarum opes Episcopis obvenerint, nisi quod Carolus M. dum Saxoniam inter Episcopos divisit, singulis suarum Diœcesium decimas, ut supra etiam monuimus, dilargitus sit, primumque illud Episcoporum patrimonium esse voluerit.

Ex Saxoniâ hoc anno morte subductus Conradus Wardenbergius Mindensis Episcopus, gesto per XIII annos Episcopatu. Eo Episcopo Harbertus de Manderslo Decanus majoris Ecclesiæ, ac præsul è veteri Saxoniæ nobilitate clarus, Prædicatorum ordinem amplexus, Cœnobium Mindense per XV annos præclarâ cum laude & fama sanctioris vitæ administravit. Conrado subrogatus Ludolphus de Rostorp nobilis Saxo. Obitus Conradi Wardenbergij Ep. Mind. sub quo in Ordine Prædicatorum floruit Harbertus de Manderslo.

Annus Christi 1296.

Bonifacij VIII Pont. 2.
Adolphi Reg. 5.
Ottonis Ep. Pad. 19.

Bellum, quod inter Sifridum Archiepiscopum & Marcanum Comitem sollicitatum diximus, altero dehinc anno recruduit, traxitque in partes Westfaliæ nobilitatem, aliis pro Archiepiscopo, aliis pro Marcano ad arma convolantibus. Et quia prædationibus res magis agebatur, Archiepiscopi miles Attendoriæ & Snellenbergæ munimentis se inclusit, ex ijsq; locis incursionem fecit in Marchiam. His ut occurreret Marcanus, emit ab Hunoldo Plettenbergio arcem Waldenbergam quingentis marcis, tractisque in societatem Castrensibus Waldenbergensibus, Dynasta Bilstenio, cæterisque Westfaliæ nobilibus, haud minus Colonienses armis spolijsque divexabat. Fortiter interim horum incursiones Joannes Plettenbergius, Ducatus Westfaliæ Marschallus, vir militaris ingenij, animique ad omnes casus intrepidi, repressit. Fatigato Marschallo, quòd hosti viribus impar Renovatum inter Archiepiscopum Colon. & Comitem Marcan. bellum Ducatum Westfaliæ turbat. *Levoldus.*

par eſſet, ſubvenit Archiepiſcopus Sifridus, magniſque copijs armatus, quas ſubſidijs Ottonis Epiſcopi, Conradi Oſnabrugenſis, aliorumq; fœderatorum auxerat, Weſtfaliam ingreditur. Jamque Rudenam uſque ad fines diœceſis noſtræ proceſſerat; cùm filiam Comitis Ritbergenſis conſanguineam ſuam, neptemque Conradi Oſnabrugenſis, & Ottonis Epiſcopi noſtri, Wilhelmo Ludowici Comitis Arensbergi heredi filio matrimonio jungit. Horum igitur conſanguineorum præſulum auxiliis confirmatus Archiepiſcopus extrema minatur Marcano. Et jam omnia ad irruptionem in Marchiam parata erant, cùm Adolphi Regis auctoritate, & ſacrorum cumprimis præſulum procerumque Weſtfaliæ conſilio, res ab armis ad inducias, & ab his ad pacis tractationem deducta eſt. Ad hunc modum compreſſo Marcano, homine turbulento, Archiepiſcopus per Marchiam ad Rhenum profectus Bonnam repetiit.

Annus Chriſti. 1297.

Bonifacij VIII Pont. 3.
Adolphi Regis 6.
Ottonis Ep. Pad. 20.

Sifridi Archiep. Colon. mors & geſta pro ſua Eccleſia. *Levoldus. Chron. Colon. Gelen. lib. 1 Sacr.*

Nec multum inde ſuperſtes Sifridus Archiepiſcopus, nocte Palmarum, ut Levoldus ſubdit, extremum vitæ diem clauſit, Bonnæ in æde SS. Caſſii & Florentii ſepultus. Mortem Gelenius ad hunc annum, Trithemius verò, Merſæus, aliique ad ſequentem annum retulêre. Præſul fuit ſago togaque celebris, qui XXIII annos pro libertate Eccleſiæ ſuæ egregiè decertavit, & multis bonis caſtriſque Eccleſiæ ſuæ patrimonium auxit; interque alia caſtrum Everſtein municipium Oſen, oppidum Holtzmundum, omnia ad Viſurgim loca, 2000 marcis ab Ottone Comite Eberſtenio emit; protenſoq; ad Viſurgim patrimonio, emit à Gogravio Hervordienſi Gogravium, mediamque Vlotenſis caſtri partem ab advocato Schalckenbergenſi 900 marcis; ad reditus verò caſtri augendos quatuor adjecit villas à ſe emptas, quas Comites poſtea Ravensbergenſes ei abſtraxêre. Ottoni Epiſcopo noſtro fuit ex conſanguinitate peromnem vitam conjunctiſſimus, eòque multum valuit ejus patrocinium & auctoritas ad Diœceſis noſtræ incolumitates. Sifrido in Archiepiſcopatu ſubrogatus Wigboldus Dynaſta de Holte, Decanus majoris Eccleſiæ Colonienſis, idemque Aquiſgranenſis, & Monaſterienſis ad S. Mauritium extra muros Præpoſitus, gente Weſtfalus ex diœceſi Oſnabrugenſi, ubi antiqua Holtiorum familia clara memoratur: ex qua jam ante tres Epiſcopi Monaſterienſes, Burchardus, Ludolphus & Wilhelmus delecti: & ipſe Wigboldus quartus ex ea familia poſt obitum Gerhardi Marcani Epiſcopi in diſſidio Monaſterienſi delectus Epiſcopus, ultro Everhardo Epiſcopatum ceſſit, dum majori dignitati deſtinatus Sifrido in Archiepiſcopatu Colonienſi ſubrogaretur.

Adolphus

Adolphus Rex postquam Alsatiam non minus, quàm Thuringiam & Misniam vastatione agrorum, spolijs, & omni militari insolentia tractasset, facta conspiratione in caput ejus, Episcopus Argentinensis, Lantgravius Alsatiæ, Comites ac nobiles ad arma provolârunt. Quo comperto, Adolphus Rex ad inferiorem Germaniam descendit Guidoni Flandriæ Comiti Regis Angliæ fœderato opem laturus, adversus quem Philippus Pulcher, Francorum Rex, cum exercitu 60000 in Flandriam movebat. Ad id bellum, quod Adolphus Rex Edvardo Regi Angliæ & Guidoni addixit, commovit multos inferioris Germaniæ Comites, Wilhelmum Juliæ Comitem, Walramum Falcoburgi & Monsioyæ Dynastam, Comitem Waldecensem, Clivensem, complurésque alios, qui copijs suis ex Westfalia & finitimis trans Rhenum regionibus contractis Flandriam intrârunt, exitu belli improspero; cæsus quippe à Francis totus Flandrorum exercitus, captus ipse Guido in potestatem Regis Franciæ venit. Incusatus à Meiero Adolphus Rex, quod Coloniæ cum parte exercitus, auro gallico per legatum clam corruptus, restiterit.

Trithem. in Chron. Coron. Colmar. Meierus lib. 10 rerum Flandr. Levoldus.

Sub id tempus tam funesto incendio Fremonia conflagravit, ut è foro per quatuor urbis plagas conspectus patuerit. Qua tempestate desertor quidam Ordinis D. Augustini, Beatus dictus, ortusque Lemgovia oppido comitatus Lippiensis, quòd ad Patarenos hæreticos & Judæorum perfidiam transisset, Parisijs in rogum conjectus. Ob similem perfidiam Robertus Canonicus ac Scholasticus Susatensis, doctrina non incelebris, Francofurti se à Judæis circumcidi permisit; ob quod scelus supplicio quoque ignis damnatus perijt. Cadaver hujus perfidi hominis vasi inclusum, delatumque in flumen; id ubi juvenis stricto pugione perfodit, erupisse horribilem flammam perhibent, nec prius extinctam, quàm cadaver cum vase consumpsisset.

Henric. de Hervor. Cleinsorg. Gobelinus. Bini Apostatæ condignis suppliciis affecti.

At bellum affectum, quod mox inter duos potentissimos hosce Reges, magno Christianæ Reipub. periculo, ardere cœperat, sollicitudine Bonifacij VIII Romani Pontificis compositum est.

Idemque hic Pontifex, cùm nescio quibus exactionibus sollicitaretur Paderbornensis Ecclesia, interque Capitulum & Episcopum de Advocatiæ libertate ac jure controversia oborta esset, missis Apostolicis litteris, omnia priorum Pontificum, Cæsarum ac Regum impertita privilegia Ecclesiæ Paderbornensi inviolata relinqui jussit.

Bonifacij Pont. Ecclesiæ Paderb. privilegia in, violata esse jubet.

Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filijs, Præposito, Decano, et Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis salutem et Apostolicam benedictionem. Justis petentium desiderijs dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per privilegia vel alias indulgentias vobis et Ecclesiæ

clesiæ vestræ concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum à Regibus et Principibus et aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et prædictæ Ecclesiæ indultas, sicut eas juste et pacifice obtinetis, vobis et per nos eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum VI Calend. Februarij Pontificatus nostri anno tertio.

Eadem Ecclesiæ Paderb. jura confirmat Otto Ep.

Nec multò post Otto Episcopus ad Pontificis voluntatem cum Capitulo composuit, omniaque, quæper legatum Apostolicæ sedis Nicolaum de carcere Tulliano, & Conradum Moguntinum Archiepiscopum ac Metropolitanum olim sancita erant, de advocatiæ libertate, cæterisque Capituli privilegijs in hunc modum rata habuit. *Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Universis præsentia visuris, cupimus fore notum, quod auditis et diligenter perspectis privilegijs illustris Principis Romanorum Regis, et Honorabilium virorum ad Ecclesiam nostram per Dominum Nicolaum de carcere Tulliano Cardinalem visitationis causa missorum, nec non honorabilis viri Conradi Moguntini Archiepiscopi, et Sambiensis Episcopi, ac prædecessorum nostrorum Ecclesiæ nostræ super libertate Advocatiæ datis pia consideratione cognovimus, quod in ipsa advocatia, quam Capitulum suo thesauro comparârat, nullum penitus jus habuimus, vel habemus, et hoc ipsum Capitulo cum omni integritate remittimus et restituimus, secundum dictorum formam privilegiorum, pacifice et libere perpetuo possidendum, jure tamen Episcoporum, sicut in privilegijs Capituli jam dicti continetur, nobis reservato. Jura quoq; Archidiaconorum Ecclesiæ nostræ ipsis integra illabataque servabimus, sicut consuetudo rationabilis et præscriptum in ipsa Paderborn. Ecclesia, et retroactis temporibus dudum obtinuit. Nec nos de jurisdictione ipsorum intromittemus, nisi quatenus ad nostram audientiam fuerit appellatum ex veris et probabilibus causis, vel aliàs per querelam et negotium, ut puta de injusta sententia rationabiliter delatum, vel nisi ipsi extiterint negligentes vel remissi; tunc ipsam causam committemus viro idoneo partibus ad hoc vocatis in civitate Paderborn. per juris ordinem decidendam. Jurisdictionem quoque in Driburg, Boriginstrike, et Borigholte Camerario Ecclesiæ nostræ pertinere recognoscimus, nec nos ultro intromittemus de eadem. Redemptionem decimarum de curijs nostris Episcopalibus præposituræ Sancti Petri Paderborn. pertinere decrevimus, et ipsum quolibet anno per nostros villicos præposito dictæ Ecclesiæ debere sine contradictione qualibet fideliter præsentari. Ad ista omnia servanda obligamus nos per fidem, quam tenemur Ecclesiæ nostræ memoratæ. Actum et Datum apud Paderborne XIIII Calend. Aprilis, Anno Domini MCCXCVII, præsentibus honorabilibus viris Domino Alberto Abbate Monasterij Sancti Pauli Paderborn. Conradi ejusdem Monasterij prio-*

ore, nec non honorabili viro D. Simone Widenbrugen, præposito et Thesaurario sancti Petri Paderborn, cum aliis quampluribus Clericis et Laicis fide dignis. Et ut hæc rata et stabilita permaneant, et omni scrupulo careant, præsens scriptum nostro sigillo ex certa nostra scientia et sigillis honorabilium virorum nepotum nostrorum Domini Simonis Widenbrugensis præpositi, et Domini Conradi Comitis de Retberg fecimus et petivimus sigillari. Et nos Simon ac Conradus de Retberg Comes, quia præsentibus vocati et rogati interfuimus ad petitionem partium hinc inde sigilla nostra huic scripto apposuimus in testimonium præmissorum.

Annus Christi 1298.

Bonifacij VIII Pont. 4.
Alberti Cæsaris 1
Ottonis Ep. Paderb. 21.

Turbulentus dehinc annus subit, exauctoratione Adolphi Regis. Agitatum de ea primùm Pragæ, ut diximus; deinde hoc anno Viennæ, mense Februario, in nuptiis Regis Bohemiæ cum filia Regis Ungariæ. Convenerant ad hanc celebritatem Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgicus, Episcopi sedecim, ingens præterea Abbatum & procerum multitudo. Quàm id honorificum fuit Alberto Austriæ Duci, tractare tot Principes Jmperij regali munificentia, tam contemptus invisusque apud omnes erat Adolphus Rex, qui Austriacum suis provinciis exuere machinabatur; eò in Adolpho abrogando, omnes illi suam fidem & operam addixere. Inde alter mox conventus Principum mense Majo Francofurti, seu, quod plerique volunt, Moguntiæ indictus à Moguntino Archiepiscopo; ad quem Albertus Dux Austriæ, simulque Adolphus Rex evocati, ille ad coronam accipiendam, hic ad dicendam causam Nam præter ea, quæ supra retulimus, accusabatur Rex Imperium discordiis miscere, populum insolitis gravare tributis, fovere prædones & turbatores Reipub. contemnere Principes, omniaque suis, & depravatorum hominum consilijs agere, quique nec suis nec propinquorum opibus majestatem Imperij repræsentaret, nec ad aliud Rex esset, quàm ut rapto viveret. Rex cùm his accusationibus, multorumque odio se peti intelligeret, ad conventum Principum non accessit. Quare pridie natalis Joannis Baptistæ Moguntinus Archiepiscopus Francofurti ex Electorum & Principum, qui aderant, sententia Adolpho regnum abrogat, Albertumque Regem dicit; idemque hic Gerhardus Moguntinus Archiepiscopus, qui primus Adolphum in throno collocarat, primus pòst ex eodem dejicit; quòd spreta sua auctoritate consilijsque, Adolphus Imperium administraret. Albertus cum valido exercitu ex Austria, Bohemia, Ungaria & Suevia collecto descenderat ad Rhenum. Nec segnior Adolphus, postquam se exauctoratum didicit, exercitum in inferiori Germania contraxit, quocum Rhenum ascendit, jun-

Sifridus Presbyt. Annal. Austriæ Stero in Annal. Albert. Argent. Trithem. Chron. Colmar. Paralip. Vrsberg.

Imperium Adolpho abrogatum transfertur ad Albertum Austriacum.

junctisq; sibi Palatini generi, & Ducis Bavariæ copijs, in Albertum movet. Concursum utrimque postridie Calend. Julij prope Gillenheim pagum in Wormatiensi agro. Adolphus pugnæ auctor monebatur, ardorem premeret, dum agmina ab Rheno inferiori accederent; at ille ratus se victoriam in manu habere, in Albertum, qui fugam hactenus simulârat, præceps ruit, ardenteque prælio per cuneos armatorum prorupit in conspectum Alberti. Ubi proximè stetit, Hic Alberte, clamitans inquit, imperium sub manu mea relinques. Ad quæ Albertus, id in potestate arbitri inter nos Dei erit; simulque Albertus mucronem stringens, qua galea patebat, per oculum Regis adegit. Ad quod vulnus cum equo prolapsus Rex à Comitibus silvestribus Alsatiæ levi insuper vulnere per jugulum accepto obtruncatur. Jam & magna pars exercitus Regis in fugam soluta erat, victor Albertus jubet suos à civili sanguine temperare, victisque parcere. Jacuit diu corpus Regis inter cadavera, atque ut Sifridus scribit, *Cecidit Adolphus non solùm gladijs vulneratus, sed et ungulis equorum conculcatus, et in proprio sanguine volutatus miserabiliter animam exhalavit.* Rex alioqui bellicosus, nec tam populo, quàm Principibus ingratus.

Adolphus in pugna contra Albertum perit.

Fertur Gerhardus Moguntinus Archiepiscopus, conspecto nudo corpore Regis, sorti ejus illacrymasse, dixisseque, *cor validissimum Germaniæ ereptum esse.* Captus Adolphi filius cum alijs in potestatem Alberti venit.

Partâ tam insigni victoriâ, Albertus convocatis Principibus Francofurtum regressus, ad firmam regni possessionem adeundam, quod prima electio, quæ vivo Adolpho Rege facta erat, nec vota ipsius, nec dignitatem expleret. Exinde Aquisgranum deductus, festo D. Bartholomæi die, solemni ritu à Wigboldo Colonienſi Archiepiscopo coronatur. Tanta eò hominum multitudo confluxerat, ut Ducis Saxoniæ filius, Alberti Regis sorore genitus, compressus occubuerit. Lustratis inferioris Germaniæ locis, Rex Coloniæ magno civium plausu exceptus est. Ibi Wigboldo Archiepiscopo V. Calend. Septembris confirmat omnes Ecclesiæ suæ possessiones & privilegia; cumprimisque telonia Andernacense, Bonnense & Novesiense perpetua donatione asserta, Berckense verò ad dies vitæ; quæ à Boëmundo Treverensi, Gerardo Moguntino Archiepiscopis, Rudolpho Palatino Rheni, Ottone Marchione Brandeburgico, Alberto Duce Saxoniæ, cæterisque præsentibus Episcopis & Principibus approbata & sigillis roborata sunt.

Albertus Aquisgrani coronatur. *Trithem. in Chron. Hirsau. Chron. Colm. Serrar. Geleu. tom 2. MSS.*

Coloniæ Ecclesiæ ejusdem privilegia confirmat.

Quo simul die aliis literis concedit Wigboldo Archiepiscopo primarias Cæsarum preces, ad sacerdotia in Canonicorum Collegijs cui vellet, impetranda. His concessis cùm præsules quidam Ecclesiarum refragarentur, rescripsit denuo Cæsar Norimbergâ 16 Calend. Decembris. Antiqua Cæsarum jura in his servanda.

MS. P. Mauritij de Büren.

Quippe

Quippe Rex compositis ad inferiorem Rhenum & per Westfaliam rebus publicis, Norimbergam profectus ad comitia Principum indicta; in quibus à Wigboldo Archiepiscopo Colonienſi Elizabetha Alberti conjux mense Novembri regia quoque corona decorata.

Rex licet in discessu ab Rheno omnia parata reliquisset; restabat tamen Cæsaris insula, quam Ludovicus Dynasta Sonnenbergius invito Rege tenebat; quare Wigboldo Colonienſi Archiepiscopo negotium datum vias obsidere, ne qua annona importetur, vetitumq; Trevirensi Archiepiscopo, ne Sonnenbergium castri Werdensis Castellanum faciat, eoque prætextu castrum insideat, Wigboldo verò Archiepiscopo, si ad deditionem compellat, pollicitus est se telonium illi, quoad vixerit, permissurum, detenturumque Joannem Burgravium, filium Sonnenbergij.

Adhæc octo marcarum millia, quarum singulæ 13 solidis & 4 denariis valeant, pro impensis inaugurationis suæ factis Archiepiscopo numeraturum. Demum Wigboldo oppidum Tremonienſe vicaria Regis potestate administrandum commisit; eòque consules, & cives ad jurandum Archiepiscopo fidem commoniti. Quemadmodum hæc omnia Regis literis 9. Calend. Octobris Rotenburgi datis consignata sunt. *Gelen. tom. 2. in SS.*

Haud dubium mihi fecero, quin Aquisgranum ad celeberrimam hanc coronationem Regis plerique Saxoniæ Episcopi, interq; hos Otto Episcopus noster cum suis Metropolitanis accesserint, Regemque Coloniæ salutârint, quæ scriptorum nostrorum socordia alto silentio premuntur.

Magno interim luctu amisit hoc anno Otto Episcopus noster Germanum suum fratrem Conradum Episcopum Osnabrugensem, virum, qui egregia cum laude per XXIII, seu, ut Ertwinus refert, XXVIII annos sacram illam præfecturam gessit, pacis & disciplinæ Ecclesiasticæ studiosissimus, eòque non minus sui desiderium, quàm famam virtutis reliquit posteris. Res ab eo gestas retulit paucis Ertwinus in chronico, & ex eo Crantzius. Tam grata Conradi Episcopi memoria fuit apud clerum, ut in ejus locum mox elegerint Ludovicum, Collegij ad S. Joannem in urbe Præpositum, Comitem Ravensbergensem, Ottone & Hadwige, sorore Conradi & Ottonis Episcopi nostri genitum. Recepitque Otto Episcopus noster in locum Conradi fratris hunc consanguineum Episcopum, virum pietate & religione integerrimum; quippe qui parentes habuit piissimos fundatores Collegij Bilfeldiensis, ut supra retulimus. Statura quidem corporis Ludovicus parva abjectaque, animo verò præcelso & interrito, quo non facilè Osnabrugensis Ecclesia propugnatorem libertatis suæ producit acriorem fortunatioremque, ut tempori memorabitur.

Conradi Ep. Osnab. Fratris Germani Ottonis Ep. Pad. obitus. *Ertwin. in chron. Osnab. Crantz. l. 8. Metrop. c. 28.*

Cui electione cleri succedit Ludovicus Ottonis consanguineus.

Annus Chriſti. 1299.

Bonifacij VIII Pont. 5.
Alberti Cæſaris 2.
Ottonis Ep. Pad. 22.

Stero in Annal. Hiſtor. Auſtral. Conventus Nurenberg. in quo Rudolphus Dux Auſtriæ dictus.

Fluctuante adhuc Imperio ad novi Regis ingreſſum, Albertus Nurenbergæ ſolemnem Principum coventum indixit; ad quem convenêre Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Saltzburgenſis Archiepiſcopi: Ratisbonenſis, Paſſavienſis, Friſingenſis, alijque quam plures Epiſcopi. Rex præterea Bohemiæ, Dux Bavariæ, Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Dux Carinthiæ, & ingens procerum ac nobilium multitudo; ijs in comitiis poſtquam Rudolphum filium Ducem Auſtriæ dixiſſet Rex, multis legibus proviſum eſt tranquillitati Imperij.

Gelen. in Archiep. Metrop. Eccleſ:

Bingam deinde venit Rex 10 Calend. Martij, ubi pro rogante Wigboldo Colonienſi Archiepiſcopo è tribunali pronunciavit, fœminis fas non eſſe ſuccedere in feudis ejus Eccleſiæ, niſi plena voluntas feudi Domini accederet.

Brovver. in Annal. Trevir. Hiſtor. Auſtral. Conventus Tullenſis, in quo Blanca Regis Galliarum ſoror Rudolpho denupta.

Celeberrimus poſt hæc ſub initium anni Principum conventus actus apud Tullum; ad quem Albertus Rex Romanorum cum Moguntino, Colonienſi & magno Principum comitatu; Philippus verò Pulcher Francorum Rex cum nobilitate regni ſui acceſſit. Eo in congreſſu Blanca ſoror Regis Franciæ denupta eſt Rudolpho Alberti Regis filio cum dote regni Arelatenſis, quod à morte Friderici II Galli occuparânt. Ea abalienatio regni ab Imperio, etſi à pleriſq; Principib⁹ in gratiam Alberti Regis probaretur; reſtitit tamen libera voce Wigbold⁹ Colonienſis Archiepiſcop, nec adduci potuit, ut ſigillo Colonenſis Eccleſiæ, ac Trevirenſis, cujus ipſe Coadjutor erat à Boëmundo adſcitus firmaretur. Tranſiit tum quidem Arelatenſe regnum in jus Francorum; retenta interim ſocietas cum Imperio ad Carolum IV Imperatorem. Quare hic Regum congreſſus, non tam ad nuptias, quàm ad fœdus componendum inſtitutus fuit, ſtabiliendumque ſe adverſus Pontificem, quem uterque Regum ſibi offenſum habebat. Et Pontifex, qui occiſo Adolpho Rege Albertum ad dicendam cauſam evocârat, Alberto poſt regnum confirmare detrectabat; quòd non probaret, Romanorum Regem ſine Romani Pontificis auctoritate dejici è throno & vita, & reponi alium. Quod autem ferant hunc Bonifacium VIII ſuperba voce dixiſſe, ſe Cæſarem ſimul & Pontificem eſſe, tam vulgi fabula fuit; quàm quòd Cœleſtinum Pontificem dolo circumventum Pontificatu exuerit. Ceterum juris ſacri peritiſſimus Pontifex, à quo ſextus Decretalium liber adjectus, quique magnis animis multa pro Repub. aggreſſus, quamvis eventu parum felici.

Odoricus in hiſtor. Eccl.

Hoc

Hoc interim anno post excessum Boëmundi Trevirensis Archiepiscopi subrogavit Pontifex Dietherum Nassovium, Adolphi Regis fratrem, ordinis Prædicatoris sacerdotem, & Theologiæ magistrum, rejecto Henrico Verneburgo Comite, quem clerus delegerat. *Trithem. Brouver.*

Westfaliam denuo hoc anno turbavit Everhardus Marcanus Comes, Episcoporum flagellum. Celebratis enim Hammonæ nuptiis Engelberti filii cum Mechtilde Joannis Areburgi filiâ, per Quadragesimam cum infesto exercitu Monasterienſem diœcesin ingressus, Everhardum Monasterienſem integerrimum Episcopum afflixit. Causa belli quæsita Marcano ex patrocinio Teclenburgici Comitis, cujus se tutorem jactitabat. Sed justior belli causa Monasterienſi erat, qui gravi injuria provocatus à Teclenburgico Comite. Quippe civium quorundam Monasterienſium seu dolo, seu conniventia, quòd altum illis hæreret obsidionis vulnus, intromissa fuit in urbem cohors Teclenburgici militis, quæ pridie D. Martini sub vesperum, quo tempore Saxones martinalibus epulis largius indulgere solent, in aulam Episcopi prorupit, cœsis ad primum ingressum janitore, coquo, obviisque Episcopi famulis; quo tumultu excitus Episcopus, in quem capiendum tota scena composita erat, ad vicinam aulæ portæque turrim se recepit, seris omnia retro diligenter obfirmans. Nam aula tum Episcopi ad influxum Alphæ fluvij eo loco erat, ex quo etiamnum area illa Episcopalis nomen retinet. Prædatorij milites, quòd expugnationem tempus non ferret, spoliata Episcopi domo cum præda se Teclenburgum proripuêre. Ob hanc injuriam Everhardus Episcopus Teclenburgico arma intulit, comitatumque suis deprædandum permisit. Quod cùm Marcano relatum esset, homini turbulento, & bella ex bello quærenti, collectis copiis, in Diœcesin Monasterienſem proruit, ferro flammaq; grassando. Perventum ad Dulmaniæ oppidum, cujus cives ne communi malo involuerentur, incendium Oppidi sui ingenti pecuniæ summa redemêre. Hermannus Ludinghusanus Dynasta, quo ejus armis hostes quoque suos ulciscerentur, castrum suum in visceribus Diœcesis aperuit, recepto Marcani præsidio. Nec alius fuit modus compescendi tumultuantem pro libidine Comitem, quàm pacis compositione, quæ per arbitros facta est, multumque in hanc rem contulêre Otto Paderbornensis, & Ludovicus Osnabrugensis Episcopi. *Levoldus.* Everardo Comes Marcano Westfaliam, & inprimis Diœcesin Monast. rurbat.

Per id tempus controversia etiam, quæ inter Ottonem Episcopum nostrum & Paderbornensem Magistratum ac cives agitabatur de judice & forensi judicio, per arbitros composita est, pronunciatumque munus urbici judicis esse feudum Paderbornensis Ecclesiæ, quod urbs beneficio Episcopi haberet. Ad hunc modum per arbitros Canonicos & nobiles viros emptio oppidi Brakelensis, bonorumque Componitur controversia de munere Judicis Paderb.

Et emptione oppidi Braculensis.

rumque ejus loci ab Episcopo facta certis legibus convenit, uti tabulæ Episcopi hac super re in natali Virginis confectæ monstrant.

Universis hoc scriptum visuris. Nos Otto Dei gratia Paderbornensis Episcopus notum facimus, et præsentibus literis protestamur, quod discretis viris H. Scholastico, E. de Hervordia, A. de Driburg, B. de sola domo Canonicis, O. dicto Crevet. W. de Brencken, C. et A. de Etlen militibus, J. de Driborg famulo, Ministerialibus Paderbornen. Ecclesiæ manualiter promisimus, eorum stare consiliis. Præterea de pecunia ad comparandum oppidum, et bona Bracle deputata, et de redditibus ipsorum bonorum nos nullatenus incommodemus, quousque tam oppidi, quam bonorum precium integraliter fuerit persolutum. In cujus rei testimonium eisdem nostris Consiliariis præsem scriptum dedimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum anno Domini MCCLXXXX *nono, Dominica die post nativitatem beatæ Mariæ Virginis.*

Parochia Nichemensis dividitur. alteraque in Pummessen constituitur.

Adhæc increscente per Diœcesin populi multitudine, Otto Episcopus Parochiam oppidi Nihemensis discrevit in duas, alteramque in Pummessen constituit, attributis ei vicis ac villis proximioribus, quo magis commoditati & saluti incolarum consultum esset; utrique suus animarum curator est impositus. Quod literis in oppido Nicheim festo Pentecostes consignatis perpetuum esse voluit.

Annus Christi 1300.

Bonifacij VIII Pont. 6.
Alberti Cæsaris 3.
Ottonis Episc. 23

Joann. Villan. l. 8. Anton. p. 3. Albert. Argent. Stero in annal.

Sæculi hujus fine Bonifacius Pontifex, terræ motu, qui universam Italiam concussit, aliisque simul imminentibus orbi clades permotus, avertendæ divinæ iræ annum sæcularem, quem jubilæum dicimus instituit, ac rite ædes D. Petri & Pauli adeuntibus delictorum omnium veniam indulsit. Incredibile quanta hominum multitudo Romam confluxerit, nulla fere dies, quo non Roma CC peregrinorum millia hospitio exceperit. Annum hunc sæcularem Pontifex perpetuum esse voluit; quem Clemens VI quinquagesimo deinceps anno, Sixtus IV quinto & vigesimo, contracta temporum periodo, celebrem Sanxêre.

Annus Jubilæi à Bonifacio institutus.

Annal. Colm. Trithem. in Chron. Hirsau. Levoldus.

Novo interim belli motu inferior Germania concuti cœpit. Extincto enim Joanne Hollandiæ Comite, quocum stirps virilis a Theodorico I Hollandiæ Comite deducta simul defecit, Albertus Cæsar cum exercitu Coloniam descendit, Hollandiæ comitatum, Jmperio caducum, aut sibi aut Jmperio asserturus. Jamque comitatu Moguntini, Colonienſis, Trevirensis Archiepiscoporum, multorumque Principum Neomagum devenerat; cùm Joannes Hannoniæ Comes, Adelheide filia Wilhelmi Cæsaris & Hollandiæ Comitis genitus, cum instructo exercitu ex adversa Wahalis ripa se ostentabat, Hollandiam sibi jure hereditario vendicando. Ac cùm per

Cæsar Hollandiam occupaturus à Comite Hannoдissidia

dissidia in suum caput conjuratum didicisset Cæsar, & rem præterea difficilis ancipitisque exitus videret, quòd Hollandi cum Hannonio conspirassent; Wigboldus Colonienſis Archiepiscopus, ut honori Cæsaris ac vitæ consuleret, arbitrum pacis se dedit, quæ his legibus conventa: Hannoniæ Comes fidem Cæsari juraret, & Hollandiam clientis beneficio possideret. Inde Cæsar cum exercitu in superiorem Germaniam regressus. nio impeditur.

Corbejenses nostri cùm per id tempus sollicitarentur exactionibus injuriisque aliorum, appellavêre ad Bonifacium Pontificem, à quo hoc anno suorum privilegiorum diploma impetravêre, quod tanquam scutum objecêre vexatoribus suis. Corbejenses suorum à Bonifacio privilegiorum confirmationem impetrant.

Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filij Abbati et conventui Monasterij Corbejensis, ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentis, ordinis S. Benedicti Paderbornensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est et honestum, tam rigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino Filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia vel alias indulgentias vobis et Monasterio vestro concessas, nec non libertates et exemptiones sæcularium exactionum à Regibus et Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis ac Monasterio prædicto indultas, sicut eas juste, et pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem Monasterio authoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Laterani, Id. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Memorabilis etiam hic annus sæcularis Paderbornensi diœcesi cœlesti crucis beneficio, cujus repertæ tenuia initia, sed magnis postea miraculis fulgida. Jerant è pago Hegensdorfio Dynastiæ Buranæ tres puellæ in agrum, collecturæ herbarum pabula pro pecoribus; eæ dum operi vacant, audiunt in loco, cui trunci nomen erat, divinum concentum; quo attonitæ circumspectantesque reperiunt miro fulgore coruscantem crucis effigiem in dumeto proximo, è serico filo suspensam, quam mox ad Ecclesiam suam deferunt; at cùm manè hæc crucis effigies non aspiceretur in Ecclesia, Parochus non minus sollicitus, ratusque majori veneratione inferendam in Ecclesiam, redit ad locum, ubi primùm crux hæserat; reperit istic, & solemni incolarum supplicatione ad Ecclesiam Hegensdorfianam reportat; inde mox multis miraculis clarior esse cœpit, populo longe latèque ad famam cœlestium beneficiorum affluente. Quæ postquam Paderbornæ audita, Canonici, ut hoc thesauro suam Ecclesiam decorarent *Ex Vrbi. Burano & vetustis docum. P. Mauritij.* Miraculosæ Crucis Hegensdorfiana repertæ initia.

rarent, in Cathedralem Basilicam transferunt. Ingratum hoc Deo fuit, qui simplicium cultu sæpe magis delectatur, & loca deligit, quibus coli vult. Quare, nullo hominum admovente manum, crux altera die Paderbornâ in Ecclesiam Hægensdorfianam relata constitit. Eò post majori hominum accessu, cœlesti miserorum ope, & donariis locus ob crucis venerationem frequentatus cultusque fuit; uti id vetustis Buranorum monumentis traditum accepimus.

Mors & gesta Everhardi Ep. Monast.

Sub exitum hujus anni abiit è mortalium vita Everhardus Monasterienſis Episcopus, octavo videlicet Decembris, quem diem fasti Monasterienses postridie Ambrosij consignant; ut falli dixeris Lovoldum, qui mortem ejus ad sequentem annum retulit; aut certè alius mensis obitus adsignandus erit, quando anno sequenti festo Philippi Successor electus, qui eodem anno, ut post referemus, cum Episcopo nostro emptionem castri Wevelsburgi transegit. Virum extra controversiam magnum appellat Crantzius, Everhardum, qui in rebus arduis utramque fortunam expertus, per xxv annos multa præclarè gessit pro Ecclesia sua. Nam præter bella, quæ necessitas imperavit cum urbe, cum Teclenburgensi & Marcano Comite, emptum ab eo Boeslariæ castrum præmunitumque, instaurata Sassenberga, acquisita pretio à familia Asbecensium nobilium judicium Alense, & Sandwel in Satrapia Horstmariensi; præterque multa prædia ære comparata, Wenterswich in Twentia pagum etiam non ignobilem emptum patrimonio Ecclesiæ suæ adjecit. Et, quod omnium operum ejus pulcherrimum, fuit disciplinæ Ecclesiasticæ in clero severus assertor; quam in rem annuas synodos nemo præsule diligentius celebrare visus. Extant multa ejus decreta. Inter quæ & illud reperio de ægris & morituris. *Præcipimus ut sumpta Eucharistia sacerdos habeat calicem paratum cum vino et aqua*, nempe ad ablutionem sumendam. Quo confirmari videas, quod antiquissimi moris fuit per Saxoniam, & Germaniæ provincias, Eucharistiam non nisi sub una specie ægris præbitam fuisse. Igitur postquam integerrimæ vitæ exemplum omnibus præceptionibus & laboribus addidisset, piè excessit. Corpus honorifico tumulo, quod in medio Cathedralis Ecclesiæ adhuc visitur, illatum, paucis extanta scriptorum desidia res ab eo gestas è priscis non nemo hoc rudi versu complexus

Castra, viros, jura, statuo, paro, prædia, rura.

A morte Everhardi magnum & longum satis inter Canonicos certamen de Successore subrogando; turbavitque eligentium animos Everhardus Marcanus Comes. Huic postquam Everhardi Episcopi mors renunciata est, cum magno militum & militarium virorum agmine Monasterium accessit; multumque coram laboravit pro Henrico à Wildenberg Werthinensi Abbate vacuæ Monasteriensi Cathedræ imponendo; qua tamen spe & labore frustratus est

quand

quando post longam disceptationem Canonicorum, omnium suffragiis conspirantibus, IV Calend. Maji Otto Comes Ritbergensis, ac Præpositus Paderbornensis Ecclesiæ, Ottonis Episcopi nostri ex fratre nepos, Monasterienſis Episcopus deligitur. Quanto Westfaliæ emolumento, & communi omnium gaudio hæc electio processit, quòd jam tres consanguinei Episcopi Otto Paderbornensis, Ludovicus Osnabrugensis, atque Otto Monasterienſis ex una animorum armorumque conspiratione aspicerentur; tantum dejecit, infregitque Marcanum Comitem juratum Episcoporum hostem, & depopulatorem Westfaliæ.

Cui electione Cleri successit Otto Ritberg. Præpositus Ecclesiæ Paderb.

Annus Christi. 1301.

Bonifacij VIII Pont. 7.
Alberti Reg. 4.
Ottonis Ep. Pad. 24.

Albertus Cæsar etsi anno superiori ab armis deterritus, altero tamen hoc anno tribus Electoribus Gerhardo Moguntino, Wigboldo Colonienſi, & Diethero Trevirensi bellum intulit; seu quòd hos fœderatos inter se formidabilesque sibi deprehendisset, seu quòd Pontifex literis ad tres hosce Electores in Aprili datis jussisset monere Albertum, ut Romæ se sisteret ad dicendam causam aditi Imperij. Ob id Archiepiscopi ausi consilia agitare de exauctorando Alberto; quibus ille succensus bellum acceleravit; quanquam alia causa belli prætexta, vafro, ut inquit Browerus, consilio ex teloniis, quæ Albertus ab Archiepiscopis repetebat, ut in ærarium publicum inferret. Ad quæ responsum ab Electoribus, telonia se antiquorum Cæsarum beneficio possidere, eò nec juri suo cedere velle; si quid verò controversiæ inter se & ipsum intercederet, id ad Palatini Rheni judicium primò deferendum esse. Non his acquievit Albertus Rex, scriptisque ad Pontificem literis accusat Archiepiscopos, intolerabili mercatorum & populorum onere intendi ab ijs vectigalia ad Rhenum. Inde confisus causa exercitum contrahit ex Austria, Suevia, Alsatia & Franconia; tractique ex inferiori Rheno in societatem belli per Marcanum, infestum Episcopis Comitem, Juliacensis, Ludovicus Aræbergæ, aliique Comites ac Dynastæ.

Sifridus Presbyt. Chron. Colm. Histor. Austral. Trithem. in chron. Hirsau. Brouver. in annal. Trevir. Levoldus. Albertus bellum infert Archiep. Electoribus.

Rex postquam ad Rhenum descendit, primùm Palatinum Archiepiscopis fœderatum aggressus est; qui terrore armorum victus Regis arbitrio se permisit. Inde vis belli versa in Moguntinum, expugnatoque ad VI Calend. Octobris Bingio munitissimo oppido, militum spoliis grassatum per Moguntinum agrum.

Moguntinus in has angustias conjectus, implorat opem Wigboldi Colonienſis Archiepiscopi, & ut coram de bello tractarent, evocat ad castrum quoddam; ubi dum ex fœdere de sociali bello adversus Regem tractatur, & inter epulas Colonienſis auxilia detre-

ctat, quòd Marcanum Weſtfalicum Ducatum, Juliacenſem verò Diœceſin trans Rhenum diceret invaſſiſſe, quibus hoſtibus ſibi primùm occurrendum eſſet; ita ſuccenſus eſt Moguntinus, ut Colonienſem decerneret captivum in caſtro detinendum. Id cùm amici indecorum & contra jura hoſpitis eſſe dicerent, liberum ab ſe dimiſit; nec multò poſt Moguntinus armis obrutus ſeſe ad Cæſaris voluntatem accommodavit.

Infeſtus iterum Weſtfaliæ Comes Marcanus.

Interea Marcanus per Weſtfaliæ ducatum erupit, captoque & diruto Rodenbergo caſtro, copias Juliacenſi jungit, fuſoque Archiepiſcopi milite Leggenichum expugnat. Pari clade Hunoldus Plettenbergius Archiepiſcopi Marſchallus è caſtro Hovenſtadienſi in Marchiam progreſſus, ab Hammonienſi Satrapa rejicitur. His malis preſſus Wigboldus Archiepiſcopus luctabatur cum ancipiti fortuna.

Et Pontifex poſtquam didicit vacillare Archiepiſcoporum potentiam, commutatâ conſiliorum ſcenâ, Albertum ex Cardinalium ſententia Cæſarem appellavit, pollicitus etiam, ſi Romam accederet, ſolemni ritu coronaturum.

Otto Ep. comparat Eccleſiæ ſuæ Caſtrum wevelsburg.

Meliori conſilio Weſtfaliæ Epiſcopi extra haſce turbas ſe continebant; magiſque Diœceſes ſuas parcimoniâ vitæ & œconomiæ ſtudio, quàm alij armis auxêre. Quos inter Otto Epiſcopus noſter caſtrum Wevelsburg cum ampla ſimul juriſdictione & poſſeſſione bonorum patrimonio Eccleſiæ ſuæ adjecit. Vetus caſtrum, quod ab Hunnis primùm præmunitum dicitur, multis exinde annis Comitum Arensbergenſium fuit poſſeſſio, à quibus ad Comites Waldecenſes transijt; ab his demum hoc anno certa pecuniæ ſumma emit Paderbornenſis Eccleſia, quam Otto Epiſcopus noſter numeravit & quia potentis Dynaſtæ manu ad ſervandum caſtrum opus erat, media pars caſtri Bartholdo nobili viro de Buren, clientelari beneficio data eſt. Id verò uti per Ottonem Monaſterienſem Epiſcopum, Ottonis Epiſcopi nepotem, & Simonem Comitem de Lippia transactum ſit, aſſerent hæ vetuſtatis tabulæ.

Nos Otto Dei gratia Monaſterienſis Eccleſiæ Electus et confirmatus, ac Simon nobilis Dominus de Lippia, univerſis præſentia viſuris et audituris cupimus eſſe notum, quod translato caſtro de Wevelsburg per noſtrum nobilem Comitem de Waldeck in Eccleſiam Paderbornenſem, de voluntate et conſenſu hæredum ſuorum, cum omni jure, quod idem Comes ſe habere dicebat in eodem, inter venerabilem Patrem D. Ottonem Paderbornenſem Epiſcopum nomine prædictæ Eccleſiæ ſuæ, et Bertholdum nobilem juniorem de Büren, per Nos de conſenſu parentum prædictorum talis eſt ordinatio inſtaurata, videlicet quod præfatus Bartholdus et ſui hæredes medietatem prædicti caſtri ab Epiſcopo Paderbornenſi qui nunc eſt, et pro tempore fuerit, nomine jam dictæ Eccleſiæ jure homagij recipient et perpetuo poſſidebunt; Præfatus etiam Bartholdus et ſui hæredes dictum caſtrum expenſis vigilum et cuſtodum portarum, unâ cum Epiſcopo et Eccleſia cuſtodient, et cuſtodiri æqualiter procurabunt,

bunt, æquali jure portarum clavibus utendo; Episcopus quoque prælibatæ Ecclesiæ ipsum Bartholdum et suos hæredes in omni jure eorum conservabit, et permittet eosdem in jure suo libere permanere; è converso Bartholdus et sui hæredes facient fidelitatem, et debita servitia Episcopo et Ecclesiæ supradictæ, prout de jure tenentur. In præmissorum testimonium, fidem et firmitatem sigilla nostra cum sigillo sæpedicti Bartholdi præsentibus duximus apponenda, et ego Bartholdus supradictus sigillum meum præsentibus apposui in testimonium præmissorum. Datum Anno Domini MCCCI. *Feria quarta post assumptionem Beatæ Mariæ.*

Per hæc pacis studia Comites quoque Pirmontani Hermannus & Hildeboldus fratres decimas Huxtarienſis Oppidi, remissâ lite, ultro cessêre Henrico Corbeiensi Abbati & Cœnobio, quod publicis quoque literis per Albertum Comitem Swalenbergensem ceteroſque nobiles pridie natalis Virginis transactum habemus.

Comites Pirmontani decimas Huxtarienſes cedunt Abbati Corbeiensi.

Annus Christi 1302.

Bonifacij VIII Pont. 8.
Alberti Cæsaris 5.
Ottonis Episc. 25.

Compresso Moguntino, & in gratiam recepto, Albertus Cæsar anno hoc exercitum duxit adversus Colonienſem Archiepiscopum, quem aliquanto acerbius aggressus, castris inter Bonnam & Coloniam ad Rodenkirckam explicatis; ubi cum Moguntino Archiepiscopo, cæteriſq; Principib9 & Episcopis hæsit ab exeunte Julio ad festum D. Martini; militi interim permissa libertas grassandi per totam Colonienſem diæcesin; creditique fuêre Colonienſes Cives Cæsarem adversus Archiepiscopum inflammasse. His calamitatibus adactus Archiepiscopus iniquis conditionibus componere cum Cæsare, telonia quædam remittere, oppidum Tolpiacum cum territorio dare in pignus Gerhardo Juliacensi Comiti, urbi Coloniensi privilegia, jura, & telonij immunitatem, uti Cæsar ea dictabat, conservare intacta. Quemadmodum hæc publicis tabulis consignata coram Moguntino Archiepiscopo, Emicone Frisingensi, Sifrido Citizensi, Episcopis: Theodorico Clivensi, Gerhardo Juliacensi, Eberhardo Catzenelenbogi Comitibus, cæteriſque proceribus Cæsari in castris præsentibus. Ad hunc quoque modum Trevirensem Archiepiscopum adorsus est; nam ut in Annalibus Colmariensium perscriptum est. *Albertus Rex Romanorum Trevirensem civitatem obsedit, Archiepiscopum oppugnavit, habuitque in exercitu suo quadraginta equos phaleratos, et hominum multitudinem infinitam.* Tribus igitur Archiepiscopis & Electoribus ad obsequium redactis, Rhenum navigiis & mercimoniis liberum fecit: palam etiam elocutus, se brevi in Hollandiam & Flandriam perventurum. Quanquam hic ille annus sit, quo Flandria de Gallia triumphavit: victus enim Francorum Rex à Flandriæ Comite prælio illo memorabili ad Corbacum, quo supra xx millia Francorum cæsa, ac flos nobilitatis amissa.

Albertus Argent. Annal. Colmar. Chron. Colmar. Gelenius in m. ſs. Levoldus Chron. Marcanum

Cæsar Colonienſem Archiep. ad pacem ineundam cogit.

Castrum Engeren ab Ottone Ep. & aliis oppugnatur.

At neque hoc anno Westfalia inter Teutonicos montes extra bella fuit. Nam castrum Engeren, vetustissima Widekindi sedes, quod ad eum diem præmunitum constitit, ab Episcopo nostro, Ludovico Osnabrugensi, & Rudolpho Mindensi Episcopis, simulque à Comite Ravensbergensi junctis armis obsessum. Extant enim apud nos hac super re antiquitatis literæ hoc anno consignatæ, quibus Otto Episcopus noster Comiti Ravensbergensi affini suo partem captivorum civium Hervordensium donat.

Ertwinus in chron. Crantz. l. 8. Metrop. c. 52. Piderittius in chron. Lipp. 2. p. Gen. 5.

Hæc nimirum expugnatio castri Angerani, quam in Ludovico suo Episcopo celebrat Ertwinus. Id quia Simon Comes Lippiensis insidebat, multisque ex eo prædiis & injuriis infestus erat vicinis, conspiravêre tres illi Episcopi cum Ravensbergensi Comite, captusque Simon Lippiensis Comes (seu in alio prælij congressu) tractusque Ludovico Episcopo Osnabrugum, & in castrum Buckium conjectus nec prius è carcere solutus, quàm cum filio Bernardo Præposito Paderbornensis Ecclesiæ juraret, castri Engerani eversionem. Rhedæ quoque arcem, ex qua Widenbrugenses divexabat, intra quindecim dies nudaret munimentis suis, nullumque exinde castrum Episcoporum locis finitimum muniret; demum pro illatis damnis 4000 marcarum penderet. Vades hujus rei fuêre Otto Teclenburgicus, Joannes Benthemij, Albertus Swalenbergæ Comites: Balduinus de Steinfurdia, & Otto de Ahus nobiles: Burchardus de Stromberg, Bernardus de Beveren, Gotschalcus Ducker, Dethmarus Retberg, Wulfhardus de Malgarda, Fridericus de Hoerde, milites. Transactio hæc refert Ertwinus anno demum 1305, quo tempore primùm è captivitate laxatus fuerit; ita antiquissimum illud celeberrimi Widekindi castrum Angeranum, uti nunc è ruderibus suis adhuc conspicitur, solo æquatum.

Otto præterea Episcopus noster, qui nihil impensius habuit, quàm cum vicinis bonam amicitiam colere, firmareque diœcesin adversus incursiones, pactus cum Alberto Swalenbergensi Comite ac filio ejus Henrico præmunire castrum Abbenhusen, convenitque viginti utriusq; partis militibus firmare adversus omnes circum hostes; qua tamen lege excepti Otto Monasterienſis Episcopus, & Waldecensis Comes, quod his literis conventum.

Convenit inter Ottonem Ep. & Comitem Swalenberg. de castro Abbenhusen.

Nos Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus, Albertus Comes de Svvalenberg, ac Henricus filius ejus, nec non veri hæredes eorundem recognoscimus, ac tenore præsentium publice presentamus, quod in loco sive fundo nostro Abbenhusen castrum et oppidum edificabimus conjunctim, et equalibus expensis illud similiter firmando perseveranter, prout nobis et Ecclesiæ Paderbornensi melius et utilius videbitur. Nec aliquis nostrum alium in bonis, jurisdictionibus, juribus, vel aliis quibuscunq; artabit, vel impediet quoquo modo. Item nobis ad invicem et vicissim contra quoslibet nostros adversarios et injuriatores prestabimus mutuum auxilium et juvamen. Venerabili tamen

bili tamen Domino Monasterienſis Ecclesiæ Episcopo pro parte nostri Episcopi Paderbornensis, et nobili viro Ottone Comite de Waldecke pro parte nostri Comitum de Swalenberg prædictorum exemptis et exclusis. Præterea viginti milites et famulos ex utraque parte statuemus, qui custodiant Castrensem, que Burchhode dicitur, promittent hinc inde firmiter observari. Si vero aliquis istorum decesserit, alius substituetur loco sui. Insuper si aliqua controversia inter nos, Episcopum prædictum, Successores nostros, vel Ecclesiam Paderbornensem, ac nos Comites prædictos de Swalenberg, vel heredes nostros contingeret, quod absit suboriri, predictum castrum et oppidum, et in eis habitantes nobis eque communes erunt, nec alicui nostrum plus debito et consueto specialiter adhærebunt. Hæc omnia et singula promittimus nos Episcopus Paderbornensis predictus pro nobis et Ecclesia nostra sub sigillis nostro et Ecclesiæ. Et nos Comites sæpedicti pro nobis et heredibus nostris sub nostris sigillis facere, et inviolabiliter observare. Datum in die beati Clementis. Anno Domini millesimo trecentesimo secundo.

Otto Ep. defensionem Cœnobii Bredelariensis suscipit.

Warburgum interim Otto Episcopus noster profectus, festum Pentecostes ea in urbe egit; ubi in pervigilio ejus festi, renovato Alexandri IV Pontificis diplomate, defensionem Bredelariensis Cœnobij, diœcesis nostræ, ferventi animo suscepit: pœnasque anathematis distrinxit in eos, quotquot religiosos ejus Cœnobij aut spoliis, aut aliis injuriis hactenus inquietè tractarint; ac nisi intra certum tempus cum Cœnobio ex æquo componant, jubet extinctis luminibus per vicinas Ecclesias nominatim denunciari. Quæ tum pœnæ sacræ, vigente Ecclesiæ disciplinâ, plus quam arma adversus rebelles valebant. Quam in rem proderit ipsius Ottonis Episcopi literas, quibus Pontificis diploma includitur proferre.

Nos Otto Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Notum facimus ac tenore præsentium publicè protestamur, quod literas sanctissimi Patris ac Domini Alexandri quarti summi Pontificis vidimus sub vero stylo, filo, et bulla non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte vitiatas, et eas reverenter accepimus sub hac forma. Alexander Episcopus Servus servorum Dei venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Moguntinensi, et ejus suffraganeis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum Prælatis per Moguntinam provinciam constitutis salutem et Apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus Ecclesiastica censura dissolvitur, et Canonicæ sententiæ severitatis vis enervatur, ut viri religiosi, et hi maximè, qui per sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim à malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem Dilecti filii, Abbas, et fratres Monasterij de Bredelare Cistertiensis ordinis Paderbornensis diœcesis tam desrequentibus injuriis, quam de ipso cotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram literis petierunt

runt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris, vestro possint præsidio respirare. Ideoq; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum fratrum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relicta sunt, seu in ipsos fratres vel ipsorum aliquem contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante concilium generale, ante quod susceperint, ejusdem ordinis instituta, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentis animalium suorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere monitione præmissa, si laici sunt publice candelis accensis singulis in Diœcesibus et Ecclesiis nostris excommunicationis sententia percellantur: Si vero Clerici vel Canonici regulares seu Monachi sunt, eos appellatione remota ab officio vel beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam Laici, quam Clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione in fratres eosdem vel ipsorum aliquem anathematis vinculo sunt innodati, cum Diœcesani Episcopi literis ad sedem Apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Laterani VIII Calend Martij, Pontificatus nostri anno septimo.

Hujus igitur auctoritate mandati amonemus universos ac singulos nostræ Diœcesis, cujuscunque conditionis vel status existant, ut taliter cum prædictis viris religiosis nobis in Christo dilectis componant, si quicquam disponere habuerint cum eisdem, ne contra eos virtute præsentium literarum procedere compellantur. Datum Warberg in vigilia Pentecostes. Anno Domini Millesimo CCC secundo.

Annus Christi 1303.

Bonifacij VIII Pont. 9.
Alberti Cæsaris 6.
Ottonis Ep. Paderb. 26.

Siffridus Presbyt. Annal. Colmar. Albert. Argent. Cæsar movet contra Wenceslaum Regem Bohemiæ.

Cæsar sub initium hujus anni Thuringiam ingressus, Merseburgi Principum conventum festo S. Sebastiani indixerat. Quo dum magno procerum comitatu accinctus iter intendit, bello, quod Wenceslaus Rex Bohemiæ commoverat, revocatur. Belli quidem hujus causa levis ob fodinas auri argentique indicio monstratas magis quàm repertas: sed magnis utrimque animis magnoque apparatu ad arma processum. Auctor est Sifridus presbyter, Bohemiæ Regem ad id bellum inflammatum esse à tribus Electoribus, Moguntino, Colonienſi, & Trevirenſi adversus Cæsarem; ac Moguntinum palam jactitasse, se plures adhuc Cæsares in sua pera habere; tanquam Alberto haud secus, quàm Adolpho Regi exauctorationem minitari ausus, & Wenceslaum Regem Bohemiæ vellet subrogare

Cæsarem

Cæsarem. Ita urebat prioris anni castigatio Archiepiscopos. At Cæsar his contemptis cum valido exercitu intravit Bohemiam; quanquam non alio operæ pretio, quàm quòd per aliquot hebdomadas agros vastando percurrerit; cùmque Wenceslaus Rex militem suum intra oppida, & castra contineret, nec prælij copiam faceret, bellum id altero anno casso quoque eventu repetitum.

Comes Marcan⁹ Archiep. Colon. terras infestat.

Inter hæc Westfaliam rursus turbabat Everhardus Marcanus Comes; tractoque in societatem armorum Ottone Monasterienſi Episcopo, primò Hermannum Bredevordæ Dynastam, Wigboldi Colonienſis Archiepiscopi affinem, adoritur; expugnatáque Bredevordâ, munitissimo inter paludes castro, tam suo, quàm Episcopi præsidio firmat. Indignè id tulit Wigboldus Archiepiscopus, contractisque copiis Dorstenam usque processerat, affini opem laturus; cùm Bredevordam captam, Comitemque cum Monasterienſi Episcopo in acie se ostentantem intelligit; pactus ergo in ducias ab armis recessit. Hæc fine superioris anni agebantur; cùm Marcanus rursum media hieme prosilit ad arma. Archiepiscopus, ut furibundum hunc hominem tandem compesceret, Susatum cum copiis suis intrat, ex metropoli Westfaliæ & meditullio Marchiæ bellum omnibus viribus gesturus. Ea in urbe dum Landgravij Hassiæ & Henrici Comitis Nassaviæ, quos una cum civibus Susatenſibus in societatem armorum sibi junxerat, auxilia exspectat, Marcanus congregato veteranorum suorum militum exercitu, castra Bodericæ metatus est. Inde in conspectum urbis Susatenſis progressus, Archiepiscopo insultat. Is, quia viribus impar, intra mœnia se continuit. Marcanus & moræ impatiens, & pressus inopia stipendiorum, quæ miles flagitabat, exustis circum villis, dissolutum exercitum in oppida & castra reduxit. Quo comperto, Archiepiscopus Hovestadium recipit, instauratque. Paribus inde armis mutuisque deprædationibus decertatum; quibus cum Unna ad Luppiam multæque Marcani villæ flammis absumerentur, nec alius quàm alternorum spoliorum fructus esset, Marcanus se ad inducias deduci passus est.

Wigboldi Archiep. Colon. pia mors.

Bellum hoc mors Wigboldi Archiepiscopi mox abrupit; cœpit enim integerrimus præsul per ultimos Quadragesimæ dies fatali morbo urgeri in mortem, quo in pervigilio Paschæ etiam absumpta est vita. Ac memorabile de illo fuit, quod cùm sæpius extremis vitæ diebus noxas conscientiæ expiaret confessione, cœlestique Eucharistiæ cibo reficeretur, moneretur que á sacerdote, qui illi à confessionibus aderat, non illa sacramentorum frequentia opus esse. Sinite, inquit, me hoc viatico pascere animam, quo facilior mihi securiorque ad immortalem vitam aditus paratur. Hac cœlestium meditatione, his pietatis operibus compositus in mortem sanctissimè excessit Susati, humatus in Basilica S. Patrocli. Præsul integritate vitæ, doctrina, prudentia, ac fervore religionis egregius, gesto in quintum

annum

annum Archiepiscopi munere. Extant præclaræ ejus constitutiones ad cleri populique mores formandos inter synodorum Coloniensium statuta; interque cetera, ne quis plura Sacerdotia pluresque præter unam dignitates sine singulari Pontificis indulgentia possideat. Bella quæ gessit, defensionis & necessitatis fuêre viro, qui ex toga, si temporum iniquitas ferre potuisset, quâm ex sago Archiepiscopum agerer maluisset.

Otto Ep. Monast. Statlonam capit.

Per id tempus Otto Monasterienſis Episcopus infestum diœcesi suæ Dynastam Hermannum Lonensem aggressus, Statlonam ejus oppidum arcemque longa obsidione fatigavit; id quod proditione mulieris, quæ ex oppido profuga ab annonæ angustias detexit, expugnatum refertur.

Decimas in Ilstendorp permittit Otto Ep. transscribi Cœnobio Marienfeldensi.

Diversis interim studiis Otto Episcopus noster amplos decimarum reditus, quos in pago Ilstendorp prope Lemgoviam olim LX marcis ab Episcopo Paderbornensi emptos Bernardus de Brackele & Burchardus de Assenborg milites possidebant, libere permisit Cœnobio Marienfeldensi venditione transscribi, remisso jure proprietatis, quod in eas decimas habebat Episcopus. Id quia consensu Capituli factum, adscripti etiam testes, *Henricus Decanus, Bertholdus Præpositus S. Andreæ ad orientem, Georgius Thesaurarius, Heydenricus Cantor, Ludolphus Marschallus, Wilbrandus de Buren Canonici, cœterique è nobilitate. Actum Paderbornæ Anno MCCCIII pridie Catharinæ Virginis.* Videas hic rursum ex Carolinis hujus Ecclesiæ decimis, tanquam ex sacro quodam thesauro, Monasteriorum donationes fieri, primumq; illud Caroli M. patrimonium, quod in decimis potissimum constituerat; distrahi magis quàm ad matricem Ecclesiam repeti quas nobiles passim aut pignore aut clientum beneficio possidebant; omninoque mihi persuaserim, vetera monumenta perscrutans, omnes passim jumentorum, & frugum decimas per Saxoniam Caroli M. dono Episcoporum fuisse, quæ tanta prodigalitate Episcoporum ad Laicos pervenêre.

Annus Christi 1304.

Benedicti IX Pont 1.
Alberti Cæsaris 7
Ottonis Ep. Paderb. 27.

Gelen. in farca. l. 1. pag. 48.

Hæsit à morte Wigboldi Archiepiscopi suspensa Westfalia; cujus obitum Crumbachius ad superiorem annum, uti & Levoldus visus est scribere; Gelenius ad annum 1306 retulit. Ego cum Siffridum presbyterum inspicerem, reperi mortem ejus ad annum 1305 referri, conjungique cum morte Gerhardi Moguntini Archiepiscopi quem eodem simul anno objisse memorat: at cùm Moguntinus teste Trithemio, Serrario, aliisque, hoc anno excesserit è vita, eodem Colonienſis mortem referendam opinor. Quoquo tandem anno excess-

excesserit, mortem ejus haud leve dissidium excepit; quando ab aliis Canonicis Henricus Virneburgicus majoris Ecclesiæ Colonienſis Præpositus: ab aliis Bernardus Westerbergius, Sifridi Archiepiscopi frater, Bonnensis Præpositus electus; ab aliis verò Wilhelmus Juliacensis Comes, Præpositus Trajectensis Ecclesiæ postulatus. Hi cùm pari jure inter se disceptarent, res ad Benedictum XI Pontificem, qui superiori anno Bonifacio successerat, delata est, ab eoque Juliacensis, odio Regis Galliæ, adversus quem cum Flandris Dux militiæ pugnabat, Archiepiscopus nominatus fertur; quanquam brevi ejus dignitatis usura. Quippe haud multò post in prælio Pabulano cœsus à Gallis occubuit, dignâ Clericorum militantium pœnâ; eòq; nec in fastis inter Archiepiscopos numeratus. Vacua interim per unum & triginta menses sede, demum Clemente V Pontifice, Henricus Virneburgicus renunciatus Archiepiscopus.

Mortem Wigboldi Archiep. Colon excipiunt dissidia in electione successoris. *Levoldus in chron. Chron. Colon. Chron. M. Belgij. Meierus Lib. 10. Annal. Fland.*

Certior Gerardi Moguntini Archiepiscopi ac Metropolitani nostri obitus ex hoc anno traditur, quem in sella conclavis sui sedentem mors V Calend. Martij oppressit, præsulem ingentis animi, qui plura turbulentius quàm felicius molitus, sagum militare ante togam habuit; ideo nec ullum vestigium rerum sacrarum in hac provinciali ejus diœcesi ab eo relictum reperio. Nec magna cum illo Ottonis Episcopi nostri familiaritas, viri, qui ex dispari ingenio & publicæ quietis amans, & sacris potissimum curandis vitam impendit,

Gerhardi Archiep. Mogunt. Subitaneus, Obitus. *Trithem. in chron. Hirsaug. Serrar. Chron. Mogunt. Bruschius.*

Annus Christi 1305.

Clementis V Pont. 1.
Alberti Cæsaris 8.
Ottonis Ep. Pad. 28.

Annus dehinc, qui consequitur quintus hujus seculi, mortuo Benedicto IX, novum Pontificem dedit Clementum V pridie Pentecostes electum, natione Gallum; qui ex Burdegalensi Archiepiscopo ad Apostolicam cathedram provectus, eam Româ primùm Avennionem in Franciam transtulit, ubi annis hæsit amplius 70 non sine offensa Numinis, & magno Italiæ incommodo.

Stero Henricus Rebdorf. Trithem.

Ab hoc Pontifice duo Archiepiscopi dati, Colonienſibus Henricus Virneburgius, rejecto Reinhardo Westenburgio; Moguntinis Petrus Aichtzpelleus in Trevitis ortus, idemque Basileensis Episcopus; quem cùm Henricus Lutzenburgicus Comes ad Clementem Pontificem misisset, sollicitatum pro Balduino fratre in sede Moguntina collocanda, Pontifex Petrum Moguntinum Archiepiscopum renunciavit; multumque ad hoc valuit, quod Pontificem tum gravi morbo decumbentem, ut medicæ artis peritus erat, valetudini restituisset. Hic igitur Metropolitanus noster multò prudentius ac moderatius quàm superiòr, Archiepiscopatum per XV annos administravit; *erat enim vir doctus ac magnificus.*

Henricus Virneburgius Ecclesiæ Colon. & Petrus Aichtzpalt Moguntinæ Antistites à Clemente Pont. dati.

ficus, ut Trithemius inquit, *et Pontificatu illo dignus, qui multa utiliter per synodos ad Cleri populique disciplinam instaurandam constituit.*

Nova inter Ep. Monast. & Comitem Marcanum discordia & pugna.

Publicis licet à bellis quiesceret Germania, non defuêre tamen privata inter Westfalos. Otto enim Monasterienſis Episcopus, incertum ex qua causa, Comitis Marcani militem ex castro Bredevordia, quod partito inter ipsos præsidio insessum diximus, ejecit. Quo excitus Marcanus, arma diœcesi Monasterienſi intulit, Dulmaniamq; subegit; contra Episcopus castrum Rickelsmulam ad confinia Marchiæ copiis novis construxit, ex eoq; multum infestavit Marcanum. Non tulit id Marcanus; castrum obsidione incingit; ad quam solvendam dum Otto occurrit, peditatu segnius consequente, Marcanus se abjecit ad conflictum. Stabat utrimque acies modicè fossâ dirempta, cùm per arbitros in certas pacis leges conventum, quibus Dulmania reddita Episcopo, Bredevordia cessit Marcano, & castrum novum imperatum destrui, ut magnificè pro suo Marcano Levoldus. At si Monasterienſium fastos consulas, Ottonem illi multis victoriis contra Marcanum celebrem memorant, à quo ferox tandem Comes fractus armis, jussusque victi instar feuda ab Episcopo recognoscere, & clientem D. Pauli se profiteri.

Beneficentia Ottonis Ep. & Comitum de Everstein in Cœnobium Gerdense

Otto Episcopus Paderbornensis, quòd videret ex senio vitam suam ad ultimam sensim lineam decurrere, nihil consultiùs habuit, quàm piis largitionibus in egenos & religiosos collatis sibi Deum benigniorem reddere. Quam in rem cùm alia ex hoc anno sinteſtigia ex antiquitatum literis, tum maximè Gerdensi Virginum Cœnobio ex consensu Capituli ampla fructuum dona fecit, simulque Parochiam Dalhusanam inter Borcholt & Beverungen cum proventibus & oblationibus transtulit ad Præpositum Gerdensium Virginum, quod sibi persuasum haberet, curam animarum impensius religiosis illis viris tractandam, quàm hactenus observatum fuerat.

Accessêre ad hanc Episcopi liberalitatem Otto Comes de Everstein, ejusque fratres Ludovicus & Fridericus, ipsamq; villam Dalhusanam cum aquis, pascuis, campis & nemoribus Ecclesiæ Gerdensi donavêre, amore, ut inquiunt, Dei, venerabilisque Matris suæ Mariæ; quemadmodum hæ donationis literæ V. Julij, Anno MCCCV, multis testibus consignatæ sunt in Pollis ad Visurgim, ubi Everstenio-rum Comitum sedes memoratur.

Annus Christi 1306.

Clementis V Pont. 2.
Alberti Cæsaris 9.
Ottonis Episc. 29.

Sifridus Presbyt. Albertus Argent.

Fruebatur adhuc Germania tranquillitate suâ, Alberto Cæsare jam in nonum annum imperante; cui & hoc anno ex morte Wenceslai III Regis Bohemiæ oblata opportunitas filium suum evehendi

ad solium regni ejus. Quippe cùm Wenceslaum regium juvenem & nondum coronatum Bohemi quidam nobiles perfidè interemissent, Cæsar cùm pro auctoritate sua ac veteri jure sibi vendicaret Reges Bohemiæ dare, valido cum exercitu intravit Bohemiam, filiumque Rudolphum Ducem Austriæ, data ei in uxorem Wenceslai vidua, Regem Bohemiæ renunciavit; itàque, ut Sifridus presbyter scribit, regnum Bohemiæ ad Teutonicos translatum est. Quanquam, ut Albertus Argentinensis retulit, Cæsar Bohemorum conspiratione prohibitus sit, quòd juniori filiæ Wenceslai regnum deberi dicerent: & Cæsar quo minus filium suum postea introduceret, sua quoque funesta morte, quæ anno proximo secuta est, præreptus fuerit.

Cæsar filium suum Rudolphum Bohemis regem dat.

Fluctuabat inter hæc Westfalia suis intestinis motibus; magnamque servandæ quietis spem afferre visus Henricus Virneburgius Colonensis Archiepiscopus; qui postquam à Pontifice donatus pallio redierat ex Gallia in diœcesin suam, nihil antiquius habuit, quàm Ecclesiæ disciplinam per bella collapsam restituere. Quam in rem provincialium suorum Episcoporum synodum Coloniæ habuit in Quadragesima. Multa sunt in ea salutaribus legibus sancita, quæ Colonienſium monumenta exhibent. Convocatâ deinde nobilitate & clientibus suis, quos inter & Marcanus affuit, cœpit de castris, & Ecclesiæ bonis repetendis pertractare. Horum ope adjutus Lidbergam aliaque munitiora loca, quæ Ludolphus Dickius Canonicus ac præfectus occupârat, Ecclesiæ asseruit; ac tanquam majora etiam machinatus ex fago, antiquum cum Joanne Duce Brabantiæ, Juliacensi, Marcano, ceterisque Comitibus fœdus renovat.

Chron. Colon. Levoldus. Archiepiscopi Colon. studium pro bonis Ecclesiæ suæ repetendis.

Quæ dum magnis consiliis agitantur per Colonienſem Archiepiscopum, ingentibus turbis involvitur Otto Monasterienſis Episcopus, Ritbergensis Comes, magno Ottonis Episcopi nostri ac patrui dolore. Administrârat jam in sextum annum Otto Monasteriensem Ecclesiam, prospero omnium rerum successu; eòque majoribus animis integerrimus præsul cœpit non modo corruptos cleri mores corrigere, sed & multa à Monasterienſi civitate repetere, quæ Everhardus antecessor Episcopus, magno Ecclesiæ suæ præjudicio, coactus permiserat. Quæ res quantam illi apud bonos laudem, tantam apud malos peperit invidiam atque odium. Latuit hic ignis aliquamdiu sub cineribus: mox levi motu concussus cum flamma erupit. Petebat Episcopus sacerdotium clerico suo à Canonicis principis Ecclesiæ; id cùm illi ad Episcopi preces negarent, dedêre proconsulis Rickij filio, juveni indigno. Obstitit Episcopus; qua opportunitate Canonici tanqua m filij civium contemnerentur ab Episcopo, magistratum & cives concitant adversus Episcopum. Non his dejectus Episcopus synodum cleri cogit, in eaque multa cleri vitia perstringit, multaque sanxit adversus eos, qui aut per corruptelas ingressi essent sacerdotium, aut plura præter unum possiderent,

Otto Ep. Monast. à suis Episcopatu ejicitur.

rent. Quibus illi magis offensi abeunt in factiones, multa criminando adversus Episcopum; quippe qui monetam adulterârit, diœcesin & clerum perturbârit, cives oppresserit, qualia concitati semel animi in pejus exaggerare solent; tantumque prævaluit malevolorum factio, & cœcus impetus, ut per summam audaciam Ottoni Episcopatum derogaret, & Conradum Comitem de Monte obtruderet; tanquam accusatores simul judices sui Episcopi dati essent. Appellabat ex præpostero hoc agendi modo Otto ad Henricum Virneburgicum, Colonienſem Archiepiscopum ac Metropolitanum suum; at ille, ut Levoldus etiam scribit, electionem Conradi Comitis probavit; seu quod Ottoni offensus ex bello, quod cum Marcano adversus Wigboldum Archiepiscopum gesserat; seu quòd causam sui Præpositi patrocinijs magis, quàm justitiæ amore susceperet. His malis circumventus Otto, cùm se à Canonicis suis contra omnia jura humana & divina loco motum, nec à Colonienſi Metropoli auditum, nec ullius criminis convictum rejici videret, ad Pontificem appellat. Sed diu deliberatum, utrumne ipse coram, an per Legatos in Galliam missos causam suam ageret apud Pontificem? amicorum hoc consilium erat, maneret in diœcesi, & armis se tueretur, ne per absentiam ejus æmulus introduceretur Comes Montium. Quorum neglecto consilio, Otto Episcopus iter ingressus, Pictavium se ad Clementem Pontificem contulit. Tum verò exultare Canonici, ex omnibus pulpitis Ecclesiæ conficta in Episcopum crimina promulgare, Nobilitatem trahere in partes Conradi Montium Comitis. Quo classico excitatus Marcanus Comes, Conradum montium Comitem ac pseudoëpiscopum armata manu in diœcesin Monasterienſem introduxit. Hujus viribus Conradus subnixus loca, quæ Ottoni studebant, ad deditionem compellere: quotquot Ottonianarum partium erant, aut Clerici aut Laici, diris modis exagitare: honoribus, muniis, & fortunis exuere; inde tanquam verus Episcopus circumductus per Oppida & Castella, singulis privilegia & libertatem, quantum vellent, aut optarent, consignatis literis impertiri, nihil jura Cæsaris, nihil Canonum leges, & statuta patriæ, nihil diœcesis damna pensi habendo.

Confugit ad Clementem Pont. in Gallias

At Pontifex, audito coram Ottone Episcopo, citatisque adversariis, post causam maturo Cardinalium consilio discussam, Ottonem Episcopum innocentem pronunciavit. Hunc quia contra omnia jura exauctorassent, anathematis sententia perstrinxit Monasterienses Canonicos, qua jussi sunt Episcopum suum recipere, damna sarcire, & quotquot vel ex Clericis, vel Episcopi ministris & præfectis in hoc facinus consilia & operam contulissent, ab omnibus dignitatibus, beneficiis, ac publicis muneribꝰ in tertiam progeniem prohiberi, ni suo decreto morem gerant. Hanc æquam Pontificis sententiam Levoldus Vechtensis Pastor, qui ab adversariis ejectus,

A quo in sedem suam jubetur reponi, & Canonici aliique Anathematis vinculo innodantur.

Ottonem

Ottonemque suum Episcopum in Gallias secutus fuerat, in Germaniam retulit. Et quia veritus Monasterienſem diœcesin intrare, Paderbornam concessit, ubi diploma Pontificis primùm solemni ritu vulgatum, & ad publicos Ecclesiarum aditus suspensum fuit. Quæ res postquam Monasterienſibus Canonicis innotuit, haud leviter perculsi Pontificis fulmine, ad saniora consilia redîre: missique sunt à Canonicis certi homines in Galliam, qui Ottonem Episcopum demulcerent, atque ad reditum in diœcesin invitarent. At ille, dum ad iter se parat, Pictavij in Galliis, tertio exilij sui anno, Christi videlicet 1308 festo D. Galli moritur, ubi in templo Prædicatorum honorifico tumulo illatus quiescit. *At moritur in Galliis Otto Ep.*

Otto Episcopus cùm veneno, Alexandri coci sui perfidia præbito, extinctus creditus fuit: tum his calamitatibus à Deo punitus videri poterat, quòd arma cum Marcano junxerit, quibus Wigboldum Colonienſem Archiepiscopum oppugnârat: quodque Dynastam Lonensem arce & oppido, omnibusq; bonis exuerat; tametsi has inter turbas, Statlonâ expulsis Monasterienſibus, à Leonensi recepta, quam postea Dynasta unâ cum Bredevordiæ castro Ludovico Hassiæ Landgravio Ottonis Successori vendidit, eòque ad id pronior fuit, quòd prole mascula orbatus, duas tantummodo filias reliquerit, quarum altera nobili Wulfio, altera Iamberto à Langen denupta. *Justè fortassis à Deo punitus.*

Otto verò Episcopus noster, qui per id tempus multum laboravit cum Ludovico Osnabrugensi Epscopo pro Monasterienſi suo consanguineo restituendo, piis, ut priori anno cœperat, studiis intentus, decimas Entorfianas, quas Henricus Comes de Sterneberg feudi beneficio habebat ab Episcopis Paderbornensibus, utroque Abbati & Cœnobio Mariæ campi dederat, sua quoque liberalitate ratas habet; id quod hoc anno Mccevi Nichusij, Sabbatho post festum Paschæ transactum est. *Otto Ep. Paderb. donationem decimarum Entorfianarum Marienfeldensibus factam comprobat.*

Tam præterea constans inter Ottonem Episcopum nostrum, & Henricum Hassiæ Landgravium, filiumque ejus Joannem amicitia fuit, ut hoc anno convenerint in emptionem Dynastiæ Schonenbergensis, quam Conradus Schonenbergius utrique cum arcibus, oppidis, nemore Reinerswaldio, cæterisq;, agris, villis, & prædiis vendidit summa pecuniæ, sicuti ab utroque collata est. Ita altera pars Dynastiæ cessit Landgravio & heredibus ejus (quam tamen feudi beneficio ab Episcopo Paderbornensi caperent) altera Episcopo, & Paderbornensi Ecclesiæ integra permissa. Quemadmodum id in castro ejus Dynastiæ Dreideneborgo festo D. Bartholomæi transactum, & publicis tabulis consignatum est. Quo haud leviter patrimonium Ecclesiæ Paderbornensis Ottonis industria auctum est. Tantæ fuit auctoritatis per id tempus Otto Episcopus apud Landgravium & vicinos Principes: quem Corbeienses & Huxtaria oppidum sibi, dum viveret, Tutorem deligere consultum habuerant. Ege- *Dynastia Schonenbergensis ab Ottone Ep. Pad. & Landgravio Hassiæ emitur*

Literæ Eccl. S. Petri.

Simon Comes Lippiensis ad meliora conversus multa præclare in Comitatu suo constituit.

Egerat hactenus Simon Comes Lippiensis vitam inter bella & spolia; sed exitu infelici; quippe bis cœsus, semel à Ludolpho Mindensi Episcopo haud procul Minda, iterum à tribus Episcopis & Comite Ravensbergensi; donec postremùm etiam in triennij captivitatem, ut diximus, traheretur. Ex qua solutus, ut hæ calamitates sapientibus esse solent meliorum consilia, cœpit & animum ad pacis studium & opera pietatis convertere; & Blumbergam Oppidum, postquam ex Engerano castro depulsus erat, condere; Lemgoviam primariam comitatus urbem nova urbe addita ampliare: Cœnobia & Ecclesias dotare. Ad hæc Cœnobium Virginum Lodhense ex diœcesi Mindensi, in quo tenuiter vivebant, transtulit in novam Lemgoviæ urbem, quam veteri multis privilegiis exornatam adjecerat. Id verò uti auctoritate Ottonis Episcopi nostri, intra cujus jurisdictionem sacram Lemgovia, & totus ille comitatus Lippiensis comprehenditur, simulque consilio Bernardi Præpositi nostri Simonis Comitis filij factum, hisce Simon Comes literis retulit.

Cœnobium Lodhense Lemgoviam transfert.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Simon Nobilis de Lippia Dominus Omnibus hoc scriptum visuris in vero salutari salutem. Ad perpetuam rei memoriam omnibus hanc paginam inspecturis cupimus esse notum, quod cum nobis ab alto Dominus divinitus inspirasset, ut claustrum sororum in Lodhen ordinis S. Augustini Mindensis Diœcesis secundum statuta ac sub cura fratrum ordinis Prædicatorum viventium ad nostram civitatem Lemgocend. tranferri magno desiderio cuperemus, Nos ante omnia Principalem Ecclesiam, videlicet S. Joannis extra muros civitatis ejusdem, cum duabus Ecclesiis attinentibus, videlicet S. Nicolai et S. Mariæ novi oppidi, quam titulo permutationis ab Ecclesia Paderbornensi habuimus, prædicto conventui sororum in Lodhen eodem titulo, videlicet permutationis, assignamus de consensu Diocæsani videlicet Domini nostri Ottonis Paderbornensis Episcopi. Nos vero vice versa recepimus Ecclesiam in Lothen, quantum ad jus patronatus pro nostra Ecclesia memorata. Et ut tam pium nostrum suum consequatur effectum, translationi ipsius conventus ad prædictam S. Mariæ Ecclesiam voluntarie consensimus, et in his scriptis pariter consentimus. Insuper titulo venditionis pro quingentis et octo marcis Osnabrugensium denariorum assignavimus ipsis videlicet sororibus locum ad inhabitandum pro area spatium illud totum, videlicet quod incipit apud eandem Ecclesiam, et cingitur duabus plateis, et protenditur in longitudinem usque ad parvam plateam, quæ vadit per transversum, ita videlicet ut in prædicta area ædificent sibi in usum suum omnia ædificia necessaria et consueta. Præterea quitamus et exoneramus locum supradictum ab omni onere servitutis, videlicet vigiliis, exactionibus, taligiis, contributionibus, et ut nullus Dominus judex aut consules civitatis aliquid juris seu jurisdictionis ibidem sibi audeant vendicare, sed omnes ibidem inhabitantes, necnon ædificia, et omnia, quæ continentur in eis secundum privilegia et consuetudinem, seu exemptionem ordinis ipsius plena gaudebunt et perpetua libertate. Item licentiamus eis molendinum construendum cum duabus

rotis

rotis ad usum earum, unam ad opus lanificij, aliam pro annona; Ita tamen quod nullum extraneum ad molendinum hujusmodi pro pannis comprimendis, quòd Walcken vulgariter dicitur, vel annona molenda recipiant vel admittant. Item vendidimus eisdem usuagia duo in nemore, quæ dicuntur Echtvvort, et communitatem in pratis, pascuis, piscariis, lignis in confinio dictæ civitatis, quibus omnibus ad usum necessarium libere perfruantur. Insuper recognoscimus et publicè protestamur, quod nos aut hæredes nostri nihil juris seu jurisdictionis, advocationis seu servitutis cujuslibet habemus, seu nobis vendicabimus in bonis ipsarum, quæ in præsentiarum possident, aut in futuris temporibus habituræ sunt in civitate vel extra, Domino concedente. Hæc autem omnia de consensu uxoris nostræ Dominæ Alheidis, ac legitimorum hæredum nostrorum Bernhardi Præpositi Paderbornensis Ecclesiæ, Hermanni Præpositi Huxariensis, Henrici, Theodorici cruciferi Ottonis, Simonis, Mechildis, Alheidis, et Heylvvigis, Judicis, consulum, ac communitatis, civitatis nostræ facta sunt ac voluntarie ordinata. In cujus rei testimonium sigilla, videlicet nostrum, uxoris nostræ ac consulum civitatis prædictæ præsentibus duximus apponenda. Et nos Domina Alheidis uxor supradicti nobilis de Lippia, et nos Consules antiquæ civitatis et novæ. Datum Idibus Martij Anno Domini Millesimo trecentesimo sexto, præsentibus Domino Hermanno Burchgravio de Stromberge nobili, Lubberto Sclavo, Alrado de Busche, Alrado nigro, Henrico Ickenhusen, Henrico Slavo, militibus, Domino Stephano Prothonotario Domini Lippiensis, et Wesselo Notario ejusdem et quam plurimis aliis fide dignis.

Cui & decimas in Bist & Brack cum consensu Ep. Paderb. vendit.

Haud multò post idem hic Comes amplos decimarum reditus in Bist & Brack, circa urbem Lemgoviensem, quos feudi nomine possidebat ab Episcopo Paderbornensi, ijsdem Virginibus quinquaginta marcis ex consensu Ottonis Episcopi nostri vendidit; ea tamen lege, ut centum marcæ ex his Episcopo Paderbornensi penderentur ad feudi istius cessionem permittendam. Qua super re extant publicæ tabulæ, tertio Calend. Aprilis, in castro Brack eorundem filiorum, testiumque nominibus consignatæ, interque filios rursum Bernardus Præpositus noster, quem postea Ecclesia Paderbornensis sortita est Episcopum eo nomine V. ex familia Lippiensium Comitum. Et quam bene cum ea familia agebatur, cùm tot pios filios haberet partim in Clero, partim in religiosorum hominum cœtibus. Horum nunc immemores Comites posteri omnia hæc Ecclesiarum & Cœnobiorum patrimonia aliorsum evertêre.

Annus Christi 1307.

Clementis V Pont. 3
Alberti Regis 10.
Ottonis Ep. Paderb. 30. & ultimus

Cæsar

Sifridus presbyt. Histor. Landgraf. Thuring.

Cæsar Thuringiam vastat.

Cæsar anno subsequenti, qui seculi hujus erat septimus, validum collegit exercitum ex Austria, Bavaria, Suevia & Bohemia, quem in Thuringiam ire jussit adversus Fridericum Misniæ Marchionem, Thuringiæ civitates vexantem, quæ ex fœdere Romanorum Regi se subjecerant. Occurrit intrepidus Marchio cum Tiremanno fratre Landsbergæ Marchione, Cæsarisque exercitum ingenti clade profligavit ad Luccam villam, quo exacerbatus Cæsar cum instructiori exercitu, ductoque secum Petro Moguntino Archiepiscopo, Thuringiam per Autumnum ingressus est; qua tamen expeditione præter vastationem agrorum nihil memorabile patratum.

Henricus Archiep. Colon. movet in Diœcesin Paderb.

Movit etiam hoc anno cum exercitu ex Westfalia collecto in diœcesin Paderbornensem Henricus Colonienſis Archiepiscopus, quemadmodum Levoldus id scribit. Quæ verò hujus expeditionis causa fuerit, aut quis eventus, auctor ipse non prodidit, neque in nostris annalibus ullum ejus rei vestigium. Rebus in Paderbornensi diœcesi confectis, reflexit copias ad Ruram fluvium, castrumque Furstenbergam construxit, sicuti id Levoldus memorat.

Construit Castrum Furstenberg.

Vetustissimum id Westfaliæ castrum, perinde ut fundatissimæ semper familiæ Furstenbergicæ sedes fuit, eoque ab antiquitate illa Oldenberga patrio nomine appellatum. Quemadmodum hæc à Ferdinando Furstenbergico Episcopo nostro in monumentis Paderbornensibus erudite per majorum suorum origines ac decora asserta sunt. Castrumque præterea fuit arte & natura loci munitissimum, in prærupto ad Ruram montis vertice; qua verò parte angustus patet accessus, triplici fossa ex petris excisa, duplicique muro & propugnaculo præmunitum stetit; frenumque fuit, quo Colonienses Archiepiscopi Comites Marcanos & Montium, vicinosque Ducatûs Westfaliæ hostes continebant. Nec fidi minus ei eo castro Furstenbergici Dynastæ, Archiepiscopi sui clientes, ac propugnatores, præclaram semper in omnibus bellis navarunt operam. Quo factum, ut nullum prope Westfalici ducatus castrum sæpius expugnatum reparatumq; sit. Quemadmodum primùm ex ruinis belli Saxonici adversus Henricum Leonem ab Engelberto Archiepiscopo, ex vastatione Westfaliæ per Simonem Episcopum illata à Sifrido Archiepiscopo, & ab his Everhardi Marcani adversus Wigboldum Archiepiscopum bellis hoc anno ab Henrico Virneburgico Archiepiscopo, ab eversione deinde Engelberti Marcani Comitis Everhardi filij ab Henrico Colonienſi Archiepiscopo, & à Ludovico Hasso Monasterienſi Episcopo instauratum fuit; donec aliis atque aliis hujus castri expugnationibus fatigati Furstenbergici locum tot cladibus afflictum desererent, alia sub radicibus montis arce constructa, cuiâ priori nomen reliquêre.

Anno MCCIX

Anno MCCLXXVI

Anno MCCCVII.

Posttemus hic Ottonis Episcopi nostri annus erat, quo Henricum Virneburgicum Archiepiscopum Paderbornensem diœcesim ingressum diximus; eaque per id tempus procella bellorum fuit, qua castrum Calenberga haud procul Warburgo in edito patentis circum campi colle ad fines Hassiæ & Waldecensis comitatus ab hostibus expugnatum eversumque fuit; seu id hac Colonien sis Archiepiscopi irruptione, seu alterius hostis factum sit, in annalium memoria non reperio. Sanè Otto Episcopus ne vetus ac nobile illud castrum intra ruinas jaceret, aut diœcesis ea parte nudata relinqueretur, Ravennoni de Pappenheim militi ejusque filiis & hæredibus certis conditionibus in feudum dedit, quod hisce tabulis ex posteritatis memoria accepimus.

Castrum Calenberg. in feudum datur Ravenoni de Papenheim.

Nos Otto Dei gratia Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus præsentium tenore protestamur, et universis præsentia visuris, seu audituris cupimus notum esse, quod castrum nostrum Kalenberg in pheudo porreximus, et in his scriptis porrigimus s Ravenoni famulo, filio quondam Ravenonis junioris de Papenhem militibus, et suis heredibus, ratione multiplicis obsequij nobis et Ecclesiæ nostræ impensi, cum omnibus pertinentiis, proventibus, juribus et usufructibus, jure hereditario à nobis et nostris successoribus in perpetuum possidendum. Ita scilicet, quod dictum castrum nobis, successoribus nostris, et Ecclesiæ nostræ in omnibus nostris necessitatibus contra quoscunque, et in omni tempore absque aliqua occasione et contradictione erit, et esse debet expositum et apertum. Ipse quoque Raveno, et sui heredes in perpetuum ratione dicti castri nostri, successorum nostrorum, et Ecclesiæ nostræ in omnibus contra quoscunque pro toto posse esse debent fideles et inseparabiles adjutores. Nos vero similiter versa vice dictum Ravenonem et suos heredes contra quoscunque in omnibus suis necessitatibus in nostris munitionibus tenebimus, et ipsis astabimus toto posse. In cujus testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Actum Lutberto Westphal milite nostro dapifero, Magistro Joanne Plebano novi oppidi Wartberg, Ravenone de Driborg, Herboldo de Papenhem et Henrico notario nostro præsentibus cum alus fide dignis, et datum in inventione S. Stephani anno Domini MCCC septimo.

Castrum id exinde Pappenhemij militis, & trium filiorum impensis instauratum, & jure Castrensium insessum fuit, uti id ex literis ad annum Mcccxxvi recitandis constabit. Supereſt hodiedum vetus illa Papenhemiorum familia multis militaribus viris per id tempus clara.

Nulla exinde Ottonis Episcopi nostri memoria nobis ex Scriptorum monumentis relicta, ut prorsus existimare libeat, eum hoc anno è vita mortalium ad immortalem transijsse; idque eò proniùs est affirmare, quòd Gobelinus & Crantzius asserant Ottonem xxx annos Paderbornensem Ecclesiam ad ministrasse, sicuti & nos

Obitus Ottonis Ep. Paderb.

Gobelin. atat. 6. c. 66. Crantz. l. 8. Metrop. c. 32.

hactenus per totidem annos res ab eo gestas deduximus; multumque falluntur, qui cum Bruschio & Kersenbrochio anno 1304, aut cum Cleinsorgio anno 1305 objisse sentiunt. Mortis dies in necrologio Cœnobij Mariæ X Calend. Novembris, in Gerdensium Virginum tabulis XII Calend Novembris consignatus est.

Præsul, etsi nullo publico scriptorum elogio decoratus, nec ex sepulchri quidem loco cognitus, præclarus tamen ea tempestate inter Saxoniæ Episcopos, ut res ab eo gestæ satis comprobant; quem in statutis Capituli anno MCCCXIIII conditis lego appellatum inclytæ memoriæ Episcopum. Quippe qui belli pacisque artibus egregius, Episcopatum magna ordinum concordia XXX annis administravit. Urbem Paderbornensem ex rebellione sumptis armis reduxit ad obsequium: hostes diversis subnixus familiæ & consanguineorum Episcoporum viribus, vicinorumque fœderibus: aut vicit, aut metu continuit. Nec minus de religione meritus, quam disciplina cleri, Cœnobiorum, flore & avita populi pietate, uti à majoribus acceperat, integram conservavit, ad quam augendam etiam religiosos D. Dominici familiæ viros primus Warburgum intraque diœcesin introduxit.

GUN-

GUNTHERUS
Comes Svvalenbergensis
XXVI.
EPISCOP. PADERBORN.
Annus Christi 1308.

Clementis V Pont 4.
Alberti Cæsaris ult.
Guntheri Ep. Paderb. 1.

A Morte Ottonis Episcopi itum in suffragia Successoris, fœdoque dissidio pugnatum est inter Canonicos, aliis Guntherum Comitem Swalenbergicum, aliis Theodoricum de Itteren eligentibus. Rarum id quidem hactenus exemplum in Paderbornensi Ecclesia nostra, ac non nisi inter duos Henricos Comites, Asloënsem & Werlensem, spectatum, cùm ipsum Imperium schismate divulsum laboraret; commune tamen per Germaniam Saxoniamque malum fuit in Cathedralibus Collegiis, postquam ambitione potentum magis, quàm virtute quæsiti Episcopatus, & partium studia favore & æmulatione magis invaluêre, quàm ut publico populorum bono consuleretur.

Dissidium in Electione Episcopi. *Crantz. l. 8. Metrop. c. 47. Bruschius Kersenbrochius Letznerus in chron. Dasse.*

Quæ verò singulorum fuerint momenta, ut pars alterum alteri anteferret, & tam pertinaciter schisma foveret, non satis est proditum. Interim Guntherus plurium & saniorum suffragiis probatus, receptusque in Episcopum, triennium administravit diœcesin. Juvabatque virum non modò patria generis nobilitas, ordinumque & populorum favor adversus æmulum genteHassum; sed & matura probataque virtus; quippe, qui jam anno 1278 Magdenburgensis Episcopus delectus fuerat, ex eaque dignitate, ut supra relatum, altero mox anno ab potentem æmulum, Marchionem Brandeburgicum, & involutam bellis Ecclesiam ultro ad vitam privatam in clero redierat, unde jam post viginti novem annos ad Paderbornensem Cathedram evocatus. Utrumne hujus Ecclesiæ simul Canonicus fuerit, incertum habeo. Vir certò maturitate ætatis, modestia, integritate vitæ, prudentia atque omnium virtutum Pontificalium ornamentis conspicuus ac venerabilis. Non desunt, qui ob schisma, quod æmulus Successor in tertium annum aluit, Guntherum ex Episcoporum nostrorum numero excludi volunt; sed nos anno proximo

Præfertur Guntherus, è Comitibus Swalenbergensibus ortus.

ximo proferemus literas, quibus se Guntherus electum & confirmatum Episcopum inscribit. De Swalenbergensium Comitum familia intra diœcesin nostram, nihil attinet referre; quando & ab antiquitate, & majorum factis, piisque donationibus toties à nobis memorata est; inter quæ illustre monumentum eminet ejus familiæ Cœnobium Mariæ Ordinis D. Benedicti, quod passim in vetustis literis ab horum Comitum fundatione Swalenbergense appellatur.

Albert. Argent. in Chron. Henric. Rebdorf. in annal.

Ingressus est hoc anno Episcopatum suum Guntherus, qui Alberti Cæsaris parricidio turbulentissimus fuit. Contraxerat Cæsar quinquaginta peditum & triginta equitum millia, in Carinthiam moturus; cùm à Joanne, Sueviæ Duce, ferocique juvene, quem ex fratre nepotem alebat in aula, facta est cum tribus aulæ nobilibus Wartio, Eschibachio & Palma conspiratio in necem ejus. Causa arrepta, quòd Dynastiam Kiburgensem, & hereditaria bona prodigo & feroci juveni differret adeunda. Itaque Cæsar dum post epulum Rinfeldiam tendit ad conjugem, trajectoque Rusa flumine equitat per campos, familiariter colloquendo cum Sicariis, Warthi⁹ frenum equi comprehendens, Cæsarem sistit. Tum Joannes nepos ferro Cæsaris jugulum trajicit; Warthius letali vulnere latus perfodit, cùm tertium vulnus addit Palma, caput truculento ictu persecando. Funesta cædes VIII Calend. Maji patrata, eo loco, quo post Cœnobium conditum, & corpus humatum jacuit, dum Henricus Luxenburgicus Cæsar Successorque Spiram transferret, & Adolphi Regis funeri conjungeret, vix palmo abs se disjunctos; tanquam ejus cœde Adolphi manibus parentatum esset. Egregius belli pacisque artibus Princeps, animo in arduis excelso, veri justique amans, detestandarum delationum; unicum vitio datum, surgenti familiæ magnæ augendæ, quàm Imperio intentum fuisse. Certò Saxonia Westfaliaque eo Cæsare inter tumultuaria bella est relicta. Parricidæ profugi, non tamen ultrices Dei manus effugêre: alius enim alio miserabili fato periit. Joannes Dux modò agricolæ, modò mendici, modò mercatoris habitu vagus, & inops, demum ab Henrico Cæsare Pisis *Augustianorum* Monasterio inclusus contabuit. Alter hic Germanorum Cæsarum post Philippum, qui à Germanis occisus: raro satis exemplo, si aliorum regnorum Reges, & à Cajo Julio Cæsare tot Cæsarum neces repetantur.

Cæsar à Sicariis occiditur.

Laboratur pro novo Rege eligendo.

Pervulgata Cæsaris morte, Electores mense Novembri in villa Rense haud procul Boppardia juxta regalem sedem conveniunt, de cooptando novo Principe solliciti. Laborabat magnopere Philippus Pulcher Francorum Rex apud Clementem Pontificem pro Carolo Valesio fratre suo in Romani Regis solio reponendo, trahendoque Imperium ad Francos. Pontifex, etsi natione Francus, multumque Regi obligatus esset, non aliud tamen literis ad Principes Germaniæ datis commendavit, quàm ut virum tanto fastigio dignum

gnum legerent, solâ publicæ utilitatis habitâ ratione. Quibus Electores animati Henricum VII Comitem Luxenburgicum, virum corporis habitu decorum, animo acrem, togaque non minus egregium, quàm militibus carum, sub exitum Novembris Francofurti Regem Romanorum salutant. Quam in rem præcipuam contulêre operam Petrus Moguntinus, jam ante Regi beneficiis obnoxius, & Balduinus Trevirensis Archiepiscopus Regis frater; tum Rudolphus Palatinus Comes, cui haud multò post Regis filia denupta est. Ita magnis in Imperio Principibus præteritis, cum sola virtus adhuc gradum faceret ad coronam augustalem, Comes Imperator delectus, cui & omnes proni lætique fasces suos submisêre. Rara temporum felicitas, & Principum concordia, qua tam citò conturbatus ex morte Alberti Cæsaris status ad tranquillitatem rediit.

Electorum suffragiis deligitur Rex Henricus Comes Luxenburgicus.

At turbida magis procella ex Templariorum condemnatione, equestrisque ejus ordinis sacri, latè per Galliam, Hispaniam, Germaniam, Saxoniam, cæterasque provincias sparsi, extinctione. Cœpit hæc anno superiori primùm in Gallia magnis animorum motibus; damnatique regia sententia quinquaginta sex Templarij, totidemq; palis modicè inter se distantibus alligati, lento igne consumuntur, objectâ crimina constanter abnegantes. Post illa alij quidam primarij ordinis viri eodem supplicio excruciati, haud aliud suprema voce testando, quàm ordinem suum esse *Catholicum, justum et sanctum*, ut multis hæc Villanius in historia Florentina, & ex eo S. Antoninus aliique perscripsêre. Inde omnia Templariorum bona vel regius Fiscus ad se traxit, vel Hospitalariis ex decreto Pontificis cessêre.

Extinctio ordinis Templariorum. *Joan. Villan. lib. 8. cap. 91. Anton. p. 3. hist. tit. 21. Bernard. in Chron. Ganguinus lil. 7. Polydor. de invent rer. lib. 7. c. 5. Trithem. in chron. Stero in annal.*

Ac Pontifex cùm urgeretur ut per cætera quoque regna de Templariorum criminibus, quæ in Galliis comperta ferebantur, quæstionem institueret, scripsit ad Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem & Magdenburgenſem Archiepiscopos, mandavitque coacta provincialium Episcoporum synodo, diligenter inquirere in Templariorum mores & vitam. Ac cùm postea synodus Moguntiæ ageretur, irrupêre in eam Templarij armati, palam expostulantes de injuria innocenti ordini irrogata, quos Patres, ferocia & metu territi, bono animo esse jusserunt. Res in hunc modum apud Serrarium in Moguntina historia ex statutis synodi perscripta est. *Comparuit autem in synodo, quemadmodum refert M. S. L. Hugo Comes Sylvestris et Rheni, qui morabatur in* Grunbach *prope* Meysenheim *cum* XX *fratribus sub habitu ordinis probe armatis. Hic omnes, non quidem vocati, sed ultro et subito in concessum Patrum irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiscopus viros considerans, ac violentiam timens, placide jubet, Commendator ut sedeat, et si quid habeat in medium afferendum, ut depromat. Qui clara et libera voce exorsus: se suosque confratres inquit intellexisse, hanc synodum, sui ordinis delendi gratiâ, potissimum congregatam, ex commissione Romani Pontificis. Enormia enim quædam scelera et plus quam ethnica flagitia illis objici,*

In eosdem instituitur examen in Germania. *Odoric. in hist. Eccles. Aror. instit. Mor. lib. 13. Naucler. in chron. generat. 44. Æmilius de reb. Franc. lib 8. Ltib. 5. in Petro Archiep.*

quæ

quæ in privato designarent, quod ipsis sanè esset gravissimum et intolerabile: maximè quod non ordinarie auditi, nec convicti condemnarentur. Quare coram ista Patrum congregatione se appellare et provocare ad futurum Pontificem, ejusque universum Clerum: publice quoque protestari, eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi essent et combusti, constanter pernegasse, se quidquam eorum designasse atque in ea confessione tormenta et mortem perpessos. Imo Dei Opt. Max. singulari judicio et miraculo eorum innocentiam comprobatam, quod albæ chlamides ac rubricatæ cruces igni non potuerunt absumi: Archiepiscopus his auditis, ne tumultus suboriretur, protestationem eorum admisit, seque cum Romano Pontifice acturum respondit, ut quieti esse possint, atque ita ad propria sunt dimissi. Postea verò Petrus aliam commissionem obtinuit, juxta quam procedens, prædictos censuit absolvendos, actum anno 1311. Calend. Julij, ut Nauclerus ex quodam Jacobo Moguntino trad.

Hunc in modum in aliis regnis, cumprimisque in Hispania, post undecim Præsulum conventus innocentes cogniti sunt. Quippe incredibilium criminum rei agebantur in Galliis: Christianum nomen abrogasse: Christi Servatoris imaginem conspuere: Idolum crispantibus cincinnis spectabile colere, ab eoque divitias implorare: hæresis & aliorum libidinum sceleribus involutos vivere. Quæ certè in nobilitate Germanica, è qua ordo ille constabat, inaudita erant, nec tolerata unquam fuissent. At postquam in concilio Viennensi generali, quod biennio ab hinc habitum, discussa Templariorum causa, productis in hanc severitatem sententiæ supra bis mille testibus, totus ordo Templariorum abolitus est, postquam annis CLXXXVI militaverat pro Ecclesia. Prædia denique Hospitalariis S. Joannis sunt attributa, qui opibus hisce aucti in Insula Rhodo, quam à Turcis ceperant, sedem posuêre, inde Rhodi equites appellati, qui nunc Melitenses sunt. Igitur ut in aliis provinciis bona eorum rapta à potentioribus, vel dispersa inter Collegia & Cœnobia; ita quam habuêre Lipspringæ ad fontes Luppiæ apud nos Sedem possessionemq; cesserit Capitulo. Rhedam, ubi Templariorum quoque domicilium fuit ad Amasim, primum Lippienses Comites & post illos Teclenburgenses attraxêre. Aliis alia in prædam venêre; id quod Pontifex haud leviter postea questus est. Historicorum judicia si consulas, alij aliter scripsêre. Plerique ex his innocentes magis quam reos fecêre, scenamque hanc tragicam Francorum Regis avaritia, opibus Templariorum inhiantis, apparatam dixêre; quemadmodum paulò ante Francorum Rex omnes judices per Franciam aut neci dedit, aut in exilium projecit, bonis eorum ad Fiscum redactis. Pontificem verò scribunt ex allatis probatisq; processisse, postquam res in conciliis sapientissimorum virorum diu multumque agitata fuit. Et cui integrum erit in tanta Scriptorum varietate judicium suum interponere? consultius facies cum ijs, qui rem nuda narratione attingunt.

Bona illorum ad alios devolvuntur.

Sed

Sed nec Westfalia hoc anno à turbis libera fuit. Auctor Conradus Pseudoëpiscopus Monasterienſis bellum Ludovico Osnabrugensi intulit, tractis in societatem armorum Engelberto Marcano, Teclenburgico, Juliacensi, Arensbergio, Lippiensi, Waldecensi Comitibus, Dynastisque Lonensi, Wolbecano, Ahusiano, aliisque nobilibus, quibus Monasterienses & Tremonienses suas copias junxêre. Quorum viribus inflatus, Osnabrugensi non modò bellum palam denunciavit, sed & ad prælium, & designatum prælij locum evocavit: tam certus victoriæ erat. Causam haud aliam interpretor, quàm quòd Ludovicus Osnabrugensium Episcopus haud secus, quàm Otto Episcopus noster, Ottoni Monasterienſium Episcopo & consanguineo suo, quem Conradus per fraudem & vim ejecerat, fidus adstiterit. At Ludovicus Osnabrugensium etsi viribus longè impar Deoque magis & bonæ causæ quam armis confisus, publicum pridiè jejunium indixit. Inde milites adhortatus ad sacri belli subsidia, plerosque prius Eucharistiæ sacramento sua manu refecit; imploratisque Ecclesiæ suæ patronis, in campum processit. Fertur Ludovicus præsul habuisse sororem, Deo Sacratam virginem, quæ cœlitus accepto indicio monuerit, fore, ut hoc bello occumberet. Nihil his dejectior, hosti obviam procedit, albo, quod & milites facere jusserat, linteo, super ferreos thoraces injecto. Ventum deinde ad planitiem campi, quem Hallerfelt, alij Harefelt, dixêre. Ubi acies in conspectum congressumque venêre, acerrimè decertatum est. Marcanus, qui Monasterienſem ordinarat aciem, primumque signa intulerat, impetu in Ludovicum Episcopum illatus, album illi signum detrahit; nec segnior Episcopus, hastæ incursu Marcanum cum equo in terram proturbat, crure pedis ex lapsu obtrito: mox & ipse Episcopus ex equo dimissus, in jacentem Marcanum irruit; ubi dum lucta se obvolvunt, & Episcopus Marcano superior occumbit, intervenit Osnabrugensis miles, ratus Episcopum suum succumbere, Marcanumq; insidere prostrato, errore destinati ictus incumbenti Episcopo lethale vulnus infligit.

Ertvvin. in chron. Osnabrug. Levoldus in chron. Marcan. Crantz. l. 8. Metrop. c. 25. Ludovico Ep. Osnabrug. in bello adversus Ep. Monast. cum Marcano comite occumbit.

Pugnatum interea fortissimè ab Osnabrugensibus; disjectâque acie Monasterienses cum suo Pseudoëpiscopo in fœdam vertuntur fugam. Nec levior strages fuit: Omnes Ottonis, veri Episcopi, æmuli aut cæsi eo prælio, aut capti, aut aquis hausti; interque cæteros occubuit Proconsul Monasterienſis, qui filio obtruso in Clerum omnis dissidij primum fomitem subjecerat. Trucidati ante alios majori clade cives Monasterienses, quo constaret Deum ultum fuisse insontis Episcopi Ottonis exauctorationem.

Osnabrugenses lectis spoliis victores retulêre saucium Episcopum suum in urbem, qui tertio à prælio die omnibus sacris provisus excessit è vita, conditus in medio novæ Basilicæ; in qua signa militaria & trophæa victoriæ, quæ à Marcanis, Lippiensibus, & Monasterienſibus

sibus reportârant, suspensa decoravêre sepulchrum. Prælium hoc victoriamque memorabilem, quæ post festum D. Remigij diem in Octobri relata est, his versibus non nemo eorum temporum scriptor consignavit.

Corpore Zacchæus, animo Judas Machabæus,
Alter et iste David Markensem cuspide stravit.
Ter C milleno bis quarto tempore pleno
Virginei partus, et cum locus hic tenet artus.
Ut vacet à pœnis pie Judex sit tibi lenis.
Marca, Monasterium, Tekeneburg, Juliacum,
Arnsberg, Waltegge, Loen, Retberg, insuper Abus,
Tremoniæ Comes Petrus vos terruit omnes,
Strunkede, vosque Lupi fugistis vel occidistis,
Auxiliante Deo corruit iste Leo.
Hos versus dico generoso de Ludovico,
Præsule jucundo de Ravensberg oriundo.

Falli autem arbitror scriptorem, cùm Ritbergensem Comitem his Ludovici hostibus miscet, quod Ludovicus Episcopus Hedwige Ritbergensis Comitis filia natus fuerit; nec facile in consanguineum Episcopum arma sumpsisse opinari libet: alius is fuerit Dynasta aliquis, aut Rhedensis ex Lippiensibus. In locum Ludovici Episcopi habitis mox comitiis sublectus est Engelbertus de Weyge, aut Weyc quem alij de Wenge vel Wengede volunt, ex illustri Wengedorum, quæ hodie super est familia.

Rapuit tandem & hic annus 4 nonas Julij, festo videlicet Udalrici, Everhardum Marcanum Comitem, turbinem Westfaliæ, & flagellum Episcoporum, relicto Engelberto filio herede, turbidi haud minus ingenij in affligendis Episcopis; quod vel hoc bello satis prodidit, luctu nondum depositô ad iniqua bella profiliendo.

Annus Christi 1309.

Clementis V Pont. 5.
Henrici VII Cæsar 1.
Guntheri Ep. Paderb. 2.

Vecerius lib. de Henric. VII Brouver. lib. 17. annal. Trevir. Serrar in Mogunt. histor. Levoldus.

Ineunte, qui consequitur, anno, Henricus Rex trium Electorum, magnoque Principum ac procerum comitatu (quos inter accessêre Dux Brabantiæ, Robertus Flandriæ, Joannes Hannoniæ, Reinaldus Gelriæ, Amadæus & Ludovicus Sabaudiæ Comites) Aquisgranum deductus, sacro Ephipaniæ die, ab Henrico Colonienſi Archiepiscopo, pro veteri solemnique ceremonia, Romanorum Rex consecratur. Quo honore quoque Margareta conjux, Joannis Brabantiæ Ducis filia, decorata fuit, aurea indumenta, trabeam, diadema, aliaque insignia nobilissimo quoque inter sacra ministrante. Nec repertus est ex tanto Principum numero, qui non de optimo

Henricus Rex Aquisgrani

Rege

Rege sibi præstantissima pollicitus sit: adeò conspectæ in eo virtutes omnem in ceteris æmulationem & invidiam compresserunt; quo tamen malo nihil hactenus in Imperio frequentius turbatiusq; fuit. coronatur.

Haud dubium, quin inter ceteros Saxoniæ præsules Guntherus quoque Episcopus noster ad Aquisgranensem celebritatem accesserit, Regemque deinde Coloniam sectatus sit, qui jam mense Julio hujus anni se confirmatum Episcopum scribit; tanquam qui à Pontifice jam jura sacra, ab Rege regalia consecutus fuerit. Peractâ coronatione Rex Coloniam repetijt; ac postquam sacra trium Regum corpora aureis gemmeisq; denariis veneratus, more antiquo Regum ac Cæsarum jus dixit. Indelustrato Luxenburgo, compositisque domi negotiis ad cæteras Imperij urbes perlustrandas, & Sacramentum fidei accipiendum profectus est. Spiram ubi pervenit, regiis funeribus Adolphi & Alberti curandis mense Augusto & Septembri operam dedit, Cæsarisque Alberti corpus transvectum secundo Rheno Spiram conjunxit ad tumulum Adolphi Regis.

Wenceslai Reg. Bohemiæ filia nubit Joanni Henrici Reg. filio. *Brovver. lib. 17. annal. Trevir.*

Mox lætiora tractata Spiræ in conventu Electorum ac Principum, dataque in matrimonium Elizabetha Wenceslai Regis Bohemiæ filia, unica regni heres, Joanni Henrici Regis filio; eoque felici conjugio Rex nobilissimum Bohemiæ regnum familiæ Luxenburgicæ intulit.

Fine anni Henricus Rex Coloniam repetiit, ubi per ferias Natalis Christi pro tribunali severissimè jus dixit in rebelles, & tumultuariorum bellorum auctores, indignissimè ferens superiori anno Conradi Pseudoëpiscopi Monasterienses aliorumque armis Westfaliam turbatam; evocati deinde proceres, feudi jure sibi Imperioque devincti, ad jurandam fidem.

Conrado Pseudoëpiscopo Monasterienses exauctorato ex voluntate Pontificis substituitur Ludovico ex Hassiæ Landgraviis ortus.

Opportunè tandem per id tempus Conrado montium Comes, intrususque Monasterienssium Episcopus, loco motus Pontificis ac Regis auctoritate. Nam postquam ad Pontificem relatum, hunc Pseudoëpiscopum sacra & civilia pessimè administrare, bona ac jura Ecclesiæ pessundare, privilegium nobilibus ac civibus contra Canonicos dare, fœdera cum hostibus inire & in diœcesin introducere, facultates sacras prodigè effundere, in luxum & nobilium favorem occupandum, atque hoc unum agere, ut quàm malis artibus ingressus sit Episcopatum, ijsdem se multò pejus firmaret; Pontifex Conrado omnibus sacris interdicit, acta ejus omnia rescindit, & quæ nobilibus privilegia indulserat, irrita pronunciat; sollicitus interim Pontifex, quem adversus Conradum, tot nobilium potentia vallatum sine turbis subrogaret; cum opportunè intervenit Otto Cliviæ Comes, offertque Ludovicum Scholasticum Moguntinum, & Carnotensem in Gallia Canonicum, quem Henrico Hassiæ Landgravio & Mechtilde sorore genitum sibi consangineum habebat: pollicitus simul Pontifici, se auctoritate atque armis suis in Episcopatum Mo-

naſterienſem introducturum. Aderat tum in aula Pontificis Ludo-
vicus, ob egregiam indolem, generis ſplendorem, & vitæ innocenti-
am eruditionemque commendatus ab omnibus. Lætus his Ponti-
fex Ludovicum tanquam divino munere ſibi oblatum Monaſteri-
enſem Epiſcopum dicit, proſcripto Conrado. Monaſterienſibus,
quòd hunc obtruſum receperant Epiſcopum, irrogata mulcta, juſſi-
que, quoties deinceps novum deligerent Epiſcopum, in pœnam ejus
facti pro confirmatione obtinenda inferre in ærarium Pontificis tria
millia florenorum. Hac Pontificis auctoritate confiſus Otto Cliviæ
Comes, venientem ad ſe Ludovicum introducit in Epiſcopatum
Monaſterienſem, ſiſtitque cum literis Pontificis ante portas urbis.
Quæ ubi accepit Conradus Pſeudoëpiſcopus, tam metu quàm co-
ſcientiâ malefactorum perculſus, repentè rebus ſuis convaſatis pro
fugit ex urbe. At Canonici & cives, quibus jam ſaniora conſilia pla-
cebant, Ludovico obviam procedunt, magnoq; cum honore intro-
ducunt in urbem & Cathedram; uſus deinde Ludovicus conſilio
Ottonis Cliviæ Comitis, Epiſcopatum, quem afflictum exhauſtumq;
reperit, feliciſſimè per 40 annos adminiſtravit, opibus, potentia, &
felicitate armorum, gloriaq; nominis ſui omnes, qui ante eum fuêre
antegreſſus. Major laudabiliorque etiam præſul in diſciplina cleri
populiq; formanda, in qua abſolutiſſimum ſui exemplar, plus quàm
omnes præſcriptæ ab illo leges, valuit.

Grandiori virtutum ornatu conſpiciebatur in Paderbornenſi
Cathedra Guntherus Epiſcopus, qui ut ætate & moribus & ſapientia
maturus; Ita omnia tractabat per pacis conſilia, in hoc unum primo
intentus, ut ſibi ordinum urbiumque animos demereretur; quòd
ab æmulo uſquequaque nondum ſecurus ageret: & Paderbornenſis
nonnulli, Monaſterienſium ſpiritu afflati, adhuc primæ electionis
diſſidia clam agitarent. Guntheri facta etſi in obſcuro jaceant; unum
tamen ſuppetit exemplar literarum, quibus utriq; Oppido Warbur-
genſi privilegia renovat.

Guntherj privilegia Warburgenſium renovat & confirmat.

*Nos Guntherus Dei gratia Paderbornenſis Eccleſiæ electus et confir-
matus recognoſcimus, et præſentibus publice proteſtamur, quod dilectos nobis
Conſules, cives, et univerſitates utruſque Oppidi Wartberg in omnibus
juribus et honoribus, in quibus ab anteceſſoribus noſtris Epiſcopis Paderbor-
nenſibus uſque ad nos ſunt permiſſi, noſtris temporibus firmiter et inviolabi-
liter permittemus, et ſi hæc ipſa augere non poterimus, ſaltem nolumus mi-
norare. In cujus teſtimonium hanc literam noſtro ſigillo dedimus roboratam
præſentibus Dominis Henrico Comite de Waldeck, Alberto patre noſtro Co-
mite de Svvalenberg, Johanne de Oiſterhuſen, Johanne de Brobecken, Con-
rado de Harhuſen, Olrico de Weſthem militibus, Magiſtro Ludolffi judi-
curiæ Paderbornenſis, et pluribus fide dignis. Datum VVartberg Calen.
Julij, Anno Domini Milleſimo, trecenteſimo nono.*

Subin-

Subinde Canonici ac primores Paderbornensis Ecclesiæ, quo concussum statum in tuto collocarent, ac Guntheri Episcopi sui securitati consulerent, convenêre festo Martini Episcopi, & cum consensu Guntheri, quem electum & confirmatum suum Episcopum appellant, elegêre Bernardum Præpositum Lippiensem Comitem (qui post Episcopus fuit) Tutorem & defensorem Paderbornensis Ecclesiæ; hunc simul in modum, ut quatuor è Capitulo Consiliarij, quatuor ex Ministerialibus, & duo ex urbe Paderbornensi totidemq; ex civitate Warburgensi adsciscerentur. Conventum præterea, ut Episcopus bina castra, Driburgum & Nienhusium, quæ 1400 marcis oppignorata erant, redimi sinat, juvetque. Quemadmodum hæc in tabulis publicis consignata fuerunt, subscribentibus Gunthero Episcopo, Capitulo, Simone de Lippia & Alheide ejus conjuge.

Bernardo Præpositus, Comes Lippiensis, eligitur à Capitulo Tutor Ecclesiæ Paderb.

Annus Christi 1310.

Clementis V Pont 6.
Henrici VII Cæsaris 2.
Guntheri Ep. Paderb. 3.

Cæsar postquam sub exitum anni Coloniam, ut diximus, advenerat, multos istic dies versatus, multa utiliter pro Republ. tractavit; inter quæ rogatu Henrici Werdinensis Abbatis Ecclesiam Lothusam, à Carolo M. D. Ludgero donatam: tum aliis literis Caroli donationes & privilegia Cœnobio Werthinensi data, pro singulari suo in D. Ludgerum affectu instaurat. Quam in rem apud nos adsunt ex tabulario Werthinensi ipsius Regis tabulæ, pridie Nonas Januarij Coloniæ obsignatæ.

Cæsar confirmat Privilegia Werthinensia. *Albert. Argent. Vecerius in Henr. Trithem. in Chron. Brouver. in annal. Trevir.*

Festis Natalitiis apud Ubios celebratis, Confluentiam ascendit; eaque ex urbe cum Balduino fratre Trevirensi Archiepiscopo Trevirim deductus, hyeme, quâ ab hominum memoria, vi frigorum, acerbior non fuit. Treviri post collata cum fratre & consangineis consilia, Argentoratum aliasq; Imperij urbes perlustravit. Demum Augustam ad comitia Imperij, quæ celeberrima fuêre, profectus. In his expeditionem in Italiam decrevit, quæ & procerum consensu approbata; tum ut Italiam Guelforum & Gibellinorum factionibus sciissam componeret, & collapsa Imperij jura restitueret: tum ut more antecedentium Cæsarum augustalia Imperij insignia caperet, ad quod à Clemente Pontifice jam ante invitatus erat; jam enim à sexaginta annis designati Reges Italiam non intrârant & ille magnis animis pristinum Imperij decus reparare moliebatur.

Henricus Rex iter in Italiam decernit, ad Imperij insignia capessenda.

Igitur postquam copiæ ex Belgio & Germania adfuêre, per Helvetiam iter ingressus, festo D. Michaëlis Bernam pervenit. Assectati Regem Balduinus Trevirensis Archiepiscopus, Leodiensis, Basileensis, & Tridentinus Episcopi: Leopoldus Dux Austriæ, Rudolphus Dux Bavariæ, Walramus Regis frater, Comes Sabaudiæ, Flandriæ,

alijque magno procerum numero. Transgressus Alpes, magno ubique civium plausu excipitur. Quarto deinde die ante Natalem Christi Mediolanum introductus est; postquam Rex & Regina oleo sacro delibuti, festo Epiphaniæ ab Archiepiscopo in Basilica D. Ambrosij ferrea corona insigniuntur.

Vicaria interim cura Imperij penes Joannem, Bohemiæ Regem, Henrici Cæsaris filium, erat; magnaque Principum concordiâ quiescebant per Germaniam inferiorem arma. Quamobrem Archiepiscopis opportunum tempus datum ad disciplinam Cleri populique instaurandam. Habuit enim hoc anno Petrus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster frequentem provincialium Episcoporum conventum, in qua Templariorum causa agitata; & Henricus Colonienſis Archiepiscopus synodum, ad quam Guido Ultrajectensis, Engelbertus Osnabrugensis, * Godefridus Mindensis convenêre, in eaque multa salubriter statuta sunt.

*al. Ludolphus.

Ludovic9 Ep. Monast. à Judicio sæculari eximit in immunitate Ecclesiastica habitantes.

Ludovicus Monasterienſis Episcopus, qui per Legatos Colonienſi synodo intererat, hoc ipso anno diœcesanam celebravit post festum S. Gereonis & Victoris; in eàque præter alia à judicio sæculari exemit quotquot intra Ecclesiarum immunitates habitarent; ita enim ejus rei hoc scriptum extat.

Ludovicus Dei gratia Monasterienſis Ecclesiæ electus et confirmatus. Universis præsentia visuris volumus esse notum, quod in generali synodo Ecclesiæ Monasterienſis, cui personaliter præsedimus, coram nobis per sententiam synodalem extitit definitum, videlicet quod omnis inhabitans domum vel casam infra septa dotis ad Ecclesiam aliquam pertinentis non teneatur sequi forum sæculare, imo ab jure et oercitione sæculari penitus sit exemptus. Datum anno 1310.

Engelbertus Ep. Osnabr. exstruit domum pro emeritis Pastoribus & Sacerdotibus.

Laudabilius Engelberti Osnabrugensis Episcopi opus, à quo hoc anno, approbante Capitulo, cœpta construi domus extra mœnia urbis, dotarique; in quam Pastores & Sacerdotes emeriti, aut alio corporis malo ad publicas functiones minus idonei ampliusve reciperentur, alerenturque. Domicilium illud cum sacello consecrari voluit honori undecim millium Virginum: indultæ etiam ab Episcopo noxarum condonationes, quotquot collatis pecuniis ædificium juvarent. Optanda multis senio & laboribus confectis Parochis quies, in qua contemplationi rerum cœlestium, & relegendis ante actæ vitæ noxis se ad felicem vitæ exitum comparent.

Gunther9 hoc anno adhuc superstes, fine anni verisimiliter munus suum

Guntheri etiam Episcopi nostri in hunc annum memoria ex publicis tabulis, quibus indaginem, ut vacant, in Brachmen, locum videlicet in ericeto Sennæ, prædijs quibusdam cultum, inseptumque agris, pascuis, & sylvis Milinctorfio Ministeriali suo & hæredibus octaginta & tribus marcis oppignorat; idque consentiente Bernardo Præposito & Tutore Ecclesiæ factum, die, qui vinculis D. Petri Calend. Augusti sacer est. Igitur in hunc diem & hunc annum 1310

electus

electus & confirmatus Episcopus, ut se inscribit adhuc, Ecclesiæ suæ præfuit, senio licet gravis fractusque. Quantum inde superstes vixerit incompertum habeo. Dies interim mortis ejus in necrologio Marienmunster, quod majores ejus Comites Swalenbergenses condêre, in hæc verba notatus invenitur. *VIII Calend. Junii obiit Guntherus Episcopus Paderbornensis. Hic dedit decimam in Eyntorp nobis, hujus anniversarii mentio apud nos non recedet.* Id saltem ex his conficitur, Guntherum hoc anno non obijsse, quippe qui Calend. Augusti hujus anni adhuc tabulas electi & confirmati Episcopi confecit. Jam verò cùm aliæ literæ Theodorici Successoris apud nos extent mense Decembri hujus anni consignatæ, argumento esse poterit Guntherum sub exitum anni sponte suo munere abijsse, renunciato Episcopatu in æmulum & Successorem, quod Bruschius, Kersenbrochius, & Crantzius scripsêre; quanquam fallant nos, quòd id anno 1308 factum velint, cùm nos ex certis tabulis ad hunc annum 1310 Ecclesiæ suæ adhuc præsediisse monstraverimus. Quo loco ossa Guntheri deposita quieverint, neque id traditum accepimus. Tam obscura sunt omnia in tam illustri Præsule, qui magnus rerum humanarum contemptor primo Archiepiscopatum Magdenburgensem, deinde Paderbornensem molesto æmulo ultro cessit, maluitq; ex privata vita quam ex Episcopali dignitate atque onere multò securius in mortem ire.

in æmulum & successorem transtulit.

THE-

THEODORICUS Dynasta de Itteren XXVII. EPISCOP. PADERBORN.

Theodoricus ab Itteren cum consensu Guntheri & Pontificis in Episcopatu succedit.

POsteaquam Guntherus, pacis publicæ quietisq; propriæ amantior quàm dignitatis, ultro locum cessit Theodorico, quem hactenus æmulum habuerat; ille hoc statim anno, ut ex literis ejus monstrabimus, Episcopatum adiit, Gente Hassus ex Itteranis Dynastis, quibus nomen adhæsit ab arce Itter, ad Adranam flumen sita, à quâ Dynastia Itterana appellata. Arcis vetusta adhuc rudera scribit Dilichius in valle ac petra conspici, familiam verò eodem sæculo extinctam, postquam anno 1361 Itteranus Dynasta consanguineum interemit; ob quod facinus arx ab Henrico Landgravio & Moguntino Archiepiscopo expugnata vastataque, interemptor in Cænobium Heinam detrusus, Dynastia verò bonaque, abolito Itteranorum nomine, Hassiæ conjuncta. Cæterum Theodoricus, quod patria quædam scripta tradunt, in clero Paderbornensi fuit enutritus, adscitusque inter Canonicos & primores majoris Ecclesiæ; vir qui Canonicorum quorundam & nobilium studiis subnixus, magnis simul animis adspiravit ad Episcopi dignitatem, eòque rem deduxit, ut tandem voti compos fieret; id quòd non modò Guntheri, sed & Pontificis consensione factum apparet, quando intra paucos menses subrogatus, electum se & confirmatum antistitem Paderbornensis Ecclesiæ scribit. Quemadmodum id expublicis hisce tabulis, quibus oppidi Brakelensis privilegia comprobat, cognitum est.

Idem Privilegia oppidi Brakelensis comprobat.

Nos Theodoricus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ electus et confirmatus, universis præsentia visuris cupimus fore notum, quod attendentes favorem et dilectionem nobis ostensam in subjectione et fidelitate nobis facta Nos et Successores nostri promittimus bonâ fide discretis juris Judici, consulibus, ac Communitati Oppidanorum in Brakele omnia eorum jura antiqua sui Oppidi, sicut olim à suis Dominis habuerunt, pacifice et quiete, et volumus illabata in perpetuum observare, et gaudere pariter de eisdem. Item prædicti Burgenses de Brakele non erunt Nobis et Ecclesiæ nostræ astricti ad jurandum in aliqua privata guerra, si specialiter nos contingeret, nisi hoc de communi et omnium Dominorum suorum consensu procederet et assensu, vel nisi saltem

hoc

hoc nobis eſſent facturi de favore et gratia ſpeciali. Ceterum promittimus in his ſcriptis dictis Burgenſibus infra limites parochialium dicti loci nulla nova ædificia quæcunque conſtruere in eorum præjudicium vel gravamen. In cujus promiſſionis et confœderationis teſtimonium ſigillum noſtrum duximus præſentibus apponendum. Datum Brakele anno Domini Milleſimo trecenteſimo decimo in vigilia beatæ Barbaræ Virginis.

Annus Chriſti 1311.

Clementis V Pont. 7.
Henrici VII Cæſaris 3.
Theodorici Ep. Paderb. 1.

Succedit annus ſæculi hujus undecimus, Concilio œcumenico celebris. Indixerat hoc celebre Viennenſe concilium, Epiſcopis ex orbe Chriſtiano invitatis, Clemens V Pontifex, ad Templariorum ordinem recognoſcendum abolendumve, ad ſubſidium terræ S. inſtaurandum, ad cleri populique mores corrigendos, cumprimiſq; ad hæreſes Begardorum & Beguinarum evellendas. Igitur ut Templariorum ordo Patrum ſententia abolitus, ita fœdæ Begardorum hæreſes & nefanda conventicula damnata ſunt. Auctor hujus ſceleratæ hæreſis Dulcinus; & is licet cum Margaretha ſua pellice jam igne conflagrârat; Serpebat tamen hæc peſtis per Joannem Parmenſem Monachum & Dulcini diſcipulos, ſpecie pietatis & religionis ſparſa; quòd dicerent cum ſuo Evangelio perfectum quendam Eccleſiæ ſtatum renaſci, quem Romana Eccleſia hactenus deformârat; eòque Romanam Eccleſiam meretricem illam eſſe, quæ in Apocalypſi deſignetur: & jam tempus adeſſe, quo clerus omnis ac Præſules, prorſus ut hæretici noſtrorum temporum, eodem fanatico ſpiritu agitati, commiſceantur. Cùm illi interea flagitioſiſſimam vitam agerent, docerentque fornicationes & adulteria ad ſedandam libidinem libera eſſe. Multa deinde in hoc concilio ad diſciplinam Eccleſiæ inſtaurandam ſalubriter perſcripta ſunt. Acceſſit ad hoc concilium inter Patres Henricus Colonienſis Archiepiſcopus, Guido Trajectenſis Epiſcopus, qui in eodem concilio inter purpuratos Patres adſcitus. Quinam preterea ex his regionibus aut per ſe aut per Legatos ad concilium, quod ſupra trecentorum Epiſcoporum fuit, convenerint, non ſatis eſt in annalibus proditum.

S. Anton. Hiſtor. Eccl. Odorici Conſil. Pariſ. Concilium Viennenſe, in quo Templariorum Ordo extinctus, & Begardorum hæreſis damnata.

Chron. Colon. Trithem. in Chron. Beka in Guidone.

Trahebat per hæc alterum annum Cæſar in Italia, totuſque erat in Longobardici regni ſtatu componendo, rebellibuſque Jmperio adjungendis; cùm Guido Turnarius Mediolani Cæſaris vitæ inſidias ſtruere compertus; quo periculo per Leopoldum Auſtriæ Ducem & Teutonicos depulſo, ceteras Italiæ civitates partim deditione, partim metu, & denunciatione extremorum in fidem recepit. Cremonam, quòd Legatos admittere detrectaret, acri obſidione preſſit; qua conſternati cives, reſti in collum injecta, ſupplices ſe dedêre. Ceteris

Albertus Argent. Conradus vecer. Cæſaris in Italia expeditiones.

ris pertinacius restitit Brixiæ, ad quam Walramus Regis frater sagittæ ictu occubuit. Is casus adeo dolorem Regis accendit, ut juraret, se non per portas, sed dejecta mœnia urbem invasurum; quò cùm rem deduxisset, cives capistris in colla injectis, supplices vitam impetrârunt. At Theobaldus Bussartius, fax rebellionis, quòd Spiræ à Rege militari baltheo in fidem accinctus fuisset, equis alligatus in quatuor partes discerptus est. Subactâ Brixiâ, exercitus in hiberna deductus, ipse Genuam discessit ad hibernandum; ubi Margaretam conjugem pudicitiæ singularis, spectatæque religionis fœminam, amisit.

Levoldus. Fœdus Archiep. Colon. cum Ep. Monast. ad coërcendum Comitem Marcanum.

Per hanc Cæsaris absentiam Engelbertus Marchiæ Comes per Westfaliam rursum tumultuari cœpit, patris ingenio ferox; concitatisque rebellium capitibus, castrum Furstenberg ad Ruram, quod ab Archiepiscopo ex proximis ruinis restauratum erat, obsidione pressum expugnat, evertitque. Ad hunc inquietum Comitem coërcendum Archiepiscopus cum Ludovico Monasterienſi Episcopo fœdus fecit, quo se potentes Episcopi ad mutua belli pacisque auxilia illigârunt. Archiepiscopus deinde transito sine noxa Marchiæ comitatu, lustratâq; Westfaliâ, altero mox anno Furstenbergam instaurat, frenum circumjacentium Comitum. Neq; ausus se commovere Marcanus, hinc Colonienſis, illinc Ludovici Monasterienſis Episcopi metu repressus. Magno interim luctu Ludovicus Monasterienſis Episcopus amisit Ottonem Cliviæ Comitem, consilium, & præsidium diœcesis suæ; is enim Horstmariæ in discessu ab Episcopo morte oppressus, Clivosque deportatus, comitatu ad Theodoricum ii cognomento Pium, devoluto.

Fasti Monast.

Multum profuit hoc Episcoporum fœdus ceteris per Westfaliam Episcopis, ne quid Comitum insolentia attentaret. Accessêre Clementis Pontificis literæ, quibus Engelbertum Osnabrugenſem & Wormatienſem Episcopos defensores ac judices constituit ad recognoscenda, & propugnanda Ecclesiæ jura. Nec aliud de Theodorico Episcopo nostro proditum ex patriis scriptis, præterquam quòd Hardehusano Abbati, florentique ordini Cistertienſium benefecerit, ad eorumque petitiones & commoda agros villæ Dasburg commutârit; laudabiliusque diœcesin rexerit quàm per ambitum ingressus fuerat.

P. Crumbach. Theodoricus Ep. benefacit Hardehusanis. Litera Hardehus.

Annus Christi 1312.

Clementis V Pont. 8.
Henrici VII Cæsaris 4.
Theodorici Ep. Paderb. 2.

Conradus Vicerius Albert. Arg. Script. vetus Trevir.

Cæsar Genuâ ex hibernis ad diem quartum Calendarum Martij classe triremium triginta profectus, Pisas advehitur. Inde Romam versus contendit ad coronam augustalem accipiendam. Præcipui Germanorum in comitatu erant Balduinus Trevirorum Archiepiscopus,

scopus, Theobaldus Leodiensium Episcopus, Dux Bavariæ, Comes Sabaudiæ Guido Viennensis Delphini frater, multique proceres. Jnvitârat Henricus Rex Clementem Pontificem Romam, ut ab ipso Cæsar inungeretur; sed ille se per consilij œcumenici negotia excusans, Cardinales Legatos præmisit, partes suos expleturos. Ubi Romam accessit, reperit omnia factionibus Ursinorum & Columnensium turbata; ac Roberti etiam Apuliæ Regis armis, cui Ursini hærebant, Cæsaris hostes, urbem insessam, Regis coronationem interversuri. Cæsar profligatis Ursinis, amissoque licet inter conflictus Theobaldo Leodiensium Episcopo, urbem cum pompa ingressus, festo die SS. Petri & Pauli Apostolorum in Lateranensi Basilica à tribus Cardinalibus, Ostiensi, Fliseo & Arnoldo solemnibus cæremoniis Jmperator inungitur, magnoque spectantis populi gaudio Augustus salutatur.

Brouver. lib. 17. Annal. Trevir. Trithem. Scriptor. Italic.

Henricus Romæ à Cardinalibus inungitur & Imperator salutatur.

Inde expugnato castello, relictoq; in urbe Hugone cum præsidio militari, ac summa rei Columnensibus demandata, ipse Tibur concessit; magnisque inde animis multas Italiæ civitates, oppida, & castella subacta in fidem Jmperij recepit. Quanquam Florentia, quæ Gibellinæ factionis erat, frustra tentata. Pridie Calend. Decembris Cassiam-Burgum ingressus, festa istic Natalitia celebravit. Reliquam hyemis partem Bonitij transegit; ubi captus loci amœnitate urbem, quam montem Jmperialem appellari volunt, condere cœpit. Admirandus Princeps, qui exiguo milite & modico ærario instructus, felicissimè omnia gerebat; Quippe qui ærarium, ut Vicerius scribit, non in pecunia, sed virtute repositum habebat.

Varia Italiæ loca occupat.

Bellum quidem acre hoc anno inter Woldemarum Marchionem Brandeburgensem, & Fridericum Marchionem Thuringiæ, quo Thuringus à Brandeburgico cæsus captusque: nihil interim turbarum per Westfaliam. Atque ut pacis studia impensè culta sunt ab Episcopis; ita reperio Theodoricum Episcopum nostrum stabiliviſſe concordiam cum Ottone Hassiæ Landgravio, renovato approbatoque simul contractu pactoque Dominii Schoneberg in Hassia acquisito; ut hæc supra inter Ottonem Episcopum & Landgravium convenisse diximus.

Histor. Thuring.

Theodoricus Ep. stabilit contractum empti Dominij Schoneberg.

Pacis etiam amicitiæque causa Theodoricus Episcopus noster conventum indixit, quo controversia, quæ super salinis in Westercotten inter Episcopum & Præpositum Cœnobij Cappellensis Reinfridum de Erwite nobilem virum & Meinhardum Huddichium intervenerat, composita est, singulisque ex æquo bonoque sua salinarum pars attributa est.

Componit Controversiam de Salinis Westercottanis.

Nec minus sollicitè bonam amicitiam coluisse cum vicino Comite Ravensbergensi testes esse poterunt hæ Theodorici tabulæ.

Oeinsorgius ad an. 1320.

Promittit Comiti Ravensbergensi nullam se

Nobili viro Ottoni Comiti de Ravensberg Theodoricus Dei gratia Ecclesiæ Paderburnensis Episcopus affectus quantum poterit et honoris. Illi per quos

Personam absque ipsius scitu ad Ecclesiam Bilefeldensem translaturum.

quos Ecclesiæ pia devotione fundantur, prærogativa speciali multo plus cæteris honorantur. Devotionem igitur vestram pro fundatione Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Bilfelde in Domino commendantes, recognoscimus sub sigillo nostro præsentium testimonium literarum, quod nullam translationem personarum ad Ecclesiam in Bilefelde prædictam deinceps auctoritate ordinaria faciemus, nisi vobis pro vestra reverentia primitus requisito. Datum XIIII *Calend. Maji anno Domini* MCCCXII.

Atque his literis cùm se Episcopum scribat Theodoricus, argumento est jam Episcopum fuisse consecratum; à quibus verò Episcopis, & quo loco sit factum, nondum ex annalibus nostris compertum habeo.

Annus Christi 1313.

Clementis V Pont. 9.
Henrici VII Cæsar. ult.
Theodorici Ep. Paderb. 3.

Conrad. Vicer. de Henric. Albertus Argent. in chron. Rebdorf. in annal. Truthem. in chron. Brouver in annal. Trevir. l. 17. Serrar in Mogunt. Cuspinian 9.

Cæsar, quæ superiori anno magna felicitate confecerat in Italia, ea majoribus etiam & Cæsare dignis animis prosecutus est. Quippe 8. Martij Pisas accessit, urbem sibi fidam; ubi inito fœdere cum Friderico Siciliæ Rege 7. Calend. Maji Roberto Apuliæ Regi bellum indixit, dejecturus è regno, quod Imperij erat. Hunc enim hostem Cæsari objecerat Clemens Pontifex, & Philippus Francorum Rex; quemadmodum & Pontifex, ante coronationem Cæsaris Romam intrare jusserat, veritus ne Cæsar ea in urbe dominatum arriperet. Ad id bellum potentius conficiendum, Cæsar Balduinum fratrem Trevirensem Archiepiscopum remisit in Germaniam, haud alio consilio, quàm ut novas Germanorum Belgarumque copias adduceret; Sed magna molientem mors funestissimo casu eripuit. Quippe dum per Hetruriam procedit, castris circa Senas explicatis, ægrotare manifestè cœpit; tametsi jam à relictis Pisis morbi initia animadverterat: urgente dein vi morbi, frustraque in Maceratanis aquis remedium quæsito, ad Boni conventum Senarum castellum decubuit, ubi festo Assumptæ in cælum Virginis à Bernardino de Monte Politiano Dominicano sacerdote sacræ Eucharistiæ Sacramento accepto, haud multò post excessit è vita, ad diem nonum Calendarum Septembrium, D. Bartholomæo celebrem, *Princeps*, ut Bene Venutus Italus Scriptor ac S. Antoninus testantur, *prudens, justus, honestus, Catholicus, dilectus omnibus. Sedatis sollicitè discordiis Alemanniæ, alto animo disponebat reformare potentem Italiam, ut sic facilius redimeret terram sanctam, nunquam elatus prosperitate, nunquam dejectus adversitate* Albertus Argentinensis, *perit*, inquit, *columna magnanimitatis, et justitiæ, et flos germinis Germanorum.* Comperta Henrici Cæsaris morte, Petrus Moguntinus Archiepiscopus cum gemitu dixisse auditus, intra quingentos annos nullius Principis mortem Reipubl. fuisse nocentiorem,

Henrici Cæsaris obitus & virtus.

tiorem. Cuspinianus ex veteri scriptore hæc de Henrico Cæsare memorat. *Erat ea religione, ut sæpe totas noctes ante imaginem Crucifixi, quam semper secum ferebat, oraverit quam devotissimè, et peccata deflevérit quam amarissime, solitus sacram Eucharistiam aliquando quotidiè, aliquando summis festis accipere.* Ejusmodi passim elogiis celebratus à Scriptoribus eorum vicinorumque temporum, quæ in eo convenerunt, ut Principem bello acrem, assertorem justitiæ, magnum Christianæ fidei cultorem, defensoremq; cleri, & pauperum amantem, atque omnibus Imperatoriis virtutibus præditum commendent. Consilium optimi hujus Cæsaris fuit, id quod cum Benevenuto alij quoque referunt, pacatâ Italiâ, totis Imperij viribus Palæstinam ex manibus barbarorum repetere; sed hunc Cæsarem fata tantùm ostendêre. Corpus Pisis honorifico tumulo illatum.

Varia de genere mortis opinio, inquit Vecerius. Nam quæ fama à malevolis sparsa increbuerat, veneno sublatum Cæsarem, quod à Dominicanæ familiæ sacerdote ei præbitum esset, nonnulli, ut fit, Scriptores in literas retulêre, auidèque excepêre heterodoxi nostrorum temporum; sed manifesta calumnia, quam refellunt Serrarius, Browerus, Odoricus, alijque Scriptores. Quemadmodum Joannes Bohemiæ Rex Cæsaris filius, Balduinus Archiepiscopus Trevirensis Cæsaris frater, ac quinque Episcopi, Mediolanensis, Perusinus, Genuensis, Lucensis & Argentoratensis, qui morienti Cæsari adfuêre, Bernardum Monachum ab hoc crimine statim absolverunt; satisque hæc macula innocenti ordini adsperſa detergitur testimoniis D. Antonini, Jordani, Villani, Ptolomæi Lucensis, Mussati, aliorumque Historicorum, à quibus Cæsar naturali mortis genere, febri videlicet & profluvio ventris, obijsse scribitur; quod idem à Thoma de septem fontibus relatum, in cujus sinu Imperator animam efflavit.

Fictus rumor. Cæsarem veneno sublatum.

Amiserat anno superiori Cæsar Theobaldum Leodiensem Episcopum, Romæ ut diximus interemptum; in hujus locum hoc anno subrogatus à Clemente Pontifice Adolphus Marcanus Comes, Engelberti Comitis frater; id quod Philippi Regis Francorum patrocinio impetratum, cùm è Nivernensi Gymnasio, ubi literis operam dabat, aulam Pontificis adijsset. Ac mox 4 Aprilis renunciatus Leodiensium Antistes, tribus sacris ordinibus initiatus est; inde Leodium solemni pompa introductus. Ad quam celebritatem, quia Engelbertus frater cum magno nobilium Westfaliæ comitatu accesserat, spectavit & ipse fratrem Episcopum in festis Natalitiis primam Deo hostiam litantem. Gessit exinde Adolphus Leodiensem Episcopatum in xxx annum, magno nominis sui & Marcanæ familiæ ornamento.

Theobaldo Leodiensi Episc. defuncto à Pontifice subrogatur Adolphus Comes Marcanus.

Theodoricus verò Episcopus noster, incertum quâ publicâ privatâq; necessitate pressus, reditus Episopales oppidi Saltzcottani,

Theodoricus Ep. reditus

oppidi Saltzcottani oppignorat Bernardo Crevet.

accepta certa pecuniæ summa, oppignoravit Bernardo Crevet, militi & Dapifero suo ejusque filio Joanni, simulque Bodoni de Scelen ministeriali suo, retento interim oppido, & oppidi judicio; id quod Decani & Capituli consensione factum, monstrant tabulæ hac super re III Idus Jannuarij consignatæ. Suborta subinde fuit haud levis controversia inter Canonicas Bodecensis Monasterij Virgines, & Clericos ejus Ecclesiæ super inæquali partitione distributorum; quam Theodoricus Episcopus convocato Canonicorum ac nobilium concilio, his publicis tabulis composuit; quas vel eò referre placuit, quòd his nomina Canonicarum Virginumac Canonicorum, qui eo Episcopo vixêre percenseantur.

Componit Controversiam inter Canonicas & Clericos Bodecenses exortam super distributione redituum.

Nos Theodoricus Dei gratia Episcopus Paderbornensis omnibus hoc scriptum visuris notum facimus, quod cum in Ecclesia sæculari Budeken inter Dominam Abbatissam, Præpositam et conventum Dominarum ex una, et inter Clericos præbendarios ibidem parte ex altera super distributionibus præbendarum suborta fuisset materia quæstionis, de consilio discretorum, et de consensu partium utrobique talis dissensio sopita fuit favorabiliter in hunc modum. Quod de omnibus et singulis reditibus, fructibus, et obventionibus ad præbendas Dominarum et Clericorum spectantibus in annona, in denariis, in carnibus, in pane, vino, cervisia, piscibus, aut aliis rebus, quocunque nomine censeantur, Pars, aut partio, quæ est quarta, datur uni de Dominabus, illa pro parte dimidia tempore distributionis cuilibet de Clericis præbendariis dabitur expedite per Abbatissam, vel Præpositam, aut per aliam seu alias de Dominabus, cui vel quibus præbendarum divisio vel administratio vel in toto, vel in parte à Collegio sit commissa. Ab hujusmodi autem divisione excipiuntur 4 solidi pro persona cujuslibet Dominæ, qui sunde penninge dicuntur, et X denarij, qui dantur Dominabus in cœna Domini ad mandatum, de istis denariis Clerici præbendarij nihil tollent. Sed et 7 solidi denariorum, qui dantur pro peragendo anniversario, seu memoria Gerardi militis de Aldenbudeken non ad conventum Dominarum, sed solum ad præbendarios jugiter pertinebunt. Huic ordinationi præsentes fuerunt Domina Alheidis de Eversteyen Abbatissa, Alheidis de Emmere Præposita, Elisabeth de Ittere Decana, Ermegildis Thesauraria, Sophia de Hindeneborgh Celleraria. Item Beatrix de Enenhus, Margareta de Lippia, Heydvvigis Marscalci, Gertrudis de Elsepe, Cunegundis de Driborch, Cunegundis de Horhusen, Gertrudis de Rodenberg, Jutta de Lippia et Beatrix, Hadevvigis de Etlen, et Mechtildis de Develde, personæ conventus, tunc in dicta Ecclesia Budicensi existentes. Item Henricus plebanus Ecclesiæ, Hermannus, Reynaldus præbendarij, qui sub pœna 4 marcarum argenti puri pro Henrico de Barchusen præbendario, et eorum consocio tunc absente promiserunt, cum prædictam ordinationem ratam fideliter habiturum.

Aderant etiam testes honorabiles Domini Conradus de Depholte Decanus, Georgius Thesaurarius, Heidenricus Cantor, Ludolfus Marscalcus, Wernerus de Patberg, Joannes dictus Wenet, Reynerus Crevet, Canonici

Ecclesiæ

Ecclesiæ Paderbornensis, Magister Ludolfus Judex curiæ nostræ, Fridericus nobilis de Everstein, et alij quam plures fide digni. Ut autem concors ordinatio prædicta perpetuis temporibus in Ecclesia Budicensi fideliter observetur, eam auctoritate ordinaria confirmamus, et præsentis scripti testimonio roboramus, cui ad ampliorem certitudinem, et ad perpetuam rei memoriam nostrum sigillum et Capituli nostri ad causas Abbatissæ et conventus in Bodeken, nec non judicio curiæ nostræ, et aliorum prælatorum supradictorum sigilla præsentibus sunt appensa. Nos Conradus Decanus, Georgius Thesaurarius, Heydenricus Cantor, Ludolfus Marscalci et Magister Ludolfus judex curiæ Paderbornensis rogati à partibus supradictis communiter nostra sigilla præsenti ordinationi, cui interfuimus, præsentialiter apposuimus pro notitia veritatis. Actum et datum Paderborn Feria 3 proxime post Dominicam, Judicame Deus, anno Incarnationis Domini MCCCXIII.

Annus Christi 1314.

Sed. vac. 1.
Friderici III & Ludovici IV Reg 1.
Theodorici Ep. Paderb. 4.

Consequitur nunc annus sæculi hujus decimus quartus, Reipubl. Christianæ turbatissimus; quo, sublato ad 12 Calendarum Maji diem Clemento V Pontifice, ob Cardinalium discordias sedes Apostolica ultra biennium vacua fuit. Accessit alterum Reipub. christianæ vulnus ex altero Reipub. capite subtracto; quando ob excessum Henrici Cæsaris Imperium Cæsaris scissum in duas partes, ob duos simul Reges electos, qui octo annos pertinacissimè pro corona decertârunt. Ac postquam tota æstate altercationibus pugnatum, convenêre 18 Octobris Electores Francofurtum; eaq; in urbe Petrus Moguntinus, Balduinus Trevirensis Archiepiscopi, Joannes Rex Bohemiæ, Woldemarus Marchio Brandeburgicus elegêre Ludovicum Palatinum Bavariæ Ducem: contra Henricus Colonien-sis Archiepiscopus, Rudolphus Comes Palatinus, Ludovici electi Ducis frater, ac Dux Saxoniæ, qui per id tempus in suburbio Francofurtensi, cui Saxhusen nomen est, congressi, regnum suis suffragijs detulêre Friderico Duci Austriæ, Alberti Cæsaris filio. Auctor est Argentinensis, missum à Marchione Brandenburgico militem Legati munere, qui suffragium suum contra voluntatem Marchionis dederit Bavaro, quod ipse Marchio Austrio destinârat.

Albert. Argent. in chron. Henric. Rebdorf. Trithem. in chron. Brouver. in annal. lib. 17. Cuspinianus Annal. Boic. Hervvart. Serrar. in Mogunt. histor.

Turbatus Reipubl. Christianæ status ob dissidia in electione Pontificis & Cæsaris.

Haud dissimilis lis intervenit ex suffragio Alberti senioris & Joannis junioris Saxoniæ Ducis; Senior enim, quòd Rudolphi Cæsaris filiâ natus esset, suffragio suo in consanguineum Fridericum Austrium ibat; contra junior Dux Saxoniæ in Ludovicum Bavarum. Atque ut hunc senior excluderet, literis Pontificis, quibus Episcopus Patavienſis nominatus erat, renunciavit; ejus tamen suffragium cassum habebatur, sivè quòd jam sacris initiatus inter Ecclesiasticos reputaretur,

putaretur, seu quòd post electum abs se Henricum Luxenburgicum Regem jus suffragii cessisset juniori Duci Saxoniæ. Quanquam alij verius, quod Rebdorfius scribit, Rudolphi Saxoniæ Ducis fratrisque Alberti hujus suffragio Fridericum Austrium lectum velint, Joannem verò Saxoniæ Ducem Ludovico suffragium dedisse. Ad hunc modum utriusque Regis electionem ambiguam & implicatam fecêre ipsa aut discordantia aut obscura Electorum suffragia, quæ nunc tanta contentione disceptantur inter Bavaros & Austriacos, accuratèque pertractantur in apologeticis commentariis Herwardi, & historia Boica. Albertus Senior, ne id hoc loco omiserim, anno 1322 Patavienſis Episcopus factus, consecratusque est à Friderico Salisburgensi Archiepiscopo.

Metrop. Salisburg.

Ludovicꝰ Bavarus Rex Aquisgrani coronatur.

Peractâ utriusque Regis electione, prior potentiorque Archiepiscoporum armis Ludovicus, castra Aquisgranum movit, quò à Moguntino & Trevirensi 4000 procerum & nobilium equitum, comitatu deductus est, quibus Gerhardus Juliacensis Comes obviam processit, Aquisgranenses literis Francofurtensium condocefacti Bavarum proni intromisêre. Objecerat se quidem pro Austriaco haud procul Adolphus Marcanus, recens Leodiensium Episcopus creatus; sed cùm Austriacus tardius accederet, & ipse copias retraxit. Inde dum omnia parantur ad coronationem, lis noxia inter Moguntinum & Trevirensem se movit, utrius esset diadema imponere, postquam Colonienſis invitatus non accesserat. Lecti Principes arbitri pro Trevirensi pronunciant; itaque ab eo solemnibus cæremoniis festo D. Catharinæ Ludovicus Rex consecratus; quanquam non desint, qui ab utroq; id munus festo Epiphaniæ expletum volunt.

Ijsdem Cæremoniis à Colonienſi Archiep. Bonnæ Rex coronatur

Hac celebritate Regis præventus Fridericus Bonnæ cum exercitu substitit; ubi æmulatione Collegarum Henricus Colonienſis Archiepiscopus sub id tempus Friderico Austriæ, in Basilica SS. Cassij & Florentij, ijsdem cæremoniis regium diadema imposuit; qui deinde haud secus quàm Bavarus, multorum Principum studiis, Regem sese Romanorum tulit, magnoque urbium imperialium *plausu* est exceptus.

Fridericꝰ Dux Austriæ.

Ludovicꝰ Bavarus variis largitionibus Principum animos sibi studet demereri.

At Ludovicus Bavarus nihil veritus Colonienſium Archiepiscopum Austriumque exercitum, Aquisgrano Coloniam tetendit; quam in urbem cum ingenti pompa à Balduino Trevirensi Archiepiscopo est introductus; quem cives, frustra licet reclamante Colonienſi Archiepiscopo, honorificè exeepêre. Ea in urbe ut sibi vicinorum præsulum & Comitum atque urbium animos devinciret, aliis vetera Principum munera & privilegia confirmat, aliis nova impartitur. Theodorico Cliviæ Comiti promissa potestas duo erigendi telonia, alterum Grithæ, alterum Hussinæ in Batavia, Duisburgum & Cæsaris insula in pignus oblata. Adhæc concessus Vicariatus Westfaliæ Rhenum inter & Visurgim, data Werthinensis Cœnobij

nobij Advocatia, quæ poſt regiis tabulis confirmata ſunt: utroque munere exutus Colonienſis. Quibus devinctus Comes, poſthabita Auſtriaca ſtirpe, quam à matre ducebat, Bavaro conſtanter adhæſit. Similibus beneficiis deliniti Gerhardus Juliacenſis, Engelbertus Marcanus, Simon Lippienſis, Wilhelmus Arensbergicus, ceterique Comites, in partes Ludovici Bavari tranſiére. Facilè nunc aſſentior Alberto Argentinenſi, qui ſcribit, civitates inferioris Rheni adhæſiſſe Ludovico Bavaro, ſuperioris verò Friderico Auſtrio.

Quæ verò Epiſcoporum in hoc ſchiſmate ſtudia partium fuerint, minus compertum. Quanquam hoc regni diſſidium parum affecerit Saxoniam; eo quòd Rhenum & ſuperiorem Germaniam potiſſimum turbarit. Inter eos tamen Epiſcopos, quorum quiſq; ſuos Metropolitanos ſecutus, Theodoricum Epiſcopum noſtrum Ludovico Bavaro hæſiſſe comperio. Id quod vetus literarum fragmentum monſtrat, quorum inſcriptio integra eſt Ludovici Regis ad Theodoricum Epiſcopum Paderbornenſem. Ac licet prima pars literarum igne abſumpta; poſtrema tamen intacta ſic habet, *Adducor in mille marcas puri argenti, quas dare promiſimus, et promittimus per præſentes, cujus quidem pecuniæ medietatem in carnis privio proximo, reliquam vero medietatem in feſto Pentecoſtes proxime ſubſequente eidem Epiſcopo perſolvimus, tradentes ſibi has noſtras literas ſigillo communitas Palatinatus Rheni et Ducatus Bavariæ, quod ſigillum regium adhuc non habemus, Datum in caſtris apud Franckefurt, Anno Domini* MCCC *quarto decimo XII Calend. Novembris.* Theodoricus Ep. Ludovico Bavaro adhæret.

Igitur Ludovicus ut à Trevirenſi Archiepiſcopo quinquaginta octo millium librarum, ita à Theodorico noſtro mille marcarum mutuum accepit; ab aliis aliam ſummam pecuniæ, ad belli regiiq; nominis impenſas. Quo autem id lucro fecerit, aut quo beneficio Theodoricus Epiſcopus noſter remuneratus ſit, nullibi in annalium memoria cum ceteris reperio. Ceterum hoc anno Theodoricus Epiſcopus noſter pridie Tiburtij & Valeriani rata habet auctoritate ſua privilegia Archidiaconorum, & jura Advocatiæ; ſicuti hæc ab Ottone ſuperiori Epiſcopo data conſtitutaque erant. *Lib. ſtatut. pag. 1.* Theodoricus Ep. approbat privilegia Archidiaconorum.

Ex Epiſcopis Weſtfaliæ mors hoc anno ſubtraxit Ludolphum Mindenſem, die S. Albani Martyris, poſtquam per xx propemodum annos præclarè magiſtratum illum geſſiſſet, ſicuti hoc faſti eorum docent. Subrogatus Godefridus Waldecenſis Comes. Paſſim per id tempus Comitum filij Collegia Cathedralia implebant, magna familiæ decora, & levamenta, ne in plures filios paterna hæreditas dividenda veniret. Ex his Epiſcopi poſtea delecti, novum familiæ auxilium præſidiumque; quæ ſæpe magis quæſita, quam religio; ſicuti per id tempus Wilhelmus Arensbergæ Comes Walramum Aquiſgranenſem Canonicum, Gerardum S. Gereonis præſulem, Godefridum Monaſterienſis Eccleſiæ Scholaſticum, eum, qui poſtea Oſnabru- *Chron. Ep. Mind. Claiſorg. Gelen. in vita. Engelb. p. 151.* Moritur Ludolphus Ep. Mindenſis, cui ſubrogatur Gode-

fridus Comes Waldecenſis.

Oſnabrugenſis, ac demum Bremenſis Archiepiſcopus delectus, Fridericum Steinveldenſem Abbatem; ipſe verò Wilhelmus Comes, poſtquam hoc anno Coloniæ à Ludovico Rege pro jure clientelari comitatui impoſitus fuit, fratres hoſce patrimonij portioni facilè acquieſcentes habuit.

Annus Chriſti 1315.

Sed. vac. 2.
Ludov. IV & Friderici III Reg. 2.
Theodorici Ep. Paderb. 5.

Publicæ calamitates àpeſte & caritate annonæ. *Trithem. in chron. Brouver. lib. 17. Annal. Chron. Colon. Gerrar. in Mogunt. hiſtor. in Petro.*

Publicum ſciſſi Imperij malum accumulavit inſequens annus inaudita prope caritate annonæ & peſtilentia; quibus malis tanta mortalium multitudo abſumpta, ut tertia pars hominum interiiſſe memoretur. Uſque adeo hæc mala ſævière, ut paſſim Coloniæ triginta, Moguntiæ ſedecim, Spiræ novem, Wormatiæ ſex, Erfurti octo hominum millia extincta memorentur: vagi atque inopes exſpirârint, nec fuerint, qui cadavera humo integerent. Harum calamitatum prænuncius credebatur cometa, qui menſe Majo ſpectabatur. Quare ad iratum numen propitiandum paſſim ſupplicationes ad ſacra loca inſtitutæ.

Conflictus Regum, in quo victor Ludovicus

Inter Reges interea acerrimè pugnatum pro regno. Primum in Suevia ad Eiſtingam, iterum Spiræ, utrobiq; cruento prælio. Victor Ludovicus, adjutus à Bálduino Trevirenſi Archiepiſcopo, & Joanne Bohemiæ Rege, qui in caſtris Ludovici militabant, exinde etiam adactum ad ultimam famem utrumque exercitum extraxit è campo.

Hi Ludovici Regis progreſſus in magnas anguſtias conjecere Henricum Colonienſem Archiepiſcopum, qui ſolus fere in his ad Rhenum & per Weſtfaliam regionibus ſectabatur partes Friderici Regis; aderatque periculum, ne Marcanus ceterique ejus hoſtes inſurgerent. Sed Marcanum retinebat Adolphi fratris Leodienſis Epiſcopi afflictus ſtatus, adverſus quem Leodienſes cives rebellabant, coque Epiſcopus neceſſe habuit fœdus facere cum Brabantiæ Duce, & Marcani fratris opem implorare.

Abbas Corbeienſis Theodorico in tutelam dat arcem Blanckenau.

Magnæ interim auctoritatis erat Theodoricus Epiſcopus noſter per Weſtfaliam, tam Ludovici Regis gratiâ, quàm ordinum ſuorum concordiâ, viribuſque diœceſis præpollens. Quæ res movit Robertum Corbeienſem Abbatem, & Cœnobij illius primores, ut perfugium quærerent in Theodorici Epiſcopi noſtri tutela, arcemque Blanckenau ad Viſurgim haud procul Beverunga caſtro oppidoque ſitam, utriuſque ſimul præſidiario milite inſidendam tuendamque Epiſcopo, & Eccleſiæ Paderbornenſi perpetuum tradiderit; quod uti certis præterea conditionibus convenerit, hæ Corbeienſium literæ teſtantur.

Robertus

Robertus Abbas, Cratho Prior, Fridericus Præpositus, Conradus Portarius, Olricus Hospitalarius, Godfridus Magister caritatum, Bodo Cellerarius testantur, quod post maturam deliberationem Domino Theodorico Episcopo et Ecclesiæ Paderbornensi castrum novum dictum Blankenove construxerint, et concesserint Domino Episcopo Paderborn. in dicto castro duo loca castrensia, quæ **Borgsate** *dicuntur, titulo proprietatis in perpetuum possidenda hæreditario; ita tamen ut Episcopus duobus suis Castellanis ibidem morantibus provideat de reditibus, qui* **Borglehen** *dicuntur, Abbas vero sumptus in portarios, vigiles et alios custodes faciet de suo. Castrenses, Portarij, custodes etc. castri hujus Domino Abbati et Ecclesiæ Corbeiensi. Item Domino Episcopo, et Capitulo Paderbornensi corporali juramento se ad fidelitatem et obsequium simul obstringent, Abbas potest castrum illud vendere aut obligare: prius tamen illud offert Episcopo et Ecclesiæ Paderbornensi, qui Dominus Episcopus idem poterit de suis* **Borglehen** *facere, citra tamen utriusque partis præjudicium in suis juribus. Castrum illud erit omni tempore apertum Domino Episcopo, et Ecclesiæ Paderbornensi; Vice versa, Dominus Episcopus Paderbornensis de consensu sui Capituli pro gratitudine Domino Roperto Abbati, Capitulo et Ecclesiæ Corbeiensi dat conceditque duo loca castrensia* **Borgsate** *dicta, unum in* **Blanckenowe** */ alterum in Corbeke, in castro ibidem cum auxilio Ecclesiæ Corbeiensis construendo, pro defensione Ecclesiæ Corbeiensis, titulo proprietatis hæreditario possidenda; ita ut suis Castellanis de* **Borglehen** *provideat Abbas. Sub sigillo D. Abbatis et Capituli Corbeiensis, Item Domini Episcopi et Capituli Paderbornensis. 1315 12 Calend. mensis Januarij.*

Theodoricus Bustorffianis Canonicis restitui jubet reditus ex prædio Malride provenientes.

Quam verò æqui amans fuerit Theodoricus Episcopus, ostendunt literæ ejus, quibus Bustorfiano Collegio Canonicorum fructus agrorum ex prædio Episcopali Malride multis annis interversos reddi mandat. Sæpius de injuria questi Canonici; at Theodoricus, postquam veteres illi donationum tabulæ sunt exhibitæ, nihil moræ esse voluit in restitutione; id quod ille novis tabulis X Calend. Decembris à se hoc anno consignatis restauratum voluit.

Dominium Holte venditur Comiti Ravensbergensi.

Reperimus quoque binas tabulas, quarum primis Hermannus Comes de Lon, & Hermannus filius ejus vetus dominium Holtiorum in diœcesi Osnabrugensi, sedemque tot Episcoporum altricem, Ottoni Ravensbergensium Comiti trecentis & quadraginta marcis Osnabrugensibus vendidit; alteris vasallos, & Ministeriales ejus Dominij juramento absolutos jubet transire in fidem Ottonis Ravensbergensium Comitis. Acta hæc referuntur in judicio ad pagum Wenterschwick, *præsentibus Domino Ottone de Ahus, Joanne de Letre nobilibus, Theodorico Vincke milite,* ceterisque fide dignis viris, anno 1315 in die Tiburtij & Valeriani Martyrum.

Annus Christi 1316.

Sed. vac. 3.

Iterum à Ludovico Fridericus fugatur. *Trithem. in chron. Chron. Colon. Rebdorf. in annal. Albert. Argent. in chron. Odoricus in histor. Eccles. alijq; Scriptor. ab eo citati. Histor. Boica l. 1. p. 2. Brovv. l. 17. annal. Trevi.*

Pertinaciter subinde decertatum inter regni æmulos; pugnabantq; cum Ludovico Rege Archiepiscopi Moguntinus & Trevirensis, & Rex Bohemiæ; cum Friderico Rege Ludolphus Dux Sueviæ, Friderici frater, & Rudolphus Palatinus Rheni, Ludovici Regis frater. Victus attritusque denuo apud Argentinam Fridericus Rex, & in Alsatiam Sueviamque compulsus. Inde quadriennio rariores pugnæ, seu quòd utraque pars attrita, seu quòd Idibus Augusti novus Pontifex post biennij interregnum delectus, Joannes XXII ex Portuensi Episcopo, & Cardinali, natione Gallus, & humili loco natus, sed ob virtutem eminentemque scientiam ad Apostolicam sedem evectus. Ad hunc uterque Rex Legatos misit, Pontificemque causæ suæ judicem appellavit. Favit Pontifex hic Friderico, Fortuna Bavaro.

Victoria Ludovici anxium habet Archiep. Colon. Friderico Austrio adhærentem. *Chron. Monast. MS.*

Interim Ludovicus Rex à victoria primarias Rheni urbes decursat, novisque adversus Fridericum fœderibus sibi devincit. Collectique etiam Norimbergæ, Bacharaci, & Aquisgrani Principum conventus, in quibus de publica pace, concordia, & fide sibi data pertractatum est. Quæ res nullum magis anxium habuit, quam Henricum Colonienſem Archiepiscopum, qui fere unus inter inferioris Germaniæ Princeps Austrio hærebat; eò Lintzium adversus Trevirensem Archiepiscopum, Lechnium adversus Juliacensem, Urdingam adversus Clivium, Brulam adversus Colonienses, adversus Westfalos Susatum præmunire, & Rupertum Virneburgicum Westfaliæ Marschallum imponere cœpit.

Grumbach. Chron. Mind. Crantz. l. 9. Metrop. c. 19.

Bellum præterea, quod anno superiori Suederus de Vorst, dynasta præpotens, moverat, repetendo Bredevordam & Statlonam, hoc anno compositum est; castraque hæc Ludovico & Monasterienſi Ecclesiæ asserta sunt. Ad quod multum valuerit Ludovici Regis auctoritas, quo cum fœdere junctum referemus. Fœdus quoque ictum inter Engelbertum Marcanum & Wilhelmum Arensbergæ Comitem. A Godefrido Waldecensi Mindensium Episcopo castrum Petrihagense ad Visurgim opere firmo & eleganti constructum munitumque, in quo post ipsum ceteri Episcopi sedem habuêre. Invitavit Episcopum ad hanc structuram loci amœnitas simul, & opportunitas munitionis.

Theodoricus Ep. privilegia oppidi Braculensis instaurat.

Rursum hoc anno Theodoricus Episcopus omnia Brakelensis Oppidi jura, & privilegia instauravit; ad eum modum, quo antecessores Episcopi, atque ipse etiam anno primo Episcopus fecerat.

Cum ea, quæ aguntur in tempore, cum tempore transeant, et de facili evanescant, nisi ea perpetuantur testibus, literis et scripturis. Nos igitur Theodoricus Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Paderbornensis omnibus hanc literam visuris, vel audituris cupimus fore notum, publice protestando, quod cum voluntate et consensu expresso Præpositi, Decani, et totius Capituli nostri anti-

quum

quum jus et consuetudinem per dictos consules et oppidanos nostros in Brakele à Prædecessoribus nostris antiquitus sine aliqua nostra contradictione huc usque quiete pacifice habitam libere et possessam, videlicet disponendi, ordinandi, statuendi de pane, cerevisia et carnibus in eorum opido ratificamus, renuntiantes omni juri, si quod habuissemus in prædicto et ad evitandum prorsus quemlibet erroris scrupulum, qui eisdem Opidanis ex præmissis posset per nos vel Successores nostros nunc, vel in futurum quoquo modo exoriri; Dictum jus et jurisdictionem ipsis præsentibus literis innovamus, dantes eisdem plenam ac firmam pro libero arbitrio nostrorum auctoritatem cerevisiam praxandi, inhibendi, vendendi, deducendi, atque inter ipsos per se ordinandi, hoc tamen adjecto, videlicet quod Proconsules et Consules, qui pro tempore in dicto opido fuerint, secundum juramentum Nobis et eorum concivibus factum mensuram cerevisiæ, vel cannam statuant, et statutam renovent, prout ipsis secundum eventum temporis videbitur expedire, cui jam dicto articulo est conflictum. Quod si quis Burgensium super statutam à Consulibus mensuram, vel cannam falsam, quod absit habuerit, hoc Nobis, vel aliis Dominis in Brackele *in jure vel gratia emendabit. Insuper dedimus prædictis Consulibus et Oppidanis nostris in pistura panis, et carnium venditione secundum juramenta Nobis et concivibus eorum, ut prius facta, plenam pro eorum libero arbitrio potestatem in eorum Oppido ordinandi, statuendi, vendendi, atque disponendi, prout ipsis secundum eventum temporis visum fuerit expedire. Attendentesque quod si quid etiam de pane, cerevisia, et carnibus cesserit, aut quoquo modo derivatum fuerit, hoc Consulum erit et civitatis. Et præterea si quis Burgensium prædictam ordinationem, statutum, ac ordinatorum renovationem à prædictis Consulibus ordinatam et statutam infringere temerè præsumpserit, hoc ipsis Consulibus ac civitati solum prout dignum duxerint, emendabit. Et prorsus ad majorem omnium præmissorum firmitatem cessamus ab omni jure, omni impetitione, omni impugnatione, quibus præscriptam formam possemus irritare, aut quovis modo impedire. Ut autem omnia et singula prænominata firma et inconvulsa perenniter perseverent, præsentem literam sigillis nostris firmiter duximus roborandam.*

Hasce Episcoporum literas in annalium nostrorum memoria referre interest, quando Ferdinando Imperatore post Fisci Imperialis Advocatus molestam intendit litem, Brakeliamque & Warburgum, quæ municipalia diœcesis nostræ pleno absolutoque jure Episcopi sunt oppida, haud secus quam Tremoniam, Susatum, Lemgoviam, & Hervordiam inter liberas Imperij civitates asserere tentavit. Qua super re in Remberto Episcopo agendum est.

Annus Christi 1317.

Joannes XXII Pont. 1.
Friderici III & Ludovici IV Reg. 4.
Theodorici Ep. Paderb. 7

Ac dehinc licet inter regni æmulos aliquamdiu cessatum, quòd uterque à Pontificis sententia suspensus hæreret; non tamen ob id quies Bellum Archiep. Colon.

cum Wilhelmo Juliacensi.

quies per inferioris Rheni provincias. Colonienſis Archiepiſcopus etſi omnes ferè offenſos haberet, quòd Auſtrio ſtuderet, ceteri Bavaro; auſus tamen hoc anno Tolpiacum, à Wigboldo oppignoratum, à Wilhelmo Juliacenſi armis repetere; contraque pacem à Bavaro conſtitutam, ex inito fœdere ſollicitare Spanheimenſem, Creutzenacenſem, Virneburgicum, aliosque Comites, & Juliacenſis agros populatione vexare. Adverſus hunc cùm Juliacenſis imploraſſet Baldui. ni Trevirenſis Archiepiſcopi opem, ille expeditas militum copias ſubmiſit, quibus ab obſidione Tolpiaci depulſus eſt. Nec his quietus Archiepiſcopus, Brulæ caſtrum implevit milite, crebriſque incurſionibus fatigavit Colonienſes; quòd ſpreta auctoritate ſua Bavarum recepiſſent, pactiq; cum hoſtibus ſuis armorum ſocietatem iniiſſent.

Et Comitis Marcani contra Comitem Cliviæ.

Bellum præterea hoc anno Engelbertus Marcanus Theodorico Cliviæ Comiti intulit, caſtrumque Strunckedenam validis copiis operibusque incinxit. Clivius tam inſolentis hominis viribus impar Ludovicum Monaſterienſem Epiſcopum conſanguineum ſuum appellat. Ille haud imparatus ad ejuſmodi belli caſus, veteremque diœceſis ſuæ hoſtem, extemplo 1200 equeſtris ordinis viros, omnes equis & galeis bellatoriis inſtructos ſubmittit, clivioque junctus Marcanum ab obſidione depellit. Reperi vetus ſcriptum, quo memoratur Marcanus reus læſæ majeſtatis à Ludovico Rege proſcriptus, feudis imperialibus Clivio donatis; quòd cum Adolpho fratre Leodienſi Epiſcopo hoſtile fœdus coleret adverſus Ludovicum Regem. Clivius verò & Ludovicus Monaſterienſis Epiſcopus, ceteriique ad Rhenum & per Weſtfaliam Comites in Ludovici Bavari fide perſiſtebant. Quam ob rem Ludovicus etiam Monaſterienſis Epiſcopus Marcano altero ab hinc anno bellum ultro inferre non deſtitit, ad infeſtum illum Epiſcoporum hoſtem aliquando comprimendum.

Tom. 5. m. SS. P. Mauritii ex Geiſt. Biblioth.

Theodoricus Ep. dat Wilbacenſib9 facultatem muniendi oppidi &c.

Theodoricus Epiſcopus noſter, etſi extra hæc popularium bella ſepoſitus eſſet; haud invitus tamen hoc anno, ob frequentes hoſtium incurſiones, oppidum Wilbacenſe Præpoſito & Cœnobio Virginum præmunire mœnibuſque includere permiſit. Teſtes tabulæ, quas adſcribere viſum, ut ex ijs jura Epiſcopi in civitates, & hujuſmodi Oppida cognoſcantur.

Nos Theodoricus Dei gratia Epiſcopus, Decanus, et totum Capitulum Eccleſiæ Paderbornenſis notum facimus, quod neceſſitatem Monaſterij de Wilbodeſſen oculis paternæ conſiderationis intuentes, licentiavimus communi voluntate, et pari conſenſu, ut circa Monaſterium ſuum in ſuo fundo propriò munitionem civitatis exſtruant, ut ſic firmentur ſepta Clauſtri, et non pateat facultas communiter hoſtibus illum locum invadendi. Hac formâ additâ, et conditâ, quod Opidum illud patens et apertum erit Epiſcopo, qui pro tempore fuerit, et Capitulo noſtræ Eccleſiæ ad omnes noſtras neceſſitates, quæ poſſunt imminere, ad modum aliarum civitatum, et Opidorum noſtrorum, ſed ex

Opido

Opido illo, vel ad Opidum illud nulla debent guerræ penitus exerceri. Homines nostri aliarum Ecclesiarum et Monasteriorum nobis subditorum, atque Ministerialium nostrorum non recipientur, nec detinebuntur ibidem, nisi Dominorum suorum habeant licentiam super eo. Officiatis Ecclesiæ, si quando eos ibi contingit hospitari, hospitia sua scilicet Stroherberge homines exhibebunt; Prælatos vero et Canonicos Ecclesiæ nostræ illuc accedentes Præpositus decenter recipiat, et benigne procurabit, sicut antea fieri communiter est consuetum. Insecutiones hostium generales, quæ Volghe nominantur, cum aliis vicinis civitatibus et villis facere tenentur incolæ Oppidi illius, quando super eo fuerint requisiti. Altum judicium, quod vocatur Gogherigte, quærent sicut illud ab antiquo quærere consueverunt. Ad petitiones generales, in quas omnes Ecclesiæ civitatis concordant, pro sua possibilitate contribuere tenebuntur. Cætera omnia, quæ in eodem Opido provenire in quibuscunque rebus, et ex quacunque causa possunt, in futurum ad liberam dispositionem, et ad utilitatem Præpositi, et Monasterij pleno jure perpetuis temporibus integraliter pertinebunt. In tantum quod nobis, aut nostris Successoribus nihil juris remaneat, seu competat in eisdem illis exceptis, quæ superius sunt expressa. In cujus testimonium sigilla nostra præsentibus literis sunt appensa. Datum XIIII *Calend. mensis Maji, anno Domini* MCCCXVII.

Obitus Friderici ab Hoerde conditoris Cœnobij Augustinianorum in urbe Lipstadiensi. *Stangefol.*

Inter Westfaliæ Dynastas per id tempus humanis exemptus Fridericus ab Hoerde, religione juxta ac militia præstans, conditorq; Monasterij Augustinianorum in Lipstadiensi urbe; quo in Cœnobio cum conjuge Cunigunda sepulchro illatus quiescit, honorifico etiam epitaphio celebratus.

Joannes Pont. facultatem concedit Monasterio Wormelensi recipiendi bona, Virginibus jure patrimonij debita.

Censet inter ceteros religiosarum Virginum cœtus diœcesis Paderdornensis Cœnobium Wormelense, primum ordinis D. Benedicti, ut seqq. literis præfertur, deinde Cistertiensium, haud procul à Warburgensi civitate. Id ut à prima institutione ad hunc diem disciplina religiosa, & Virginum pietate florens fuit; ita Joannes XXII Pontifex ejus singularem curam & patrocinium interpellatus suscepit. Tria quippe in hanc rem diplomata suppetunt, annis consequentibus data, quorum primo, quod hoc anno consignatum, liberam potestatem facit poscendi adeundiq; bona, quæ Virginibus in Monasterium receptis jure patrimonij debentur.

Joannes Episcopus Servus servorum Dei, Dilecto filio Præposito, et dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, et conventui Monasterij in Wermelen, per Præpositum et Abbatissam soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti Maguntinensis diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati. Vobis præsentium auctoritate concedimus et possessiones, et bona alia mobilia et immobilia, quæ personas liberas Monacharum vestrarum mundi vanitate relicta ad Monasterium vestrum convolantium, et professionem facientium in eodem jure successionis vel alio quocunque justo titulo, si remansissent in sæculo, contigissent, et potuissent vobis liberè erogare, petere, recipere, ac etiam retinere libere valeatis, sine juris præjudicio alieni. Nulli

ergo

ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attemptare præsumpserit. Indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinion VI *Idus Junij, Pontificatus vero nostri anno primo.*

Non hîc quenquam offendat, quod Wormelense Cœnobium Moguntinæ diœcesi adscribat; id enim eò factum, quòd Metropolitanæ illius Ecclesiæ sit, quâ Paderbornensis continetur, cùm re ipsa inter limites sacros & profanos hujus diœcesis sit. Ceteris diplomatis Pontifex omnia illius Cœnobij privilegia instaurat, mandatumque dat Thesaurario Frislarensis Ecclesiæ vindicandi Virgines ab omnibus injuriis & spoliis hactenus illatis.

Tempus, quo Cœnobium hoc conditum sit, aut quis fundator extiterit, cùm nec ipsæ Virgines hodiedum meminerint, nec in ullis monumentis ejus originem reperiamus, nihil quoq; certi hac superre referre licet. Quanquam multæ ab anno 1250 donationum literæ supersint, quarum magna pars à Comitibus de Everstein facta est, ut verisimiliter ijdem Comites conditores haberi possint.

Annus Christi 1318.

Joannis XXII Pont. 2.
Ludovici & Frid. Reg. 5.
Theodorici Ep. Paderb. 8.

Brovverus lib. 7. annal. Trevir. Levold. in chron. Colon. Chron. M. Belgij Trithem. in chron. Hirsau.

Anno dehinc proximo omnis vis belli versa in Henricum Colonienſem Archiepiſcopum, tanquam in communem hoſtem, ac pacis turbatorem; admotuſque omnis armorum apparatus ad Brulam expugnandam, ex quo caſtro Colonienſes divexabantur. Duces hujus obſidionis Joannes Bohemiæ Rex, Balduinus Regis patruus Trevirenſis Archiepiſcopus, Joannes Hannoniæ, Wilhelmus Hollandiæ, Gerhardus Juliacenſis, Adolphus Montium, Joannes de Seina Comites; quibus cives Colonienſes jam antè accenſi ſe in caſtris conjunxêre. Circumſeſſa quatuor fere menſes Brula, & ad extrema deducta; quibus Archiepiſcopus adactus hac lege caſtrum dedit, ut in Balduini Trevirenſis Archiepiſcopi poteſtate eſſet, qui civibus Colonienſibus id evertendum permitteret, quandocunque à fœdere & publica pace rurſum deſciſceret. Haud multò poſt Archiepiſcopus Confluentiam invitatus; ubi omnis controverſia inter ipſum & Trevirenſem à Petro Moguntino Archiepiſcopo transacta; damnatuſque Colonienſis ducentarum librarum, Trevirenſi in compenſationem damni pendendarum. Hic fructus diſcordis electionis, ſe & Imperium laceraſſe.

Archiep. Colon. bello impetitur, & ad pacem concordiamque compellitur.

Sub id tempus Simon Comes de Lippia, & Wilhelmus Comes Arnsbergenſis mutuum quoque fœdus juravêre, dexteris ſupra Euchariſtiæ Sacramentum poſitis; quo ritu tum uſitato etiam ipſi Re-

Reconciliantur etiam Comites Lip-

ges

gesLudovicus & Fridericus posteà sibi fidem & concordiam jurasse, auctor est Rebdorfius in annalibus.

pienſis & Arnsbergenſis.

Reconciliati etiam hoc anno ex superioris belli collisione inter se Marcanus & Ludovicus Monasterienſis Episcopus; idque ut syncera se mente & pace inviolabili facere testaretur, concordiæ leges in tabulas referre jussit, quatuorque ex Cathedrali Collegio, totidemq; ex primoribus civium Monasterienſium fidejussores dedit; quanquam parum hæc valuerint apud Marcanum, hominem fallacis fidei, & bella ex bellis pro ingenio patris quærentem.

Stangefol. ex vetustis literis Rebdorf. ad annum MCCCXXII. Et Comes Marcan9 & Episcopus Monasterienſis.

Jam à multis annis locus non facilè per Westfaliam celebrior, quàm Stromberga, ob crucis effigiem miraculis & beneficiis cœlestibus insignem, eòque hominum undique confluentium frequentia cultam; cùm sacellum, in quo venerabile illud signum celebratur, fortuito incendio absumitur. At postquam Ludovicus Episcopus, qua erat religione in Deum, scriptis ad Joannem XXII Pontificem literis miserabilem casum jacturamque pietatis exposuit; Pontifex Avenione dato diplomate, quod Isevardus Patriarcha Antiochenus, duo præterea Archiepiscopi, & Episcopi consignârunt, amplas noxarum indulgentias impertiit ijs, quotquot liberalitate sua ad ædis sacræ reparationem concurrerent. Quam in rem illud Pontificis & Episcoporum testimonium literis insertum referre juvat. *Cum capella S. Crucis* inquiunt, *in Stromberg Monasterienſis diœceſis sit immensis dignitatibus, et miraculorum insignius, prout accepimus, mirificè sublimata, quæ jam prô dolor incendiis absumpta cernitur, etc.*

Sacellum S. Crucis Strombergæ combustum reparatur.

Auxit hoc anno Theodoricus Patrimonium Ecclesiæ suæ emptis à cive Paderbornensi Joanne Isheno Salinis, quas ille in Oppido Saltzcotteno amplo jure possidebat; numeratæque à Collegio Cathedrali triginta marcæ, cui Salinarij fructus cessêre. Quam in rem suppetunt Theodorici tabulæ pridie D. Martini consignatæ.

Per id tempus sublatus è numero mortalium Engelbertus Osnabrugensis Episcopus, vir præclarè per decennium meritus de sua diœcesi; quam castro etiam Witlagensi, quæ nunc Satrapæ sedes est, constructo præmunijt. Successorem habuit Godefridum Arensbergensem Comitem, Wilhelmi, ut supra retulimus, fratrem, qui Canonicorum suffragiis ex Scholastico Monasterienſi ad eam dignitatem expetitus est, demum majora affectando, Bremensem Archiepiscopatum adeptus.

Moritur Engelbertus Episcop9 Osnabrug.

Annus Christi 1319.

Joannis XXII Pont. 3.
Ludovici IV & Frid. Reg. 6.
Theodorici Ep. Paderb. 9.

Æmuli deinde Reges, qui aliquamdiu conquieverant, rediêre ad arma civilia, castrisque ad Wisbadenam Moguntinæ regionis locum

Albert. Argent. Brouver. in Annal.

Trevir. l. 17. Chron. Colon. Histor. Boica.

Variis rursum locis Colliduntur Ludovicus & Fridericus Reges.

cum positis in conspectum venêre; ibi quòd Bavarus copiis Moguntini Archiepiscopi & Balduini Trevirensis Archiepiscopi, quarum ipse ductor in castris aderat, tum aliorum auxiliis prævaleret, Austrij recusatâ belli aleâ recessêre. Iterum ad Spirensis diœcesis fines concursum, quo Leopoldus Austriæ Dux cum populando processisset, Ludovicus Rex haud segnior se objecit; nam prærer quatuor millia selectorum militum, quos ipse ducebat, aderant illi Rex Bohemiæ, & Balduinus Trevirensis Archiepiscop⁹ cum Moguntini aliorumque copiis instructus; quibus ut se imparem conspexit Leopold⁹, in Alsatiam se recepit ad Friderici Regis adventum. Atque is postquam novo milite instructus Leopoldo fratri se junxit, transito Brusia amne, in hostem procedunt. Ibi cùm hostilem exercitum validiori, eodemq; pugnandi ardore inflammatum didicêre, ne omnia in discrimen conjicerent, conversis signis retro per amnem abiêre, nullâ pugnæ factâ potestate, id quodalij tamen ad sequentem annum referunt. Tanto quietior inferior Germania, Saxoniaque, quanto remotius omnes belli motus in superiorem Germaniam contractos aspexit.

Cives Colon. apud Archiep. Trevirensem conquerunter de suo Archiep. *Stangefol.*

Interim dum Trevirensis Archiepiscopus ad Wisbadenam in castris regiis versatur, Colonienses cives Trevirensem convenerant, questi, ab Henrico Archiepiscopo suo pacis jura violata, eò se Brulam petere ad refrenandum Archiepiscopum suum. Trevirensis auditis civibus, oppugnatusq; etiam civium pecuniâ, eâ lege Brulam civibus tradit, ut facta publica Imperij pace Archiepiscopo suo reddant.

Monasterium Virginum Meschedanum convertitur in Collegium Canonicorum.

Inter has belli curas salutari consilio atque opere Colonien sis Archiepiscopus celebre Monasterium Virginum, quod in Oppido Meschedeno Ducatus Westfaliæ à Regina Franciæ olim constructum, vertit in Collegium Canonicorum, offensus luxu, et dissolutis Virginum procacium moribus.

Theodoricus Ep. permittit muniri oppidum Gerdense.

At Theodoricus Episcopus noster, ob florentem Gerdensium Virginum disciplinam, & pericula hostilium incursionum, Antistiti earum & Præposito potestatem fecit muniendi Gerdense Oppidum Cœnobio circumpositio, in hunc prorsus modum, quod id Wilbacensi Virginum Cœnobio concessisse diximus; bono simul exemplo occupando, id quod postea Pontificum decreto statutum, ne Monasteria Virginum extra urbem in agris construantur.

Nos Theodoricus Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Paderbornensis notum facimus, quod necessitatem Monasterij de Gerdene oculis paternæ considerationis intuentes licentiavimus, ut circa Monasterium suum in suo fundo proprio munitionem civitatis extruant, ut sic firmentur septa claustri, et non pateat facultas communiter hostibus locum faciliter invadendi, hac forma addita et dicta, quod oppidum illud patens et apertum erit Episcopo, qui pro tempore fuerit, et Capitulo nostræ Ecclesiæ, ad omnes nostras necessitates, quæ possunt imminere ad modum aliarum civitatum et Oppidorum nostrorum. Sed ex Oppido illo, vel ad Oppidum illud nullæ debent per nos, vel per Officiales nostros

nostros guverræ penitus exercere. Homines nostri aliarum Ecclesiarum et Monasteriorum nobis subditorum ac Ministerialium nostrorum non recipientur, nec detinebuntur ibidem, nisi Dominorum suorum licentiam habeant super eo. Officiatis nostræ Ecclesiæ, siquando eos ibi contingit hospitari, hospicia sua scilicet Stroherberge homines exhibebunt. Prælatos vero et Canonicos nostræ Ecclesiæ illuc accedentes Præpositus decenter recipiet, et benigne procurabit, sicut antea fieri est consuetum. Insequutiones hostium generales, quæ Volghe nominantur, cum aliis vicinis civitatibus nulli facere tenentur incolæ Oppidi illius, quando super eo fuerint requisiti. Altum judicium, quod vocatur Hogherichte quærent, sicut illud ab antiquo quærere consueverunt. Ad petitiones generales, ad quas omnes Ecclesiæ civitates concordant, pro sua possibilitate contribuere tenebuntur. Cætera omnia in eodem Oppido existentia in præsenti, et quæ in eo provenire in quibuscunque rebus, et ex quacunque causa possunt in futurum, ad liberam dispositionem, et ad utilitatem Præpositi Monasterij pleno jure perpetuis temporibus integraliter pertinebunt, in tantum, quod nobis, aut Successoribus nostris nihil juris remaneat, seu competat in eisdem, illis exceptis, quæ superius sunt expressa. Ne in præmissis omnibus et singulis inposterum per nostros Successores aliqua contradictio valeat suboriri, literam præsentem sigilli nostri dedimus munimine roboratam. Datum et actum Calend. Maji anno Domini Millesimo trecentesimo decimo nono.

Aliis deinde publicis literis Theodoricus Episcopus noster, Ludolphus Decanus, ceteriqueCanonici approbant, commendantque mirifice donationem agrorum, quam Bernardus Præpositus, Comes de Lippia, Wilbacensi Virginum Cœnobio hoc anno pridie S. Viti fecit; nec aliam compensationem à pio illo Virginum cœtu reposcit Præpositᵘˢ, quàm ut ab obitu anniversariam sui memoriam rite in sacris faciant. Atque hic ille Præpositus, quem paulò post Theodorico in Episcopatu subrogatum introducemus.

Annus Christi 1320.

Joannis XXII. Pont. 4.
Ludovici & Frid. Reg. 7.
Theodorici Ep. Pad. 10.

Anno posthæc vigesimo supra millesimum trecentesimum flagrantibus bellis inter utrumque Regem, abiit ex humanis Petrus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, *vir* ut Trithemius scribit, *per omnia munificus*; quod satis ostendit magnificum ejus in Moguntina Basilica monumentum, ubi erecto ad columnam sublimi stat insculptus saxo, cum infulis & podere, hinc & inde ostentans inunctos à se Reges, Henricum Lutzenburgicum, & Ludovicum Bavarum, manibus eorum diademati impositis. Adscripti versus, quibus res ab eo præclarè gestæ paucis notantur. Hoc mortuo, cùm nemo se offerret ad eum Pontificatum gerendum, Clerus Moguntinus

Trithem. in chron. Serrar. histor. Mog. in Petro Brovv. l. 17. annal. Trev. Chron. Mogunt. Petri Archiepiscopi Moguntini obitus.

guntinus Balduinum Trevirenſem Archiepiſcopum expetivit: at cùm ille renueret, votaque eorum ad Pontificem Joannem XXII refer. ret, Pontifex rejectis Moguntini cleri poſtulatis, Matthiam Comitem Bucheghium, gente Burgundum, nobiliſque Morbachienſis in Alſatia Cænobij ordinis D. Benedicti Abbatem, virum doctrina & virtutibus excellentem, Moguntinis Archiepiſcopum dedit: effecitque Balduinus Trevirenſis Archiepiſcopus, ut Cæſar approbaret, & Clerus populuſque reciperet. Is deinde conſtituta die in urbem introductus, arctiſſimam pace belloque ſocietatem cum Trevirenſi Archiepiſcopo coluit, ac magnis animis, magnoque bono diœceſin in octavum annum adminiſtravit, Ludovici Cæſaris principio ſtudioſus; poſtquam verò hic multa contra Eccleſiam machinari cœpit, proſcriptuſque fuit à Pontifice, partes ejus deſeruiſſe, indicat Scriptor Chronici Moguntini.

Trithem. in Chron. Chron. M. Belgij Levoldus.

Cives Colonienſes inſuum Archiepiſcopum, & hic in Epiſcopum Monaſterienſem inſurgit.

Auctor eſt Trithemius hoc anno cives Colonienſes inſurrexiſſe rurſum in ſuum Archiepiſcopum; ac poſtquam commutato cum Trevirenſi præſidio Brula potiti ſunt, alia præterea caſtra Archiepiſcopo eripuêre. Quanquam non ſine juſta Numinis pœnâ id factum reputes. Nam eo anno, ut Levoldus ſcribit, arma ſua conjunxit Archiepiſcopus cum Marcano Comite adverſus Ludovicum Monaſterienſem Epiſcopum, virum integerrimum. Is quia continuis injuriis vexabatur à Marcano, Caſtrumque Portzlerium Marcanus prædonibus impleverat, Monaſterienſi Diœceſi infeſtis, Ludovicus obſervata opportunitate ex Marcani caſu, quier fracto crure decumbebat, Portzlerium obſedit. Rem pro debili Marcano egit Henricus Colonienſis Archiepiſcopus, contractisque ſuis per Weſtfaliæ Ducatum, Adolphi Montium Comitis, & Marcani ipſius copiis, cum Ruperto Virneburgico Marſchallo Weſtfaliæ, ſeu fratre ſeu conſanguineo ſuo, movit in Ludovicum Monaſterienſem Epiſcopum, primoque acceſſu ab obſidione depulit, fœdâ Monaſterienſium fugâ, qui timore perculſi, Epiſcopum ſuum fruſtra obnitentem perſiſtentemque deſeruêre.

Inteſtina Warburgenſium cum vicinis Nobilibus bella. *Chron. Warburg. MS.*

Procul ab his bellicis curis ac turbis Theodoricus Epiſcopus noſter pacem bonam colebat cum vicinis Comitibus, unicè in concordiam ordinum, & diſciplinam Cleri, Caſtra & Oppida intentus. Nec tamen impedire licuit, quo minus per inteſtina & tumultuaria bella diœceſis turbaretur; quando per id tempus haud leve certamen fuit Warburgenſibus cum Nobilibus & Caſtrenſibus, quorum vita prædis & agrorum populationibus alebatur. Neque Warburgenſibus ullus circum locus infeſtior erat, quàm Deſenberga in conſpectu urbis poſita. Id Caſtrum ſicuti Caroli M. ævo rebellium Saxonum, ita tum nobilium prædonum erat receptaculum; ab his vexati laceſſitique perpetuo Warburgenſes, explicatis equitum peditumq; vexillis, prodiêre in Campum. Dux armatorum

rum civium Joannes Geismarius Consul, militaris ingenij & intrepidæ mentis vir. Occurrit ex adverso Nobilium conglobatorum acies cum famulis & prædatorio milite. Ubi in mutuum conspectum venêre, signa intulit consul; consertumque in planitie ad Desenbergam acre prælium; quo Warburgenses Victores hostem cum ingenti clade compulêre in fugam. Et quia inter cives multi fortiter pugnando occubuêre, consul Geismarius Sacerdotium & aram perpetuis proventibus dotavit; ad quam pro civibus eo prælio desideratis solennes à sacerdote preces fierent. Perstat in hunc diem nobilis claraque Geismariorum familia, de urbe sua non minus quàm religione Catholica præclarè inter hæreses nostrorum temporum promerita.

Annus Christi 1321.

Joannes XXII Pont. 5.
Ludovici IV & Friderici III Reg. 8.
Theodorici Ep. Paderb. 11.

Anno hoc Ludovicus Rex ad inferiores Rheni partes descendit, & Bacharaci in regio oppido conventum Principum egit. Quinam verò Episcopi accesserint, quinam principes ac proceres, nemo scriptorum, quæ eorum temporum desidia & raritas erat, ullibi satis prodidit. Balduinum certe Trevirensem Archiepiscopum, penes quem tum summa rerum moderatio erat, interfuisse constat ex Ludovici diplomate, quo Balduino pro bellicis studiis, & fidâ Reip. operâ, potestatem fecit, omnia Imperij feuda pignori oppositа redimere, &, quæ caduca erant, in suæ Ecclesiæ utilitatem attrahere; id quod Bacharaci à Ludovico, regni sui, ut scribit, anno VII, feria quarta post festum Virginis in Cælum assumptæ consignatum est, relatumque à Browero in annalibus. Neque alia hujus conventus potior causa fuerit, quàm ut inferioris Rheni Saxoniæque principes ac optimates in suâ fide arctius adstringeret, opemque adversus regni æmulum sollicitaret. Conventus Principum Bacharaci. *Alb. Argent. in Chron. Brouver. in Annal. Trevir. l. 17. Trithem. in Chron.*

Per hanc Regis absentiam Fridericus Rex cum fratre Leopoldo Bavariam superiorem ingressus, omnia latè impuneque per decem hebdomadas ferro flammâque vastavit. Ludovicus etsi ad hanc irruptionem excitus advolaret, quia tamen viribus impar erat, necesse habuit se intra munitiones suas continere.

Per Autumnum hujus anni Henricus Colonienſis Archiepiscopus Civibus reconciliatus, diœcesanam in urbe Agrippinensi synodum habuit, frequenti præsulum congressu; in quâ cùm multa laudabiliter statuta sint, tum maximè Cleri mores emendati, statutumque, ne hi tabernarios quæstus faciant; ne vestes virgulatas, vi- Synodus diœcesana Coloniæ.

rideſve, aut Clerico indecoras geſtent: ne quis locum in Capitulo habeat, qui Subdiaconus non ſit: ne quis ſacerdos recens initiatus plures ſolenni ritu miſſas celebret; irrepſerat quippe pravus mos, primas miſſas quæſtûs causâ plurimis in locis celebres habere, convocato per præcones & mulierculas populo.

Quæ per omnes hactenus annos Theodorico Epiſcopo noſtro cura fuit, pacem cum omnibus colere, hanc poſtremo Epiſcopatûs ſui anno impenſè ſumpſit; nam cùm inter Caſtellanos ſuos, veterem Warburgenſem arcem incolentes, & cives Warburgenſes diſſenſio oborta fuiſſet, quâ mutuis ſe damnis laceſſebant ad arma, Theodoricus non modò litem compoſuit, ſed omnia utriuſque Warburgenſis oppidi privilegia, quæ ſuperiorum Pontificum liberalitate obtinebant, novis rurſum tabulis inſtauravit; dummodoeâ, quâ hactenus, fide & obſequio Paderbornenſem Eccleſiam proſequerentur. Tabulæ hæ anno Mcccxxi pridie S. Matthiæ Apoſtoli conſignatæ apud nos ſervantur. Et verò cùm Bernardi ſucceſſoris literas habeamus, eodem anno, D. Matthæi die, electi & confirmati Epiſcopi nomine datas, quibus certos agros circa urbem Paderbornenſem Collegio Cathedrali oppignorat; conficitur certè, Theodoricum Epiſcopum intra id tempus hujus anni munere & vita defunctum eſſe. Unde colligas errare eos, qui cum Bruſchio, Kerſenbrochio, aliiſque anno ſuperiori obijſſe tradunt. Quonam verò die aut menſe hujus anni extinctus, aut ubi tumulus illi datus ſit, neque nobis adhuc compertum eſt. Tam parca & obſcura hujus Epiſcopi memoria in faſtis, ut præter nudum nomen nihil fere de eo proditum ſit. Nos demum ea, quæ ab ipſo per decennium geſta ſunt, ex relictis monumentis eruta ad ſingulos annos retulimus. Ac tametſi non adeo memorabilia ſint, ut eorum eſſe ſolent, qui per ambitionem ingrediuntur Epiſcopatum; id tamen illi laudi dederis, quod Epiſcopatum magnâ tranquillitate atque ordinum concordiâ adminiſtrârit, adeòque abundârit opibus, qui Ludovico Regi magnam pecuniæ ſummam mutuam dare potuerit, quo ſibi & Regis Patrocinium, & Moguntini Archiepiſcopi Metropolitani ſui benevolentiam comparavit; eamque auctoritatem felicitatemque conſecutus eſt; quem nullus vicinorum Comitum armis infeſtârit.

Obitus Theodorici Ep. Paderb.

ANNA-

IHS

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XIII.

BERNARDVS

V9 Comes Lippiensis

XXVIII.

BALDVINVS

Dynasta Steinfurdensis

XXIX.

EPISCOP. PADERBORN.

BERNARDVS V9, Comes Lippienſis XXVIII.

EPISCOP. PADERBORN.

Annus Chriſti 1321.

Joannis XXII Pont. 5.
Ludovici IV & Frid. III. Reg. 8.
Bernardi V Ep. Paderb. 1.

Bernardus tertius ex Comitibus Lippienſibus Epiſcopus Paderb.

HAud multum ab exceſſu Theodorici deliberatum de Succeſſore, quando jam antè omnium ſuffragiis deſignatus Bernardus Majoris Eccleſiæ noſtræ Præpoſitus; vir qui à primis annis in hoc Clero enutritus, ob virtutum merita ad ſupremam hanc Præpoſiti dignitatem evectus erat. Quo in munere, ob ſingularem prudentiam auctoritatemque, tempore diſſidij, Tutor Paderbornenſis Eccleſiæ delectus fuerat; ejuſque conſilio ardua quæque Guntherus & Theodoricus anteceſſores Epiſcopi ejus adminiſtrârant. Idem & tertius ex Lippienſium Comitum familia, poſt Bernardum IV. & Simonem I. Paderbornenſis Epiſcopus, natus patre Simone I. Lippienſium Comite. Frater illi fuit Simon II natu major, idemque paternorum bonorum heres ac ſtirps; ex qua ad hunc diem Lippienſes Comites propagati: fratres præterea habuit Hermannum Præpoſitum Huxtarienſem, Theodoricum & Henricum ordinis Crucigerorum equites.

Initia Epiſcopatus & Vaſalli ejus. *Gobeli. ætat. 6. c. 68.*

Principatus gubernationem, quam Bernardus in xx annum prudentia & felicitate armorum clarus produxit, magnis animis aggreſſus eſt; peractâ enim inauguratione, convocavit vaſallos & clientes diœceſis, ut Gobelinus noſter ſcribit; quos inter primarij memorantur Landgravius Haſſiæ, Henricus Comes de Waldegge, Hermannus

mannus Comes de Everstein, Guntherus Comes de Swalenberg, Comes de Retberg, Otto Comes de Ravensberg, & Bartholdus Domicellus de Büren, à quibus juramentum fidei solemni ritu in conventu ordinum præstitum. Ac Landgravius quidem, quòd recens, ut supra relatum est, castrum Shoneberg, *castrum Dreidenborg, sylvamque Reinerswalt fiduciario titulo ab Episcopo Paderbornensi acceperat, jurejurando sanctè fidem obsequiumque Ecclesiæ Paderbornensi obligavit. *al. Shonenborg.

Sub id tempus ejusdem anni Mccccxxi. quo Episcopatum ingressus est Bernardus (ut in veteri feudorum libro, & certis tabulis consignatum est) postridie D. Liborij Comes Ravensbergensis feudi titulo ac beneficio accepit à Bernardo Episcopo Satrapiam Sparenbergensem, venationem in sylvis, & decimas, quas jam feudi beneficio ab aliis Episcopis tenebat. Deinde cessere Comiti in feudum arx ipsa Sparenbergensis, Bilfeldia, & domus Dyken in ericeto Sennæ. Postremò prædium Borichusen, ac decem Colonorum domicilia in ericeto Sennæ incendio deformata, unàque cum his sylvæ & nemora circumposita. Alharto verò militi de Busche decimæ in Waddenberg & Barch, curia Braeck cum duobus prædiis, tribus piscinis, agrisque in Worden. Magnæ olim Episcoporum opes per montes Teutonicos & subjectam planitiem, quæ majores aspicerentur, si perinde constaret, quantum Lippiensibus Comitibus, à tot consanguineis Paderbornensibus Episcopis feudi titulo datum sit. Quæ Comes Ravensberg. alijque feudi titulo à Bernardo acceperint.

Pridie subinde D. Martini Bernardus Episcopus Brakelensibus ob fida hactenus obsequia, Episcopis & Ecclesiæ suæ præstitis, instaurat omnia privilegia, quotquot ea à superioribus Episcopis civitati data fuerant; cujus rei tabulæ apud nos extant, Episcopi sigillo communitæ. At nihil per initia Episcopatus impensius prudentiusque agebat Bernardus Episcopus, quàm ut ordinum suorum vicinorumque Comitum, & clientum urbiumque animos conjunctos devinctosque haberet; versabat enim cum animo urbem Paderbornensem ad obsequium reducere. Commune tum id urbium Episcopalium erat, postquam opibus non minus, quàm insolentia & luxu & civium multitudine invaluerant, jura sacra violare, Clerum opprimere, rebellionem cœptare, Episcopos spernere, eamque libertatem sibi asserere, quâ omni se imperio Episcopi sensim exuerent. Id sicuti ante Ottonem Episcopum moliti sunt, ausi etiam castrum Neohusanum, sedem Episcopi, expugnare, & munimenta vallorum æquare solo; ita rursum ad ingenium reversi, comperti sunt multa insolenter tentare, & Episcopo suo insultare. Quod cum magnanimus præsul non ferret, contractis nobilitatis suæ, Vasallorum, vicinorumque Comitum auxiliaribus copiis urbem Paderbornensem, ducto ad omnes portarum exitus aggere, circum vallavit. Qua arcta obsidionis necessitate, cùm nec exitus pateret, nec aliunde auxilia Bernardus Ep. Brakelensium privilegia confirmat. Vicinos sibi Comites & Nobiles adjungit. Quorum operâ urbem Paderborn. obsidet, & ad deditionem cogit.

lia exspectarentur, coacti cives se ad tractationem pacis obtulêre; datisque arbitris, quæ Episcopi clementia erat, certis conditionibus pax convenit: jussi interim cives in pœnam quadringentas marcas pendere. Ita tum quidem per arbitros statutum. Ac cùm inter præscriptas pacis leges quædam non satis explicatè relata essent in tabulas, quæsitâ, ut fit, ab inquietis nova litis & libertatis materia, qua multos exinde annos haud leviter exagitati Episcopi, uti hæc Gobelinus noster retulit; à quo tamen certus annus hujus obsidionis perscriptus non est, quare & nos ad initia ejus Episcopatus retulimus.

Crantz. l. 8. Saxo. c. 35. Haud omiserim hic Crantzij judicium, quod de urbium statu, quæ per ea tempora floruêre, perscriptum est. Crescente Oppidorum munitione, crevit & civium in Principes contumacia: quare sine fine laboratum à nobilitate, vel urbium vires enervare, vel penitus obruere. Si tamen isti per modestiam imperarent, & illi per mansuetudinem parerent, nihil sanctius in terris istis hominum cœtibus, quos Cicero urbes appellat, coleretur. Id verò cùm in omnibus Principum urbibus, tum maximè in Episcoporum valere par est; quando satis constat, si primæ origines repetantur, omnes per Saxoniam Episcoporum urbes, Osnabrugum, Bremam, Mindam, Hildesium, Halberstadium, Monasterium, Verdam, Paderbornam, Hamburgum, Magdenburgum, ceteraque, quæ accessêre ex vicis arcibusque in Oppida, ex Oppidis in populosas & magnificas urbes, Episcoporum industria excultas, primumque præmunitas esse: nec ab origine Cæsarum donatione ac privilegiis alios habuisse Dominos, quam pleno jure Episcopos.

Annus Christi 1322.

Joannis XXII Pont. 6.
Ludovici IV & Friderici III. Reg. 9.
Bernardi V Ep. Paderb. 2.

Conflictus Friderici & Ludovici Reg. in quo hic victor, Fridericum captivum abducit. *Albert. Argent. Rebdorf. in annal. Cuspinianus in Friderico. Brouver. lib. 17. annal. Trevir.*

Trahebatur per hæc in nonum annum intestinum bellum inter æmulos Reges, quod hoc anno decretoriâ inter utrumque pugnâ Ludovicum victorem fecit. Irruperat Fridericus Austriæ in superiorem Bojariam, confirmatus Henrici fratris milite & Regis Ungariæ quatuor millibus sagittariorum, magnamque vastitatem intulerat. Quo strepitu armorum exitatus Ludovicus, quam maximas potuit ex inferiori Germania copias equitum peditumq; conduxit. Junxere se veteres amici, Joannes Bohemiæ Rex, & Balduinus Trevirensis Archiepiscopus; censaque fuêre xxx millia peditum ab Rheno inferiori deducta ad Ludovicum. Convenêre exercitus in Bojaria ad Oenum inter Mullendorfium & Oetingam in aciem, quos ipsa dies S. Wenceslao sacra cruento prælio commisit. Fridericus non exspectato Leopoldo fratre, qui cum Suevorum copiis in præcinctu erat, secus quàm ceteri suadebant, agmen ducentorum, qui

à Cassid-

à Caſſide galeati dicebantur, in hoſtem ire jubet: mox octingentos ejuſdem armaturæ cum vexillo ſubſequi imperat; ipſe poſtremò cum robore militiæ in mediam aciem invectus fortiſſimè omnium decertat. Et jam capto Bavari vexillo, pulſoque ejuſdem peditatu, victor incedebat; cùm Bavari equitatus peditem revocat, redintegratoque prælio, Auſtrios in fugam compellit. Captum militare ſignum: ipſeque Fridericus, trajecto per medium corpus equo, fortiter adhuc dimicans, poſtremumque obrutus, in poteſtatem Ludovici venit, ſupraque triennium incluſus hæſit, inde captivus in arcem Trausnitiam abductus. Eâ victoriâ non modò Alſatia, ſed & totum Imperium tranſiit ad Ludovicum, uno Leopoldo belli reliquias ſuſtinente, imploranteque Pontificem & Galliarum Regem.

Hiſtor. Boic. Chron. Elvvan. Chron. Salisburg.

Pacata per hæc Saxonia; niſi quòd in Chronico Salisburgenſi legam, Albertum Saxoniæ Ducem copias junxiſſe Friderico Auſtrio, & cum hoc prælium produxiſſe Saxones. Quietus quoque Colonienſis Archiepiſcopus, quamlibet Friderici ſtudioſiſſimus. Is togæ ſacræ conſilia amplexus, ſub id tempus fere, pridie videlicet Calendas Novembris, celebrem habuit Coloniæ provincialium Epiſcoporum ſynodum; cui Godefridus Oſnabrugenſis, & Godefridus Mindenſis interfuêre, Ceteri per Legatos; miſſuſque à Ludovico Monaſterienſi Epiſcopo Magiſter Rutgerus de Aldendorp Decretorum doctor, & Henricus de Bicken Canonici Monaſterienſes. Multa in ea ſynodo ſalubriter ſtatuta, ac pleraque renovata ex ſynodis Engelberti Archiepiſcopi.

Chron. Salisb. apud Caniſium tom. ult. Synodus Provincialis Colonienſis.

Opportunè hæc Epiſcoporum ſynodus convocata ad Lolhardorum hæreſin obterendam, quæ à Waltero quodam Lolhardorum Magiſtro, & principe flagitioſiſſimo illius ſectæ, in urbe Colonienſi, vicinisque locis diſſeminabatur. Eademque hæc ſecta erat, quæ Begardorum & Beguinarum, quæ in Italia origines ſumpſerat Dulcino hæreſiarcha, inde per Auſtriam & Bohemiam ſparſa; reſeditq; inter Bohemiæ latibula ad tempora Huſſitarum & Lutheri, è qua tanquam erucarum ſemine noſtrorum temporum hæreſis renata. Docebant enim hi peſtilentes homines, Miſſæ ſacrificium eſſe ſuperſtitionem: Baptiſmum haud plus valere, quàm quodlibet balneum: Hoſtiam, quæ in ſacrificio offertur, aut in Euchariſtia ſumitur, non niſi fictitium eſſe Deum: proſcripto pœnitentiæ Sacramento, peccatorum confeſſionem non Sacerdotibus, ſed Laicis faciendam eſſe: Matrimonium haud aliter quàm meretricium contractum reputandum: Extremam unctionem nihil prodeſſe mortalibus: Romanam Eccleſiam congregationem eſſe impiorum; ridebantur conſecrationes Sacerdotum, templorum, altarium, aliorumque ſacrorum; damnati ab his dies feſti, jejunia, bonorum operum merces, Sanctorum honor cultuſq;; quippe, qui dicerent inane eſſe Sanctorum opem implorare: nec B. Virginem, à partu manſiſſe Virginem,

Trithem. in Chron. Hirſaug. ad annum 1315 & 1322. Lolhardorum hæreſis, ejuſque nefaria dogmata.

& quæ ejusmodi nefanda erant dogmata, quæ tamen ipsorum etiam confessione cœli soliſque lucem non ferrent: cœtus suos conventusq; non nisi in speluncis & tabulis ædium agitabant, in omnem libidinem effusi; nulloque discrimine miscebatur pater cum filia, frater cum sorore, mares cum fœminis; qui tamen omnium sanctissimos se ferebant, cùm mortalium flagitiosissimi viverent. Horum magister doctorque Walterus, postquam Moguntia Coloniam venerat, sparsisq; in vulgus libellis, Germanico idiomate scriptis, multos corruperat, comprehensus est & in carcerem conjectus, palam ante supplicium confessus, multos se relinquere sui dogmatis tam in urbe, quàm invicinis circum locis discipulos.

At ne hæc hæresis in Westfaliam penetraret, fecit vigilantia Episcoporum, qui tum præstantissimi censebantur ex avita majorum religione, Ludovicus Monasterienſis, Godefridus Osnabrugensis, alterque Godefridus Mindensis, Bernardus Paderbornensis, cæterique sacrorum præsules. Et Ludovicus Monasterienſis, qui ob generis claritudinem ac sapientiam hoc ipso anno arbiter pacis inter Henricum Colonienſem Archiepiscopum & Comitem Waldecensem delectus, ea lege utrumque composuit, ne Statberga, Mons videlicet Martis, suo præsidio nudaretur, nisi & Comes vicissim castrum Wetterburgum prius everteret. Quæ pacta cùm post violarentur, Ludovicus rursum utrumque reconciliavit: Quo tempore simul Ludovicus Episcopus fundationem Capellæ Strombergensis liberalitate Conradi de Batenhorst militis factam approbavit, idque consensione, uti tabulæ monstrant, venerabilium Dominorum Decani, & totius Capituli, Egberti de Benthem Ecclesiæ majoris Vicedomini & Archidiaconi Strombergensis. Effecêre id Pontificis literæ, dequibus supra relatum est, & Ludovici religiosissimi pietas, qua erga S. Crucem locumque sacrum ferebatur.

P. Crumbach ex vetustis monumentis.

Ludovicus Ep. Monast. Comitem Waldec. & Archiep. Colon. conciliat.

Et ratam habet fundationem sacelli Strombergensis.

Bernardi interim Episcopi nostri haud aliud negotium, quàm cum suis viciniſque bonam amicitiam colere. Quemadmodum inter ipsum & Robertum Corbeiensem Abbatem mutuæ defensionis fœdus initum; id qnod pridie D. Martini publicis tabulis consignatum est. Atque ut duas potentiores suæ diœcesis civitates, Warburgum & Brakelenam, arctius sibi in societatem pacis bellive colligaret, utrique vetera privilegia confirmavit. Qua super re in tabulario nostro publicæ literæ adsunt. Ac Warburgensium tabulis dum se Bernardus Episcopum inscribit, satis constat altero statim anno consecratum fuisse.

Bernard9 Ep. Pad. vetera Warburg. & Brackelensium jura confirmat.

Haud minori beneficio sibi devinxit Comitem Swalenberg. & Ravensberg. Nam cùm Guntherus Swalenbergensis Comes ob inevitabilem, ut scribit, necessitatem Ottonem Ravensbergensem Comitem cognatum suum publicis tabulis anno superiori feciſſet successorem bonorum, simul transscribendo illi omnes Vasallos, Ministeriales,

Gunther9 Comes Swalenberg. à Bernardo Ep. petit sibi per-

nisteriales, & feudatarios suos; aliis etiam literis ad Bernardum Episcopum nostrum scriptis petit id sibi ejus voluntate & beneficio permitti, ita enim Comes ad Episcopum nostrum. mitti, ut possit successorem bonorum suorum facere Comitem Ravensberg.

Reverendo Domino suo, Domino Bernhardo Episcopo Paderbornensi Dei gratia Guntherus Comes de Svalenberghe debitum obsequium cum salute. Notum vobis facimus harum serie literarum, quod cum pleno et expresso consensu filij nostri Adolfi, ac omnium hæredum nostrorum, omnes nostros Ministeriales et vasallos, atque fideles in virum Nobilem Dominum Ottonem de Ravensberg consanguineum nostrum prædictum, et suam posteritatem transtulimus, cum omni jure, quod nobis et nostris hæredibus in eis hactenus competebat, vel competere possit in futurum. Quapropter honestatem vestram attentius deprecamur, quatenus Ministeriales nostros et vasallos, atque fideles, à vobis, et ab Ecclesia Paderbornensi descendentes, sicut nos et progenitores nostri eos à vobis et prædecessoribus vestris tenuimus, præfato Comiti conferre dignemini, et eum ac hæredes suos de præmissis infeudare. In cujus rei testimonium et munimen præmissorum nostrum sigillum præsentibus duximus apponendum. Datum et actum anno Domini 1322, crastino Divisionis Apostolorum.

Annus Christi 1323.

Joannes XXII Pont. 7.
Ludovici IV & Friderici III Reg. 10.
Bernardi V Ep. Paderb. 3.

Victo & in captivitatem abducto Friderico Rege, cùm pax & quies sperabatur, novum Reipublicæ Christianæ vulnus infligi cœpit. Quippe Joannes Pontifex Ludovicum Regem Avennionem ad dicendam causam citat; datumque crimini, quòd nondum inspectâ probatâque electione regnum sibi sumeret, & Imperatorem se gereret sine Apostolicæ sedis auctoritate: quodque Galeatium & Vicecomitem Mediolanenses schismaticos damnatosque à Pontifice armis adversus Ecclesiam Romanam juvisset, ac filium suum septemvirali dignitate auxisset. Nam exstinctâ Brandeburgicorum Marchionum familiâ, Ludovicum filium majorem natu Marchiæ Brandeburgicæ imposuerat. Inde Ludovico, cùm ad dictum diem se non stitisset, V. Idus Julij abrogatur Imperium. Eâ sententiâ per omne Imperium promulgatâ, Ludovicus. xv Calend. Jannuarij Nurimbergæ concilium advocat, palamque contestatur, iniquis apud Pontificem accusationibus secum agi, qui majori Suffragiorum numero sit electus, nec consilia, nec arma cum hostibus Romanæ Ecclesiæ communicarit; eò se appellare ad Pontificem melius edocendum, aut ad concilium generale, aut ad sedem Petri, quæ Romæ sit; quòd in Galliis Rex Galliarum inflammaret Pontificis adversus se odia. Sanè auctor est Albertus Argentinensis, convenisse per id tempus propè Confluentiam Legatos Pontificis & Regis Franciæ, agitasseque

Novæ in Imperio turbæ, ob abrogatum à Pontifice Ludovico Regi Imperium.

tasseq; cum Germanis consilia de Francorum Rege ad Imperium admovendo, quæ disjecerit Commendator Ordinis Teutonici, frater Matthiæ Moguntini Archiepiscopi. Quanquam nec Parisijs, uti nec in Germania à juris consultis probaretur processus adversꝰ Ludovicũ; interq; Theologos repertus est Ockamus, gente Anglꝰ, & ordine Franciscanus Monachus, qui Ludovico scripserit, securumq; fecerit hoc cum primis dicto: tu me Imperator gladio, ego te calamo defendam.

Comes Marcanꝰ diœcesin Monasterienſẽ vastat capto ejusdem diœcesis Episcopo. *Levold. Chron. Monast. Kersenbrog. in Episcop. Monast.*

Atque ea dum commoto rursum Jmperij statu aguntur, Westfaliam conturbavit Engelbertus Marcanus Comes; factâ quippe in diœcesin Monasterienſem irruptione, Halterenam ad Luppiam Monasterienſis Episcopi Oppidum occupat; inde per interiorem diœcesin ferro flammaque grassando, Sendenhorstium Oppidum expugnat, injectisque ignibus exurit, frustra Ludovico Episcopo Oppidanos ad defensionem, frustra etiam suos nobiles clientesque milites ad subsidium pugnamque cohortante. Quibus non dejectus Ludovicus Episcopus validiores copias contrahit, ulturusq; Marcanum, ad Hammonam Oppidum expugnandum ducit. Quæ postquam Marcano maturè detecta, cum instructis copiis in campum prodit, occurrentemq; Monasterienſem Episcopum ad pontem Hammonenſem unâ cum 70 equitibus intercipit, captumq; abducit. Id quod Hassorum militum, quos è sua gente condictos, submissosve à Landgravio habebat, temeritate, locorumq; ignorantiâ factum referunt annales. Ea victoriâ inflatus Marcanus pridie Apostolorum Petri & Pauli novam in diœcesin incursionem fecit, perlatusq; ad diœcesis aggeres, quos vulgo Landwere vocant, Episcopi provinciales milites excubitoresq; profligat. Inde pridiè Margaretæ virginis ad arcem Reuschenberg Monasterienses aggressus, altera clade in fugam compellit. Sed levia hæc, nec digna referri, nisi Levoldus Marcanorum suorum studiosissimus retulisset.

At Theodoricus Cliviæ Comes, cùm indignè ferret iis injuriis tractari cognatum Episcopum suum, quem Otto frater introduxerat; & ipse Marcano bellum movit, magnaque damna Marchiæ intulit. Quâ opportunitate excitati Monasterienses Halterenam recipiunt, junctamque Cliviæ comitatui Marchiam pervastant. His malis fractus Marcanus ad pacta se offert; datique arbitri Adolphus Montium, & Henricus Waldecensis Comites. Pax demum his legibus convenit: Ludovicus pro se & ceteris captivis 7000 marcas penderet: Marcano fas esset Lunense Oppidum Luppiæ impositum munire, & pro arbitratu ædificiis instruere.

Spectabat hæc ex bona quiete Bernardus Episcopus noster, nullis vicinorum bellis immixtus, quem hic annus occupavit in perlustrandâ diœcesi, inspiciendisque parœciis, & religiosorum Monasteriis. Ac cùm grata memoria recoleret liberalissimam donationem Sophiæ Herisiensis Abbatissæ, totiusque cœtus illius religiosa-

rum

rum Virginum, quæ ante centum annos castrum Hindeberg, & civitatem Brakelensem ultro in manus dedêre Bernardo III Episcopo, & Paderbornensi Ecclesiæ, uti hæc supra à nobis relata sunt, Bernardus Episcopus noster multis atque eximiis privilegiis Herisiam exornavit, quod hisce literis posteritati testatum esse voluit.

Bernardo Ep. plura Herisiensibus privilegia confert.

Bernardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus salutem omnibus in perpetuum. Noscat evidenter fidelium, tam præsentium quam futurorum, sincera charitas, quod donationem proprietatis castri Hindenburg, et civitatis in Brakele, et septem mansorum ante castrum Hindenborg sitorum, quos quidem mansos una cum castro Wernberg Wernerus et Joannes fratres de Hindenborg nobis et Ecclesiæ nostræ vendere decreverunt, prout mansi illi in toto vel in parte ab Ecclesia Herisiensi descenderunt, quam Domina Sophia Abbatissa secularis Ecclesiæ Herisiensis de consensu sui conventus nobis et Ecclesiæ nostræ perpetua donatione donavit, et tradidit; gratam gerimus et acceptam, ejusq; donationem in hoc facto multipliciter commendamus, et ut eadem Domina Abbatissa ac Herisiensis Ecclesia in perpetuum sentiant, se à nobis perfectam gratitudinem recepisse, de consilio, beneplacito, ac pleno consensu honorabilium Dominorum, Præpositi, Decani et Capituli nostri statuimus et ordinamus, ut quidquid juris, commodi, seu honoris Ecclesia Herisiensis, et ejus homines habuerunt in civitate Brakele, excepta sola proprietate fundi civitatis, hoc totum integrum et illæsum retinere debeant in futurum, eo superaddito, quod bona Ecclesiæ Herisiensis, et personarum, seu hominum ipsius Ecclesiæ et etiam ipsi homines in civitate Brakele judicio Ecclesiastico, vel seculari nunquam debebunt, nec poterunt arrestari, nisi possit legitime ostendi, quod seu homines Ecclesiæ ipsius coram Domina Abbatissa Herisiensi, quæ pro tempore fuerit, justitiam facere denegarint. Item pro ampliori recompensa ejusdem donationis de consensu Capituli nostri Dominam Abbatissam, et conventum, et Clerum per Dominam Abbatissam in Herisia beneficiatum, et familiam Dominarum libertamus, eximimus, et liberos esse volumus in perpetuum ab omni exactione seu contributione, aut petitione Episcopali, sive illa sit generalis per totam diœcesin Paderbornensem, sive specialis, ad Clerum Episcopatus Paderbornensis, et ad Ecclesias in Paderbornensi Diœcesi constitutas. Ita videlicet quod Ecclesia Herisiensis ad quamcunque exactionem, contributionem, subventionem et petitionem Episcopalem sub quacunque forma verborum hoc exprimatur, vel exprimi possit, nihil omnino contribuere teneatur. Imo etiam talis contributio ab eadem Ecclesia et ejus personis nec unquam debet peti, nec omnino requiri; sed curati tenebuntur facere, quod una cum aliis sacerdotibus in æde Brakele existentibus hactenus facere consueverunt. Adhæc ex uberioris gratiæ et benignitatis dono in recompensam supradictæ donationis concedimus Ecclesiæ Herisiensi, quod si Ecclesia ipsa seu ejus personæ nomine Ecclesiæ pariter et divisim uno tempore vel pluribus bona aliqua, scilicet decimas, mansos, et quæcunque bona alia hæreditaria comparare possint, vel alia justo titulo acquirere usque ad summam trecentarum marcarum denariorum Susatensium, exceptis munitionibus, et jurisdictionibus

Elionibus et judicijs, et propriis hominibus Ecclesiæ Paderbornensis, quorum quidem bonorum ad nos et Ecclesiam nostram proprietas pertinet, illam proprietatem nos, vel Successores nostri et Capitulum liberaliter, et absque ulla difficultate donabimus, et donare tenebimur Ecclesiæ Herisiensi, et literas super tali donatione confectas absque difficultate, et expensis literarum Herisiensis cum sigillis nostris dabimus sigillatas. Ad evidentiam verò, et ad perpetuæ rei memoriam eorum, quæ supra scripta sunt, præsentem literam sigillorum nostrorum, scilicet Episcopi et Capituli, fecimus appensione muniri. Nos vero Dei gratia Præpositus, Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis supra dicta omnia recognoscimus esse vera, et pro testimonio nostræ ratificationis, approbationis, voluntatis, et consensus sigillum nostrum apposuimus huic scripto. Testes hujus rei sunt Ludolfus Decanus BB. Apostolorum Petri et Andreæ Paderbornensis, Liborius Canonicus Ecclesiæ Bilveldensis, et Notarius Reverendi Domini Episcopi Paderbornensis, Bertoldus et Henricus Presbyteri hebdomadarij Ecclesiæ Herisiensis, Henricus Capellanus Dominæ Abbatissæ Ecclesiæ prædictæ, Rabeno de Driborch, Hermannus de Heerse milites, Henricus Bolemast, Gerardus de Telingsdorpff Officiatus Domini Episcopi prædicti famuli, et alij quam plures fide digni. Datum die Dominica, qua cantatur misericordia Domini. Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo tertio.

Annus Christi 1324.

Joannis XXII Pont. 8.
Ludovici IV & Frid. III. Reg. 11.
Bernardi V Ep. Paderb. 4.

Odoric. in histor. Eccl. Bzovius. Herwart9. Annal. Boici. Chron. Colon.

Ludovic9 R. à Pontifice excommunicatur.

Laborabat per hæc Imperium ex dissidij malo inter Pontificem & Ludovicum Regem. Nam etsi Ludovicus Legatos suos misisset ad Pontificem, qui objecta crimina diluerent, atque ipse etiam, si qua in re læsisset Pontificem, pro ijs satisfacturum se, fidumque Ecclesiæ defensorem promitteret; Pontifex nihilominus ex causis in concilio Cardinalium discussis (quas auctor historiæ Ecclesiasticæ multis exponit, contenditque adversus Herwartum) X Calend. Aprilis Ludovicum Regem anathemate percutit, ac V deinde Calend. Julij veluti contumací Imperium abrogat, quod scriptis per Germaniam ad Episcopos literis promulgari jussit. Quare vetus denuo schismatis malum, severitate Pontificum, Germaniam afflixit. Quippe cùm Trevirensis Pontificis mandato parere detrectaret, obsecuti sunt Moguntinus & Colonienſis Archiepiscopi: Ceteris inter hæc Episcopis & Principibus, quo se veterent, ambiguis, & hinc Regis, inde Pontificis indignationem metuentibus.

Nuptias Coloniæ celebrat.

Ludovicus Rex interea secundo Rheno delatus deductusq; à Joanne Rege Bohemiæ ac multis Germaniæ proceribus mense Julio nuptias habuit Coloniæ cum Margaretha Wilhelmi Hollandiæ Comitis filia. Confluxit ad hanc celebritatem magno numero Germanica

nica Belgicaque nobilitas; à quâ cùm Henricus Colonienſis Archiepiſcopus ſe ſubtraheret, conſortium Regis, communione priorum à Pontifice interdicti, averſatus, ſummam Regis (cui tamen conſtantiſſimè hactenus hæſerat) indignationem incurrit. Ut videas quàm fluxæ ſint & vanæ Principum amicitiæ. Ad Regis iram urbs Colonienſis, ac veteres Archiepiſcopi hoſtes ſe commovêre; obſeſſaque à Rege Bohemiæ Bonna Archiepiſcopi ſedes; quemadmodum id ab auctore Chronici Bohemici ſcriptum eſt; interque cetera damna Advocatia urbis Tremonienſis adempta Archiepiſcopo, translataq; auctoritate Regis in Waldecenſem Comitem. *Chron. Bohem. Calviſius P. Crumb.*

Ingens deinde bellum conflatum in Ludovicum Monaſterienſem Epiſcopum, ſeu Rege inflammante, quòd cum Colonienſi ſe ad Pontificis voluntatem accomodaret, ſeu Gelriæ Comitis conſpiratione. Interceperat enim Gelder Brevordiæ caſtrum; quam injuriam ulturus Monaſterienſis, caſtrum armata manu recipit, aliaque Geldri loca aut vaſtat, aut eripit, milite, ut fit, ſimul in arma accenſo. Ad quæ Gelder excandeſcere, & ferale claſſicum canere; tractique in ſocietatem belli Joannes Rex Bohemiæ, Epiſcopi Leodienſis & Trajectenſis, Comites Flandriæ, Hollandiæ, Arteſiæ, Marchiæ, Juliæ & Montium; Ab his exercitus 7000 equitum, & peditum longè majori numero contractus, itumque in Monaſterienſem diœceſin. Non in hoc diſcrimen conjectus Ludovicus animum abjecit; præterque provincialem militem, quem maximis contraxerat viribus, Epiſcopum Oſnabrugenſem, Lippienſem, Waldecanum, Seinenſem, alioſque ſibi Comites & Dynaſtas jungit in belli ſocietatem. Horum auxiliaribus copiis adjutus, confiſuſque patrocinio D. Pauli, & cauſæ æquitate Coesfeldiam procedit, hoſti obviam. Strabat feſto D. Ægidij die uterque exercitus in acie, ac velitationibus etiam commiſſus; cùm viri inter eos ſpectabiles miſerati impendentem lanienam, pacem ſuasêre partibus; ad quam mox proni Epiſcopus ac Gelder. Datus inter alios arbiter Trajectenſis Epiſcopus: conventumque diſcedere ab armis, caſtrum Bredevordiæ permittere Gelro, circumjacentem verò terram cum villis & incolis juri Epiſcopi relinquere. Hæc tum ſanctè pacta, quanquã mox violata à Geldro. Bellum Ludovicum Ep. Monaſt. inter & Gelriæ Comitem quorundam interventu componitur.

Utrumne Bernardus Epiſcopus noſter unâ cum Epiſcpo Oſnabrugenſi, & Timone fratre Lippienſium Comite Ludovico Monaſterienſium Epiſcopo ſubſidia militaria transmiſerit, etſi veriſimile habeam, in annalium tamen noſtrorum memoria non reperio. Synodus Paderb. à Bernardo Ep. anti. quo ritu celebrata.

Is interim hoc anno decoro magis Epiſcopi munere occupatus, convocato omni ſuo Clero & religioſorum ordine, celebrem Paderbornæ ſynodum celebravit, quam hoc priſco Epiſcoporum ritu, ut in ea annotatum, ingreſſus. Poſt hymnos horæ, quam primam dicunt, decantatos, Epiſcopus Capitularem locum intravit; ac poſtquam cum præſulibus Eccleſiæ & Canonicis pertractaſſet ea,

quæ

quæ in synodo proponenda, quæque ad mores Cleri populique corrigendos decernenda essent, processit ad chorum Basilicæ, sequentibus Canonicis, conseditque ad aram principem; ubi retento candido indumento, sumpsit cappam & infulam Episcopalem capiti impositam, chirothecas, pedum pastorale, & annulum. Inde precibus rite persolutis, inter duos Abbates infulis quoque conspicuos medius deductus ad synodi locum; hos secuti Præpositus & Decanus palliis quoque sacris decori, post illos ceteri Canonici & Clerus omnis ordine suo, sacris quoque indumentis ornati. Agmen illud sacrum præcessêre duo scholares cum signo crucis; post illos duo alij scholares, quorum alter thuribulum, alter candelabrum gestabat. Hos consecuti Diaconus & Subdiaconus, quorum alter librum Evangelij, alter sacras vestes præferebat. Demum cantores duo Canonici, ac Camerarius, à quo sella Episcopalis deportabatur. Ita synodum ingressus Episcopus; in qua cùm multa utiliter constituta sunt, tum ordo divinorum officiorum per singulos anni festos dies accuratissimè digestus, atque integro, qui supereſt, libro præscriptus. Quam in rem hoc Episcopi mandatum, quod libri præfatio habet, in synodo palam recitatum. *Hunc ordinem divinorum officiorum venerabilis Pater Dominus Bernardus de Lippia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus ex diversis Prælatorum ejusdem Ecclesiæ libris antiquis colligi et scribi fecit, et statuit ab universo ejusdem Ecclesiæ Clero in perpetuum observari, ipso die Galli Confessoris in generali synodo. Anno Domini* MCCCXXIIII, *et mandavit, quod quicunque Prælatus aut Clericus post publicationem sine consilio sui Episcopi et Capituli simul aliqua in isto ordine mutaverit, ipso facto in anathemate sit.*

Castrum & oppidum Vörden, donatione Abbatis Marienmunster. accedunt ad Ecclesiam Pad.

Auxit etiam hoc anno Bernardus Episcopus diœcesin suam castro & Oppido Vörden. Id quidem castrum Abbas Cœnobij Mariæ olim extruxerat, munieratq; cum Oppido; post verò, cùm adversus vicinorum incursiones, prædonum insolentiam, & temporum iniquitatem nec castrum, nec oppidum cum circumpositis possessionibus infirmi Monachi tueri amplius non possent, Abbas & Cœnobitæ ultronea donatione ad Episcopum & Ecclesiam Paderbornensem transtulêre; delectusque in locum Comitis Swalenbergensis Episcopus Advocatus & defensor Monasterij. Quanquam id non sine grata compensatione Episcopi & Capituli factum sit. Ea verò donatio, cùm ad annalium nostrorum memoriam spectet, hîc ipsas tabulas reddimus.

Bernardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus salutem omnibus in perpetuum. Quæ coram nobis perpetuo duratura in memoria digna geruntur, ne per oblivionem tollantur, expedit ut scripturæ testimonio posteris innotescant. Noverint igitur universi, & præcipue illi, quorum interest, quod Dominus Hermannus Abbas & totus conventus dicti Monasterij prope Svalenberg, ordinis sancti Benedicti, nostræ diœcesis, providâ deliberatione præhabitâ, consideranti statum terræ sibi circumjacentis esse periculosum, & bona sua temporalia jacere absque cultoribus, miserabiliter esse desolata, nec adesse sibi temporales facultates, sine quibus cultus divinus libere exerceri non potest, unde Fratribus de conventu victualia, & quotidiani stipendia ministrentur. Et quia contra quotidianos prædonum, & invasorum loci illius insultus ultra subsistere non valent, nisi assit eis temporalis dominij præsidium opportunum; propter quod ad nos, & ad Ecclesiam nostram, de qua maxime bonum præsumunt, fiducialiter confugientes

gientes, personas suas, & omnia bona sua mundana per nexum colligationis indissolubilis nobis subdiderunt, & firmiter astrinxerunt, ut propter nos & successores nostros & Ecclesiam nostram nullum quærere, requirere, & assumere Dominum, defensorem, Advocatum, aut tutorem valeant in perpetuum temporalem. Nosque & Successores nostri atque Ecclesia nostra Abbatem & conventum de Monasterio, & omnia bona eorum defendere atque tueri constanter tenebimur pro omnibus viribus nostris contra invasores & oppressores, quorumcunque dolo, fraude, & negligentia penitus exclusis, ut sub alis protectionis nostræ, & Successorum nostrorum pacis amenitate, & rerum temporalium ubertate, prout Deus donaverit, securius perfruantur. Et si occasione colligationis & subjectionis Abbatis & conventus prædicti, à Comitibus de Schwalenberg/ seu aliis quibuscunque, cujuscunque sint conditionis, sexus, aut status, impugnantur, opprimuntur, eos à talibus oppressionibus debemus juxta omnem possibilitatem nostram defendere, & efficaci defensionis subsidio præservare. Per hanc tamen colligationem nullum jus speciale in bonis, prædicti Monasterij Nobis, aut nostris Successoribus acquiratur, ut in hominibus & bonis Monasterij ejusdem aliquas petitiones facere, vel quicquam temporalis commodi petere, quærere, vel exigere debeamus, sed solam defensionem & conservationem hominum & bonorum Monasterij ejusdem, ut est dictum. Item prædictus Dominus Abbas & totus conventus de Monasterio post plures deliberationes, & post diversos tractatus solennes, qui in factis hujusmodi de juris præcepto præcedere, & præmitti debent, ex speciali dilectione, & propter firmam spem, quibus circa Nos, & Ecclesiam nostram cum charitatis zelo moventur, pari voto, unanimi voluntate, atque cum expresso consensu omnium illorum, quorum consensus ad hoc fuerat merito requirendus, donaverunt Nobis, Successoribus nostris, & Ecclesiæ Paderbornensi donatione vera, perfecta, atque in perpetuum valitura munitionem suam, videlicet castrum & Oppidum dictum to dem Vorde/ cum omnibus suis juribus & jurisdictionibus, & specialiter eum alto judicio, quod Gogerichte vulgariter dicitur, agris, campis, silvis, nemoribus, terris cultis & incultis, viis & inviis, aquis aquarumque decursibus, piscinis, cum decimis, & cæteris pertinentiis universis, prout hæc omnia comprehenduntur & includuntur sub metis, finibus, terminis seu limitibus inferius annotatis. Quod quidem castrum & munitionem Abbas & conventus prædicti in solo fundo proprio suo suis propriis sumptibus exstruxerunt, nihil juris sibi retinentes, seu reservantes ibidem nisi solam Ecclesiam in Oppido constructam, & quatuor mansos in campo à decima solutos, unam piscinam ante Oppidum, & unum molendinum, quod eidem piscinæ adjacet, quæ cum una area ad hoc convenienti ad dotem illius Ecclesiæ jugiter permanebunt. Isti vero sunt limites & termini, in quibus concluduntur agri & cætera jura ad Oppidum Vorde pertinentia, et incipiunt à via, qua itur de Brakele ad Monasterium Munster prope Abbenborg ascendendo ad piscinam charitatum, piscina ipsa exclusa, & à piscina ipsa usque ad molendinum Schnaghermullen/ molendino excluso, & à molendino citra montem Schulenborg/ monte ipso excluso, & per medium vallis intra montem Schulenborg & Monasterium ascendendo ad viam, quæ dicitur Munsterweghs/ qua itur à Monasterio in villam, quæ dicitur Wenden/ per silvam dictam Munsterholt/ monte Hungerberg incluso usque ad vias Schratwegen/ & transeundo viam Schratwegen ad villam Wende prope tiliam in sinistra parte villæ, tilia in supercilio montis exclusa, & sic à villa Wenden directe procedendo ad viam, qua itur de Oldenborg versus Huxariam, & deinceps per paludem Woldessen ad locum, ubi terminatur Tilwoldesser Marck/ & ab illa marca directe transeundo ad Oldenberger marcam, piscina tamen Woldesse apud Monasterium remanebit. Item ab Oldenberger Marck ad locum dictum Schwineßgrabe, & ab hinc circulariter redeundo ad viam Brakelen, qua itur ad Monasterium prope Abbenborg, de qua signa terminorum & limitum, ut supra scribitur, sumpserunt initium. Ex hac larga & devota donatione Nobis & Ecclesiæ nostræ facta perpendere debent nostri Successores, se ad protectionem dicti Monasterij, & bonorum ipsius, etiamsi labores & expensæ eis in hoc accrescant, non frustra sed ex debito obligari. Nos etiam ut eandem liberalitatem gratitudine condigna perpendere & respicere dinoscamur, de beneplacito, voluntate, & consensu totius Capituli nostri, & nominatim Domini Borchardi de Asseborch loci illius Archidiaconi, dotes Ecclesiarum, atque Ecclesias in Nihim, & in Pomessen, ac in Oldenberge, & quatuor mansos ante Oppidum Nihim sitos, Nobis & Ecclesiæ nostræ pertinentes à decima absolutos, & duas areas in Nihim, quarum unam inhabitavit plebanus, & alteram eidem contiguam, quæ fuerat Hermanni de Horne, ut ex illis fiat una area dotalis, ab omni servitio & onere civi-

tatis quitam, & liberam donamus, donatione vera, perfecta, & similiter in perpetuum valitura, atque incorporamus cum omnibus suis juribus, & pertinentiis Abbati & conventui de Monasterio supradicto, ut eædem Ecclesiæ una cum Ecclesia Steinheim / & Ecclesia in Voerde sit in potestate Abbatis & conventus de Monasterio. Et quod Abbas Ecclesias suas per suos Monachos, viros tamen idoneos ad suum beneplacitum ponendos & revocandos seu removendos ex causa dum noverit expedire, gubernari faciat, & fructus, proventus seu obventiones ab eisdem Ecclesiis recipiat, ex quibus indigentiam Fratrum sui conventus amplius relevare: jura tamen ligna resecandi in Marcke Oldenberge ad dotem Ecclesiæ hactenus pertinentia quæ Echtwort in vulgo nuncupantur, Nobis, nostris successoribus, & Ecclesiæ specialiter reservamus, & ad munitionem Voerde volumus jugiter pertinere: Item de consilio & consensu Capituli nostri cassamus, & irritamus litteras prædecessoris nostri super translatione facienda per Abbatem & conventum prædictos de Monasterio ad Oppidum Steinheim confectas, sed potius decernimus, ut in loco suæ primæ fundationis de cætero permaneant, ut loci illius fundatores sua spe & devoto proposito, qui congregationem Monachorum ibidem instituerunt, & ibidem permanere perpetuo decreverunt, ipsaq; litteras declaramus de cætero nullius existere firmitatis eo salvo, quod Ecclesia in Steinheim cum sua dote, & cæteris pertinentiis incorporata remaneat Monasterio supradicto, & Abbas Monasterij, qui pro tempore fuerit, per Nos & successores speciali quadam prærogativa honorari dignoscatur, quotiescunque Abbas Monasteriensis post electionem de se factam confirmatus fuerit ab Episcopo Paderbornensi, tunc curam animarum Ecclesiarum in Nihim, in Steinheim / in Pomessen / in Voerde / & in Oldenbergen / quæ ab Archidiacono loci hactenus tenebantur, recipere debet, cui etiam Episcopo de juribus Ep.[illegible]opalibus, quantum ad Ecclesias illas integre respondebit. Nos etiam & Successores nostri, qui collationes prædictarum quinque Ecclesiarum in potestatem Abbatis Monasteriensis, & suorum Successorum transtulimus pro aliquali recompensa, potestatem habebimus conferendi in Monasterio ex nunc & in perpetuum tertiam præbendam, quam ibidem vacare contigerit, personæ tamen idoneæ, & ad regularem institutionem aptæ: Quæ quidem persona recipietur absque difficultate à Fratribus conventus, secundum consuetudinem, quæ juxta Monachos ibidem de novo receptos à retroactis temporibus esse dignoscitur observata. Quotiescunque vero Abbas prædictus in præfatis quinq; Ecclesiis, seu in altera ipsarum novos Rectores ponere decreverit, toties destinabit eos ad loci Archidiaconum, ut sibi solum quo ad observantiam & executionem mandatorum suorum obedientiam repromittant. Ipse enim Abbas, seu confratres sui, qui prædictis Ecclesijs præsunt, Archidiaconum loci, vel ejus substitutum temporibus illis, dum synodis præsidet, & præsidere consueverunt, Archidiaconalibus honorifice recipere, & decenter procurare tenebuntur, sicut hactenus fieri est consuetum. Cum autem Monachi illi, qui prædictas regunt Ecclesias, decedunt, vel ad mandatum sui Abbatis recedunt, loci Archidiaconi jura illa, quæ communiter vocantur synodalia, & quæ à sæcularibus Clericis decedentibus suis Archidiaconis exhiberi consueverunt, dare, & persolvere, cùm Monachi proprium non habeant, nullatenus tenebuntur, nec Archidiaconus loci talia jura debet requirere seu petere ab ijsdem, sed in recompensam istius emolumenti Abbas Monasteriensis, & ejus successores Archidiacono in Steinheim qui pro tempore fuerit, unam marcam denariorum in Susato legalium, in die B. Galli Confessoris in Paderborn singulis annis futuris nomine pensionis annuæ præsentabunt. In signum etiam recognitionis hujus donationis, & libertatis per Nos & Ecclesiam nostram factæ Monasterio supradicto de omnibus prænominatis quinque Ecclesijs dabit Abbas Monasteriensis Capitulo nostro singulis annis in die B. Liborij Confessoris viginti & quatuor libras ceræ, de qua fieri debent duo cerei magni omni die ad missam in superiori choro ante altare B. Liborij post præfationem accendendi, & nullatenus extinguendi tam diu, quousque elevatio salutaris hostiæ & calicis cum omni reverentia plenius sit completa. Vt autem præsentis ordinationis perpetuus contractus fideliter & inviolabiliter observetur, præsentes literas desuper confectas conscribi, & sigillorum utrarumque partium, Nostro scilicet & Capituli nostri, & Abbatis atque conventus de Monasterio parte ex altera appositione litteris præsentibus sub una forma & tenore duplicatis ad perpetuam rei memoriam fecimus communiri. Nos verò Henmannus Abbas & conventus de Monasterio prope Schwalenberg supradicti, omnia & singula superius in præsentibus litteris conscripta recognoscimus esse vera, & ad firmandam gestorum hujusmodi veritatem sigilla nostra præsentibus duximus appnenda. Testes hujus rei sunt Ludolphus Decanus Ecclesiæ Sanctorum Petri & Andreæ Apostolorum Paderborn, Henricus Decanus novæ Ecclesiæ sancti

sancti Petri in Huxaria, Bertholdus Plebanus in Brackle, Liborius Notarius dicti Domini Episcopi, Everhardus de Menderſen, Olricus de Neder famuli, & alij quamplures fide dign. Datum Paderbornis, Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo quarto, in die beati Petri Apostoli ad Cathedram.

Convenêre præterea hoc anno Delbrugiæ Bernardus Episcopus, Simon frater Comes, & Simon Comes Ritbergensis Paderbornensis Ecclesiæ Canonicus, multique honorati viri. Quo in congressu Simon Comes Lippiensis largos decimarum proventus, quos in superiori inferiorique Brake, Comitatus Lippiensis, à majoribus feudi nomine ab Ecclesia Paeerbornensi acceperat, ultro reddidit Bernardo Episcopo fratri suo; quos exinde Episcopus ex consensu Capituli Abbati & Cœnobio Marienfeldensi donavit; idque religione & pietate in sacrum hunc locum factum ab utroque, in quo tritavus illorum Bernardus II olim Monachi habitum susceperat, ex eoque Selonienſium Episcopus transumptus erat. Extant hujus donationis binæ tabulæ, quorum alteræ in Delbrugia Idibus Martij, alteræ Paderbornæ XII Calend. Aprilis multis testibus approbatæ consignatæque sunt; ac in postremis hisce Simon fatetur, se id ex voluntate quatuor filiorum suorum, Henrici videlicet Mindensis Præpositi, Ottonis, Simonis & Bernardi fecisse; ut jam Pideritius Scriptor Lippiensis fallat, qui duos tantum Simonis hujus II filios recenset, Ottonem videlicet & Bernardum, à quibus comitatus primùm in duas partes divisus, Ottone Blombergam, Bernardo Hornam incolente. Sed ille heredum tantum filiorum meminerit.

Convenêre præterea hoc anno Delbrugiæ Bernardus Episcopus, Simon frater Comes, & Simon Comes Ritbergensis Paderbornensis Ecclesiæ Canonicus, multique honorati viri. Quo in congressu Simon Comes Lippiensis largos decimarum proventus, quos in superiori inferiorique Brake, Comitatus Lippiensis, à majoribus feudi nomine ab Ecclesia Paeerbornensi acceperat, ultro reddidit Bernardo Episcopo fratri suo; quos exinde Episcopus ex consensu Capituli Abbati & Cœnobio Marienfeldensi donavit; idque religione & pietate in sacrum hunc locum factum ab utroque, in quo tritavus illorum Bernardus II olim Monachi habitum susceperat, ex eoque Selonienſium Episcopus transumptus erat. Extant hujus donationis binæ tabulæ, quorum alteræ in Delbrugia Idibus Martij, alteræ Paderbornæ XII Calend. Aprilis multis testibus approbatæ consignatæque sunt; ac in postremis hisce Simon fatetur, se id ex voluntate quatuor filiorum suorum, Henrici videlicet Mindensis Præpositi, Ottonis, Simonis & Bernardi fecisse; ut jam Pideritius Scriptor Lippiensis fallat, qui duos tantum Simonis hujus II filios recenset, Ottonem videlicet & Bernardum, à quibus comitatus primùm in duas partes divisus, Ottone Blombergam, Bernardo Hornam incolente. Sed ille heredum tantum filiorum meminerit.

Cenventꝰ Delbrugiensis in quo Comes Lippiensis Decimas Episcopo Paderb. reddit, quas hic Cœnobio Marienfeldensi attribuit. *Piderit. Geneal. 7. Chron. Mind. Crantz. l. 9. Metrop. c. 19.*

Eodem in loco Bernardum Episcopum inter & viduam Friderici de Hörde convenit de Villâ Monninghausanâ, tabulis sequentibus hac super re decima sexta Januarij confectis.

Et convenit inter Episcopum & viduam de Hörde de villa Möninghausen.

Nos Cunegundis relicta quondam Friderici de Hörde militis, ac Thymmo et Bernardus eorum filij recognoscimus, ac præsentibus attestamur, quod cùm quæstio seu controversia inter Nos ex unâ, et Reverendum Dnum Dominum Bernardum Episcopum, Præpositum, Decanum, et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis parte ex altera super officio suo seu villicatione in Monninghausen verteretur, placitavimus et concordavimus, mediantibus Nobilibus viris Dominis Simone Domino Lippiensi, Hermanno, Ludolpho Burggraviis in Stromberg, et Alberone post milite amicabilibus compositoribus, dictis vulgariter Sôulûde / inter nos ſpecialiter pro utraque parte deputatis et electis cum dictis Domino Episcopo, Præposito, Decano et Capitulo, in hunc modum videlicet, quod dictum officium, seu villicationem in Monninghausen, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, quod, vel quam ab eisdem Dominis, Episcopo, Præposito, Decano et Capitulo, tenemus pro octingentis marcis denariorum in monasterio et Sosato legalium titulo pignoris obligatum, seu obligatam, quandocunque, quocunque anno dicti Domini, Episcopus seu successores, seu Præpositus, Decanus, et Capitulum intra Beatorum Martini et Petri ad Cathed. subsequentis festa duntaxat dictum officium seu villicationem redimere decreverint, pro summa prædicta octingentarum marcarum denariorum

riorum prædictorum reddere et restituere tenebimur, liberum et solutum, seu liberam et solutam quibuslibet oppositionibus, dilationibus, seu impetitionibus ex contradictionibus quorumlibet retrojectis, cumque Nobis seu alteri nostrorum dictam redemptionem per unius mensis spatium præintimaverint, seu suo nomine præintimari fecerint, ipsum terminum solutionis in Lippia respicere, et pecuniam nostram hujusmodi ibidem recipere erimus obligati: renunciantes ex nunc oppositionibus, defensionibus, literis et instrumentis quibuscunque, ac universis juris tam Canonici quam civilis, beneficiisque, quæ contra formam præsentis literæ, aut aliquem articulum in ea contentum Nobis et hæredibus nostris possunt de jure vel de facto aliqualiter suffragari.

In quarum omnium firmitatem Nos Cunigund ac Thymmo sigillanostra, et Ego Bernardus sigillum Domini Erenfredi de Bredenole militis avunculi mei pro me, quia proprio sigillo careo, præsentibus duximus apponenda. Nos etiam Simon Dominus Lippiens. Hermannus, Ludolphus Burggravij in Stromberg, ac Albertus post miles compositores, et Zonæ prædictæ pronunciatores in testimonium præmissorum, quæ per nos acta pronunciata sunt, ad requisitionem ambarum partium præsens scriptum nostris sigillis duximus muniendum. Actum et datum in Delbrugge *Anno Domini millesimo, trecentesimo, vicesimo quarto, in die Beati Marcelli Papæ et martyris.*

Obitus Godefridi Ep. Mindens. cui succedit Ludovicus è Ducibus Lunenburg.

Mortalem hanc vitam exuit hoc anno postridie S. Servatij Godefridus Waldecensis Comes, XXXVIII Mindensium Episcopus, gesto in decimum annum magistratu illo, magnoque sui desiderio relicto. Successor ei datus Ludovicus Ottonis Ducis Lunenburgensis filius consecratus Episcopus, qui exinde per XXII annos diœcesin quiete administravit, non aliâ re gesta magis commendatus, quàm culto cum omnibus pacis studio.

Annus Christi 1325.

Joannis XXII Pont. 9.
Ludovici IV Reg. 12.
Bernardi V Ep. Paderb. 5.

Pace factâ, liber à Ludovico R. Fridericus dimittitur. *Albertus Argent. Rebdorf. in annal. Hervvart. Spondanus. Boici annal. Cuspinianus.*

Tandem anno postero Ludovicus Cæsar publicæ Imperij tranquillitati consulturus, cùm jam antè lanceam & cetera augustalia signa à Leopoldo Austriæ Duce accepisset, Fridericum Austrium è carcere Bavarico dimittit liberum; pace tamen prius inter utrumque certis legibus conventâ. Utrumne Fridericus inter cetera regio se titulo exuere jussus sit, disceptant inter se Boji & Austrij scriptores. Auctor est Rebdorfius Fridericum unâ cum regno etiam regium titulum abjurasse, sed postquam libertati redditus, Regem se non minus quàm antea scripsisse, quòd Cuspinianus binis Friderici diplomatibus confici vult. Pax interim inter utrumque aliquamdiu bonâ fide culta; eò jam securiùs, quiescente æmulo, Ludovicus Cæsarem se ferre visus.

Sed

Sed hujus dominatu accensi veteres Colonienſis Archiepiſcopi hoſtes, cives cumprimis Colonienſes, unâque fœderati, Joannes Bohemiæ Rex, Engelbertus Marcanus, Adolphus Montium, Wilhelmus Hollandiæ Comites, Adolphus Leodienſis Epiſcopus, numeroſo inſtructo exercitu in Weſtfaliam irrumpunt, evaſtatiſque Coloniensis diœceſis agris, proximis ante feſtum Aſcenſionis diebus Wolmunſtenium, munitiſſimum ad Ruram caſtrum, obſidione incingunt; in id quia omnis vis & machinæ converſæ, xxv Julij deditur, ac funditus evertitur. Hærebat Archiepiſcopus, & Rupertus Virneburgicus Weſtfaliæ Marſchallus cum copiis ſuis nunc Suſati, nunc Werlis, ſi qua ſe adoriendi hoſtes occaſio, aut ſolvendæ obſidionis via aperiret; at multa machinantem impedijt Leodienſis Epiſcopus Marcani frater, caſtris circa Unnam Oppidum à tergo poſitis; metuque, ne quid tentaret, continuit Archiepiſcopum. Calamitoſa & fatalia tempora, quando Principes & Epiſcopi viſi ſunt arma civilia in ſe vertere, quæ majores olim in barbaros ſumebant.

Veteres Archiep. Colon. hoſtes in hujus Diœceſin denuo irrumpunt. *Levoldus.*

At non minus Reinaldus Gelriæ Comes, homo turbulentus & impius, qui jam in ſeptimum annum fratrem tenebat in carcere, deſtitit divexare Ludovicum Monaſterienſem Epiſcopum. Anno quidem ſuperiori pax inter utrumque ſanctè convenerat, arbitro Joanne Trajectenſi Epiſcopo. Vix dies unus alterve abiit, cùm Gelder rapinis, incendiis & cœdibus graſſari per diœceſin viſus, damno etiam trium millium marcarum brevi illato. Qua ſuper re literis ad Geldrum ſcriptis, quæ in manibus ſunt, ſimulque ad fidejuſſores appellando, gravjſſimè queſtus Epiſcopus, perfidiam & perjurium Comiti exprobat. Ac ne novo bello, quod jam juſta ex cauſa ſibi eſſe poſſet, inter ſe committantur, offert ſe integerrimus Epiſcopus denuo ad firmandam pacem, loco inter Vredenam & * Gronlo nominato, quò Trajectenſem Epiſcopum ſecum deducturus ſit, arbitrum pronæ pacificationis. Ad has Ludovici literas, intra octavam Paſchæ datas, nihil reſpondit Gelder. Quare alteras idiomate germanico ad Geldrum dedit, quibus denuo ſe offert ad pacta inter ſe & Geldrum per Joannem Trajectenſem Epiſcopum inita; petitq; in hanc rem conventum inſtitui Coloniæ; in eo quidquid Conſules ac Senatores Agrippinenſes arbitri præſcripturi ſint, id à ſe ſanctè obſervatum iri. Literæ hæ triduo poſt feſtum Philippi & Jacobi tranſmiſſæ: At Geldro ad omnia tergiverſanti addidit tertias literas, quibus ſpondet ſe poſt feſtum D. Michaëlis venturum Coloniam cum comitibus, Godefrido Seinenſi, Ottone Ravensbergenſi, & Simone de Lippia, fratre Bernardi Epiſcopi; rogatque Reinaldum Gelriæ Comitem, ut ipſe viciſſim cum Wilhelmo Hollandiæ, Gerhardo Juliacenſi, & Adolpho Montium Comite adſit Coloniæ ad præſtitutum diem; ibi quidquid hi arbitri de pactis per Trajectenſem Epiſcopum ſtatutis deciſuri ſint, ſe ratum habiturum; interim captivi utriuſque nec ſine litro ſolvantur,

Pax nuper inter Ep. Monaſt. & Gelriæ Comitem inita, ab hoc violatur; ut redintegretur, multis ab Epiſcopo Monaſt. literis laboratur.

* *Gronloe, nunc Grolla oppidum.*

solvantur, maneantque 500 marcæ, quibus Geldro ob Bredevordiam Ludovicus obstrictus sit. Veneritne Coloniam Gelder, haud compertum, id tantùm Monasterienses quidam fasti memorant, post biennium demum bellum hoc sopitum esse, Statlonamque & circumpositas Bredevordiæ possessiones agrorum cesciisse Monasterienſi, Geldro verò arcem Bredevordianam. Traducuntur passim ex ævo illo Episcopi à scriptoribus nostrorum temporum tanquam ad aliena à munere sacro bella proruperint, ac spoliis aliorum Episcopatus auxerint. Sed hi parum memores, quibus injuriis lacessiti, & qua necessitate adacti, invitique ad arma protracti sint, quando alterutrum necesse erat, aut correptis armis se tueri, aut omnia Episcopatûs bona vicinorum Comitum rapinis permittere. Tam illi iniquis oculis aspiciebant Episcoporum patrimonia per Westfaliam & Saxoniam, Caroli M. ceterorumque exinde Cæsarum liberalitate aucta, quàm insatiabilis eorum erat cupiditas, donec fatali nostro ævo omnia hæresi in spolium venirent.

Lis inter Lemgovienses & Gerdenses exorta à Bernardo Ep. componitur.

Haud alia ex hoc anno memoria Bernardi Episcopi nostri, quàm quòd pacis justique amans litem inter Lemgovienses & Gerdenſis Cœnobij Virgines composuerit; facta nimirum erat venditio bonorum Lemgovienſibus cum damno Gerdenſium; ut parti utrique satisfieret, ipse Episcopus ex suis bonis damnum prædij donatione compensavit Gerdenſibus. Adeo Ecclesiæ suæ, quàm sacris Virginibus Deo famulantibus detrahi maluit. Qua super re tabulæ extant pridie natalis Virginis multis testibus, assensuque Capituli comprobatæ. Atque ut urbium suarum fidem sibi astringeret, Brakelenſibus haud secus quàm aliis privilegia jam tertiò instauravit.

Mors Brunonis de Warendorp Dominicani.

Per id tempus Susati concessit naturæ Bruno de Warendorp, nobili Warendorpiorum familia ortus, ex qua ad sacram D. Dominici familiam transiit: vir cùm per omnem vitam ferrea ad corpus catena adstricta, tum magnis virtutibus conspicuus, & famâ sanctitatis apud superstites celebratus.

Annus Christi 1326.

Joannis XXII Pont. 10.
Ludovici Reg. 13.
Bernardi V Ep. Paderb. 6.

Rebdorf. in annal. Albert. Argent. Italiæ quidam rebelles proceres Ludovicum ad se invitant.

Prospere interea tenebatur Imperium à Ludovico Rege. Quippe etiam Friderico æmulo quiescente, pulso in exilium Rudolpho Palatino, & compresso Henrico Colonienſi Archiepiscopo, omnia ad unius Rectoris fortunam ac potentiam se convertêre. Quæ postquam in Italia cognita, Galeatius Vice Comes Mediolanensis, ceterique Lombardiæ præfecti, ac Gibellinæ factionis proceres, à Cardinalibus Pontificis Legatis, ut præferebant, exagitati, invitavêre Ludo-

re Ludovicum Regem in Italiam. Quam in rem Ludovicus Spiræ comitia Principum indixit; ubi cùm de itinere in Italiam instituendo sententias procerum rogasset, dissuasêre plerique cum Balduino Trevirensi Archiepiscopo, ne id citra Pontificis assensum & auctoritatem attentaret.

Quieta à bellis Westfaliâ.

Tandem & hic annus vacuus à bellis Westfaliæ obtigit, quo Engelbertus Comes Marcanus turbo popularium Romam profectus: & Henricus Colonienſis Archiepiscopus, ordinesque Ducatus Westfaliæ fœdus pepigêre cum Trevirensi urbe, simulque Archiepiscopus in gratiam rediit cum Colonienſibus. Exhaustus præterea belli impensis Ludovicus Monasterienſis Episcopus, utrumq; judicium, tam quod in primaria urbis parte, quàm quod trans aquas in celebri parochia habebat 286 marcis pignori dedit Burchardo Cleihorstio, nobili ac potenti viro; ea tamen lege, ut in capitali sententia nihil ageret sine Episcopi assensu.

Bernardo Ep. Castrum Furstenberg militibus de Vernede oppignorat.

Ad hunc modum Bernardus quoque Episcopus duas partes castri Furstenbergenſis, quod à diversis Episcopi castrenſibus insidebatur, tutelæ causa adversus Hassiam & Waldecenſem comitatum 380 marcis, quarum singulæ decem & octo solidos penderent, Joanni & Wilhelmo de Vernede militibus oppignoravit; idque ex consensu Capituli factum, quòd ea pecuniæ summa in debita, quæ superiores Episcopi contraxerant, exsolvenda, quæque in utilitatem Ecclesiæ conversa sit, uti prolixis hæc literis festo D. Agathæ die consignatis extant.

Et Castri Calenberg. usum. Militibus de Papenheim confirmat.

Aliis deinde tabulis, festo Epiphaniæ confectis, Bernardus Episcopus castrum & oppidum Calenberg Papenheimiis militibus, uti ab Ottone Episcopo feudi titulo accepisse supra diximus, confirmat, ea lege, ut fidem & obsequium more Castrensium præstent: castrum haud secus, quàm alias Episcopi munitiones defendant, pateatque ad omnem ingressum. Hujusmodi enim Castrenses milites, haud secus quàm ceteros vasallos, ex concessis clientum beneficiis & agrorum possessionibus Episcopi ad omnem militiæ usum expeditos habebant; castraque hæc more antiquorum Saxonum in editis abruptisque montibus præmuniri cœpta, maximè ex quo hæc tumultuaria ac civilia bella per dissidia regni aut Cæsarum debilitatem invaluerant; unde & patrimonia Episcoporum magnopere ex his Castrensium & Vasallorum impensis attenuari necesse fuerit.

Xenodochio Paderborn. proprium sacerdotem imponit.

Magnificum per id tempus Xenodochium Paderbornæ erat ante portam occidentalem ad ipsa urbis mœnia, consulum ac civium liberalitate conditum, comprehensumque parochia forensis Ecclesiæ; cui Bernardus Episcopus, rogatu Consulum ac Senatorum, proprium sacerdotem imposuit, absolutum ab omni jurisdictione Archidiaconi, cum omni Parochi potestate in administratione sacrorum, implorato ad id etiam Forensis Ecclesiæ consensu; jus verò nominandi

nominandi ejusmodi sacerdotem, procurationemque bonorum penes Magistratum perpetuo esse voluit. Id verò Xenodochium cum sacra æde per injurias temporum & prolatæ urbis pomeria ita subversum est hæresis tempore, ut ne vestigia quidem, præterquam in his Episcopi tabulis, supersint: modò propugnaculum, à Ferdinando Episcopo erectum locum ejus occupat, repertaque tum fuêre rudera sacelli & domus.

Abbatem & Cœnobium Helmwardes-husanum ad obsequium compellit.

Juris præterea sacri constans assertor Bernardus, Helmwardes-husanum Abbatem aggressus; celebre illud ac Imperiale Monasterium, sed intra jurisdictionem Episcopi Paderbornensis, è quo Abbas se suosque subtrahere sæpe tentârat, Bernardus per sententiam superioris judicis, intentisque armis ad obsequium compulit, jussitque 8 Idus Martij se ad confirmationem obtinendam sistere. Par Episcopo Paderbornensi jus fuit in ipsum Abbatis adjacens oppidum, civesque Oppidi, haud secus quàm alij diœcesis nostræ fidem jurabant Episcopo: quanquam armis ad id sæpe adigendi fuerint. Valuit id ad Ericum Episcopum, quo tempore Abbas & Monachi profugi è Cœnobio simul ad hæresin descivêre. Erico Episcopo nostro Monasterium occupante; dum postremum Abbas, ducta uxore, se in tutelam Landgravij daret, eique Monasterium venderet; quo ille fallaci titulo per vim omnia occupavit. Sed hæc tempori memoranda plenius.

Decimas quasdam in parochia Hervordiensi Cœnobio Marienfeldensi donat.

Rursus hoc anno Bernardus Episcopus beneficus in Abbatem & Cœnobium Campi Mariæ, largos ei decimarum proventus donavit, quos Simon Comes Lippiensis feudi nomine ab Ecclesia Paderbornensi in Parochia Hervordiensi tenebat, cesseratque ultro Episcopo fratri. Jussus tamen Abbas centum marcas in compensationem Ecclesiæ Paderbornensi rependere; id quod ternis hoc anno literis transactum est. Sanè quantum ex his aliisque innumeris antiquitatum literis mihi æstimare fas est, Carolus M. non modò per diœcesin, sed quanta etiam latitudine jurisdictio sacra se per vicinas Hassiæ regiones, & Comitatum Lippiensem, Ravensbergensem, aliosque exporrigit, decimas Episcopo & Paderbornensi Ecclesiæ attribuit. Amplum & opulentum patrimonium, quod tamen magnam partem cessit postea nobilibus & Comitibus, alijsque potentioribus viris seu libera donatione, seu feudi titulo: cùm eorum ope, atque armis Ecclesia adversus hostes suos defendenda esset.

Annus Christi 1327.

Joannis XXII Pont. 11.
Ludovici IV Reg. 14.
Bernardi V Ep. Paderb. 7.

Albert. Argent. Rebdorfius in annal. Trithem. Blondus Nauclerus

Ludovicus Rex inde, posthabitis procerum consiliis, iter in Italiam suscepit. Ac Regem assectati Comites quidam ac Dynastæ, Reinaldus Gelriæ, Wilhelmus Juliacensis, Theodoricus Cliviæ, Adolphus

phus Montium Comites; quorum auxilijs exercitus contractus, quo regiam aliquam dignitatem repræsentaret. Ceterum nec Principes, nec Episcopi ritu veteri comitati; sed eò quietior Westfalia, postquam turbida illa Comitum capita peregre abiêre. Engelbertus Marcanus jam priori anno Romam profectus erat, sollicitatum pro filiis locum inter Canonicos Colonienſis & Leodienſis Ecclesiæ. Wilhelmus Hollandiæ Comes cum 800 equitum agmine se quidem obtulit in comitatum; sed ille prius Avenionem missus ad Joannem Pontificem sibi reconciliandum, quem Pontifex minis anathematis intentatis redire jussit; qui proinde salutato Francorum Rege in Hollandiam relegit iter. Interim Ludovicus in Italiam progressus, adjutusque dissidentium à Pontifice procerum copiis & pecunia, Mediolani in æde D. Ambrosij unâ cum Margaretha conjuge à Joanne Archiepiscopo corona ferrea insignitur. Rebus per Lombardiam compositis, sub finem anni Romam invitatus processit. Pontifex, ne Ludovicus voti compos fieret, interdicto subjicit omnes urbes, quotquot Ludovicum recepturæ essent. Magna id offensione & turbatione factum, quod intetdicto illo Imperiales urbes per septendecim annos afflictæ.

Onuphrius Levoldus Chron. Bohem. Ludovici R. in Italiam profectio & coronatio Mediolani.

Cærerum hoc anno Matthias Moguntinus Archiepiscopus, vir religione & sapientia inter omnes Germaniæ præsules spectabilis, Moguntiæ provincialem synodum indixit; ad quam cùm omnes suæ metropolis Episcopos invitârit, tum Bernardum Episcopum nostrum aut per se, aut Legatos interfuisse certum habeas. *Ea in synodo, quæ Episcoporum provincialium et Abbatum præsentia celebris fuit, multæ, ut inquit Trithemius, constitutiones pro utilitate Ecclesiæ sunt editæ,* quæ tamen injuria temporum ad nos minus pervenêre. Ac præclarè tum adhuc agebatur, cùm provinciales illæ synodi, & Episcoporum congressus celebrabantur; tanto citius ac pejus descitum in pravos mores, & hæresis præludia, ex quo ejusmodi synodi ad conservandam Cleri populique disciplinam intermitti cœperunt.

Synodus provincialis Moguntina.

Magna per id tempus ex longâ pace atque otio omnium rerum abundantia erat in Saxonia; eò urbes quoque, ut fit, insolescere adversus Episcopos. Quare Paderbornensium exemplo ausi & Warburgenses insurgere in Episcopum; sed ea controversia hoc anno sine armis hisce conditionibus composita. Episcopus Oppidi utriusque vetera privilegia confirmet; contra Oppidani trecentas marcas pendant Episcopo, & castrum ejus intactum relinquant, & quæ ejusmodi erant. Id sicuti per arbitros convenit, ita tabulis pacificationis subscripsêre testes & fidejussores *Bernardus Præpositus Schildecensis, Herboldus de Papenheim, Herbordus de Miderike, Ludovicus Post milites, Conradus de Ittere, duo Proconsules Theodoricus de Dussele et Joannes de Geismar, alijque honorati viri utriusque Oppidi Warburgensis. Datum anno Domini* MCCCXXXVII, *feria proxima ante Purificationem B. Virginis Mariæ.*

Motus Warburgensium contra Episcopum suum pacificè sedatur.

Chron. Bohemis Crantz. l. 9. Metrop. c. 4 Chron. Sclavi.

Magdeburgenses Archiepiscopum suum carceri prius inclusum, deinde trucidant.

Furiosius Magdenburgenses Burchardum Comitem Schrapelovium Archiepiscopum suum tractavêre. Propugnabat is jura Ecclesiæ suæ adversus cives. Certatum armis. Actum per arbitros. Invitatus promisso pacis in urbem Archiepiscopus, perfidiâ civium in tetrum carcerem detruditur, & post paucos dies accensa civium rabie, clava in caput impacta, trucidatur. Jacuit integro anno corpus tabidum, ignorante clero, viveret ne an perijsset. Tandem apertus carcer; agnitusque ex corona sacerdotali Episcopus; permissumq; honorifico tumulo contegi corpus. Magnis laudibus extollit hunc Præsulem Crantzius, in quem hæc tam barbara patrata. Auctor Chronici Sclavici virum nobilem, castum, sobrium, prudentem, & ex omni virtutum aspectu sanctum celebrat. Ea multis in locis erat insolentia civium populorumque furor, cùm nec Regem certum, nec Cæsarem haberet Saxonia, cujus imperio & freno continerentur rebelles.

Annus Christi 1328.

Joannis XXII Pont. 12.
Ludovici IV Reg. 15.
Bernardi V Ep. Paderb. 8.

Ludovicus Romæ coronatur.

Albertus. Argent. Rebdorf. Villanus Nicolaus Minor. Antoninus Trithem. Odoric. aliique.

Et Petrum Corbariensem Pontificem renunciat.

Et Ludovicus Rex jam in alterum annum hærebat in Italia; evocatusque Romam à primoribus urbis, quos auro corruperant Gibellini, ad Imperij coronam accipiendam. Ludovicus qui jam ex conflictu cum Pontifice sacra profanaque miscebat, urbem ingreditur, ac 17 Januarij passus est sibi & Margarethæ Reginæ à quatuor urbis syndicis imponi coronam augustalem Imperij (quanquam alij ab uno, alij à pluribus id factum velint) quem mox exauctoratus Venetiarum Episcopus inunxit. Et Ludovicus, ut Joanni Pontifici auctoritatem abrogaret, fœdum facinus addidit, Petrumq; Corbariensem, Franciscanum Monachum, Pontificem renunciavit, quem Nicolaum V. appellari voluit. Quo insano schismatis facto quantum non priscam sanguinis, & militaris gloriæ famam obscuravit? pòst fœdere cum Roberto Siciliæ Rege icto adversus Robertum Neapolitanum Regem, in Lombardiam rediit.

Moritur Matthias Archiep. Mogunt.

Hoc conturbato rerum statu humanis eripitur, 4 Idus Septembris, Metropolitanus noster Matthias Moguntinus Archiepiscopus, vir omni honore, & posteritatis memoriâ dignus, ut Trithemius alijque commendant. Clerus denuo in ejus locum elegit Balduinum Trevirensem Archiepiscopum. Id munus cùm ille sine Pontificis auctoritate adire nollet, Pontifex Henricum Virneburgicum Præpositum Bonnensem, Archiepiscopi Colonienſis ex fratre nepotem, præfecit; quem cùm Clerus recusaret, hærente lite, Balduinus per triennium simul utrumque Archiepiscopatum ex Pontificis voluntate administravit, urbemque Moguntinam Clero rebellem egregia fortitudine perdomuit.

Sustulit

Sustulit & hic annus Engelbertum Marcanum Comitem, virum turbulentum, & flagellum Episcoporum. funus 24 Julij in Monasterium Virginum Vrondenbergense ductum, ubi inquieti patris sepulchro conjunctus. Comitatum paternum adjit Adolphus filius eo nomine II. Alter filiorum Engelbertus primùm Leodiensis, post Colonienſis antistes. Tertius Eberhardus, qui abjecta Clerici vita Lossensis Comitis filiam duxit. Hi illi filij, quorum causa pater Romam profectus, lauta sacerdotia impetravit. Is nimirum Germanorum Principum mos, odisse opes Episcoporum, & affligere ob id Episcopos, à quibus tamen nihil sollicitius quæritur, quàm ut filij eorum admissi in clerum, laute ex patrimonio Ecclesiæ vivant, & Episcopi fiant. Et Engelbertus Comes Marcang.

Bernardus Episcopus noster, unaque Corbeiensis Abbas, quòd magna pars securitatis consisteret in præmunitis castris, & bona vicinorum amicitia, secundum ea, quæ inter Theodoricum Episcopum & Robertum Corbeiensem Abbatem contracta diximus, castrum Blankenaum ad Visurgim, collatis in unum impensis, præmunire insistunt; renovatisque superioribus pactis, castri loca, quæ non satis explicatè divisa erant, inter se ad mutuam defensionem partiuntur; atque ut munitio acceleretur, permittitur Episcopo lapides & ligna ex Abbatis fundo & sylvis convehere. Quemadmodum hæc pridie S. Gregorij hujus anni conventa & in tabulas relata fuêre. Bernardus Ep. cum Abbate Corbeiensi castrum Blankenaum præmunit.

Nonis deinde Maji Bernardus Episcopus delectus arbiter à Roberto Corbeiensi Abbate, & Themmone nobili viro, clienteque Abbatis. Tenebat enim Themmo judicium sive cometiam Oppidi Huxtariensis feudi titulo ab Abbate Corbeiensi, sicuti à majoribus ad ipsum devenerat; id verò judicium cùm 200 marcis redemptum esset, ultro remisit Abbati. Advocati testes fuêre Hermannus Brakele, Herboldus Amelungessen, Arnoldus de Haverporte milites, Ernestus Dinckelburgius, Albertus Buschius, Matthias Otbergen, alijque quam plures famuli vasallique Abbatis. Tabulis in hunc modum subscriptum. *Nos quoque Bernardus D. G. Episcopus Ecclesiæ Paderbornensis recognovimus, quod quia mediator hujus contractus fuimus, pro majori testimonio, et ad preces dicti Themmonis et suorum hæredum, sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini* MCCCXXVIIX, *Nonis Maji.* Deligitur arbiter ab Abbate Corbeiensi & Themmone Abbatis cliente.

Annus Christi 1329.

Joannis XXII Pont. 13.
Ludovici IV Reg. 16.
Bernardi V Episcopi Pad. 9.

Ludovicus Cæsar (quo se titulo post coronationem Romanam ferebat) anno hoc insequente omnia ad reditum componit. Facilè quidem illi fuerat, ut Albertus Argentinensis scribit, post initum cum Ludovici *Albert. Argent. Rebdorfius in annal.*

R. Italia in Germaniam reditus.

cum Siciliæ Rege fœdus Apuliam ingredi, ac Robertum Neopolitanum Regem dejicere; at segnis Cæsar, dum per otium in urbe residet, nihilque in Lombardia dignum agit, fine anni iter in Germaniam repetit; celebratisque Tridenti procerum comitiis, in Bavariam accelerat, quam ut primum componeret, Palatinatum Bavariæ, quem Rudolphus frater tenuerat, partitur inter Rudolphum & Rupertum filios; ipse Monachium, Ingolstadium, ac cetera loca sibi asseruit, Imperiumque tum quidem bellis vacuum habuit, sed schismate afflictum, quod malum ipse auxerat Pseudopontifice creato, qui jam novos sui ordinis Cardinales & Episcopos ordinabat, Pontificatumque ceteris munis gerebat, homo ambitiosus, qui invita & reluctante uxore Monachum Franciscanum induerat, ut sacerdotio initiaretur. Eo nunc in Italia relicto, Cæsarem comitati sunt in Germaniam Michaël Cæsenas supremus Franciscanorum Magister, Gwilhelmus Ockamius, alijque ejus ordinis viri à Joanne Pontifice proscripti. Ab his Ludovicus Cæsar in schismate, ac pertinacia adversus Joannem Pontificem confirmatus. Hoc conturbato rerum statu, quo tempora Henrici & Friderici Schismaticorum Cæsarum redire visa sunt, nulli magis perplexi, affli ctique, quàm Episcopi, Qui si ad Pontificis voluntatem se accommodarent, Cæsarem; si ad Cæsaris, Pontificem habituri essent offensum infestumque.

Annus Christi 1330.

Joannis XXII Pont. 14.
Ludovici IV Reg. 17.
Bernardi V Ep. Paderb. 10.

Varia Principum comitia, à Ludovico indicta. *Hervvart. Spangenb. Trithem. Cuspinianus Odoricus Histor. Boica.*

Cæsar ut Principum animos sibi in fide retineret, Spiræ, deinde Nurimbergæ comitia indixit, in quibus multa gravissimè questus adversus Joannem Pontificem. Addit Spangenbergius tertium Francofurti conventum Principum institutum, in eoque horum sententia decretum fuisse, quotquot inposterum Cæsares Principum atque ordinum suffragiis legerentur, Cæsares colendos esse, et *sinulla* Pontificis confirmatio accederet. Cæsarem interim obligatum manere Pontifici ac Apostolicæ sedi defendendæ; tametsi hæc potius in Spirensibus comitiis post septennium acta reputari debeant. Multum per id tempus laborabat Balduinus Trevirensis Archiepiscopus, & Joannes Rex Bohemiæ in reconciliando Ludovico Cæsare cum Pontifice, qui tamen cassus labor erat. Interim hoc anno post Leopoldum, & Henricum Austriæ Duces, excessit è vita Fridericus Austrius Ludovici æmulus. Captus deinde Petrus Corbarius à Bonifacio Comite, ejurato pseudoPontificatu, damnatisque quæ sacriligè egerat, scelerum condonationem supplex à Pontifice impetravit. Nec quievit Pontifex, à quo Ottoni Duci Austriæ, Friderici fratri, quinquaginta millia florenorum oblata sunt, ad resumendum bellum

Corbario Pseudo Pontifex resipiscit.

bellum adversus Cæsarem; sed Austrius ille quietis pacisque amans ab armis se continuit: nec tamen his schismatis malum desiit.

Tandem post triennij certamen in judicio Pontificis Henricus Virneburgius auctoritate Pontificis Moguntinæ Ecclesiæ impositus, receptuspue à Clero Metropolitanus noster nobis obtigit. Cetera etiam per Germaniam Westfaliamque pacata erant; non tamen destitit Reinaldus Gelriæ Comes, resumptis pro inquieto ingenio armis, Ludovicum Monasterienſem Episcopum infestare. Quippe qui ineunte anno Vredenam municipium juris Monasterienſis Episcopi vi aggressus expugnavit: ac postquam militi omnia in spolium dederat, homo ferox oppidum cum arce injectis ignibus exussit; quam miserabilem cladem his versibus signavit posteritas.

Pontanus l. 7. Gelriæ

Reinaldus Gelriæ Comes diœcesin Monast. vastat.

Annis millenis trecentenis bisque novenis
Bis junctis senis Vreden fuit addita pœnis
Nam malè damnavit Comes hanc quam Gelria pavit.
Rebus orbavit post ignibus annihilavit.

Annus Christi 1331.

Joannis XXII Pont. 15.
Ludovici IV Reg. 18.
Bernardi V Ep. Paderb. 11.

Anno dehinc proximo novus à Pontifice æmulus objectus Cæsari, Joannes Bohemiæ Rex. Is quidem annuente Cæsare in Italiam profectus; interim occultis consiliis atque artibus à Bohemo Italiæ regnum quæsitum Carolo filio, sedecim annorum juveni, quem postea Germania Imperatorem sortita est: Bohemus postquam Italiam ingressus, lætis populi animis Bergomi, Cremonæ, Papiæ, Vercellæ, Novariæ, Parmæ, Mutinæ, aliisque in urbibus exceptus est, amabileque ejus imperium visum Italis, etiam ob memoriam patris Henrici VII Regis. Quare cum Legato Pontificis congressus consilia hæc apertius agitare cœpit, & filium Carolum in Italiam vocare, quem & discedens in Italia reliquit. Quæ postquam Cæsari cognita, Bohemus in suspicionem affectati regni venit. At Bohemus per Franciam in Germaniam reversus, qua erat solertia ingenij, 12 Calend. Augusti Ratisbonæ sibi Cæsarem in privato congressu reconciliavit, persuasitque se nihil contra Rempub. egisse. Ita tum pacata omnia per Jmperium manserè, neque ullus Episcoporum aut Principum in gratiam Pontificis se commovere visus fuit, sat gnari, quantas calamitates & populorum ruinas superiorum temporum schismata invexerint. Per hanc Principum cum Cæsare suo concordiam Episcopi in quieta administratione diœcesium permansêre.

Rebdorf. in annal. Albert. Annal.

Joannes Bohemiæ Rex Italos sibi conciliat, filioque Italiæ regnum quærit.

Et Bernardus Episcopus noster postquam per anniversarias synodos, & diœcesis lustrationem, Ecclesiæ disciplinam formasset, ne quid in primario etiam Clero desideraretur, in concilium vocat præ-

sules

sules & Canonicos majoris Ecclesiæ, eorumque simul judicio & voluntate certa utiliaque decreta VI Calend. Julij præscripsit, qui libro statutorum continentur; in quo illud perquam laudabile decernendis à Collegio majoris Ecclesiæ, quotquot indigni, aut minus idonei censerentur. Juvat in hanc rem decretum Bernardi Episcopi & Capituli prima sui parte referre.

Decretum Bernardi Ep. de non admittendis ad Ecclesiam Cathedralem indignis Canonicis

Nos Bernardus Dei gratia Episcopus, Wernherus Præpositus, Gotscalcus Decanus, Fredericus Scholasticus, Conradus Cantor, Reynherus Celerarius, et totum Capitulum ac singuli Canonici de Capitulo Paderborn. statum qualitatem et conditionem Ecclesiæ nostræ ad animum, et ad memoriam reducentes inter alia negotia nobis incumbentia, quæ nos movèant, et vehementer exagitant, videmus, quod ex variis causis, quæ sigillatim, et specialiter exprimi, seu designari nequeunt, multipliciter fatigamur, et quod præter alia incommoda nobis advenientia multis personis partim incognitis, partim minus idoneis, et inutilibus diversimode prægravamur. Nam plerique sicut eis placet impetrant, procurant, et laborant, se fieri Canonicos, et se recipi in Ecclesia nostra et per mendosa suffragia, quod sint viles, inutiles et aliquando inhabiles in auribus superiorum nostrorum se dignos, nobiles, potentes, et literatos mentiuntur, ut sit saltem sub aliqua specie laudis, et sub colore tituli confícti, præter aliqua juris amminicula. In nostris præbendis, et beneficiis, quod absque præjudicio nostro, et absque gravi dispendio Ecclesiæ nostræ fieri nequit. Excedunt etiam aliqui eorum in suis processibus fines juris, et metas rationis in tantum, quod si hæc, et his similia ad summi Pontificis cum veritatis notitia præsentium deferrentur multos ex eis potius dignos suppliciis quam beneficiis judicaret. Ut igitur talibus malignis conatibus pro ut nobis est possibile et in quantum decet occurrere ratione prævia valeamus, maturâ super hoc deliberatione inter nos sæpe, et diu præhabitâ decrevimus, et in hoc pariter et communiter conveniendo concordavimus, quod si aliqui cujuscunque dignitatis, conditionis, aut status exstant, qui apud nos beneficiari desiderant, et scientia, moribus, ætate, natalibus vel alias ex qualibet justa causa minus idonei reperiuntur, aut si per falsos, indebitos, inordinatos, iniquos, seu abruptos processus, vel per executiones, seu per alia gravamina juris et rationis fundamento carentia, Nos Episcopum, Prælatos de Capitulo, et Capitulum Ecclesiæ Paderborn. prædictos pariter, aut divisim molestare seu impetere super præbendis, seu beneficiis nostris eis conferrendis qualibet occasione præsumpserint, talibus præsumptoribus communi voto, communibus expensis, communi defensionis præsidio, per debita licita, et honesta juris et justitiæ remedia occurremus. Per hoc etiam præsens factum non intendimus ab obedientia sedis Apostolicæ recedere, vel quicquam aliud attentare. In cujus rei evidentiam sigilla nostra præsenti literæ de voluntate et consensu omnium nostrum publice sunt appensa. Actum et datum IV *Calend. mensis Junij Anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo primo.*

Annus Christi 1332.

Joannis XXII Pont. 16, Ludovici

Ludovici IV Cæsaris 19.
Bernardi V Ep. Paderb. 12.

Post hæc Ludovicus Cæsar, cùm omnia studia ad publicam pacem referret, dissidentes primùm inter se tres fratres ducesque Bavariæ, patrueles suos, componere tentavit. Id consilium cùm non procederet, rem armis aggressus est; intervenienteque Rege Bohemiæ, in concordiam adduxit. Inde Norimbergam ad comitia Imperij profectus, quæ multorum Archiepiscoporum, ac Principum accessu mense sextili celebria fuêre. In his Balduinus Trevirensis Archiepiscopus, ob egregia in Cæsarem & Rempublicam merita, amplissimum instrumentum obtinuit, quo vetera Ecclesiæ suæ privilegia juraque regalia Ludovicus confirmavit, & nova addidit.

Rebdorfius in Annal. Albert. Argent. Trithem. Brouver. lib. 17. annal. Trevir.

Balduinus Archiep. Trevir. à Ludovico impetrat confirmationem privilegiorum Ecclesiæ suæ.

Accessit & inter Episcopos Saxoniæ ad hæc comitia Ludovicus Mindensis Episcopus, Ottonis Lunenburgensis Ducis filius, quem Cæsar agnatum suum appellat; ei enim Cæsar, pro necessitudine & singulari benevolentia, in hoc Principum congressu potestatem fecit instituendi sex liberas judicij sedes, quos Frigraviatus dixêre, eo jure, quo illas Colonienses, Monasterienses, & Paderbornenses Episcopi antiquis Cæsarum ac Regum privilegiis in Westfalia habent. Nec alia hæc judicia fuêre, quàm quæ occulta, & vemica dicuntur, ut ea quoque Ludovicus appellat; quorum origo à Carolo M. passim deducitur, & ad hæc tempora recognoscitur valuisse. Judex horum Mindensium judiciorum à Cæsare nominatus Burchardus Crussinus, hactenus Ministerialis Ecclesiæ Mindensis. Diploma hujus concessi privilegij Germanico idiomate conscriptum hoc anno M cccxxxii recitat Pistorius inter tabulas Cæsareas Ecclesiæ Mindensis. Quanquam id privilegium occulti judicij abrogatum postea à Carolo iv Cæsare.

Pistor. in privileg. Mind.

Et Episc. Mindensis potestatem instituendi sex liberas judicij sedes.

Hoc præterea anno conventum inter Bernardum Episcopum nostrum & Robertum Corbeiensem Abbatem de exstruendo castro Beverungen; id quod medio loco inter Heristallum vetus & castrum Blanckenau ad Visurgim cœptum est in fundo dotis Ecclesiæ Beverunganæ, cujus jus patronatus erat penes Abbatem. Operis hujus structura, cùm ex consilio Episcopi & Abbatis vasallorumque Mindensium utriusque partis ad mutuam defensionem concordiamque inter Paderbornensem & Ecclesiam & Corbeienses devinciendam, tum ex assensu Præpositi, Decani, totiusque Collegij cathedralis ac Cœnobitarum Corbeiensium facta est. De impensis ita statutum: quartum castri & suburbij partem construet miles Hermannus de Brakele, reliquas partes Episcopus & Abbas æqualiter divisas sibi sument conficiendas; ob id alteram partem Ecclesiæ illius permittet Corbeiensi Abbati, alteram sibi retinebit Episcopus: alter deinde alteri jurabit castrensem pacem, fidem, castrique custodiam, in hasce leges quas ex ipsis tabulis refero.

Exstruitur Castrum Beverunganum.

Nullus

Leges in quas convenerunt Ep. Pad. & Abbas Corbeiensis super castro Beverungano.

Nullus suam partem, alterius consensu non prius habito, vendet alij, nec locabit, oppignorabit, vel alias alienabit, et talis alienatio cum utriusque Capituli consensu fiet non aliter. 2. Nullus utriusque partis alium Principem Dominum terræ in dicto castro receptabit, ut ex eo bellum aliis aut molestiam inferat; Episcopus tamen et Abbas poterunt res suas contra quosvis ex eo tutari, et actiones suas injuriasque contra alios prosequi. 3. Sed nec Episcopus Abbatem, et si eos inter se bello collidi contingeret, nec vicissim Abbas Episcopum ex castro Beverungen invadet, sed in pace, et tranquillitate conservabitur à custodibus. 4. Non constituetur Officiatus ab Episcopo seu Abbate qui alterius partis hostis foret. 5. Vigiles, portarij, Castrenses Episcopo et Abbati simul Huldinge seu fidelitatem jurabunt, et æqualibus expensis prædicti sustentabuntur et suscipientur; quilibet tamen pro se suis castrensibus de peculio castrensi, quod Borchleben dicitur, tenebitur providere. 6. Ad ædificia et munimenta utraq; pars æquales faciet expensas, et fas cuique erit in vicino ligna, lapides etc. cædere sine alterius offensa. 7. Quivis tamen aream, seu areæ partem sibi cessuram poterit munire, ædificiis occupare pro libitu. 8. Murus in ambitu castri construetur intra proximum biennium, et absolvetur solius Episcopi expensis, qui et uni sibi hoc spacio bienuii clavium castri custodiam reservat; porta tamen Abbati et familiæ ejus semper patebit. Biennio isto elapso, si Abbas potestatem clavium sibi convenientem habere voluerit, idipsum intra annum primum Episcopo significabit, eidemque 100 marcas puri argenti in Oppido Brakele in præsentia Judicis et Consulum ad manus proprias successoris sui, vel Capituli numerabit, et ex tunc Abbati, et ejus Successoribus conservatio clavium dicti, castri communis erit. 9. Oppidum construendum cum omnibus juribus erit commune Paderbornensi et Corbeiensi Ecclesiis. Idem intelligitur de molendinis, telonio, conductu, naulo, aliisque quibuscunque jurisdictionibus, spirituali exclusa; nam Archidiaconus in Beverungen fuit Engelhardus Abbas Helmwardeshusanus, ut infra patebit. 10. Adjicitur etiam, quod nos Episcopus Ecclesiam Corbeiensem, alias munitiones novas in fundis et areis suis propriis construendo, absque eorum consilio, et consensu de cætero non gravabimus, nec in juribus, jurisdictionibus suis, et libertatibus antiquis per sedem Apostolicam et imperium eis condonatis non artabimus, neque violentiam seu injuriam inferemus. Simili modo Abbas et Ecclesia Corbeiensis Nos, et Ecclesiam nostram vice versa non artabunt, seu violentiam vel injuriam irrogabunt. 11. Observabuntur etiam literæ super castris et castrensibus mansionibus et munitionibus Blankenawe et Blanckenerode, et eorum statu inter Ecclesiam utramque constitutas mutuo observabimus. 12. Item Ministeriales, vasalli, et Burgenses Ecclesiæ Corbeiensis quo ad bona sua sita in illis limitibus sine onere actuali et alio quocunque impedimento in suo statu et jure remanebunt. Inquilini in Beverungen reliquias S. Viti Martyris glorioſi ad se deportatas solemniter recipient more solito et devote, Robbertus Abbas superiora cum Capituli sui Corbeiensis consensu ratificat, et in recompensam sumptuum in structura castri factorum, et beneficiorum deinceps exhibendorum, donat D. Bernhardo Episcopo et Ecclesiæ Paderbornensi, medietatem totius officij, seu villica.

villicationis suæ in Beverungen cum proprietate. Item medietatem pensionis, jurium, jurisdictionis, feudorum, redituum, obventionum in agris cultis et non cultis, pascuis, agris, pratis, silvis, aquis, mancipiis, piscationibus, molendinis, et fructibus universis. Et ipse Episcopus vice versa donat Abbati Corbeiensi et Ecclesiæ ejus LX. moldrorum reditus mensuræ Wartbergensis, ⅔ partim siliginis et hordei pro medietate pensionis, sibi ex Beverungen alias dandæ, quorum moldrorum XX accipiet Abbas ex curte in minori Nedere, quam Herbordus miles de Mederke à Domino Episcopo Bernhardo jure Emphiteutico tenet cum aliis minoribus juribus. Item tres mansos in minori Dasborg ad villicationem Dasborg pertinentes, ab ea tamen nunc Episcopo absolutos, quibus statim Abbas infeudavit Herboldum de Papenheim militem, recipiens ab illo curiam in Ottberg, quam alias in feudo tenuit ab Abbatibus Corbeiensibus. Item recipit Abbas curtim in Brakele ab Episcopo dictam Kiberes hoff cum omnibus attinentiis.

Ad hæc quia castri structura in fundo atque area Parochialis Ecclesiæ delecta, alter Parocho locus dabitur, qui eadem immunitate præditus sit. Volens autem D. Episcopus ulteriori affectu et gratitudine respicere Ecclesiam Corbeiensem, tres Ecclesias Parochiales in Beverungen, Amelungessen, et in Godelem diœcesis Paderbornensis ad collationem Domini Abbatis Corbeiensis spectantis ex mera liberalitate, ut fratrum conventus Ecclesiæ Corbeiensis indigentiæ aliqualiter succuratur, de consensu Capituli Paderbornensis, et nominatim venerabilis D. Engelhardi Abbatis Monasterij in Helmwardeshusen, in Beverungen, et honorabilis viri Werneri de Asseborg Ecclesiæ Paderbornensis concanonici in Amelungessen, et Godelem, Archidiaconorum cum omnibus reditibus, juribus unit et incorporat Ecclesiæ Corbeiensi ita ut posthac istæ Ecclesiæ sic sint in potestate Abbatis, ut dictas Ecclesias possint Corbeienses regere per suos conventuales, et de eis disponere pro suo commodo et profectu, vel per sæculares Clericos viros idoneos vicarios perpetuos eas regere, assignata eis annua pensione. Institutione Archidiaconi, et juribus Episcopalibus, et Archidiaconalibus salvis Episcopo et Successoribus ejus. Sub sigillo D. Episcopi. D. Abbatis. D. Engelhardi Helmwardeshusensis Abbatis. D. Werneri de Asseborg Cononici Paderbornensis et Archidiaconi in Amelungessen et Godelem. Actum Borcholte in vigilia S. Catharinæ 1332, præsentibus Præpositis in Wilbodessen, et montis martis. Item Liborio de Walbeke Canonico Paderbornensi, Godscalco de Papenheim militibus. Hermanno de Dimele, Gerhardo Selingtorp, famulis mediatoribus in ordinatione præmissa, Arnoldo de Haveresforde, Henrico de Oldorpessen, Bartoldo Sewein, Joanne Judæo militibus, Joanne de Winthusen, Joanne de Aldenborge etc. testibus fide dignis.

Hæc ad jura utriusque partis, quò posteritati etiam constent, exactius referre jussus sum. Ea nimirum tum tempora inciderant, ut mutuis castrorum munitionibus armisque Corbeienses & Paderbornenses tueri se necesse haberent. Laudabilisque concordia & conspiratio; quâ postmodum ruptâ spretave, nobile illud & impe-

riale Corbeiense Cœnobium, quod possessionibus & patrimonio sacro plerisque Episcopis par erat, primùm rapacitati vicinorum, postremùm heterodoxæ fidei majorem partem cessit in spolium.

Moritur Henricus Virneburgius Archiep. Colon. *Gelen. Levold. Crumbach. Trithem: Chron. Colon.*

Fluctuantibus hisce schismatis temporibus, mors extraxit è vicinorum numero Henricum Virneburgium Colonienſem Archiepiscopum, virum, qui multis adversis, hostiumque armis jactatus, religione & constantiâ omnia fortiter superavit. Tandem pace, quemadmodum Ertwinus scribit, per totam Westfaliam sancita, redditàque itineribus securitate, asserta in libertatem Ecclesia sua, hoc anno verisimilius excessit; quamvis Trithemius & Chronici Colonienſis scriptor ad annum 1334 rejiciant. In ejus locum clerus primarius legit Adolphum Marcanum Leodienſem antistitem, virum eo tempore auctoritate, multaque rerum experientia, & belli gloria clarum. Obstitit postulantium votis Pontifex, ac Walramum Juliæ Comitem, Præpositum Leodienſem, & Thesaurarium Colonienſis Ecclesiæ, virum utriusque juris peritissimum, quocum olim Pontifex Bononiæ literarum studia tractârat, Colonienſem Archiepiscopum renunciat. Multumque ad id contulit Wilhelmus frater Juliæ Comes, qui tum Avenione in Pontificis aula causam Walrami agebat. Clerus etsi alienus, Pontificis tamen veneration id detulit, acceptavitque Archiepiscopum haud secus, quàm Moguntini ad Pontificis voluntatem receperant Henricum suum Archiepiscopum. Et jam Pontifex, præter Trevirenſem, duos studio suo primarios in Imperio Archiepiscopos impositos habebat; tanquam eorum opera Ludovicum Cæsarem dejecturus è solio.

In cujus locum eligit clerus Adolphum Marcanum Ep. Leodienſem.

Pontifex verò designat Walramum Juliæ Comitem, qui & recipitur.

Annus Christi 1333.

Joannis XXII Pont. 17.
Ludovici IV Reg. 20.
Bernardi V Episc. Paderb. 13.

Historia Boica Rebdorf. in annal.

At nihil motus Ludovicus, tametsi anno superiori frustra duos misisset Legatos, Arnoldum Eystadenſem Canonicum & Udalricum Augustanum Cancellarium, qui suo nomine Pontifici omnia obsequia pacisq; conditiones offerrent. Post illos Joannes Bohemiæ Rex, à Cæsare rogatus, Avenionem profectus ad placandum Pontificem; sed nec ab illo quicquam impetratum. quibus exacerbatus Cæsar Pontifici se palam objecit, ortaque est haud levis conturbatio in Imperio. Nam ut Rebdorfius scribit, *Per Alemanniam magnum* hoc anno *schisma fuit in Clero et populo, ex provisionibus Sedis Apostolicæ ad Episcopatus et solennes prælaturas et alia beneficia, quæ idem Ludovicus in odium Sedis Apostolicæ fortiter impedivit, multos etiam provisos à Sede, qui ei obedire nolebant*, rejecit, idque eo liberius factum, quod tota Alemannia non obstantibus sedis Apostolicæ processibus Ludovico pareret. Vetus nimirum schismatis malum, quod Henrico & Friderico Cæsaribus exarserat, resuscitari cœpit.

Ludovicq sæpe repulsam passus, palam Pontifici obstitit.

Inter

Inter hæc Walramus Colonienſis Archiepiſcopus cum Balduino Trevirenſium Archiepiſcopo, & Wilhelmo Juliacenſi Comite, aliiſque potentioribus fœdus iniit, ad latrones prædoneſque, à quibus publicæ viæ & negotiatores infeſtabantur, coërcendos. Quæ cùm etiam per Weſtfaliam imperata, tum hoc munus demandatum Bertholdo de Bueren, quem Walramus ex Paderbornenſi Dynaſta ducatus Weſtfaliæ Marſchallum conſtituerat; ipſe interim Archiepiſcopus poſtridie D. Remigij diœceſanam ſynodum collegit, in qua multa ſalubriter ad exactam diſciplinam cleri ordinata ſunt. Nec ſegniores reliqui per Weſtfaliam Epiſcopi in ſynodis convocandis, caſtigandiſque cleri & populi depravatis moribus. Rurſum hoc anno congreſſi Bernardus Epiſcopus noſter & Robertus Abbas ad maturandam Beverungani caſtri munitionem; transactumque cum Hermanno de Brakele milite de quarta caſtri parte, de parte judicij forenſis in caſtro & oppido, de pontibus & muris perficiendis; cui transactioni feſto Joannis & Pauli Martyrum interfuêre teſtes Eggehardus Abbas Helmwardeshuſanus, Hermannus Abbas Cœnobij Mariæ, Theodoricus montis Martis, & Arnoldus Wilbacenſis Cœnobij Præpoſitus, Wernerus de Brakele, Jacobus de Judæis, aliique adſcripti milites, quorum familiæ, præter de Judæis, extinctæ ſunt.

Statuta Colon.

Bernardi Ep. & Abbas Corbeienſis Munitionem Beverungani urgent.

Nec minus Epiſcopi ſtudium fuit in exſolvendis debitis, repetendiſque Eccleſiæ bonis. Quippe qui hoc anno judicium gograviatus in pagis Brochus, Beken, Oſtvanghe, Dalen, aliiſque locis Gobelino Miniſteriali certa pecunia in feudum oppignoratum redemit; tabulis hac ſuper re confectis. Teſtes adfuêre Liborius de Ulbeke Canonicus Paderbornenſis Eccleſiæ, Bertholdus de Lippia Comes civitatis Paderbornenſis, Joannes de Driborch, Bernardus Advocatus, Wernherus de Lippia famuli, & alij quam plures fide digni. Datum anno Mccxxxiii ipſo die B. Elizabethæ.

Judicium Gograviatus oppignoratum redimit.

Demùm Bernardus Epiſcopus noſter ſeu morbo, ſeu ſenio, aliove mortis metu præmonitus, etſi in ſextum poſt annum ſuperſtes vixerit, convocato primario clero & teſtibus multis, teſtamentum ſolemni ritu condidit, quo omnium ſuorum bonorum, tam eorum, quæ ex patrimonio ipſi debebantur, quàm per induſtriam acquiſierat, heredem ſcripſit Paderbornenſem Eccleſiam. Inter quæ ante omnia munitionem caſtri Dringenberg & Vorden, agrorumq; & proventuum eò ſpectantium, atque ante conſecrationem partorum poſſeſſionem comprehendi voluit; ea tamen lege, ut ex his creditoribus primùm ſatisfieret, ſi quæ victurus debita contraxerit: cetera in pios uſus, & egenos erogentur. Prolixæ hac ſuper re tabulæ extant, apud nos, quarum executionem eſſe voluit apud D. Bernardum de Lippia Præpoſitum, Fridericum de Retberg Decanum, Henricum de Buſche, & Liborium de Ulbeke Canonicos majoris Eccleſiæ, Henricum Bolimaſt, Wernerum de Brakele, Herboldum de

Teſtamentum condit.

Papenheim, Fridericum de Brenke milites. *Actum Paderbornæ in Capitolio novo prope chorum Ecclesiæ nostræ pridie Idus Augusti, præsentibus honorabilibus viris Liberto de Asseburg Decano Ecclesiæ Orientalis Paderbornensis, Magistro Conrado de Wittenborg Officiali Paderbornensi, Hynrico de Bolimast, Herboldo de Papenheim militibus, Wihardo de Drevere famulo aliisque quam plurimis è Capitulo et nobilitate. Datum anno Domini* MCCCXXXIII.

Annus Christi 1334.

Joannis XXII Pont. 17.
Ludovici IV Reg. 21.
Bernardi V Ep. Paderb. 14.

Alb Argent. Joanni Pont. defuncto subrogatur Benedict9 XII, qui Ludovicum R. frustra Ecclesiæ reconciliare studet, ab æmulis Ludovici impeditus.

Aderat annus trigesimus quartus supra millesimum trecentesimum, quo Joannes Pontifex quarto Decembris nonagenario major extinctus est. Auctores sunt, qui scribunt, Ludovicum orandæ veniæ, deprecandæque culpæ causa in Galliam profectum esse, ac bacillum manu prætendentem ad pedes Pontificis supplicem sese abjecisse, nec tamen quidquam impetrasse, quòd Pontifex totus esset in potestate Regis Galliarum, qui in nullius ruinam magis, quàm Ludovici Cæsaris intentus erat. Igitur in locum Joannis Pontificis Jacobus Furnius pistoris filius, patria Tholosanus, ex ordine Cistertiensium cooptatus in Cardinalium numerum, ex eoq; ob morum sanctitatem & præclaram rerum divinarum scientiam ad Apostolicam sedem provectus, Benedictus XII appellatur. Magna ob id spes, affulgere cœpit extinguendæ discordiæ, qua Joannes exagitârat Ludovicum. Nec defuit sibi Cæsar, missisque ad Benedictum Legatis, officiosissimâ legatione ad omnia æqua bonaque se obtulit; quo delectatus Pontifex, respondit se ramum avulsum virenti Ecclesiæ arbori denuo inserturum, simul Ludovicum nobiliorem mundi Principem compellando. Quæ postquam Philippus Rex Franciæ, & Robert9 Rex Siciliæ didicêre, missis duobus Cardinalibus & Episcopis ad Pontificem, minis etiam intentatis, monuêre, ne Ludovicum Ecclesiæ reconciliaret. Ad quæ Pontifex, ergone imperium vultis abrogatum? non hoc, inquiunt, sed hunc Cæsarem nolumus, qui & nudus & imbellis est. Accessit deinde Rex Bohemiæ & Poloniæ minantes, alium se cogitare Cæsarem deligere. Quæ postquam Pontifex ad consilium Cardinalium retulisset, atque illi haud minus Ludovico obsisterent, Pontifex ingemiscens ad tam potentum æmulorum offensionem, Legatos Ludovici Cæsaris infecto negotio remisit, nec Ecclesiæ Cæsarem reconciliare ausus fuit. Satis hæc commonstrant, quorum pravis in Gallia consilijs atq; artibus hactenus per Joannem Pontificem Ludovicus Cæsar impeditus vexatusque sit, quo minus ad quietam Regni possessionem venerit.

Adeo Rex Galliarum Pontificem Avenione commorantem in

potestate

potestate habuit, *tanquam qui nihil sibi denegare posset; eò etiam,* Ut Argentinensis est auctor, *inaudita petere ausus, regnum videlicet Arelatense pro filio, pro se vicariam in Italia potestatem, ac decimam decimæ ex toto orbe christiano colligendam cum universo Ecclesiæ thesauro.* Ad quæ cùm ipsi Cardinales territi hærerent, Pontifex cum Ludovico componere meditabatur.

Interim, ut Hochsemius perhibet, plerique Germaniæ & Lombardiæ proceres urbesque cum Ludovico Cæsare fecêre, in quorum numerum supra quatuordecim Germaniæ Episcopi venêre, qui palam sese in Cæsaris partes dedêre, quos inter Henricus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster facile princeps fuit; Ceteri suspensis animis hærebant, nihil magis, quàm schisma detestantes.

Walramus Colonienſis Archiepiscopus, etsi magis cum Pontifice faceret, nihil tamen adversus Cæsarem tentavit, salubriorique consilo firmam cum Colonienſi urbe concordiam instauravit, quæ multis testibus publicisque tabulis profertur ex Colonienſium monumentis.

Bernardo Ep. pacem cum vicinis Comitibus colit.

Idem studium fuit Bernardi Episcopi nostri, cum vicinis Comitibus bonam amicitiam colere. Quapropter Bernardo Comiti Ravensbergensi, & suo & Collegii Cathedralis nomine, literas dedit, quibus promittit se in gratiam Comitis intra decennium nulla subsidia pecuniaria à Clero Bilfeldiensi postulaturum ad recuperationem munitionum & castrorum.

Parochiam Steinhagensem instituit.

At longè gratiori beneficio Bernardus Episcopus affecit Ludgardem Hervordiensem Abbatissam & Bernardum Ravensbergensem Comitem, quorum rogatu Capellam Steinhagensem à Parochia Dorenbergensi divisit, separatamque pro Episcopi potestate fecit parochiam Steinhagensem; quod id loci commoditas & populi frequentia poscceret. Id cum publicis literis, atque octo præsentium sigillis consignatum sit, operæ pretium erit ad veterem Episcopi Paderbornensis per ea loca jurisdictionem, quam nunc hæresis intervertit, comprobandam, ipsas tabulas in medium proferre.

In nomine Domini Amen. Bernhardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus salutem omnibus in perpetuum. Proponi fecerunt coram Nobis Venerabilis Domina Lutgardis Abbatissa, & Capitulum seculare Ecclesiæ Hervordensis, nec non vir nobilis Bernhardus Comes de Ravensberghe. Quod Ecclesia Parochyalis in Dorenberghe, & Capella sita in Steinhagen eidem Ecclesiæ subjecta, & ad eam pertinens nostræ dyœcesis adeo habundarent in redditibus, quod & proventus de novo deputati & assignati, quod uterque locus posset specialem Rectorem commode sustinere & sustentare, & quod duæ parochiales Ecclesiæ possent constitui in ambobus locis memoratis, asserentes, quod utriusque sexus homines in præfato loco Steinhagen mansiones habentes, propter loci distantiam, & viarum discrimina tam pro Baptismate parvulorum, quam aliis Ecclesiasticis Sacramentis recipiendis, absque difficultate prædictam parochyalem Ecclesiam in Dorenberghe frequentare, adire, seu accedere, & officiis divinorum interesse congruo tempore non valentes, & quod Rector ejusdem Ecclesiæ in Dorenberghe ex causis præmissis infirmos, & debiles in præfato loco Steinhagen degentes non possit opportuno tempore commode visitare, ipsisque Sacramenta Ecclesiastica ministrare, Et instanter supplicantes, ut ex causis præ-

sis præmissis tam certis, legitimis & rationabilibus ad divisionem prædictorum locorum scilicet Parochiæ in Dorenberghe, & ejus Capellæ in Steinhagen, ut sint de cætero duæ parochiales Ecclesiæ, & duo spirituales Rectores easdem Parochias divisim regentes, procedere, & secundum affectum, seu desiderium partium supplicantium ad finem optatum perducere, auctoritate ordinaria, sicut ad Nos de jure pertinet, curaremus. Vt autem honor debitus Matrici Ecclesiæ in Dorenberghe servetur, de indemnitate eidem Ecclesiæ plene caveatur, ordinatum & statutum fuit tam inter Dominam L. Abbatissam, & Ecclesiam suam Hervordensem prædictam ex una, & præfatum Nobilem virum Bernhardum Comitem de Ravensberghe parte ex altera coram Nobis, Quod Rector præfatæ Ecclesiæ in Steinhagen, qui pro tempore fuerit, Rectori Matricis Ecclesiæ in Dorenberghe in recompensam sui dampni & præjudicij ex nunc in antea solvere debebit quatuor marcis quatuor solidis minus denario Hervordiæ & Bilveldæ legalium nomine perpetuæ pensionis sub deputatis terminis, videlicet quolibet festo Michaelis viginti solidos, & quolibet festo Paschæ duas marcas prædictorum denariorum annis singulis affuturis. Distinctionem vero dictarum Parochiarum ordinarunt seu constituerunt in hunc modum. Quod videlicet Apex seu cacumen Montis extremi sæpe dictæ Ecclesiæ Dorenberghe ab australi parte prope domum Lindenhorst adjacentis in viciniori loco censeri & haberi debebit in antea pro termino & limite intermedio harum duarum Parochiarum, Ita ut omnes à cacumine Montis prædicti prope Lindenhorst ad austrum inferius residentes, aut moram trahentes, vel de novo habitationes, domos, aut casas ibidem facientes amplius tanquam veri Parochiani ad prædictam Ecclesiam Steinhagen pertineant temporibus perpetuo duraturis. Et quod præfatus Bernhardus Comes de Ravensberghe prædictam Ecclesiam in Steinhagen dotavit cum quibusdam certis bonis, de quibus inferius in præsentibus literis fit mentio, ordinatum fuit, inter partes prædictas, quod jus Patronatus, præsentatio, provisio, seu collocatio hujus novellæ Parochialis Ecclesiæ in Steinhagen apud Dominam Abbatissam præfatæ Ecclesiæ Hervordensis, quæ pro tempore fuerit, alternis vicibus, alternatim vero apud Comitem de Ravensberghe pro tempore existentem ratione dotationis debeat perpetuo permanere. Eo tamen salvo, quod præfata Domina Abbatissa prædictam Ecclesiam in Steinhagen pro sua voluntate pacifice conferat, & quod sic deinceps, & consequenter de præsentatione, provisione seu collatione prædictæ novellæ parochialis Ecclesiæ in Steinhagen, dum eam vacare contingit, inter Abbatissam Ecclesiæ Hervordensis & Comitem de Ravensberghe pro tempore perpetuis temporibus observetur. Adjectum etiam fuit quod nulla partium prædictarum, videlicet nec Comes de Ravensberghe, nec Abbatissa Hervordensis de præsentatione, provisione, seu collatione ipsius Ecclesiæ in Steinhagen alternata vice ad alium spectante debebit se intromittere, nec alterum quoque impedire. Cæterum præfatus Bernhardus Comes de Ravensberghe pro remedio animæ suæ & animarum progenitorum suorum de expresso consensu omnium hæredum suorum præfatæ Ecclesiæ in Steinhagen mansum unum situm in Parochia Wertere vocatum Brandesgut in dotem cum proprietate & omnibus suis pertinentiis & juribus universis assignavit, donavit & dimisit, quiete, libere & pacifice jure hæreditario perpetuo possidendum, Item Suederus de Buscho miles pro remedio animæ suæ duos mansos in Borde sitos quos tytulo pignoris seu obligationis pro quinquaginta marcis denariorum Hervordiæ usualium de Comicia Ravensberghe hactenus tenuerat, de pleno consensu prædicti Bernhardi Comitis de Ravensberghe & hæredum suorum eidem Ecclesiæ in Steinhagen assignavit & donavit nomine perpetuæ dotis cum omni jure, quod ibidem Svedero & suis hæredibus in eisdem mansis competebat, pensione tamen præfatæ Ecclesiæ Hervordensis de præfatis mansis dari consueta hinc excepta. Præfatus etiam Bernhardus Comes pure & plane renunciavit omni juri, quod sibi & suis hæredibus in dictis duobus mansis competebat, seu competere posset in futurum, annectendo & applicando prædictos duos mansos in Borde cum Advocatia & omnibus suis juribus tanquam dotem perpetuam Ecclesiæ in Steinhagen supradictæ. Insuper præfata Domina L. Abbatissa Ecclesiæ Hervordensis de pleno consensu Capituli sui proprietatem dictorum duorum mansorum in Borde sitorum ab ipsa in feudo descendentium eidem Ecclesiæ in Steinhagen dedit & assignavit perpetuis temporibus possidendam, salvis tamen suis & Ecclesiæ pensionibus inde de jure debitis & dari consuetis, quæ in libris suis pensionariis continentur. Fuit etiam conditum inter cætera, quod Rector Parochialis Ecclesiæ in Steinhagen pro tempore existens synodos Episcopales in Paderburn observandas consuetis temporibus debeat visitare, & synodos Archydiaconales cum Rectore Matricis Ecclesiæ in Dorenberghe in loco consueto videlicet in Schildesche observare, prout in observandis synodis Archidiaconalibus fieri est consuetum. Nos igitur Bernhardus

hardus Episcopus prædictus supplicationibus humilibus prædictarum partium ex causis legitimis & rationabilibus atq; necessariis descendentibus annuere cupientes, de consensu Archidiaconalis loci, Johannis Rectoris Ecclesiæ in Dorenberghe, Dominæ L. Abbatissæ secularis Ecclesiæ Hervordensis Patronæ ejusdem Ecclesiæ in Dorenberghe, atque sui Capituli præfata loca in Dorenberghe & in Steinhagen ab invicem in nomine Domini in his scriptis dividimus & segregamus, statuentes, ut sint de cætero duæ Parochiæ inter se devisæ & distinctæ, & duo Præsbiteri easdem Parochias regentes, qui in singulis locis & Parochiis divisim speciales sepulturas habeant, & administrationi omnium Sacramentorum, prout in aliis Parochiis nostræ Dyœcesis generaliter fieri est consuetum, jure nostro & loci Archidiaconi excepto, & in omnibus semper salvo, & quod inter sæpe dictas partes supra conscriptas cætera præmissa omnia, & singula provide & rite factum est, approbamus, authorisamus, & confirmamus, & præsentis scripti nostri testimonio communimus, Et ad perpetuam rei memoriam sigillum nostrum majus dependens ad preces partium prædictarum una cum sigillis Archydiaconi loci præsens factum approbantis, nec non venerabilium personarum Dominæ Lutgardis Abbatissæ, & Capituli Ecclesiæ Hervordensis, & Bernhardi Comitis de Ravensberghe, Johannis Rectoris Ecclesiæ in Dorenberghe, ac Suederi de Buscho militis prædictorum præsentibus est appensum. Et Nos Archidiaconalis sedis Lemego pro testimonio nostri consensus ad præmissa requisiti atque adhibiti sigillum nostrum apposuimus huic scripto. Nos vero Lutgardis Dei gratia Abbatissa, nec non Præposita, Decana, totumque Capitulum secularis Ecclesiæ Hervordensis Prænotatæ in testimonium nostri consensus circa omnia & singula præmissa adhibiti sigilla nostra duximus præsentibus apponenda. Et Nos Bernhardus Comes de Ravensberghe sæpedictus recognoscimus omnia & singula conscripta superius esse vera, & pro testimonio ipsorum præsentem literam appositione sigilli nostri fecimus roborari, Et Ego Johannes Rector Ecclesiæ in Dorenberghe præmissis omnibus consentiens etiam pro testimonio sigillum meum apposui huic scripto, Ego vero Suederus de Buscho miles præfatus præsentibus recognosco, quod prædictos duos mansos in Borde sitos cum omni sui jure, quod mihi & meis hæredibus competebat in eisdem, præfatæ Ecclesiæ in Steinhagen perpetuo dimisi & donavi, sicut superius est conscriptum, & in hujus donationis testimonium præsentem literam duxi sigilli mei munimine roborandam. Datum in crastino beati Joannis Baptistæ, Anno Domini MCCCXXX quarto.

(LS.) (LS.) (LS.) (LS.) (LS.) (LS.) (LS.)

Annus Christi 1335.

Benedicti XII Pont. 1.
Ludovici IV Reg. 22.
Bernardi V Episcopi Pad. 15.

Altero ab hinc anno funestissimum bellum exarsit inter Philippum Franciæ atque Eduardum Angliæ Reges, quod exinde in centesimum annum ingentibus regni Franciæ cladibus extractum est; tanquam vindex Deus Galliam premeret, quæ hactenus schisma Imperij tantis calamitatibus incenderat, alueratque. Causa belli, quòd Philippo pulchro sine prole mascula extincto, Eduardus III Philippi Pulchri filiâ genitus, regnum Franciæ sibi vendicaret, quod Philippus Valesius Caroli Valesij frater occupârat. Incentorque belli accessit Robertus Atrebatum Comes, ob injuriam à Philippo Rege sibi irrogatam. At Cæsar per hæc felicibus armis progressus, primùm Carolum Hungariæ Regem irrumpentem in Austriam rejecit; nec multò post Bohemiæ & Poloniæ Reges, quibus se junxerat Henric9 Bavariæ Dux, famâ exercitus adventantis in fugam depulit. Quibus

Fossard. l. 1. c. 4. Æmilius Villanius Petavius Albert. Argent.

Ludovic9 Reges Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ bello vincit.

è Germania

è Germania renunciatis, misit Pontifex Cardinales suos, qui Cæsarem debilitatum & inermem hactenus sibi persuadere contenderant.

Lit. Colon. Sub id tempus cùm insolentia Comitum turbaret Westfaliam, Walramus Colonienſis, Balduinus Trevirenſis, Ludovicus Monasterienſis, & Bernardus Paderbornenſis Episcopus defensionis fœdus inierant. Quare cùm hoc anno in solemni ordinum conventu Bertholdum de Bueren, opulentum nostræ diœcesis Dynastam, Westfaliæ Marschallum præfecissent Walramus, id cum primis illi in mandatis dedit, ne quid contra fœderatos sibi Episcopos tentaret; ac cùm ab eodem Marschallo 3276 florenorum pecuniæ summam mutuo accepisset, oppidum illi Volckmarienſe, castrumque & districtum Kogelenberg, arcemque Hovestad pignori opposuit. Tandem & hoc anno Godefridus Arnsbergensis Comes, quòd Marcani bello Ludovicum Monasterienſem Episcopum captivum abduxisset, à Benedicto Pontifice anathematis vinculo solutus est.

Bertholdus de Bueren Westfaliæ Marschallus à confœderatis Episcopis præficitur.

Amplas hactenus decimas feudi nomine possidebant in Amerungorum districtu ab Ecclesia Paderbornensi nobiles viri de Bueren, de Brakele, & Asseburg; ad quas cùm Canonici Collegij Bustorfiani certa pecuniæ summa emendas se offerrent, haud invitus permisit Bernardus Episcopus; vel ea ratione adductus (quod in tabulis profitetur) ut è Laicorum manibus redemptæ, ad Clerum & patrimonium Ecclesiæ redirent, cui antiquitus à Carolo M. datas agnoscebat Episcopus. Tabulæ hac super re adsunt, festo Georgij Martyris ex consensu Præpositi, Decani, aliorumque Canonicorum Anno Mcccxxxv confectæ. Hanc ipsam decimarum emptionem anno proximo confirmat Episcopus, nominatimque repetit ideo consilio permitti, ut è manibus Laicorum extrahantur ad Ecclesiasticos homines.

Decimæ Amerunganæ ad Canonicos Bustorfianos cum consensu Bernardi Ep. transeunt.

Annus Christi 1336.

Benedicti XII Pont. 2.
Ludovici IV Reg. 23.
Bernardi V Ep. Paderb. 16.

Nihil interea non movit egitque Ludovicus Cæsar, quo se cum Pontifice reconciliaret; opportunitàteque ex bello inter Franciæ & Angliæ Reges inardescente arrepta, mittit Rupertum Palatinum Ducem, & Wilhelmum Juliæ Comitem Legatos Avenionem ad Benedictum Pontificem, quibus in mandatis dedit, ad omnia suo se nomine offerrent Pontifici, quæ à Cæsare, delictorum pœnitente, & veniam deprecante requiri possent. Pontifex etsi pronus esset, nihilque etiam à Magalonensi Episcopo, quem ad explorandos Cæsaris mores in Germaniam miserat, censoria nota dignum accepisset; Regum tamen metu, quorum Legati nondum adessent, quo minus in gratiam reciperet, se prohiberi Ludovici Legatis respondit. Non

Ludovico R. Pontifici reconciliari studet.

Hertzvart. Spondanus Histor. Boic. Odoric in Histor. Eccl.

desunt

desunt auctores, qui hunc durum & iniquum agendi modum magnopere detestentur in Philippo Francorum Rege; tanquam cardo Imperij versaretur in Gallorum arbitrio, ad quos se Cæsar & Imperij Principes cum Pontifice obverterent.

Cæsar deinde ob præclara merita susceptamque legationis operam Wilhelmum Juliacensem Comitem Imperij Marchionem renunciavit, multisque Principum privilegijs exornavit, id quod producto Ludovici Cæsaris diplomate asserunt Mutius & Gelenius. Archiepiscopus Colon. Cleri ceterorumque corruptos mores corrigit.

At Walramus Juliæ Comes Colonienſis Archiepiscopus hoc anno 2 Octobris synodum convocavit, in qua depravati Clericorum, & vagantium Sanctimonialium, aliorumque religiosorum mores emendati. Idemque Archiepiscopus (quocum Bernardo Episcopo nostro intima animorum publicorumque ex fœdere operum conjunctio fuit) mediam partem oppidi Helmwardeshusani, castrique Kruckenberg, acceptis 1400 marcis Susatensis monetæ, oppignoravit; quod non sine consilio & assensu Engelberti Abbatis factum esse docebunt nos acta posterioris anni. Castrum id Kruckenberg in edito assitoque Monasterij Helmwardeshusani & oppidi monte constructum erat; media pars jam superiori sæculo, anno videlicet 1220, ab Abbate ejus temporis Engelberto Colonienſi Archiepiscopo mutuæ defensionis tutelæque causa in potestatem data erat. Quemadmodum nos supra ad eum annum ex publicis Engelberti Archiepiscopi tabulis docuimus. Idem Bernardo Ep. Paderb. Castrum Kruckenberg &c. oppignorat.

Contra Bernardus Episcopus noster hoc ipso anno castrum Hindeborg, quod ab Hunnis celebre volunt, objacetque ex vicino monte civitati Brakelensi pro certa pecuniæ summa diversis nobilibus viris pignori opposuit. Id quia vetustatis malo in ipsas prope ruinas confederat, divisit in tres partes insidendas, ac reparandas; quarum prima Ludovico militi, Ottoni & Reyhero fratribus de Wolde, altera Wernero de Brakele militi, tertia Wilhelmo de Asseborg famulo seu Ministeriali attributa. Id verò quibus præterea conditionibus conventum sit, docebunt hæ tabulæ, quas ad jura Episcoporum nostrorum in castrum illud comprobanda hic recitare intererit. Bernardo Ep. Castrum Hindenborg diversis Nobilibus insidendum & reparandum tradit.

Nos Bernhardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus recognoscimus, et præsentibus publice profitemur, quod attendentes castrum nostrum et Ecclesiæ nostræ Hindenborg, cujus ædificia per incendium inopinatum et infortuitum consumata sunt, et muri ejus pro magna parte diruti, ruinam partis reliquæ assiduè comminantur, de quo provenire grave dispendium Nobis et Ecclesiæ nostræ verisimiliter formidamus. non posse, nisi reparetur et reædificetur, commodè, et utiliter conservari. Quocirca, ut prædictis obvietur dispendiis, cum honestis viris Lodewico milite, Ottone et Reyhero famulis fratribus Dominis de Wolde condiximus, et concordavimus in hunc modum. Quod iidem fratres de Wolde septuaginta duas marcas argenti puri exponere

ri exponere debent, in usus structuræ dicti castri totaliter convertendas, ad quod nos personam idoneam deputabimus, qui de voluntate et notitia nostra disponet de præmissis, cui ipsi de pecunia pro tempore absque impedimento et moræ dispendio respondebunt, et talis à nobis deputatus nobis et Ecclesiæ nostræ facere de receptis et dispositis tenebitur rationem. Pro quibus septuaginta duabus marcis puri argenti de bona voluntate, pleno et expresso consensu honorabilium virorum Præpositi, Decani, et Capituli Ecclesiæ nostræ prædictæ titulo pignoris obligavimus et obligamus per præsentes eisdem et eorum hæredibus, veris tertiam partem castri Hindenborch prædicti cum tertia parte jurium, pertinentiarum, et redituum tam in agris cultis et incultis, nemoribus, pratis, pascuis, silvis, alias per nos cum dicto castro emtionis titulo comparatorum, præter judicium altum, quod inde excipimus et nobis et nostris Successoribus reservamus. Item obligamus eosdem ad hoc tertiam partem redituum et servitiorum nostrorum in loco dicto Upperbreden prope Brakle, præter judicium. Item de dimidio manso in campo Brakle sito, et de parte nostra et Ecclesiæ Paderborn. in Advocatia Modekessen et Heygenbussen per predecessores nostros cum oppido Brakle alias emptionis titulo comparatis tertiam partem. Item de parte nostra in Abbenbroch similiter tertiam partem habendam, et pacifice possidendam tam diu, donec per nos, aut Successores nostros, dicta pars castri, bonorum et redituum pro summa septuaginta duarum marcarum argenti prædicta redimatur ab eisdem, quam redemptionem nos et Successores nostri omni tempore facere poterimus, dum Nobis aut ipsis id visum fuerit expedire, et ex tunc redemptione taliter facta eadem tertia pars castri cum tertia parte redituum prædictorum ad Nos, nostros Successores et Ecclesiam Paderbornensem libera redibit, et debebit nobis per dicto. Fratres de Wolde restitui, et resignari absque contradictione, vel cujuslibet impedimenti obstaculo indubitate. Prædicti tamen fratres de Wolde, et eorum hæredes mansionem in suburbio dicti castri cum area sua et angulo australi, quam ipsis pro habitatione, et peculio castrensi hereditario deputamus, quamdiu ibidem residentiam fecerint, more Castrensium nostræ Ecclesiæ retinebunt; et si in agris ad munitionem ipsis, ut prædictum obligatis tempore redemptionis per nos aut successoris nostros faciendæ semina seu bladum habere continget ea pro commodo suo colligere, et deducere illa vice poterunt, et suis usibus applicare. Præterea dicti fratres de Wolde non debebunt illam partem, munitionis alicui alteri obligare, exponere, locare, seu quovis modo alio ab Ecclesia nostra alienare, prout ad id se fide data, et juramentis suis corporaliter præstitis obligarunt, sed durante obligatione præmissa debent fideliter conservare, et pro fideli ipsius munitionis custodia sub obtentu honoris sui omnem diligentiam, quam poterunt adhibere. Addicitur tamen, quod si in alio loco vicino munitionem extruere nos continget, in qua Dominis de Wolde mansio magis competierit ad talem munitionem, ipsos admittemus, et more fidelium Castrensium ibidem receptabimus moraturos, et ex tunc etiam præmissam pecuniam ipsis nos, aut successores nostri restitui faciemus. Præterea alias duas partes castri et redituum Wernero de Brakle militi, nec

non

non Vilhelmo de Asseborch famulo divisim obligavimus sub modis et formis, prout in literis suis per Nos ipsis desuper specialiter traditis continetur, quibus dicti fratres de Volde firmam custodiam castri, quæ vulgariter eyn Reych Borchede, unde eyn Reych Borchvvede dicuntur, facere tenebuntur, et dicti fratres eandem custodiam castri ab eis recipient, vice versa durante eadem obligatione inviolabiliter observaturum. Redemptione vero alicujus partis castri ab altera partium prædictarum per Nos vel successores nostros facta, residuis vero retinentibus partes suas in dicto castro similem castri custodiam ex parte Ecclesiæ nostræ, aut successorum nostrorum tenebimur innovare. Præterea guerras nullas et insolentias de eodem castro movebunt, nec ad guerras seu insolentias de eodem castro exercendas extraneum quenquam receptabunt, seu fovebunt ibidem. Præterea munitio ipsa debet Nobis, Successoribus nostris, et eorum Officiatis ac familiæ patere, et aperta esse in omnibus nostris necessitatibus, commodis, et utilitatibus, pro ut aliæ munitiones nostræ Ecclesiæ libere et solute, etsi expediret nobis aut successoribus nostris de eadem munitione guerras exercere, ex tunc ipsi castro de periculis cavebimus ipsum cum amicis nostris, et armatis prout optimum fuerit muniendo. In cujus rei testimonium nostrum, et dicti Capituli nostri sigilla nostra præsentibus literis sunt appensa. Et nos Præpositus, Decanus et Capitulum Ecclesiæ Paderborn. prædictæ in signum nostræ voluntatis, et consensus intervenientis circa præmissa omnia, et in evidens testimonium omnium præmissorum sigillum nostrum duximus præsentibus literis apponendum. Datum anno Domini 1336 intra octavam Pentecostes.

(L.S.) (L.S.)

Bernardo Ep. locum designat ædificandi in urbe Episcopalis palatij.

At multò nobiliori opere Bernardus Episcopus novum Episcopi palatium in ipsa urbe ex consilio Cathedralis Collegii atque ordinum molitus; tum quòd insalubri & incommodo loco hactenus habitatum in urbe à primis Episcopis, tum quòd vetus Episcopi palatium per absentiam sequentium Episcoporum collapsum, quibus extra urbem habitare magis placere cœpit. Igitur in hanc rem delegit novi palatij locum commodum & amænum, ad ipsos Paderæ fontes pertinentem, infra Basilicam versus Austrum inter duos angiportus, quorum alter ab æde D. Barholomæi, alter ex descensu fori ad Paderam procurrit, accuratè descripsit. Verùm hoc opus, seu morte, seu alijs ex causis, non videtur processisse; nulla enim ejus palatij vestigia. Interim tabulas tenemus, operosè confectas, & subscriptas à Præposito, Decano, & Canonicis majoris Ecclesiæ. *Actum Paderbornæ præsentibus honorabilibus viris Bertholdo Abbate, Bertholdo Priore Monasterii S. Pauli, Ecberto de Asseborg Decano, Joanne de Sclingdorf Scholastico et Magistro, Matthia de Bueren Thesaurario, Canonicis Ecclesiæ SS. Petri et Andreæ, Joanne Præposito Sanctimonialium S. Udalrici, Amelungo de Driborg Plebano forensis Ecclesiæ, Ottone Comite de Ritberg, Bertholdo utroque de Bueren nobilibus, Henrico Bolemast, Ra-*

vennone de Driborg, Luberto de Westfalen, Ludovico Post, Friderico de Brencken militibus, Wilhelmo et Joanne de Vernede, Ministerialibus et Castrensibus Ecclesiæ nostræ, Joanne Erenfredi et Alberto de Scerve Proconsulibus, cæterisque Consulibus Civitatis Paderbornensis. Datum Anno MCCCXXXVI *Calend. Maji.*

Annus Christi 1337.

Benedicti XII Pont. 3.
Ludovici IV Reg. 24.
Bernardi V Ep. Paderb. 17.

Odoricus in histor. Eccles. ad hunc annum. Hervvart. ad hunc annum. Nauclerus ad hunc annum. Hocsemius. Becanus in chron. Ultraject.

Laborabat per hæc in sequentem annum Pontifex, ut Philippum Francorum Regem conciliaret cum Cæsare, id quod egregia Pontificis Epistola ad Regem scripta docet. Quam in rem multas gravesque causas adducit Pontifex, interque alias, ne perspicaces & subtiles Theutonici Regis pertinaciâ provocati sese Eduardo Anglorum Regi arctius conjungant adversus Franciæ regnum. At Franciæ Rex, uti Hertwardus scribit, cùm se amicum Cæsaris, & absolutionis Cæsareæ cupidum simularet: missis etiam in hanc rem oratoribus ad Cæsarem, quod Nauclerus memorat; nihilo tamen minus apud Pontificem clam summis viribus contendebat, ne Cæsar vinculis Ecclesiasticis solveretur. Quibus offensus Cæsar, Legatos suos revocat; scriptisque sub initium Augusti ad Episcopum Leodiensem, Gallicæ nationis studiosum, ad Hollandiæ Comitem, ad proceres urbesque Brabantiæ, ad inferioris Germaniæ Comites & Dynastas literis, omnes ad bellum Franco inferendum impellit. Hi deinde anno proximo consilia atque arma cum Eduardo Angliæ Rege conjunxêre.

Ludovicq suam cum Ecclesia reconciliationem impedienti Galliæ Regi bellum parat.

Eò nunc demum Westfalia nostra, hactenus intestinis bellis lacerata, quietior, quo longius arma avocata fuêre in Belgium; eò quoque liberius Episcopi Westfaliæ rerum sacrarum procurationi institêre. Quos inter Bernardus Episcopus noster hoc anno in oppido Buren ædem sacram, rogatu Alberonis armigeri, construendam sumpsit, eò loco, ubi sacrilegi Judæi hostiam sacram, vel è sacrario, vel aliunde raptam defoderant in terram; hunc locum, quia Deus in eum usque diem multis miraculis illustrem fecerat, Episcopus, insigni simul religionis studio Armigeri consilium comprobavit. Atque is cùm ad omnes impensas, atque annuam Sacerdotis alimoniam se offerret, opus sacrum hisce publicis, digniseque ad posteritatem tabulis maturandum præscripsit.

Bernardq Episc. Sacellum SS. Sacramenti in oppido Bürano erigendum statuit.

Bernardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus, Universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris hoc præsens scriptum visuris & audituris salutem & sinceram in Domino caritatem. Officij nostri debitum exigit, ut ad ea aciem nostræ considerationis extendere debeamus, quæ cultum divinum augmentant, & salutem pariunt animarum. Sane dilectus nobis in Christo vir discretus Albero dictus Klot armiger pio accensus desiderio, preciosissimi corporis Domini nostri Jesu Sacramenti devotione affectus, Capellam in Oppido Buren nostræ diœcesis fundatam

fundatam in loco, ubi olim ipsum venerabile Sacramentum à judæis obstinata perfidia excecatis luculenter abstractum & irreverenter absconditum innumeris choruscare miraculis non ambigitur, quæ usq; ad hæc tempora dotata non existit, ob reverentiam tanti Sacramenti, & pro ipsius parentumq; suorum animarum salute dotare disposuit, & spopondit redditibus annuis & certis prosustentatione unius Sacerdotis competentibus, videlicet quatuor moltorum annone triplicis æqui partim siliginis, ordei, & avenæ, mensuræ in Buren usualis, & octo virnalibus agrorum in campis ibidem, cupiens ut Capella eadem distinctum sit beneficium ab Ecclesia parrochiali, seu matrice in Buren separatum, uni Sacerdoti ydoneo, qui actu Sacerdos existat, nunc & imposterum, quotiens ipsam vacare continget, per Abbatissam Monasterij Sanctimonialium in Holthusen prope Buren ordinis Cistertiensis de conventus sui consilio conferendū, qui sacerdos per Abbatissam plebano parrochialis Ecclesiæ præsentari & sine difficultate per ipsum plebanum Capellam induci, seu institui debeat ad eandem. Nos ipsius Alberonis dicti Klot devoto desiderio grato concurrentes assensu, communicato consilio nihilominus, consensu, & approbatione virorum nobilium Bertoldi Domini, & Bertoldi Domicelli Dominorum temporalium in Buren, & heredum eorundem, nec non religiosarum personarum Abbatissæ & conventus Monasterij prædicti patronorum, & viri discreti Godfridi plebani parochialis Ecclesiæ ibidem, nec non Archidiaconi loci, & omnium, quorum consensus ad id fuit merito requirendus, præmissa omnia & singula ratificamus, & auctoritate ordinaria præsentibus approbamus. Et ne plebanum parochialis Ecclesiæ occasione præmissorum in suis juribus, emolumentis, fructibus, & obventionibus dispendium contingat imposterum sustinere, inter ipsum plebanum parochialis Ecclesiæ ex una, & Rectorem Capellæ ex altera parte, & eorum hinc inde Successores ordinatum extitit de consensu Alberonis fundatoris & dotatoris, patronorum, Archidiaconi, Dominorum temporalium præmissorum, & omnium, quorum interest. & finaliter concordatum, videlicet quod Rector Capellæ sic institutus ipsam regere & officiare debebit in divino officio nocturno pariter & diurno sine solempnitate cantus per notam & absque prædicationibus & sermonibus ad populum, quos nullo tempore per se vel per alium seu alios religiosos vel seculares Clericos aut personas, præterquam in dedicatione ipsius Altaris facere poterit, nec debebit, nisi de plebani parrochialis Ecclesiæ licentia petita pariter & obtenta. Præterea natalis Domini, Epiphania, Pascha, Pentecostes, & singulis beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ & Apostolorum festivitatibus, nec non omnium Sanctorum, & omnium animarum commemorationibus, in dedicationibus Ecclesiæ matricis, & altarium ibidem, & generaliter in omnibus & singulis festis & diebus, in quibus populus illius parrochiæ offerre hactenus consuevit de consuetudine vel de jure, & in exequiis funerum Rector Capellæ prædictæ missam celebrare non debebit, nisi in Ecclesia parrochiali ad summam sive ultimam missam sit facta elevatio Sacramenti. Præterea nec in ijsdem exequiis funerum, nec infra octavas commemorationis eorundem, vel dum tricesimus, vel anniversarius dies eorum agitur, oblationes nullas, vel votivas aliquas pro defunctorum memoria quocunque tempore recipiet idem Rector publice vel occulte; si quas tamen sibi præsentari sive exhiberi continget, illas tollet, et plebano sine diminutione fideliter præsentabit. Addicitur tamen, quod Rector dictæ Capellæ medietatem oblationum, quas sibi ad altare temporibus licitis, & hic non exceptis deferri à fidelibus continget, licite poterit suis usibus applicare. Aliam medietatem tenebitur plebano parrochiali fideliter præsentare. Conditum est etiam, quod si alias, præterquam in casibus, ut præmittitur exceptis, Rectori Capellæ præfatæ à fidelibus aliqua largiuntur, donantur, seu assignantur, hæc licite recipere poterit, & habere. Præterea idem Rector hospitale pauperum & debilium circa eandem Capellam ad alicujus nutum vel instinctum construi, in quantum in eo est seu fieri non permittet, nec plures Sacerdotes in eadem Capella beneficiandi, quam Rector præfatus aliquatenus, admittentur, etiamsi plura altaria ibidem erigi, seu fundari, contingeret in futurum. Cæterum Rector Capellæ præfatæ pro tempore existens nullam partem contra plebanum parrochialis Ecclesiæ fovebit, si forte, quod absit, plebanum eundem cum religiosis, Clericis, aut Laycis quibuscunque habere continget causam, dissentionem, vel imposterum quomodolibet quæstionem. Insuper est adjectum, quod si successu temporis populus ad eandem Capellam pro reverentia Sacramenti, vel alias devotionis causa, confluueret, & in tali concursu oblationes ad eandem Capellam deferrentur, seu aliqui devoti homines pro impetranda venia cum esculentis seu poculentis, leguminibus vel rebus aliis se ibidem facerent trutinari, de talibus idem Rector se nullatenus intromittet, vel exinde nullam debebit petere, exigere, vel recipere portionem, prout ad hæc omnia & singula præmissa sub obtestatione fidei, honoris, & conscientiæ, & promisso in prima sui institutione per

plebanum

plebanum facienda, eidem plebano se tenebitur, fideliter & firmiter obligare. Et ut indemnitati plebani parochialis Ecclesiæ plenius caveatur, Albero dictus Klot dotator Capellæ prædictus, si fortè ex præmissis, vel aliquo eorum dampnum, dispendium, seu tædium, idem plebanus aliquo modo pateretur, proræstauro & recompensatione talium comparavit eidem plebano & suis successoribus redditus duorum moltium annone triplicis æqui partim, videlicet octo modios siliginis, octo ordei, & octo avenæ, mensuræ in Buren legalis & usualis, & octo furnalia agrorum in campis ibidem jure proprietatis & possessionis apud Ecclesiam parrochialem & plebanos ibidem perpetùo, & pacifice permansuros. In quorum omnium evidens testimonium Nostrum, Lutgardis Abbatissæ, Bertoldi Domini, & Bertoldi Domicelli Dominorum temporalium in Buren, & Godfridi plebani ibidem sigilla præsentibus literis sunt appensa. Et nos Dei gratia Lutgardis Abbatissa pro nobis & conventu nostro, nec non viri nobiles Bertoldus & Bertoldus Domini temporales in Buren pro nobis & hæredibus nostris, & Godfridus plebanus in signum nostræ voluntatis, ratihabitionis, approbationis circa præfatam divisionem, ordinationem, & circa omnia & singula præmissa sigilla nostra ad perpetuam rei memoriam duximus præsentibus literis apponenda. Datum Anno Domini Millesimo XXX septimo. Calend. mensis Septembris XIII.

Monachi Helmwardeshusani castrum Kruckenberg, in quòd jus habebat Episc. Paderb. aliis tradere tentant.

Atq; hæc dum Episcop⁹ laudabili pietatis opere tractat, injecta est illi haud levis molestia à Monachis Helmwardeshusanis; quorum insolentes quidam, inscio Engelberto Abbate suo, arcem Kruckenberg, & Helmwardeshusanum oppidum, inita cum Moguntinis præfectis, & Geismariensis Oppidi in Hassia civibus pactione, in alienas manus transferre tentavêre. Jam ante, ut supra diximus, Abbas ex assensu suorum Monachorum castri & oppidi partem, mutuæ tutelæ causa, transcripserat Engelberto Colonienſi Archiepiscopo, & post illum Walram⁹ Archiepiscopus pignori cesserat Bernardo Episcopo, tutelamque utriusq; munitionis illi ex consensu Abbatis transcripserat; præterquam quod Bernardus Episcopus aliud jus pecunia emptum ab Hermanno Comite Everstenio in castrum Kruckenberg obineret. Id rebellium suorum Monachorum factum tam indignè tulit Abbas, ut publicis literis damnarit, palamque fassus sit, castrum & oppidum partem diœcesis Paderbornensis esse, intraq; jurisdictionem Episcopi Paderbornensis contineri, cui fides & defensio tanquam superiori suo Principi debeatur. Extant hæ literæ Anno Mcccxxxvii sigillo Abbatis consignatæ.

Lite hac inter offensiones utriusque partis accensa, Bernardus Episcopus noster xv Calend. Augusti mandat plebanis Ecclesiarum, in Helmwardeshusen, in Desle, Drendeborg, Sylen, Anrede, Buen, Titlekessen, & Corbeke parochiis suæ diœcesis, detineri fructus agrorum ob damna sibi illata, violataque pacta, quæ super castro Kruckenberg utrimque convenerant. Manſit exinde castrum hoc in potestate Abbatis, & Paderbornensis Episcopi ad annum MD. XL. quo à Landgravio Hassiæ per dolum occupatum, unàque cum Cœnobio, oppido, & parochijs supra memoratis direptum.

Annus Christi 1338.

Benedicti XII Pont. 4.
Ludovici IV Reg. 25.
Bernardi V Ep. Paderb. 18.

Ceterum

Ceterum Bernardus Episcopus hoc anno evocatus ad graviora Imperij negotia à Metropolitano suo, Spiram ad comitia abiit, quæ Ludovicus Cæsar xxvii Martij indixerat. Convenêre magno numero Episcopi Moguntinæ Metropolis, ac proceres Imperij; in quorum congressu Cæsar exposuit syncerum animum ac studium submittendi se Pontifici, omniaq; ex Pontificis sententia facturum se recepit; atque ut Pontificis mentem inflecteret, scriptum est ex omnium Episcoporum sententia ad Pontificem, missique rursum legati Ulricus Episcopus Curiensis, & Gerlacus Nassoviæ Comes Avenionem ad Apostolicam sedem, qui hasce Episcoporum literas deferrent.

Agitur in Comitiis Spirensibus pro Ludovico Pontifici reconciliando. *Alb. Argent. Rebdorf. in annal. Trithem. Bzovius in histor. Ecclesiast. Odoricus in histor. Ecclesiast. Hartvvart.*

Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino suo D. Benedicto sacrosanctæ Romanæ, et universalis Ecclesiæ summo Pontifici Henricus Dei et Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Moguntinus, Lupoldus Babenbergensis, Johannes Basilienſis, Bertoldus Argentinensis, Henricus Eystetensis, Bernhardus Paderbornensis, Ulricus Curiensis, Otto Herbipolensis, ac Gerardus Spirensis, et Henricus Augustensis Ecclesiarum electi cum omnimoda subjectione, humilitate, et reverentia se ipsos ad pedum oscula Beatorum.

Cum jam dudum, ex miserabili dissidio inter sacrosanctam Romanam Ecclesiam ac Dominum Ludovicum de Bavaria, christiani populi peccatis exigentibus, suscitato in regno et imperio Romanorum, et præcipue in provincia Maguntina, grandium et diversarum turbationum tempestates emerserint, ac Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, nec non animabus hominum, quod gravius est ferendum, Regni, et Imperij prædictorum innumerabilia provenerint detrimenta, et quotidie majora et plura prioribus occasione dissidij hujusmodi sint, ut ex verisimilibus conjecturis colligitur ac præsumitur, proventura: Nos grandes et acerbas ex hoc puncturas in nostris cordibus non immerito sentientes nuper Dominum Ludovicum prædictum ad civitatem Spirensem Provinciæ Maguntinæ prædictæ super hoc specialiter instantivis precibus venire procuravimus ipsum, nos, Archiepiscopus Maguntinus, Argentinensis, Paderburnensis Episcopi, ac Spirensis, et Augustensis electi prædicti personaliter; Nos vero Babenbergensis, Basilienſis, Eystetensis, et Herbipolensis Episcopi, aliis nostris et Ecclesiarum nostrarum pro tunc negociis præpediti per nostros solennes nuncios, precibus, consiliis, ac salutaribus monitis non sine magnæ solicitudinis studio exhortantes, ut ipse ad divini nominis gloriam, et ad vestræ sanctitatis ipsiusque Ecclesiæ Romanæ honorem et reverentiam, nec non ad quietum et salubrem statum Regni et Imperij eorundem, velit ad vestram, et ejusdem Ecclesiæ Romanæ sanctæque Sedis Apostolicæ gratiam cum devotione redire se vestris, et ipsius Ecclesiæ, dictæq; Sedis Apostolicæ beneplacitis humiliter per omnia conformando: Qui modica deliberatione præhabita se velle stare, ac parere super materia præfati dissidij, ac omnibus ipsum dissidium contingentibus, informationi, et ordinationi nostræ, in quantum cum Deo, justitia et honore suo fieri posset, efficaciter repromisit, suas patentes super hoc literas majori suo sigillo munitas super potestate hujusmodi

modi tradita nobis dando, cautiones juratorias, ac fidejussorias Magnorum et plurium Principum, et Baronum nobis super hoc nihilominus offerendo. Clementissimam igitur vestram Beatitudinem omni qua valemus precum instantia, devote ac humiliter imploramus, quatenus redeundi ad gremium S. Matris Ecclesiæ promptitudinem ipsius D. Ludovici, qui super materia dissidij hujusmodi ordinationi Ecclesiasticarum personarum duntaxat se submittere non expavit, præmissis quoque turbationibus, dispendiis, et periculis, specialiter Ecclesiis, et personis Ecclesiasticis ut præmittitur, imminentibus, per vestræ sanctitatis providentiam paternis affectibus ponderatis prædictum Dominum Ludovicum ad reconciliationis gratiam sub modo præmisso, vestræ solitæ benignitatis clementia recipere non recuset: partes Regni, et Imperii prædictorum ac præcipue Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas eorundem partium de periculis, ærumnis, et laboribus prætactis ad statum optatæ quietis per reconciliationem hujusmodi reducentes. Verum quia ad omnia, et singula præmissa et ea contingentia, plene, ac pacifice scribendi cedula non sufficeret, nos venerabilem Patrem Dominum Ulricum Curiensis Ecclesiæ Episcopum et spectabilem virum Gerlacum Comitem de Nassauu, de præmissis plenissime informatos ad pedes vestræ Beatitudinis duximus fiducialiter destinandos; eandem vestram Beatitudinem ex intimis nostris affectibus exorantes, quatenus eisdem super ijs fidem adhibere dignemini creditivam. Datum Spiræ die XXVII *mensis Martij Anno Domini* MCCCXXXIIX.

Pontifex acceptis literis benignè, quemadmodum Argentinensis est auctor, respondit legatis, ac flentis in modum questus est, se pronum quidem esse ad reconciliationem Cæsaris; sed prohiberi à Francorum Rege, qui pejora, quam unquam ante minitetur. Atista refellit Odoricus ex literis Pontificis ad Colonienſem Archiepiscopum scriptis, quibus omnem culpam rejicit in Cæsarem, vitioque dat, Cæsarem dolo egisse, cum Pontificum legatos superiori anno ante tempus revocasset: non ex omnium Principum, sed unius tantum Metropolis Episcoporum sententia causam suam urgere: inisse belli societatem cum Anglorum Rege adversus Francum, quocum prius à Pontifice jussus erat componere. Quæ nunc in medio relinquimus.

Comitia Coloniensia, in quibus rursum Ludovici R. causa suscepta.

Cæsar subinde scriptis minacibus literis ad Adolphum Leodiensem Episcopum, Coloniam ad comitia die octava Paschæ evocat, daturum rationem de contumacia in Cæsarem, & studio Gallicæ nationis. Quæ cùm Episcopus sperneret, Cæsaris jussu, bellum intulêre Leodienſi Joannes Brabantiæ Dux, Reinaldus Gelriæ Comes, Wilhelmus Juliæ Marchio, alijque Dynastæ, quibus etiam se Walramus Colonienſis Archiepiscopus junxit; at postquam à Pontifice monitus fuit, ne se bello illi misceret, pacem inter dissidentes composuit. Utrumne Cæsar per id tempus Coloniam venerit, incertum. Sanè mense Septembri Rensæ super alveo Rheni haud procul Confluentia convenêre magno numero Principes cum ipso Cæsare;

sare; interque sacrorum præsules adfuêre Henricus Colonienſis, & Balduinus Trevirenſis Archiepiſcopi cum provincialibus Epiſcopis. Ibi in conventu conjuravêre omnes se Imperij libertatem & jura adversus quemcunque defensuros; rursumque epistola ad Pontificem Principum nomine data, cui Mogunt. & Trevirensis præscripsêre nomina sua. Hujus argumentum erat, uti acta Joannis Pontificis rescinderentur, & destituti Principis causam susciperet Pontifex, idq; minis & precibus actum.

In jisdem Comitiis Eduardus Rex Angliæ Vicarius Imperij nominatus.

Aderat & in his comitiis Eduardus Rex Angliæ evocatus, qui vectus per mare 22 Julij Brabantiam intrârat. Inde Coloniam accelerans, postquam trium Regum sepulchra veneratus esset, Confluentiam accessit, quò Cæsar cum magno procerum agmine occurrit. Eo in congressu Anglus Vicarius Imperij nominatus: actum de mercenario milite per Germaniam scribendo, ingenti pecunia numerata; Cæsari Lxxx millia aureorum ab Rege oblata refert Argentinensis, junctum promissis fœdus ad bellum Galliæ inferendum; quæ tamen omnia re minora fuêre. Interim fide jussit Reinaldus Gelriæ Comes, Regis affinis, opponendo hypothecæ nomine Gelriam, Neomagum, Arnhemium, Hardewicum & Ruræmundam; tantumdem præterea argenti mutuum accepit à Balduino Trevirensi Archiepiscopo, eoque ipsam Angliæ coronam, quod Trithemius scribit, Confluentiæ pignori reliquit; in his demum comitiis Principum sententia Francus hostis Imperij denunciatus, eoque Cameracum, & quæ præterea feudi titulo tenebat ab Imperio, jussus est reddere: tantis animis irisque exarsêre in Gallum Germaniæ proceres.

Comitia Francofurtensia in quibus declaratum, Cæsarem non teneri excommunicationis Pontificiæ sententia.

Confluentiâ Principes cum Cæsare suo Francofurtum profecti, ubi Cæsar omnes Imperij ordines convocavit. Neque celebriora facilè comitia fuêre, ad quæ tanto numero Electores, & Episcopi, cœterique Principes convenêre. In his una omnium concordia pro Cæsare conspiratum; ac duo cum primis decreta, *electum videlicet majori suffragantium parte Romanorum Regem parem habere potestatem administrandi Imperij, quàm coronatus Imperator haberet*; deinde, *Quicunque Ludovicum pro excommunicato haberet, aut cessaret ob Pontificis decretum à divinis, proscribendum ex Imperio.* Cui decreto cùm non parerent Canonici Francofurtenses in æde D. Bartholomæi, Dominicani, & Carmelitæ, plerique fortunis mulctati & in exilium projecti sunt. Adeo sine conscientiæ periculo cum Cæsare communicandum sanxêre Episcopi, & Principes. Rursum ex his comitijs ab ordinibus scriptum ad Pontificem; recitanturque binæ apud Rebdorfium literæ, Anno Mcccxxxviii mense Augusto datæ; quarum postremas inscripserunt Henricus Moguntinus, Balduinus Trevirensis & Walramus Colonienſis Archiepiscopi, Electores præterea ceteri, Waldemarus Marchio Brandeburgicus, Rudolphus Palatinus, Rudolphus Dux Saxoniæ; tametsi hæ literæ non immerito alijs suspectæ corruptæve appareant; eò quòd Walramus, Brandeburgi-

deburgicus, & Rudolphus Palatinus ante decennium fatis concessisse perhibeantur.

Ab hac conspiratione Principum Colonienses Walramum Archiepiscopum suum eximi volunt, ne quam illi schismatis notam aspergant, cujus tamen haud magna ratio habita fuit; atque ipse etiam Walramus Archiepiscopus bello, ut diximus, adversus Leodiensem Episcopum arma Cæsaris conjunxerit. Quare ut ceteri per Germaniam Episcopi, præter Bertholdum Argentinensem, Ludovico Cæsari juramentum fidei dicere non detrectârunt. Ita nec Bernardus Episcopus noster aliquam schismatis maculam habere potuit; tota enim hæc comitiorum actorumque causa erat pro libertate Germaniæ & jure Ludovici Cæsaris. Quo simul agitabatur an excommunicatio Cæsaris à Pontifice facta justa ex causa processisset, valeatque; ut vel inde Episcopi Germaniæ liberiori conscientiæ religione cum suo Cæsare agerent, Imperijque sui jura tuerentur; fateturque inter cæteros Albericus, qui tum in curia Romana agebat, audivisse se magnos prælatos, & laicos utriusque juris peritos, qui pro Cæsare pronunciârint, cujusmodi plures auctores percenset auctor annalium Boicorum. Arripiunt hæc avidè hæretici ad suprematum Pontificis potestatem convellendam, innixi Marsilio de Padua & Landuno, Hierarchiam Ecclesiæ non ex Christi, sed Aristotelis doctrina fabricantibus.

Quid verò cœteri per Saxoniam Archiepiscopi, & Episcopi in hoc dissidio egerint, quando nullas Pontificis literas, vel ad Magdenburgensem, vel Bremensem Archiepiscopos adhuc repererim, magnumque sit scriptorum nostrorum silentium, dicere supersedeo. Spectatores illi potius hujus ingratæ scenæ, quàm actores esse maluerunt; neque de gestis domesticis Episcopi nostri ultra compertum, quem totum publica occuparant, virum claritudine generis, senio & prudentia spectabilem inter Westfaliæ Episcopos.

Bürana familia datis pluribus agrorum possessionib9 Cœnobitis Lipstadiensibus benefacit.

Nec tamen hic annus vacuus laude Buranæ apud nos familiæ, ex qua Bertholdus Dynasta, Dominus arcis Wevelsburgicæ, ex consensu Joannis fratris Canonici Paderbornensis Ecclesiæ nostræ, ac conjugis Hetwigis, hæredumque filiorum suorum Bertholdi, Herimanni, Sophiæ, Elizæbethæ, ac Judithæ amplas agrorum possessiones Burano Oppido circumjacentium donat Cœnobitis Lipstadiensibus D. Augustini familiæ; permotus, ut in literis ptofitetur, amore Dei, salutis suæ, & familiæ bono, & religiosorum virorum pietate; quos inter tum laudabilior disciplina colebatur, quàm cùm Lutherus hospes atque incola Cœnobium illud hæresi sua contaminaret, ideoque nunc desertum jacet.

Moritur Wilhelmus Comes Arnsbergensis.

Sub idem tempus satis concessit Wilhelmus Arnsbergensis Comes, vir syncerus, & cleri rectique amans, relicto Godefrido bonorum hærede, Wilhelmo Meschedensi Præposito, & Conrado Osnabrugensi

brugensi Canonico, filiis. Et Godefridus Comes is fuit, qui post xxx annos comitatum vendidit Colonienſi Eccleſiæ, familiamque clauſit.

Annus Christi 1339.

Benedicti XII Pont. 5.
Ludovici IV Reg. 26.
Bernardi V Ep. Paderb. 19.

Appetente post hæc solemni Christianorum jejunio, rursum hoc anno Cæsar, Francofurti conventum habuit Principum accessu celebrem; in quo præsente Eduardo Angliæ Rege relatio facta est de suppetiis Regi ferendis, eique beneficia ac feuda Imperij Romani, quæa Franco tenebantur, adjudicata sunt: simulque novis tabulis Imperij Vicarius confirmatus est. Eo in conventu Reinaldus Gelriæ Comes Dux creatus, bellicâ fortitudine, quàm pietate, clarior; tum & operâ Balduini Trevirensis Archiepiscopi Joannes Bohemiæ Rex in gratiam Cæsaris restitutus est. Adeo omnes in concordiam, & Cæsarem suum conspiravêre, ut jam frustra requirant nonnulli omnium ordinum assensum in causa Cæsaris apud Pontificem vinculis Gallorum illigatum. Iterata Francofurti Comitia. *Rebdorf. in annal. Albertus Argent. Brouver. in annal. Trevir. l. 17. Hocsemius c. 25. Levoldus.*

Cæsar finitis comitiis Tridentum profectus, novos Lombardiæ civitatibus præfectos imposuit, Italiam tamen non ingressus. Inter hæc Eduardus Angliæ Rex bellum Francicum, quod priori anno cœperat, magnis animis viribusque resumpsit; fertur enim sub signis habuisse quatuordecim equitum millia, peditum sexaginta; junxerant enim se Regi Joannes Dux Brabantiæ, Reinaldus Dux Gelriæ, Guilihelmus Juliaci Marchio, duo Westfaliæ Comites Adolphus Montium, & Adolphus Marchiæ, alijque Dynastæ. Accessit & Ludovicus Marchio Brandeburgicus Cæsaris filius cum copiis, quem mille quingenti Germanorum equites voluntarij secuti. Ipse Cæsar indignantibus Germanis, secus quàm promiserat, bello huic se subtraxit; seu quod pecuniam à Rege sibi intra constitutum tempus prætenderet; seu verius quòd persuasum haberet, se hoc pacto reconciliandum Pontifici & Franco. Interim Anglus in nonum diem Cameracum obsidet; ubi verò comperit Francum cum ingenti exercitu adventare, soluta obsidione occurrit Franco, ardentibusque Anglis & Germanis justo prælio decernit. Francus pugnæ copiam non fecit, famaque sat habuit fatigare Anglum, qui & inopia rerum, cùm Germani sedentariam militiam non ferrent, in Flandriam se recepit, sumptoque Regis Franciæ nomine, & insignibus liliorum in Angliam transmisit ad rem pecuniariam expediendam, classemque apparandam. *Alb. Argent. Rebdorf.* Rex Angliæ, Germanorum copiis adjutus, Gallum adoritur.

Tanto interim quietior Westfalia, Gelro, & Montium, Marchiæque Comitibus externo bello occupatis. Excessit inter Dynastas

Obitus Bertholdi de Bueren Westfaliæ Ducatus Marschalli.

hujus diœcesis Bertholdus de Bueren, ob spectabiles domi bellique virtutes antè à Walramo Archiepiscopo delectus Marschallus ducatus Westfaliæ. In cujus locum Godefridus Arnsbergæ Comes ab Archiepiscopo est subrogatus; Volckmariæ verò Oppidum, castrumque Coglenberga Herboldo de Papenheim & Herboldo Rauen militibus nostræ diœcesis commissum. Sub id tempus Otto Comes Ritbergensis ab Archiepiscopo arci Hovestadensi ad Luppiam præfectus est, recepitque Comes se arcem suo ære instauraturum, & per fiduciarium militem Castrensis partes expleturum.

Bernardi Ep. intendit muniendo Castro Kruckenberg.

Hunc in modum Bernardus Episcopus noster intentus ad fines diœcesis præmuniendos, acceptis centum marcis argenti à Magistratu & civibus Brakelensibus, alteram partem judicij forensis oppignorat. Quam ille pecuniæ summam convertit in castrum Kruckenberg atque Oppidum Helmwardeshusanum instaurandum firmandum que. Id interveniente fide equestrium virorum Wernero de Aldevessen, Herboldo de Papenheim & Arnoldo Portenhagen factum, quos castri Kruckenbergensis & Oppidi Helmwardeshusani custodes præfectosque constituerat. Quemadmodum hæc festo D. Lamberti conscriptis tabulis convenêre. Jam ante festo Nicolai Bernardus dono acceperat ab Abbate Monasterij Mariæ quinquaginta marcas, quas in eandem munitionem Kruckenbergensis castri & Oppidi Helmwardeshusani converterat; in vicem verò grato animo dilargitur Episcopus Abbati & Cœnobio amplos decimarum reditus, quos ex agris circum Oppidum Vordense possidebat. Tantæ sollicitudini impensæque fuit, ut hæc loca ad fines Hassiæ cum celebri Monasterio Helmwardeshusano religioni & diœcesi servaret, quæ tam prodigè ab ipsis Monachis data sunt alteri postea in prædam.

Annus Christi 1340.

Benedicti XII Pont. 6.
Ludovici IV Reg. 27.
Bernardi V Ep. Paderb. 20.

Annus à peste Germaniæ, à bello Galliæ & Belgio funestus. *Trithem. Argentin. Froissard.*

Sequitur annus quadragesimus supra millesimum pestilentiæ & famis diritate Germaniæ funestus, belli verò malis Belgio & Galliæ haud minus calamitosus. Quippe Rex Angliæ terra marique armatus, ingentem cladem Galliæ intulit; victi enim primùm navali prælio Franci ad Clusas in Flandria, ac mox Rex Angliæ cum terrestri exercitu, quem validissimum contraxerat ex fœderatis Germaniæ inferioris & Westfaliæ proceribus, Galliæ provincias ingressus Tornacum obsedit. Occurrit Francus cum exercitu, in quo centum millia peditum, & ingens equitum numerus censebatur, nec tamen ausus prælio congredi; nihilque magis, quàm Galliæ vastitas acta. Quæ postquam Pontifex audiit, illud sacri vatis de Franco pronunciasse fertur. *Noluit pacem, et elongabitur ab eo.* Cæsar etsi occultum

cum

cum Franco initum fœdus coleret, belloque huic ſe ſubtraheret; nihil tamen vel à Pontifice vel Rege Francorum ad reconciliationem, quàm unice quærebat, obtinuit. Quòd fama eſſet, ſicuti Argentinenſis refert, *Francum, quæ nollet, diſſimulaſſe ſe velle, Pontificem, quæ vellet, diſſimulaſſe ſe nolle.* Ita Cæſar dum politicè agit cum Anglo, magnis, ut fit, politicorum artibus eſt deluſus.

Ex his temporum fluctibus ſuſtulit mors Bernardum Epiſcopum noſtrum, adminiſtrato in vigeſimum annum Epiſcopatu, Gobelini, Crantzij, Bruſchij, Kerſenbrochij, aliorumq; ſcriptorum judicio, magnus illa tempeſtate Epiſcopus. Quippe bellis pro Eccleſiæ ſuæ libertate geſtis non minus felix, quàm concordia cum vicinis Comitibus, pace cum domeſticis, auctoritate apud omnes Principes, & religione cum primis in diſciplina cleri populique excolenda inter Saxoniæ Weſtfaliæque præſules egregius; quod facta ejus, quæ per xx annos decurrendo percenſuimus ſatis eloquuntur. Præterque vitæ integritatem, laudi datur à Gobelino, omnia Pontificalia munia ritu antecedentium Epiſcoporum ſine adjutoris opera diligentiſſimè adminiſtraſſe. Quanquam, quod omnium Epiſcoporum ævo illo commune factum fuit, deſint ſcriptores, à quibus ſingulorum res geſtæ in literis relatæ ſunt, quas ex imperitis chronicorum ſarcinatoribus, ex obſcuris ſuccinctiſque faſtis, & vetuſtis quibuſdam literis, tanquam ex naufragij tabulis colligere neceſſe eſt. Quorum tamen multa involuta manent. Quale illud eſt, quod Bernardum Epiſcopum bellum geſſiſſe, memoretur à Gobelino, cum Homelingis; quibus debellatis, tantam prædam congeſſerit, ut omnes turres, ac cellas caſtrorum ſuorum, urbis cum primis Paderbornenſis impleverit. At quod bellum illud? aut qui Homelingi illi? ſunt, qui potentem Homelingorum familiam opinentur, diœceſi infeſtam; quorum tamen nulla mentio in ullis vetuſtis literis. Veriſimilius dixeris ſociale bellum fuiſſe, aut cum Ludovico Monaſterienſi Epiſcopo adverſus Homelingos in Embslandia Epiſcopo ſuo rebelles; nam cum Friſiis & in colis illis Embslandiæ grave bellum fuit Ludovico Epiſcopo, everſis multis eorum arcibus: quibus ille caſtrum & Neuhuſium adverſus rebellantes Homelingos à ſe conſtructum oppoſuit. Aut certè bellum deſignat Gobelinus, quod Burchardus Archiepiſcopus Bremenſis per id tempus geſſit contra Kedingos; ad id enim Saxones, Weſtfalos, & Holſatos imploratos conveniſſe memorat auctor hiſtoriæ Bremenſis. Hujuſmodi multis bellis victoriiſque refertur clarus, quarum tamen paucæ conſignatæ ſunt literis. Inter cetera caſtra, quæ exſtruxit, refertur à Gobelino atque aliis caſtrum Dringenberg hodiedum ſatrapiæ Dringenbergenſis ſedes in prærupto colle conſtructum; qua verò parte continenti planæque terræ jungitur, alta ex petris exciſa foſſa, muriſque præmuniit, deſerto interim, & inter rudera vetuſtatis relicto caſtro Driburgo, quod Caroli M. expugnatione

Gobelin. ætat. 6. c. 68. Crantz. lib. 9. Metrop. c. 5. & 26. Bruſch. in catal. Epiſc. Kerſenbrochius. Bernardi Ep. Pad. obitus & laus.

Chron. Monaſt. Kerſenbro. in faſtis.

Auctor hiſto. Bremen. in Burchardo.

gnatione donoque poſſidebat Eccleſia; is caſtri locus, etſi ob venerationem antiquitatis, & Caroli M. memoriam, à primis Epiſcopis præmunitus ſteterit; poſt tamen ob difficilem montis altiſſimi aſſenſum, & vaſta circum nemora ſenſim deſeri cœpit. Quare à Bernardo Epiſcopo unà cum proventibus agrorum ad commodiorem haud procul Driburgo magiſque excultum populis locum munitio translata, caſtrique commutatio facta eſt. Multa hujuſmodi caſtra diœceſis, præter Beverungam & Vordam, aut nova excitaſſe, aut vetuſtate collapſa reparaſſe ſcribitur; quæ tamen ſegnes illi ſcriptores ne verbo quidem annotârunt. Unum Bernardo datum vitio, nobilitatem multis privilegiis, quòd in tributa quædam populi conſenſerit, exornaſſe; viciſſim populo dediſſe poteſtatem conſtruendi domicilia in cœmeteriis; quibus tamen circuitus non impediretur, deponendique ciſtas intra templorum ſpatia, quo ab hoſtium incurſionibus & ſpoliis ſecura eſſent. Id quod hactenus ab Epiſcopis noſtris permiſſum non fuerat, ne ſacrorum loca profanarentur. Sed hæc levia ſunt, & jam alibi invaluerant: nec ea ſunt, quæ tanti viri famam multum obſcurent; contra quanto deſiderio amiſſus ſit hic Epiſcopus, quantoque in amore apud omnes ob res præclarè geſtas fuerit, teſtatur poſthuma illius memoriâ. Conditus enim in medio Baſilicæ, monumentumque illi, opere elaborato ac ſupra humum paululum erecto, poſitum eſt, ærea Epiſcopi effigie inſigne, ſupra quam corona ſuſpenſa conſpicitur, raro antecedentium Epiſcoporum noſtrorum decore & poſteritatis memoria. Epitaphium rude adſcriptum, & prima ſui parte ob vetuſtatem corrupto verſu legitur.

* *Inſigne Comitum Lippienſium.*

Mundo translatus de ſtella floreque natus*
Bernardus quintus, foris hic quirexit et intus,
Ut Cato prudenter, Machabæi more potenter,
Eccleſiam pavit in pace ſuos quia ſtravit
Hoſtes, hic ſtruxit nova, diruta cœpta reduxit
Omnia, piſcinas, ſylvas, vireta, ferinas,
Omneque quod movit, communiit, utile fovit,
Hic lapis oſſa tegit animæ quæ tartara fregit,
Ut ſalus huic detur Clerus, plebs corde precetur.

Sextum Urbis Paderb. incendium.

Eo ipſo anno ſcribit Gobelinus noſter, quo Bernardus obiit, civitas Paderbornenſis igne conflagravit. Sed utrum id vivo Bernardo, aut poſt obitum ejus evenerit incertùm. Bruſchius, & Kerſenbrochius id vivente Epiſcopo factum narrat, ex eoq; dolorem contraxiſſe, quo in morbum & mortem depreſſus ſit. Verùm dum Bruſchius paucis ante menſibus id factum aſſerit, antequam Epiſcopus è vita migrarit, ad hunc annum Bernardi cum Gobelino referri non poteſt. Quippe qui XIII Jannuarij exceſſit è vita. Sanè ſextum id fatale

fatale urbis Paderbornensis incendium fuit. Sive igitur Bernardo Episcopo, seu Balduino, acciderit; certe hoc Basilica Cathedralis Ecclesiæ labem & ruinæ periculum contraxit; utiid ex Balduini Successoris literis, triennio post recitandis, conjicere fas erit.

Turris Transaquensis Monasterij jacta fundamenta, ejusque descriptio.

Reperio in quibusdam Monasterienſium Chronicis, annotatum hoc anno, admirandam fabricam prægrandis turris, quæ transaquensi Basilicæ Collegioque virginum cohæret, cœptam esse. Opus, sanè quo tota Westfalia Saxoniaque nihil prope ex antiquitate magnificentius conspicit; quo simul tempore Basilica in eum, quo nunc aspicitur, splendorem conformata sit. Fabricæ hujus quadrata basis è secto lapide extructa, multisque circum statuis exornata: latitudo singulorum laterum 40 pedum, altitudo scapi seu basis ad cuspidem 200 pedum, pyramis, quæ basi imposita, 100 olim pedum, antequam ab Anabaptistis dejiceretur, & per octo circum milliaria aspectabilis fuit. Verùm an hæc fabrica turris Ludovico Episcopo adscribenda, an Hermanno primo ejus Collegij Virginum & Basilicæ conditori, an alij etiam Episcopo, fateor mihi nondum ex ullo Scriptore, aut vetustatum monumentis certò deprehendere licuisse. Adeo magnorum operum memoria, cùm nulla etiam anni inscripto lapidi uspiam impressa extet, sine literarum monumentis intercidit. Facilè tamen quis sibi persuaserit, id quod Kersenbrochius aliique observarunt, Ludovicum Hassiæ Landgravium magnificè hanc fabricam erexisse, quem constat quadraginta novem annos Ecclesiam illam administrasse, pluraque monumentorum opera construxisse, quam ab ullo Monasterienſium Episcopo accepimus.

BALDUI-

BALDVINVS
Dynasta Steinfurdensis
XXIX.
EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1340.

Balduini Episcopi Paderb. 1.

Balduinus de Steinfordt Cathedræ Paderbornensi à summo Pontifice imponitur.

INtra anni decursum Bernardo subrogatus Balduinus dynasta Steinfurdensis, natus in diœcesi Monasterienſi, primusque, ut Gobelinus est auctor, qui Benedicti XII Pontificis auctoritate Paderbornensi Cathedræ impositus; si tamen Henricum Werlensem Episcopum nostrum excipias. Quid verò impedierit, quo minus libera cleri electione Episcopus sumptus sit, an prætensum schisma ea tempestate, ut Pontifex sibi obnoxios haberet Episcopos à se constitutos, an dissidium inter eligentes, an potens aliqua apud Pontificem commendatio, in nullis rerum nostrarum scriptis annotatum reperio. Tanta horum incuria apud nostros fuit, aut jactura monumentorum. Neque ex clero nostro delectus apparet, quando inter Canonicos nostros nulla ejus memoria in subscriptis tabulis. Verisimilius, ex clero Monasterienſi traductum in hanc sedem. Quòd in donationum tabulis Collegio S. Mauritij anno 1335 consignatis reperiantur hi Canonici Monasterienſis Ecclesiæ Godefridus Rike Decanus, Balduinus de Steinfordia, Rembertus Ledebur, Hermannus & Theodoricus fratres de Bodike, Gerlacus de Bicken, Everhardus de Altena, Engelbertus Franzois, Joannes de Reckede.

Gobelin. etat. 6. c. 68. Crantz. l. 9. Metrop. c. 26. Bruschius in Catal. Episc. Kersenbr.

Præsul interim, ut Gobelinus noster inquit, omnibus percarus & affabilis, & magna cleri ordinumque concordia ob spectabilem modestiam & prudentiam exceptus cultusque; eò & per XXII annos magistratum illum præclara cum laude gessit.

Gobelin. etat. 6. c. 69.

Annus Christi 1341.

Benedicti XII Pont. 7.
Ludovici IV Reg. 28.
Balduini Ep. Paderb. 2.

Diffici-

Difficilem provinciam sub initium Episcopatûs ingressus est Balduinus; nam quantum Pontifici obligatus, cujus auctoritate impositus erat, tantum Cæsari suspectus invisusque esse potuit; quòd ille nondum reconciliatus cum Pontifice esset, & ceteri fere omnes Imperij Episcopi & Principes una omnium conspiratione cum Cæsare facerent. Hic cùm inter duos scopulos procedendum esset, ita sibi à publicis temperavit, ut nec Cæsarem nec Pontificem offenderet. Et commodum, hoc anno adhuc tractari inter Cæsarem & Pontificem de reconciliatione, interque Francum & Cæsarem de pace. Quod & Francus sollicitabat cum Eduardo Anglorum Rege. Quamvis, ut annales Flandriæ memorant, Wilhelmus Hollandiæ Comes in gratiam Cæsaris Gallo bellum moveret, & aliquot Castellis occupatis circa Cameracum omnia vastaret. Haud secus quàm Brabantinus, Gelder, Juliacensis in gratiam Regis Angliæ Gallo arma intulêre; quibus ex Westfaliæ proceribus se junxêre Marchiæ & Montium Comites, martijs turbis in peregrinum solum deportatis.

Episcopat. initia Balduino difficilia.

Albert. Argent. Annal. Brabant. Sethus. Calvisius Hervvartus.

Nec tamen Westfalia ob id omni bellico motu libera fuit. Nam inter Godefridum Osnabrugensem, & Ludovicum Monasterienſem Episcopos lis orta, quæ utrumque ad arma provocavit. Querebatur Osnabrugensis per Embslandiæ Satrapiam præfectosque Monasterienſis Episcopi mercatores spoliari, ac sacerdotes clericosque suos, qui ad Synodum vocabantur, impediri, devexarique. Quippe Embslandia à Caroli M. ævo ad nostra usque tempora jurisdictioni sacræ Episcopi Osnabrugensis asserta erat. Contra Monasterienſis Episcopus incusabat Osnabrugensem, quòd Henricum & Everhardum nobiles Corfios in fidem & tutelam suscepisset, arcemque eorum Harcottanam Monasterienſis Ecclesiæ jurisdictioni subtractam, Osnabrugensi Ecclesiæ conjungere tentaret. Jamq; à lite ad arma, ab armis ad mutuas depopulationes agrorum res processerat; cùm Walramus Colonienſis Archiepiscopus utriusque Metropolitanus utriq; Susati post festum D. Luciæ conventum & pacificationis diem indixit, quo Osnabrugensis cum Monasterienſi in hasce leges est compositus. Mercaroribus & Clero sua prisca libertas maneret, nec synodi impedirentur: Korfij nobiles redirent ad suum Dominum, arcemque Harcottanam redderent Monasterienſi.

Ertvvin: in chron: Osnabr.

Collidunt. tur in Westfalia Episcopi Osnabrug. & Monaſter.

Simul in hoc conventu Walramus Archiepiscopus controversiam, quam habebat cum Osnabrugensi, composuit. Emerat olim Siffridus Colonienſis Archiepiscopus Gograviatus, ut vocant, judicium ab Hervordienſi Abbatissa, delectusque fuerat tutor & Advocatus ejus Collegii Virginum, &, quo jure incertum, confirmabat Abbatissas; ob id Abbatissa tres aureos dependebat Metropolitano; cùm Osnabrugensis, licet id juri suo derogare contenderet, convincere tamen non posset. Potior Paderbornensi Episcopo querela esse poterat, cujus jurisdictioni sacræ Hervordia, ac cetera per comitatum

Ravensbergensem loca sunt subjecta, ut jam toties supra commonstratum est.

Collegium Canonicorum ex Engeren Hervordiam transfertur.

Per id tempus vetustum Collegium Canonicorum, S. Joanni & Dionysio consecratum, quod olim à Widekindo M. ad arcem paternam conditum diximus, auctoritate Colonienſis Archiepiscopi ex Engeren in ipsam civitatem Hervordiensem translatum est, quò postea ossa quoq; D. Widekindi conditoris è sepulchro transportata fuêre. Huic celebritati haud dubium Balduinum nostrum tanquam ejus loci Episcopum interfuisse.

Balduinus Episc. Castrum Bredenborn Ecclesiæ suæ adjungit.

Sanè verò is hoc anno statim Episcopatus administrationem magnis animis feliciterque auspicatus, castrum Bredenborn, id quod jam ante cohortatione auxilioque Bernardi Episcopi constructum erat ab Abbate Monasterij Mariæ, donatione ipsius Abbatis & Cœnobitarum, Ecclesiæ Paderbornensi adjecit, eaque, quæ Abbatis erant circa munitionem, alia agrorum commutatione transegit; id quòd uberius hæ Balduini tabulæ exponunt.

Nos Dei gratia Boldevvinus Electus et confirmatus, Otto Præpositus, Fridericus Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis tenore præsentium recognoscimus, cupientes ad universorum notitiam pervenire, nos venerabili et religiosis viris, Domino Abbati et conventui Monasterij dicti Münster prope Sualenberg ordinis S. Benedicti nostræ diœcesis, propter maximam confidentiam, quam ad Nos et nostram Ecclesiam dignoscuntur habere, ad defensionem et confirmationem sui Monasterij, ipsorum, et quorumlibet eorundem, secundum modum et formam, quibus per Reverendum in Christo Patrem et Dominum nostrum bonæ memoriæ quondam Bernardum Nostri Boldevvini prædecessorem in litteris super munitionibus Voerde inter eundem et dictos Dominos, Dominum Abbatem et conventum mutuo traditis obligamur, Nos et nostros successores ex abundanti firmiter astrinxisse, ac ipsos Dominum Abbatem et conventum munitionem sui Monasterij in Bredenborn specialibus promotionibus et auxiliis dicti quondam Domini Bernardi et Ecclesiæ nostræ prædictæ, ipsorum tamen suique Monasterij laboribus et expensis fundatam, erectam et constructam de ipsius munitionis defensione seu conservatione pro inimicorum et aliorum infestationibus, et insultibus, si quos forte insurgere contigerit, contra ipsos dissidentes, et maximè cum fundus dictæ munitionis ab Ecclesia nostra Paderbornensi ad eos pervenerit, ut antiquo nobiscum Ecclesiæ nostræ nomine cum omnibus suis juribus, jurisdictionibus, decima, agris, campis, silvis, nemoribus, terris cultis et incultis, viis et inviis, aquis aquarumque decursibus, uno molendino, et duabus piscinis ante ipsam munitionem, et duabus piscinis in loco Marbeke sitis, ac cæteris locis quibuslibet mensuratis, deputatis, et assignatis, ac territorij munitionis prædictæ, nec non specialiter cum villa Brochusen. sine decima cum ejusdem villæ areis, silva, appendiciis, et pertinentiis quibuscunque, ac etiam cum tribus nemoribus, scilicet Astbrock, Vreholt et Bernholt, cum juris solemnitate debita utrimque servatis servandis in hujusmodi contractibus medietate

pro

pro decima, agris et molendinis inferius annotatis legitime permutasse, et in concambium donasse, in nosque vice et loco Ecclesiæ nostræ prædictæ possessionis dominia directa et utilia omnium nobiscum permutatarum irrevocabiliter et perpetuo transtulisse, reservatis sibi, et Monasterio suo in perpetuum domo lapidea in Bredenborne cum ejusdem domus ædificiis et curia sibi connexis, sex mansis in dicto territorio à solutione decimæ perpetuo absolutis, prato uno sito juxta villam Brochusen, uno nemore dicto Benninholt, septem mansis cum duobus pratis Castrensibus ibidem pro pheodis castrensibus, quæ vulgariter borchleine dicuntur, hæreditarie assignatis, quos quidem mansos ipsi Castrenses salvis juribus quibuslibet cujuscunque in eisdem competentibus possidebunt. Et eos à Nobis Electo et confirmato prædicto, et ab eo, qui pro tempore Episcopus Paderbornensis exstiterit, pro feudis Castrensibus recipient, usuri de cætero ex nunc juribus et consuetudinibus, quibus aliæ cæterorum locorum Ecclesiæ nostræ Castrenses utuntur. Nos autem nomine antedictæ Ecclesiæ nostræ, permutationis et concambij titulo in recompensam dictis munitionibus in Bredeborne, ac omnium translatorum in nos et Ecclesiam nostram sicut præfertur, antedictis Dominis Abbati et conventui eorum Monasterio nomine donavimus et tradidimus, permutationis, et concambij justo titulo mediante, decimam in Brungherssen, cum omni, quo cum hactenus Ecclesiæ nostræ jure possedim9 agros dictos, Dat Ebroch, cum decima et pensione agrorum eorundem, et molendinum ante Nihim, dictum Brochuser mole, eorundem agrorum decimæ, ac molendini dominia tam directa, quam utilia una cum pensionibus suis per has litteras in eundem Abbatem et Monasterium in perpetuum transferendo. Dedimus etiam ipsis et eorum Successoribus specialem gratiam perpetuo duraturam, quod quandocunque, seu quotiens ex nunc contributiones et subsidia per Ecclesias, Monasteria et Clerum in diœcesi nostra Paderbornensi à Nobis seu nostris successoribus indici, seu fieri contigerit, Abbatem et conventum pro tempore existentes ibidem, et eorum Monasterium à portione ipsos contingenti ratione subsidij prædicti quitos dimittemus, et procurabimus solutos dimitti, dummodo ipsum subsidium non auctoritate Sanctarum Apostolicæ et Moguntinæ Sedium, sed ordinaria fuerit institutum. Ob hanc autem gratiam Ecclesiarum ipsis incorporatarum Rectores ab hujusmodi contributionibus seu subsidiis nullatenus eximentur. Est etiam edictum, quod domus in Bredenborne per Dominum Abbatem et conventum superius excepta sine quolibet onere municipali in perpetuum permanebit Domino Abbati et conventui prænotatis. In quorum omnium et singulorum testimonium sigillum Nostri Electi et confirmati, quo tempore electionis usi fuimus cum adhuc alio careamus, uno cum sigillo nostri Capituli prædicti præsentibus est appensum. Datum anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo primo feria quinta post lætare Hierusalem.

Castrum hoc Bredenborn cum Oppido ab Episcopis inde consequentibus præmunitum excultumque possessio Ecclesiæ Paderbornensis mansit, cessitque Ferdinandi Bavari donatione Capitulo.

Haud multò post, mense Decembri hujus anni, Balduinus Epi-

scopus Abbatem & Monasterium Mariæ alio grati animi beneficio affecit; permisit enim Abbati decimarum emptionem à nobili viro factam, quæ ex feudo Paderbornensis Ecclesiæ tenebantur à possessore, nec sine Episcopi & Capituli assensu, per venditionem transferri poterant. Quam in rem Balduini tabulæ apud nos servantur Anno MCCCXLI post festum D. Luciæ diem consignatæ. Testes adscribuntur Wernerus Ravenno de Kalenberg, Ravenno Herboldus de Papenheim, Hermannus de Kalenberg, Ludolphus de Herise, Albero de* Ecklen milites, alijque Ministeriales. In his tabulis quia inscriptum lego *Nos Baldevvinus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus*, qui in superioribus tabulis se Electum & confirmatum scribebat, argumento est intra id anni tempus Episcopum fuisse consecratum; quamquam à quibus Episcopis, & quo loco illa celebritas peracta sit, ex annalium memoria exciderit.

*anEttelen?

Balduinus hoc anno consecratus Episc.

Exhibet deinde Brakelensis Magistratus ex suo chartophylacio binas Balduini literas hoc anno datas, quarum alteris vetera ejus civitatis privilegia ritu antecedentium Episcoporum instaurat, alteris Magistratui Brakelensi potestatem facit puniendi insolentes cives; nihilque Balduinus sub initium Episcopatus sollicitiùs habuit, quam per ordinum comitia & beneficia omnium sibi animos demereri,

Brakelensium privilegia confirmat.

Annus Christi 1342.

Clementis VI Pont. 1.
Ludovici IV Reg. 29.
Balduini Ep. Pad. 3.

Prospere per hæc, & incredibili omnium ordinum concordia, cum Ludovico Cæsare omnia procedebant in Imperio. Quare Cæsar, ut Rebdorfius scribit, *generalem pacem per Alemanniam, Sueviam, Bavariam, Franconiam, et per inferioris Rheni provincias promulgari jussit; quam omnes simul Germaniæ Principes, Domini, et civitates juramento firmavêre. Nec ab hominum eorum temporum memoria tranquillior Germania: constitutique per singulas provincias judices pacis hujus assertores.* Nihilque ad felicitatem deerat, quàm Cæsaris cum Pontifice reconciliatio. Et hujus quoque spes magna affulgebat, postquam Benedictus XII Pontifex, hactenus non tam sua voluntate quàm metu Regis Galliæ Cæsari adversus, VII Calend. Maji excessit è vita, Successoremque habuit Petrum Rogerum, ex Benedictino Abbate Episcopum & Cardinalem ac demum Pontificem, Clementis VI nomine creatum. Sed is natione Gallus, & jam antè Cæsari infensus, solitusque, cùm Cardinalis esset, Bavarum non aliter quàm barbarum appellare, multò acerbior fuit in Cæsarem, quàm Benedictus Pontifex, passusque se ad Regis Galliæ nutum obvertere. Cæsar interim, auditâ novi Pontificis in auguratione, misit oratores ad Clementem, qui suo nomine delictorum veniam precarentur, omnemque

Summa in Imperio pax.

Albert. Argent. Rebdorf. in annal.

Clemens VI Benedicti successor reconciliationem Ludovico Cæsari enixè petenti negat.

nemque submissionem Pontifici debitam offerrent, hoc unum rogando, ut sese cum Ecclesia & Apostolica sede reconciliaret. Sed Clementi ne vox quidem clementiæ excidit; & cùm Legati diu Pontificis limina supplices trivissent, fatigati fastidiis, votorumque irriti, in Germaniam redière.

Cæsar Walramo Colonienſium Archiepiscopo infestior ob studia erga Pontificem, donat Confluentiæ 27 Augusti Godefrido Arnsbergensi Comiti Advocatiam Susatensem, tria Gograviatus judicia, jus monetæ intra comitatum, telonia Nehemensis Oppidi, venationem memoris ad Ruram, & jus primæ pugnæ inter Rhenum ac Visurgim, quoties Cæsar armatus in campum procederet. *Rebdorf. Trithem. Chron. Monast. Chron. Minden. Henricus de Hervord. Crantz. l. 9. Metrop. c. 28.*

At quàm pacatus ibat annus pacis ocio, tam turbidus cœli & elementorum injurijs. Quippe præter insolitas tempestates frequentia ubique tonitrua, fulminum ictus, incussæ grandines; quæ mala cùm Januario mense cœpere, passim Rhenus, Mœnus, Visurgis, ceteraque flumina extra alveos effusâ, ingentia damna intulére; dissecti pontes eversæ domus, submersa pecora, hominum salus in fuga superfuit; & tamen rara æstatis siccitas erat, cùm hæc fierent; observatumque ex abditis terræ venis magna vi prorumpere aquas per diœcesin Monasterienſem, villas & pagos obruere. Mindæ Visurgis revulso ponte in urbem & in chorum Basilicæ usque effusus. Lemgoviæ apud nos intra Teutonicos montes, quod Henricus de Hervordia retulit, aquæ ipsos muros supergressæ, ædes omnes ad tabulata implevêre. Ingentes aquarum inundationes.

Episcopi passim per Westfaliam ad placandum numen conversi, preces supplicationesque indixêre. Ludovicus Monasterienſis Episcopus Strombergæ crucis cultum aucturus, à Pontifice Benedicto tum adhuc superstite amplas noxarum indulgentias impetravit, quibus ille suas addidit. Cœptum & hoc anno Cœnobium Hordense in comitatu Marcano haud procul Tremonia à Conrado Marchiæ Comite, Adolphi Comitis fratre, constrúi ampliſque bonis dotari. Introductæ Virgines instituti D. Claræ: locus à vicina nobilium Hœrdenſium arce ac veteri familiæ sede appellatus, quòd in partem dotis sacræ liberalitate sua venerit. Modò confusa species priscæ pietatis, postquam hæresis Cœnobium contaminare cœpit. Cœnobij Hordenſis in Comitatu Warcano initia.

Grata hærebat memoria Balduino Episcopo nostro erga Abbatem Monasterij Mariæ; eòque curiam Vlechten, quæ feudum erat Episcopi, vendi permisit, transferrique perpetua possessione ad Cœnobitas; id quod ex consensu Comitum Ottonis de Benthem Præpositi sui, & Friderici de Ritberg Decani, ceterorunque Canonicorum se facere testatur Balduinus. *Testes præterea adscribuntur Conradus de Schonenberg, Wernerus de Brakele, Hermannus de Calenberg milites, multique famuli, et Ministeriales, literæ post Natalem Christi consignatæ.* Curia Vlechtenſis permissu Episcopi venditur Cœnobio Marien-Munsterenſi.

Acces.

Domus Hospitalarii ordinis in Marienlo erigitur. **Vulgo Marienlo.*

Accessit & hoc anno sacrum domicilium Hospitalarij ordinis S. Joannis, largitate Conradi de Elmeringhusen Canonici majoris Ecclesiæ nostræ, & Godeschalci de Elmeringhusen armigeri. Locus Bendeslo olim dictus, post à Patrona B. Virgine delectâ ad S. Mariam *appellatus; ubi, ut congregatio Sacerdotum esset, terram omnem circum cum agris, pascuis, sylvis, & piscinis donavêre. Quam fundationem ordinis supremus per has regiones Præfectus Gerhardus Urgemerheim, confectis tabulis S. Mauritij & Sociorum die, ratam habuit, dum illustris & venerabilis viri Hugonis de Monteforti Comitis ac magistri ordinis per Alemanniam auctoritate confirmaretur.

Annus Christi 1343.

Clementis VI Pont. 2.
Ludovici Reg. 30.
Balduini Ep. Pad. 4.

Argentin. Rebdorff. in Annal. Historia Boica. Hervvart. Nauclerus. Mutius. Ludovicus Rex rursus apud Pontificem pro reconciliatione instat.

Laborabat jam in alterum annum Cæsar apud novum Pontificem in tentanda pace. Missique rursus alij Legati in Gallias, Augustanus & Bambergensis Præpositi, cum ijsque Ulricus Cancellarius; totumque se per eos Cæsar in manus Pontificis dedit; eò postulatum à Pontifice, tabulas pacis, uti vellet, præscriberet. Quæ postquam prolatæ, summa harum fuit: ut Cæsar delicta confessus imperium ejuraret, & non nisi ad Pontificis arbitrium reciperet: de se, dequeliberis ac fortunis statuendi potestatem relinqueret Pontifici. Pacta hæc admisit Cæsar: supra quàm credibile erat admirante etiam Pontifice & Cardinalibus, Cæsarem in eam rerum perplexitatem venisse. At cùm Legati flagitarent finem negotio imponi, neque id impetratum est. Quare cùm tabulis ut à Pontifice scriptæ erant, regressi in Germaniam; in quibus cùm multa essent, quæ statum libertatemque Imperij contingerent, Cæsar cum Imperij ordinibus Francofurti comitia indixit; quæ tamen anno sequenti demum habita sunt. Quemadmodum hæc Argentinensis & Rebdorfius, deinde & *multi* Boici ceterique Germaniæ scriptores denarrant. Contra *producit* Odoricus Pontificis decretum, multorum Cardinalium & Theologorum sententia pridie Idus Aprilis pronunciatum, quo Cæsar priorum criminum ac pertinaciæ damnatur; scriptasque, inquit, ad Colonienſem, Bremenſem, Magdenburgenſem, & eorum provinciales Episcopos literas, quibus promulgationem decreti hujus mandet, horteturque ad novum Cæsarem diligendum. Quæ res haud leviter conturbavit Episcoporum & Principum animos. Et quia Henricus Virneburgius, Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, ferventissimè Cæsaris partes tuebatur, postulatus Avenionem ad dicendam causam.

Ac paci licet publicæ superiori anni cumprimis consultum esset;

esset; non tamen ita tumultuariis bellis cautum, quin Ludolphus Steinfordiæ Dynasta, tracto in societatem Gisberto Bronchorstio, atque aliis quibusdam Westfaliæ proceribus ac nobilibus, Ludovico Monasterienſium Episcopo bellum moveret. Nec segnior Ludovicus Adolphum Marchiæ Comitem per Everhardum Præpositum, Adolphi Comitis filium, sibi junxit. Ejus auxiliis confirmatus, Steinfurdiense castrum & Swaneburgum expugnat evertitque, filio Steinfurdiensis in carcerem abrepto. Quæ turbæ ne longius procederent, intervenit Reinaldus Gelriæ Dux, pugnantesque in has leges componit. Captivi utrimque laxentur: Steinfurdius belli auctor Monasterienſi solvat 100 marcas, & scutum militare pendat: Neuter in alterius præjudicium castrum excitet. Ludolphus hic Steinfurdiensis Balduini Episcopi nostri frater reputatur, Ludolpho patre natus; avus horum Balduinus, is qui ad annum 1340 superstes fuisse scribitur. Gelder haud multum superstes 12 Octobris Arnheimij è sella prolapsus cervices fregit. Quæ pœna hominem, ut sorores Philippa & Isabella ad S. Claram Coloniæ Sanctimoniales prædixerant, secuta, quòd patrem carceribus incluserat, & Sophiam primam conjugem indignè tractârat. Filij ejus, tanquam noxa patris non satis expiata esset, Reinaldus & Eduardus sese mutuis postea dissidiis ob bona paterna dilacerarunt.

Chron. Monast. MS. Tom. 5. P. Maurit. ms. Ludovicus Ep. Monast. & Ludolphus Dynasta Steinford. bello se lacessentes à Duce Gelriæ componuntur.

Utrumne Balduinus Episcopus noster fratris bello se miscuerit, incompertum est; id certo constat, eum hoc anno, V Idus Septembris, convocato primarij Cleri sui concilio, decretum Bernardi V. Episcopi & Capituli innovasse, de indignis in posterum in Collegium Canonicorum non admittendis. Id uti suprà à nobis relatum est ad annum 1331, ita eodem prope verborum tenore repetitum sanciit.

Balduinus Ep. Bernardi V decretum de rejiciendis indignis Canonicis renovat.

Nec minus laudabile Balduini decretum, ex eodem Præsulum & Canonicorum suorum consilio, quo festum Conceptionis B. Virginis diem solemni ritu per diœcesin Paderbornensem celebrandam sanxit. Quippe eximius inter Episcopos B. V. cultus observatus. Balduini & Canonicorum nostrorum exemplo, Ludovicus Monasterienſis Episcopus septennio post festum Virginis sine originis labe conceptæ diem per suam diœcesin celebrem præscripsit.

Jubet Conceptionis B. V. festum diem in sua diœcesi celebrari.

Dedit & alias hoc anno literas, festo D. Michaëlis die signatas, Balduinus Episcopus ad omnia suæ diœcesis Collegia, Cœnobia, & Parochias, quibus subsidia pro reparandâ fabrica Cathedralis Ecclesiæ (sive jam illa priori incendio deformata, sive vetustate collapsa fuerit) sollicitè efflagitat, inducto ad liberalitatem argumento à patronis Ecclesiæ, cum primisque D. Liborij, innumeris ad eum diem Paderbornæ cœlestibus beneficiis & miraculis clari; literæ sic habent.

Subsidia pro reparanda Majoris Ecclesiæ Basilica efflagitat.

Balduinus Dei gratia Episcopus, Otto Præpositus, Fridericus Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis universis et singulis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Capitulis, Ecclesiarum Rectoribus, seu eorum vices gerentibus.

rentibus per civitatem et diœcesin nostram Paderbornensem undique constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Gloriosus Deus in sanctis suis ineffabilis suæ bonitatis excellentia secundum ordinatissimam dispositionem temporum peracto in terris incarnationis suæ mysterio et passionis triumpho apud patrem post claritatem ascensionis in cœlis Ecclesiam suam militantem sanctorum Apostolorum, et cæterorum Doctorum curæ perviligi, ac providentiæ perspicacia, per sancti spiritus doni irroratione commisit provide gubernandam, Cui per fidei incrementa in conversatione sancta doctrina ipsorum instillante, et tanquam inter noctis caliginem astrorum in perpetuas æternitates radiosa emicante claritate, Ecclesiam ipsam variis laboribus et vigiliis, doctrinis, et miraculis multipliciter illustrarent, Supra quos gloriosissima Dei genitrix, et semper Virgo Maria, in cujusnomine, et honore Ecclesia Paderbornensis fundata existit et constructa, sola post filium in cœlesti patria obtinere merito dinoscitur gloriæ principatum, quæ in terris posita Dei filium mundo ex se genuit, et in articulo passionis et diræ mortis sui filij discipulis abscedentibus, ipsumque negantibus sola scintillam fidei Catholicæ in corde ardenter atque constanter reservavit, menteque et corpore, habitu, et actu, et veritate sacræ fidei prægnitæ non recessit. Adhæc in eadem Paderbornensi Ecclesia sanctorum patronorum Kyliani, et sociorum ejus martyrum, atque beatissimi Liborii Confessoris recensentur cottidie, et relucent merita veneranda, quorum patrociniis in supernis Deo jugiter recommendantur. Et licet demeritis nostris seu culpis exigentibus inter surgentis persecutionis procellas adversitatibus ingruentibus eadem Ecclesia aliquando fluctuare videatur, à finalis tamen submersionis periculo, et in spiritualibus, et in temporalibus per eadem sanctorum patronorum merita stabilis et incolumis præservatur. Ut autem de Beatissimi Liborij Confessoris aliis doctrinæ profunditatis, et laborum studiis, vitæque puritate, quibus, dum in hoc detineretur corpusculo, sollicitè intendebat, brevitatis gratia taceamus, quam gratus Deo minister in terris extiterit apud ejus tumbam, qua sancta ejus ossicula reconduntur, crebris atque cottidianis miraculorum virtutibus declarat. Nam ex longinquis longe lateque diffusis regionibus Deo devoti, et fideles populi, qui infirmitatibus oculorum et dentium, colicæ, atque calculi internis torsionibus usque ad exitum animæ cruciantur, et aliarum infirmitatum incommodis graviter detinentur, per invocationem ejus adjuti nominis ipsius patrociniis suffragantibus ex virtute divina protinus liberantur, et gratias Deo, ac S. Liborio de percepta sanitate acturi ad Ecclesiam prædictam cum hostiis, hymnis et laudibus frequenter confluunt, doloribusque mitigatis, reddita sibi sanitate, delatis secum libaminum munusculis se liberatos gloriantur, et publice profitentur, sicut inter alios minus non existit venerabilis quondam Wernherus Archiepiscopus Moguntinensis, scripta authentica, quæ apud nos sunt, declarant. Nam dum idem Archiepiscopus in calculi dolore graviter laboravit, et omnem medicorum sollicitudinem atque scientiam frustra expertus, ad Sarcophagum B. Liborij in confessione nominis Christi omnium pœnitentiis et lacrymis fuisset aliorum produ-

Elus

ctus adjutorio, statim ibidem miraculose sub multorum præsentia fidelium à pœnali dolore prædicto extitit, per ipsius sancti patrocinia totaliter liberatus. Quod vero eadem Ecclesia cum suis ædificiis olim fuit incendio destructa et deformata, et ad hoc deficiant alia necessaria ad conservationem structuræ et fabricæ memoratæ, vobis singulis et universis sub obedientiæ debitæ, et sub excommunicationis sententia præcipimus et mandamus, ac nihilominus in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus parochianos vestros in prædicationibus publice, et in confessionibus occulte exhortari fideliter studeatis; quatenus ipsi de bonis sibi à Deo collatis ad structuram prædictam reparandam et conservandam, pro reverentia S. Mariæ V. gloriosæ, Beatorum Kyliani Martyris, et Liborij Confessoris grata caritatis subsidia liberaliter largiantur, ut pro eo, quod cum lacrymis, id est, in statu pœnitentiæ seminant in terris, cum gaudio felicitatis perpetuæ centuplum mereantur recipere in futuro. Insuper præcipimus, ut nuncios et procuratores præsentis negotij honorifice in domibus vestris et Ecclesiis pertractetis societatem, et commeatum eis de parochia ad parochiam præstando, attendentes, quod his, qui missum honorant, mittentem non ambigant honorare, quia gratiam, seu contumeliam hujusmodi procuratoribus illatam nobis reputabimus esse factam. Dies etiam adventus nunciorum nostrorum, quæ vobis per ipsos nunciata fuerit, festiva et celebris habeatur, et subditi vestri, quod eo tempore, quo dictum negotium peragitur et exponitur, ad Ecclesias fideliter conveniant, devote celebrent, verbum salutis cum reverentia, et quiete suscipiant, per vos diebus festivis præcedentibus de ambone fideliter inducantur. In jocundo etiam adventu eorundem nunciorum in locis interdictis à nobis, vel ab inferioribus judicibus per eundem diem Ecclesiæ aperiantur, et celebrentur in eorum præsentia, excommunicatis exclusis, divina officia, sicut prius. Volumus etiam ut alia omnia negotia quarumcunque Ecclesiarum vel personarum in suspenso habeantur et à vobis nullatenus exequantur, quousque præsens negotium plene et finaliter erit completum. Ut autem fideles homines nostræ civitatis et diœcesis vobis per certas parochias ubique subjecti ad prædictam structuram eo ardentius de bonis temporalibus caritativa subsidia conferre studeant, quo donis spiritualibus, et indulgentiarum gratiis, quasi in quandam recompensam abundantius cumulentur, omnes indulgentias benefactoribo Ecclesiæ nostræ à sanctis patribus Romæ Archiepiscopis et Episcopis concessas per ordinem duximus exprimendas. Inprimis Alexander Papa II relaxat benefactoribus Ecclesiæ nostræ annum et quadraginta dies.

Honorius Papa II annum et XI dies
Gregorius Papa VIII decem dies et unam Carenam
Alexander Papa III LX dies
Alexander Papa IV centum dies et unam Carenam
Gregorius Papa IX. XL. dies et unam Carenam.
Alexander Papa III XL dies

Clemens Papa VI X dies et unam Carenam.
Wernherus Archiepiscopus Moguntinensis supradictus XL dies.

Cæteræ indulgentiæ Archiepiscoporum et aliorum Episcoporum ad CCCC *dierum numerum se extendunt, præter indulgentiam superius enarratam. Nos etiam ad prædictam structuram de Omnipotentis Dei misericordia, gloriosæ Virginis Mariæ, beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Sanctorum Kiliani Martyris, et Liborij Confessoris meritis et auctoritate confisi* XL *dierum indulgentiam misericorditer elargimur. Adhæc eisdem benefactoribus fabricæ nostræ plenam fraternitatem concedimus omnium bonorum operum, quæ in Ecclesia nostra Paderbornensi in vigiliis, missis, et orationibus de aliis bonis operibus perpetuo per suos ministros operari dignabitur clementia Salvatoris. Datum Anno Domini* MCCCXLIII *in vigilia purificationis B. M.V. gloriosæ.*

Annus Christi 1344.

Clementis VI Pont. 5.
Ludovici IV Reg. 31.
Balduini Episcop. Paderb. 5.

Principes Imperij laborant pro retinenda libertate & stabiliendo Cæsare. *Argentinen. Rebdorf. Naucler. Histor. Boic. Brovv. lib. 17. annal. Hervvart.*

Magni interim animorum motus inter Germaniæ Principes, postquam anno superiori Legati Cæsaris atque ordinum ex Galliis reversi, duras pacis leges à Pontifice præscriptas retulêre; quibus non modò Cæsar se imperio exuere jussus, sed multa in has tabulas relata erant, quæ communi Imperij juri derogarent. Actum censebant principes non tam de vetusta gentis gloria, quàm de libertate totius Germaniæ, nisi maturè, & collatis in unum consiliis ac viribus occurrerent. Quare ad 17 Septembris Francofurti comitia indicta, Sed prius Septem viri Coloniæ congressi, senatus consultum habuêre; datumque Wickero Trevirensis Archiepiscopi Cancellario, viro acris judicij, negotium, ut de Pontificis decreto Francofurti ad ordines referret. Eò postquam magno numero Principes, interque eos Episcopi, qui principum nomine primi censentur, accessêre, Wickerus ea, quæ à Pontifice præscripta erant, recognovit, & palam gravi oratione docuit, Imperio publicè privatimque pernicioſa esse. Qua commoti principes, oratores censuere mittendos ad Pontificem, qui ordinum nomine renunciârent, nec Ludovicum Pontificis edicto teneri, nec ordines ea, quæ Pontifex imperaret, salva Imperij libertate facere posse, aut velle. Quam in rem post octo dies rursus Rensiæ ad Rhenum, seu, ut Rebdorfius, Bacharaci convenêre Principes cum Cæsare. Eò & Joannes Rex Bohemiæ cum Carolo filio accessit, turbavitque Principum animos & consilia, Cæsari offensus ob dissolutum matrimonium Joannis filij cum Carinthia, quam Cæsar unâ cum ducatu Carinthiæ filio suo dederat. Offensus Bohemus, cùm oblatis pacis conditionibus pacari nollet, Avenionem postea ad Pontificem profectus est; sollicitatàq; pro Carolo filio Imperij corona, longè majores turbas concivit apud Pontificem Cæsari

Rex Bohemiæ apud Pontificem agit, ut fi-

sari infestissimum, facilèque Balduinum Trevirensem Archiepiscopum patruum suum traxit in partes. Hæc anni hujus comitia fuêre, è quibus præsentium Episcoporum & Principum nomina desideramus. Nec ego certum habeo, quinam ex Saxoniæ Episcopis accesserint; quamvis Moguntinus Metropolitanus noster Balduinum Episcopum nostrum ceterosque provinciales evocarit, Cæsaris causæ studiosissimus. Interim Legati missi ad Pontificem, qui ordinum mentem referrent; ijs tamen nulla tractandi cum Pontifice facultas facta est, quemadmodum Argentinensis scribit. Rebdorfius Comitem Oetinganum, & Delphinum missos perhibet, qui capita quædam duriora immutari peterent à Pontifice, libertati Germaniæ advetsantia.

lius suus Carolus in Imperio succedat.

His turbis cùm multum imminuta fluctuaret Cæsaris auctoritas, & ille intra Bavariam se contineret, Saxones suis se imperiis pro arbitrio gerebant; eòque in Westfalia Waltramus, Colonensis Archiepiscopus, Mendam oppidum, per Godefridum Arnsbergæ Comitem ante hac dirutum, portis & mœnibus instauravit, ut ex eo Arnsbergensem infestaret. At Marchiæ Comes Adolphus, ruptâ, quam cum Archiepiscopo fecerat, pace, Arensbergensi se jungit, & Mendam, irrito tamen insultu, tentat. Pactæ subinde induciæ; quibus perfide mox ruptis, Marcanus & Arnsbergensis Mendam noctu obruunt, & expugnant. Qua sacrilegè usi victoria, Oppidum subvertunt, cives & Ecclesiam spoliant, campanas templi Camenam, fontem baptismatis Unnam, hierothecam cum sacratissimis hostiis Vrondebergam transportant ad templum B. Virgini consecratum, non sine joculari dicto, quo jactitabant, filium oportere esse apud matrem.

Levoldus Chron. M. Belg. Clemsorg: Menda oppidum ab Archiepiscopo Colon. munitur; à Comitibus vero Marchiæ & Arensberg. expugnatur.

At tanto pio magis operi intentus Ludovicus Monasterienſis Episcopus, ædem sacram Strombergæ in monte, ubi crebris miraculis affluxuque incolarum prodigiosa crux colebatur, exstruxit, absolvitque festo Natalis Virginis die. Structura ædis ex secto lapide elegans, ab utroque latere columnis intersecta, subnixaque. Extant prisci versus, quibus hic annus & dies notatur.

Structura Sacelli Stromberg absolvitur.

Balduinus Episcopus noster, cùm per hæc magna inter vicinos Comites auctoritate diœcesin suam impensè curaret, tum Canonicis Bustorfiani Collegij hortator adjutorque fuit in decimis Huseni vici ex manibus nobilium Laicorum redimendis, transferendisque ad suam Ecclesiam; idque ex consilio Ottonis Præpositi, & Friderici Decani (quorum alter Comes Benthemensis, alter Ritbergensis erat) se facere testatur in tabulis, hac super re post festum D. Thomæ signatis.

Annus Christi 1345.

Clementis VI Pont. 4.
Ludovici Reg. 32.
Balduini Ep. Pad. 6.

Comes Marcanus Archiep. Colon. infestus. *Chron. Belg. Chron. Colon. Levoldus.*

Bellum, quod anno superiori inter Archiepiscopum Colonien-sem & Adolphum Marcanum Comitem accensum diximus, id altero pòst anno resuscitavit Marcanus, homo patris avique ingenio turbulentus, vexatorque Episcoporum. Quippe peractis Paschalibus festis, nullâ injuriâ, nullave belli causâ lacessitus, in Vestam Recklinghusanam, nobilem Archiepiscopi Toparchiam, irrupit; quem magna nobilium turba, ære conducta, ad prædam consecuta est. Occurrêre his Archiepiscopi præfecti ac nobiles cum rapto incolarum agmine; & ut in subitariis illis motibus ccæa est temeritas, cœsi Colonienssium quam plurimi, captique trecenti in potestatem Marcani venêre. Hanc cladem ulturus Walramus Archiepiscopus, contractis totius diœcesis viribus, secundo Rheno armatus descendit; transmissoque ad Rheinoberckam flumine, ad magnam vastitatem & cladem imminebat Marcano. Debellari tum poterat Marcanus, ut auctor chronici Colonienssis refert; sed Marcani vicem miserati Wilhelmus Comes Hollandiæ & Theodoricus Cliviæ arbitri pacis intervenêre; quæ, Coloniam subinde accedente Joanne Duce Brabantiæ, in hanc legem, etsi Archiepiscopo iniquiorem, convenit; uti Marcanus captivos omnes lytro accepto dimitteret. In hoc quoque procerum conventu, ut Cleinsorgius ex antiquis literatum monumentis docet, transactum inter Walramum Archiepiscopum, & Balduinum Paderbornensem Episcopum nostrum, unàque Comites Adolphum Marchiæ, Comitem Arnsbergensem & Waldecensem. Quanquam quæ illa controversia Balduini Episcopi nostri ceterorumque Comitum cum Walramo Colonienssi Archiepiscopo fuerit, ex vetustatis memoria nobis interciderit.

Reconciliantur sibi, studio Comitum Hollandiæ & Cliviæ.

Wilhelmus, ultimus Hollandiæ Comes, à Frisiis occiditur. *Argentin. Beka.*

Nec multò postquam hæc composita fuêre, Wilhelmus Hannonius, Hollandiæ Comes, Zelandiæ Frisiæque Dominus, superstes bello adversus Frisones improspere gesto, 6. Calend. Octobris à Frisiis occiditur, avi fata expertus; infelicior etiam, quòd sine prole masculà discesserit. Tres interim filiæ superstites, Margaretha Ludovico Cæsari; Philippa Eduardo Angliæ Regi, Maria Wilhelmo Juliacensi Comiti denupta. Hollandia deinde jure primogenituræ cessit Cæsari; & quia Imperij simul feudum erat, cum ceteris provinciis data Ludovico filio. Mansitque apud Bavaros hereditas ad annum 1425, quo ad Burgundiones, ab his ad Austriacos transiit, jam tertium per fœminas in aliam familiam translata.

Henricus Comes Swalenberg. arcem & oppidum Swalenberg. feudum

Sub id anni tempus Henricus Swalenbergensis, postremus stirpis suæ Comes, Abbati Corbeiensi liberum ingressum facit in castrum & Oppidum Swalenbergense, tanquam in plenam aliquando possessionem immissurus: eo vel imprimis beneficio adductus, quòd utrumque locum feudum Corbeiensium agnosceret. Tabulas hujusce rei veteris juris asserendi causa hìc proferre juvat.

Henricus

dum agnoscit Abbatis Corbeiensis.

Henricus Dei gratia Comes de Svvalenberg cum consensu hæredum suorum obligat se Abbati Corbeiensi et Capitulo Corbeiensi ad dies vitæ utriusque, tam Comitis quàm Abbatis, ad jus aperturæ urbis et castri Svvalenberg quæ nos et parentes nostri ab Ecclesia Corbeiensi in feudo tenemus, ac tenuimus, ac tenere debemus, aut quidquid præterea in aliis munitionibus possidemus ad juvandum Abbatem, et Ecclesiam Corbeiensem contra quosvis, exceptis Comite Hermanno de Everstein, et Comite de Retberg. si autem nollet, aut non posset arcem et urbem Svvalenbergensem retinere, aut deberet eas seu vellet vendere, prius offerret D. Abbati et Corbeiensi Ecclesiæ pro eodem pretio emendas, quod alij emptores oblaturi essent, seu offerrent. Si D. Abbas nollet emere, posset arx et civitas dicta vendi cuilibet, ita tamen, ut quiscunque emptor cogatur illas in feudum requirere, et tenere ab Ecclesia Corbeiensi, et aperire eas D. Abbati ad dies vitæ, si, quod absit, Comes moreretur sine legitimis hæredibus, tam arx, quàm urbs, et omnia feuda sua ad Abbatem, et Ecclesiam revertentur. Omnia sine fraude sub sigillo Comitis Anno MCCCXLV *die S. Bonifacij.*

Balduinus Ep. S. Eucharistiam augustiori loco jubet asservari.

At Balduinus Episcopus noster opere honorificentiori pietatem cultumque Eucharistiæ hoc anno extulit; jam enim, Bernardo Episcopo, cœperant Canonici majoris Ecclesiæ locum magis honorificum aramque condere ante chorum Basilicæ, in qua Eucharistiæ Sacramentum translatum coleretur, servareturque pro extremo Canonicorum & Clericorum suorum viatico. Id opus pium maturavit Balduinus, approbavitque hisce literis, ex quibus & viri pietas, & priscus mos reponendi Eucharistiam sub una specie commonstratur.

Nos Balduinus Dei gratia Paderbornensis Episcopus. Ad universorum Christi fidelium, tam præsentium quàm futurorum, notitiam cupimus pervenire, Qualiter Hostia salutaris pro viatico fratrum et Clericorum Ecclesiæ nostræ ægrotantium, et in extremis laborantium, solita reservari olim in loco minus decoro, et lignea arca, Quod honorabiles viri D. Præpositus, Decanus, et Capitulum dictæ Ecclesiæ unâcum Reverendo in Christo Patre D. Bernardo Prædecessore nostro, et ex ejus consilio et instinctu animo revolventes, nato in humana carne humili, et in majestate divinitatis glorioso et sublimi, honorem in Sacramento visibili impendere et locum habitationis gloriæ ejus ornare in decore cupientes, altare novum in choro Ecclesiæ nostræ versus meridiem suis impensis construxerunt et pro reverentia tanti Sacramenti in eodem altari cum solemnitate congruente collocandi et reservandi, cooperimento, sculpturis subtilibus decorarunt. Postmodum honorabilis vir D. Symon de Ritberg piæ memoriæ Ecclesiæ nostræ tum Canonicus, hujus Sacramenti devotione affectus, capsellam metallinam fenestris et exedris transparentibus et perspicuis subtili opere fabricatam, in qua hostia salutaris in pixide consecrata servaretur, comparavit. Idem quoque Canonicus aram perpetuis redditibus dotavit, ex quibus sacerdos aleretur, et nocturnis diurnisque horis in Ecclesia sicut cæteri clerici serviret. Cujus beneficij donatio-

nem

nem penes Decanum nostrum esse voluit. Nos igitur devota desideria D. Bernardi Episcopi et Capituli, et Symonis de Ritberg Canonici explere cupientes, cum consensu Præpositi, Decani, et Capituli nostri omnia hæc syncere ordinamus, approbamus, et ratificamus. Datum anno MCCCXLV, *Sabbato post conversionem D. Pauli.*

Annus Christi 1346.

Clementi VI Pont. 5.
Ludovici IV Reg. 33. Caroli IV 1.
Balduini Ep. Paderb. 7.

Pontifex Ludovico abrogat Imperium.

Albertus, Argent. Rebdorf. in Annal. Hist. Boic. Browverus Nauclerus Trithem. Serrarius,

Annus sequens Germaniæ Franciæq; calamitosus accessit, quo Clemens VI Pontifex, habitâ ad præsules concione sacratioris hebdomadæ feria quinta, quæ cœnæ dominicæ consecrata est, Ludovicum Cæsarem hactenus sibi invisum Imperij titulis exuit; scriptisq; ad Electores Imperij literis, aliud Reipub. caput imponi mandat; id ni facerent, fore, ut jure suo spolientur.

Et Henrico Moguntino Archiepiscopatum.

Sub hæc Henricum Moguntinum Archiepiscopum ac Metropolitanum nostrum, quòd Ludovico Cæsari conjunctissimus hæreret, ac sibi adversaturus crederetur, Pontifex è sede sua dejecit, subrogato in ejus locum Gerlaco Nassovio, Gerhardi Comitis filio, ac nepote Adolphi Regis, qui ex Decano Moguntino ad eam dignitatem provectus. Ea res non modò Moguntinam Ecclesiam, sed & provincialium Episcoporum animos haud leviter conturbavit; quòd incerti perplexique hærerent, cujus Metropolitani partes sequerentur, hinc Cæsaris inde Pontificis offensione imminente.

5 Electores Carolum Bohemiæ Regis filium Imperatorem creant.

Aucta publica calamitas, postquam ad imperium Pontificis Electores quinto Idus Julij ad Rensselium supra Confluentiam convenêre; eo enim in congressu quinque è septem viris, Walramus Colonienſis, Balduinus Trevirensis, Gerlacus Moguntinus, Joannes Rex Bohemiæ, & Rudolphus Dux Saxoniæ creavêre Carolum Moraviæ Marchionem, Bohemi filium, Regem Romanorum. Colonienſis Archiepiscopus octo marcarum millibus, Rudolphus Dux Saxoniæ duobus aureorum millibus oppugnatus fertur, Regem Bohemiæ amore filij, Trevirensem sanguinis propinquitate tractum facilè quis crediderit; Nassovius ad id jam infula donatus erat.

Infelix Engelberti Ep, Leodiensis contra Leodienses bellum.

Peractâ electione, Carolum, qui eo post nomine quartus fuit Imperatorum, splendidissimo comitatu deduxêre Bonnam. Nam quo minus Aquisgranum inducerent, obstitit civium fides erga Cæsarem; quam ob causam nec Coloniam intrare ausi, fidam non minus Ludovico Cæsari urbem. Imploratus sub hæc Joannes Bohemiæ Rex & Carolus filius ab Engelberto Leodiensi Episcopo, bello, quod adversus Leodienses & Hujenses rebelles susceperat; ad quod & Comites Montium & Marchiæ cum magna Westfaliæ nobilitate convolârant. Belli hujus exitus Episcopo infelix fuit; fœda quippe clade 19 Julij

Julij accepta profligatus est cum Rege Bohemiæ & Carolo filio, ceterisque Westfaliæ & auxiliariorum copiis. Inde Joannes Rex Bohemiæ & Carolus filius à Rege Francorum imploratus adversus Eduardum Anglorum Regem, cum ingentibus Bohemorum & Alemannorum copiis in Galliam est digressus. Bellum hoc acerbissimum exarsit inter Francum & Anglum, Franco funestum; commisso enim inter Reges 26 Augusti ad Cresciacum prælio, victus Francus; cœsique Principes undecim, equites 1200, peditum Francorum triginta millia. Nec clades facilè calamitosior Galliæ fuit. Tanquam vindex Dei manus inhæreret Galliæ, quæ tot annis schisma alebat in Germania. In ejus prælij confertissimos cuneos cum Joannes Rex Bohemiæ cæcus se duci jussisset, pugnaretque, confossus interiit: Carolus filius tribus vulneribus saucius evasit.

Argentin. Cuspinianus.

Et Regis Franciæ contra Anglum.

Ab hac infelici pugna Carolus ad Rhenum rediit; quem tandem Walramus Colonienſis, Balduinus Trevirensis, Gerlacus Moguntinus Archiepiscopi, Bonnæ 25. Novembris in Basilica SS. Cassij & Florentij solemni purpura decoratum inunxere Romanorum Regem. Celebritati huic interfuisse memorantur ab Argentinensi, præter complures Imperij proceres, Ludovicus Monasterienſis, Engelbertus Leodiensis: præterea Metensis & Virdunensis Episcopi, quibus Carolus regalia impertiit. Colonienſi ob merita omnia privilegia amplissimè instaurata.

Carolus R. Bonnæ coronatur.

Rebdorf. Argent. Fossard. aliique Gall. scrip.

Ceteri Saxoniæ Episcopi, quod ex ancipiti adhuc eventu novi Regis electionem intuerentur, sese extra partium studia continuêre. Ex Episcopis Westfaliæ mors subduxit 6. Augusti Ludovicum Mindensem Episcopum, Ducem Lunenburgicum, post 22 gesti Episcopatus annum. Mortem licet chronicon Mindense in superiorem annum rejiciat, verisimilius tamen Crantzius & Reusnerus ad hunc annum adscripsêre. Vir fuit per omnem vitam modestus, pacis amans, extra omnem ambitionem tranquillus. Nec tamen extra bellum esse licuit, quod Comes Wunstorfiensis, auxiliis Hojani Comitis & consanguineorum Ducum, intulit. Causam innocentis Episcopi suscepit Deus. Victus captusque Comes cum filio, & cum triumpho Mindam introductus.

Ludovici Ep. Mindensis obitus.

Ad firmandam diœcesin castrum Boculenium exstruxit; id quod Theodoricus Mumnehusius præfectus prodidit, transtulitque ad Comites Schavenburgicos, perpetuos diœcesis hostes; quales & Hojanos Comites expertus est. Monasteria duo ab eo exstructa dotataque, Eghestorpianum ordinis D. Augustini, & Walrodense Monialium in Ducatu Lunenburgico, in quo & vitam clausit. Ludovico mortuo, rejectàque Canonicorum electione, Pontifex Gerhardum Comitem Schavenburgicum præfecit Episcopum, auctoritate illa usus, qua Balduinum Ecclesiæ nostræ, & Leodiensi Adolphum Marcanum, aliis alios imposuerat. Invaluit enim per id tempus,

Exstructa ab eo Castra & Monasteria.

Ludovico, ex designatione Pontificis, succedit Gerardus

Comes Schawenburgicus.

pus, ut provisu Pontificum Episcopi darentur, tractumque in multos annos, ad obligandos præsulum animos in fidem Pontificis; eaque fuit apud Canonicos Apostolicæ sedis veneratio, ut libertati suæ, jurique electionis cedere maluerint, quàm refragari Pontifici.

Dissidebant per id tempus inter se Otto Ritbergensis Comes, & Conradus filius; id cùm molestè ferret Godefridus Decanus Colonienſis, filium cum patre reconciliavit; quam in rem & operam suam contulit Fridericus frater, Decanus Paderbornensis Ecclesiæ.

Annus Christi 1347.

Clementis VI Pont. 6.
Ludovici IV Reg. 34. & ultim.
Caroli IV 2.
Balduini Ep. Pad. 8.

Argentin. Herwvart. Spondanus Hist. Boic. Brovver.

Carolus à Ludovico fugatur.

Postquam Ludovicus Cæsar æmulum Regem Carolum objectum inauguratumque audiit, Bavariæ se viribus armavit. Et Carolus ne ad inferiorem Rhenum tutus consisteret, fecêre studia Margarethæ conjugis; quæ, postquam Wilhelmum Ludovici filium Hannoniæ Hollandiæque Dominum præfecisset, animosque procerum sibi demeruisset, Francofurtum ad Cæsarem accessit. Carolus Rex in Bohemiam digressus, inde ad conciliandum Austriæ Ducem Viennam petiit; ac mox cum exercitu Tyrolensem Comitatum irrupit. Quo cognito, Cæsar cum Ludovico filio Marchione Brandeburgensi advolat, Carolumque indecora fuga rejicit in Bohemiam. Tam adversa habuit Carolus regni initia; quippe intra annum tribus expedionibus infeliciter jactatus.

Ludovici R. pius ex hac vita excessus.

Cæsar subinde ad componendas Imperij turbas Spiræ comitia indixit; in quibus cùm multi proceres, tum unâ concordiâ urbes Rheni, Sveviæ, Franconiæ, ceteræque per Imperium fidem Cæsari dixêre. Saxonia quasi extra hanc procellam posita hærebat in medio, dum alterius Regis fortuna in majora rerum momenta se inclinaret. At brevi Cæsaris mors omnia abrupit; is enim postquam Monachium se receperat, & venatione animum oblectaret, lapsus cum equo paralysi percussus haud multò post, ut Argentinensis refert, V. Idus Octobris animam exhalavit. Pœnitentem excessisse inter gemitus, & repetita doloris signa, implorando Dei misericordiam & patronæ Virginis opem, tradidere Vitus Arenbekius presbyter, Crantzius, alijque, quos Herwartus adducit.

Obitus Adolphi Comitis Marchiæ.

Per id tempus festo S. Severini ex Westfaliæ proceribus fatis concessit Adolphus Marchiæ Comes, Frondebergam ad majorum tumulos delatus, postquam annos xx Episcopis molestus, Comitatum administrasset. Successit patri Engelbertus III filius. Illustrata hoc anno Westfalia insigni miraculo. Sustulerat prædo nocte ex Rollensi Cœnobio Virginum Cistertiensium, quod uno lapide ab

urbe

urbe Osnabrugensi conditum est, hierothecam multò auro argentoque exornatam, simulque pixidem eburneam; in qua postquam advertit sacratas hostias contineri, sacrilegus conscientia agitatus projecit in vicinum Cœnobio vepretum, ipse interim cum reliquo spolio profugus se abducit. S. Hostiæ prope Rollense Virginum Cœnobium projectæ miraculose deprehenduntur.

At mirum dictu; ubi manè populus templum aditurus transijt, visa est pixis tribus graminum infirmisque culmis innixa, tanquam in aëre suspensis hærere, circum verò tria accensa lumina insolito fulgore coruscare; quo indicio obstupefacti rem deferunt ad Adelheidem Diepholdiam Virginum præsidem, Cœnobijque incolas. Accurritur ad prodigij spectaculum; nec tamen ausus quisquam pixidem attrectare; donec Clerus ab Episcopo Osnabrugensi submissus adesset: tum aperta pixide, repertæ sunt in ea quinque hostiæ sanguineo colore imbutæ, quas ubi sacerdos contrectavit, redière hæ in speciem panis, ijs verò sumptis ille post triduum moritur. Servatur adhuc pixis, ut mihi videre licuit, cum Franciscus Wilhelmus Episcopus nobis monstraret, colore sanguineo imbuta. Ab eo tempore quotannis ducta supplicatio ad hunc locum, incredibili hominum multitudine ex remotissimis etiam oris confluente, quæ in hunc usque diem continuata conspicitur.

Nec minus Stromberga cœlesti ope ac miraculis per id tempus celebris, quæ ad S. Crucis venerationem hominumque supplicum accessu patrabantur. Quapropter hoc anno Ludovicus Episcopus Pontificum & Cardinalium indulgentias, additis etiam suis, renovari promulgarique jussit ad pietatem populi fovendam excitandamque. Crux Strombergensis miraculis illustris.

Balduinus Episcopus cùm totus esset in disciplina cleri, & religiosorum moribus excolendis, tum hoc anno Bustorfianam intra urbem Collegium Canonicorum exornavit ædificiis Sacerdotum, circumposito etiam vico ad meliorem formam splendoremque urbis redacto, quod in literis ejus hoc anno datis proditum est. Balduinus Ep. Collegium Bustorfianum novis adjectis ædificijs exornat.

Annus Christi 1348.

Clementis VI Pont. 7.
Caroli IV Reg. 3.
Balduini Ep. Paderb. 9.

Quæ tranquillitas Imperij morte Ludovici Cæsaris parta credebatur, ea hoc anno quadragesimo octavo in publicum Imperij dissidium versa est. Carolus Rex ut his malis præverteret, Basileam primùm concessit, ubi celebrato fine prioris anni Christi natalitio, præclarum pietatis specimen edidit; nam cùm divina peragerentur, ipse ad priscorum Cæsarum exemplum fulgenti & sacra veste insignis strictum manu tenens gladium pro Diacono altari astitit, & sacrosanctum Evangelium; *Exijt edictum à Cæsare Augusto*, magna cla- *Albert. Argent. Rebdorff. Truthem. Cuspinianus. Brovverus.* Caroli R. pietas in Sacrificio Missæ.

raque voce pronunciavit. Inde Moguntiam profectus, ad comitia acceſſit, magnis, à quibus inauguratus, patronis, Moguntino, Colonienſi, ac cumprimis Trevirenſi Archiepiſcopo ſubnixus. Verùm cùm ceteri Electores Henricus Virneburgicus Moguntinus, Ludovicus Brandeburgicus, Rupertus Palatinus, & Ericus Saxo jus ſuffragii in creando Imperatore non minus ſuum contenderent, ac non ſine contemptu ſe præteritos quererentur apud Principes, conſilia inière de alio Cæſare deligendo. Quo in negotio nemo ferventior, quàm Moguntinus Metropolitanus noſter, à Pontifice exauctoratus, ſimul ad æmulum ſuum Gerlacum Naſſovium evertendum. Cùm igitur circumſpicerent, quem tali faſtigio imponerent, convenêre in Lonſtein ex adverſo villæ Renſiæ ad Rhenum loco; elegêreque Eduardum Angliæ Regem, Gallicis tum triumphis nobilem, & Germanico nomini, fœderibus, & ſanguini innexum. At cùm is dignitatem hanc oblatam respueret, ſeu quòd bello Gallico implicatus eſſet, ſeu quòd Germanorum turbis sè miſcere refugeret, ſatis etiam gnarus, quantum à Germanis deluſus eſſet, quæque Richardo Angliæ Regi olim electo inunctoque eveniſſent, ſub initium Julij rurſum Kauſij in Bavaria convenêre Electores hi, & Friderico Marchioni Miſniæ Imperium detulêre, ſpem ſimul facientes ducendæ Ludovici Cæſaris viduæ, quo connubio nullum honorificentius proponi poterat. At Marchio, quod arthridide vexaretur, & in has turbas conjici nollet, ſpem Imperij oblatam Carolo Regi decem marcarum millibus vendidit. Ita hic annus inter fluctus electionis & Principum conſumitur, Carolo per provincias ſine honore regio cultuque oberrante, ac Principum atque urbium gratiam ſollicitante.

Electores alium Carolo Regem ſub. rogare contendunt.

Hunc in modum cùm tota prope Europa æmulatione Principum, flagrantibus odiis, & inteſtinis bellis inter ſe diſſideret, multumque publica omnium flagitiorum licentia invaluiſſet; haud leviter Deus offenſus, variis calamitatum pœnis caſtigavit Germaniam. Cœpitque ira numinis conſpici 8 Calend. Februarij, quo die ingenti fragore terræ motus urbes & montes concuſſit. Teſtis eſt Argentinenſis, quadraginta arces & oppida non magno terrarum tractu procubuiſſe; triginta novem ejuſmodi ruinas Carinthia ſpectavit. Alibi fontes ſulphurei ebullière è terra, peſtifero odore aërem inficiendo. Secuta deinde peſtilentia voraciſſima mortalium, qualem rara ætas experta; quæ poſtquam Aſiam, Ægyptum, & Africam depaſta erat, transgreſſa in Græciam, mox per Italiam, Galliam, Germaniam & Septentrionis regiones graſſata eſt; & alibi certis menſibus, alibi triennio ſexennioque etiam deſæviit, tanta ſtrage, ut plerisque in locis media pars hominum, in multis tertia, alibi decima ſuperſtes non manſerit. Auctor eſt D. Antoninus, multa Cœnobia funeribus exhauſta, & nullis magis noxium fuiſſe hoc malum,

Annus à peſte & terræ motibus calamitoſus.

malum, quàm Mendicantium familiis, quæ tum amissis viris doctis, & rigidioris vitæ amantibus, deflexerunt in torporem & disciplinæ religiosæ laxitatem. Coloniæ, Osnabrugi, Paderbornæ, Monasterij vicinisque circum locis lues hæc biennio ab hinc primùm invalescere comperta est.

Extinctus hoc anno 3 Nonas Aprilis Adolphus Montium Comes, delatusque ad Monasterium veteris montis, majorumque tumulis additus. Sustulerat quidem binos filios Adolphum & Wilhelmum, sed quia in parentem insurrexerant, captivumque incluserant, jam ante patrem extincti erant, pœnâ, quæ hujusmodi impios filios à tergo consequi solet; eòque in numerum Comitum non venêre. Igitur hæreditas nobilissima Comitatus, dotis jure, ad Ottonem Ravensbergensem Comitem translata, cui Margaretha Adolphi filia denupta erat. Occiditque cum Adolpho altera Comitum Montium stirps ex Limburgensibus deducta, ex quo centum & viginti tres annos Comitatum tenuerant. Ipse & parentes multis bellis clari viri, sed perpetui fere & Episcoporum hostes. Tam cœco & insano studio quæruntur familiarum opes ex patrimonio Ecclesiæ, quæ ex tam brevi temporis usura extinguuntur; perstant interim Episcopatus perpetua præsulum successione nisi, quos hæresis demum nostro ævo extinguere cœpit.

Tessechem. pag. 438. Comitum Montium stirps in Adolpho demortuo extinguitur. *Kersenbroch in mss. Catal. Episc. Monast.* Ludovico Ep. Monast. Lunamoppidum à Comite Marcano repetit.

Morte Adolphi Comitis animosior Ludovicus Monasterien-sium Episcopus, Engelbertum Marcanum aggressus, Lunam Oppidum armis repetiit; quibus Marcanus coactus, Lunam novam transtulit condiditque inter Luppiam & Zesicam fluvios, eo loco, quem à Wolmunsteniis olim emerat; inde vetus Luna cis Luppiam Monasterienssi Ecclesiæ asserta manet. Hæc Kersenbrochius; fallitur is tamen, quòd asserat, ad id Ludovicum Episcopum necessitate adactum, ut è captivitate se liberaret. Quæ enim alia Ludovici captivitas, quàm sub initium Episcopatus, ex qua jam dudum solutum diximus.

Gesta Balduini Ep. hoc anno.

Multa quoque à Balduino Episcopo nostro hoc anno utiliter gesta. Nam & Wilbacensi Virginum Cœnobio emptionem bonorum confirmat: & litem, quæ inter Præpositum & Decanum ejusque Canonicos de sartis tectis Ecclesiæ suæ conservandis suborta erat, composuit: & statutum Capituli de supplementis Canonicorum approbavit; quibus super rebus publicæ ejus literæ extant sigillis roboratæ. Demum tertiam partem castri Beverungani ad Visurgim 300 argenti marcis emit ab Henrico Spiegelio Præposito Corbeiensi, quem virum ob egregiam industriam & prudentiam Balduinus adjutorem adscivit, mortuoque Balduino Ecclesia Episcopum delegit; idque ex consensu Abbatis, & Cœnobitarum ea lege factum, ut eodem pretio repræsentato, partem castri redimere integrum sit.

Annus Chriſti 1349.

Clementis VI Pont. 8.
Caroli IV Reg. 4.
Balduini Ep. Pad. 10.

Argentin. Rebdorf. Truthem.

Agitabatur per hæc Germania inter flagrantia Principum diſſidia. Nam qui Carolo Regi adverſabantur, cùm nec Angliæ, nec Miſniæ Marchionem impetraſſent, aſpernantes Imperij coronam,

Electores Guntherum Schwartzenburgicum Imperatorem ſalutant.

2 Februarij Francofurti convenêre Henricus Virneburgicus Moguntinus Archiepiſcopus, Ludovicus Marchio Brandeburgicus, Rudolphus Palatinus Heidelbergenſis cognomento, & Henricus Duxalter Saxoniæ, Ac valida equitum peditumque contracta manu, Guntherum Schavartzenburgicum Comitem, gente Thuringum, virum conſilio, arte, manuque bellica promptiſſimum, adverſus Carolum ſalutavêre Romanorum Regem. Nec ille dignitatem abnuit, auſusque admittere ex Comitum gradu, quod ante ſe Naſſovium feciſſe ſciebat; admirantibus tum aliis, nec Albertum Auſtriæ Ducem, nec Ludovicum Brandeburgicum Cæſaris filium, nec Rudolphum Palatinum Bavariæ Duces, ex Cæſarum ſuperiorum ſanguine, imperium affectare, quod tam multis venalis inſtar coronæ offerebatur; ſed illi ſapienter veriti fuerunt collidi cum Pontifice, à quo jam Carolus ſolemni ritu confirmatus erat, ne Ludovici Cæſaris diras procellas in caput ſuum traherent.

Carolus æmulum Regem armis perſequi ſtatuit.

At Carolus Rex poſtquam didicit, quæ Francofurti adverſum ſe acta eſſent, collecto ex Trevirenſibus, Colonienſibus, Leodienſibus, Belgis, Bohemis, ceteriſque ſuarum partium populis exercitu, ſtatuit æmulo obviam prodire, caſtrisque in vico Caſſel ex adverſa Moguntiæ ripa deſignatis, de ſumma rei decertare. Non his territus Schwartzenburgicus circa eundem locum corpus contrahit, & decurſiones equeſtriam certaminum indicit. At Carolus veritus ſummam rei in diſcrimen dare, medio Quadrageſimæ Spiram conceſſit, collatoque cum Balduino Trevirenſi & Gerlaco Moguntino Archiepiſcopis, ceteriſque Principum & urbium Legatis conſilio, de Republica deliberat. Schwartzenburgicus Fridbergâ, expugnata, intra munitiora loca ſe continuit, multum fatigaturus Carolum, niſi in-

Mortuo Schwartzenburgico Carolus quietè regnum poſſidet.

eunte vere in morbo pharmacum ſumpſiſſet veneno aſperſum, medici an ſervi fraude incertum. Integrum inde menſem lecto affixus, ſpem regni non prius depoſuit, quàm viginti duobus marcarum millibus acceptis, regium nomen Carolo venderet. Extinctum deinde Schwartzenburgicum circa Calend. Auguſti, ſexto, poſtquam ſe Regem geſſerat, menſe, Carolus Francofurti in æde D. Bartholomæi honorifico tumulo intulit, ac regnum nemine obſiſtente ſecurè quietèque deinceps tenuit. Tum demum pax Germaniæ reddita; perhibentque Rebdorfius, Levoldus & Beckius, Carolum compoſi-

tis

tis cum Schwartzenburgico rebus, Aquisgranum deductum, iterumque feſto D. Jacobi ſolemni ritu coronatum, & Caroli M. ſedi impoſitum. Quo in congreſſu Principum Marchio Juliacenſis & Brandeburgicus contenderint, uter ſceptro geſtato Regi aſſiſteret: Carolus ex Principum ſententia pronunciavit pro Brandeburgico, quoties tamen Cæſar feuda Imperij largiretur clientibus, eo munere fungeretur Juliacenſis.

Lætis ſubinde omnium animis Carolus Spiram aſcendit ad Principum comitia, in quibus pax publica una omnium conſenſione per Germaniam ſancita; juſſique omnes jure, non armis, lites proſequi. Tum & tota propemodum Germania Pontifici reconciliata, reſtitutaque ſunt ſacra Coloniæ, Aquisgrani, cœterisque in locis, Sola fere Moguntina diœceſis extra hanc felicitatis ſortem relicta, decertantibus adhuc inter ſe Henrico Virneburgico, & Gerlaco Naſſovio de Archiepiſcopatu; quæ diſſenſio majori etiam offenſione facta eſt, quòd pars cleri & populi Henrico, pars Gerlaco hæreret; eò & provinciales Epiſcopi, quos inter Balduinus noſter, incerti perplexique utri ſe adjungerent, poſtquam plerique Pontificis auctoritatem ſecuti Naſſovij partes probarent.

Vix dum Imperium reſpirârat à publicis turbis, cùm nova Flagellantium ſecta Germaniam conturbare viſa cœperat illa ſuperiori ſæculo in Italia, Friderico II Imperatore; per hæc tempora tanquam ab inferis à deſertore Monacho, ut Wittius ſcribit, reſuscitata ex Ungaria proſerpſit in Germaniam. Opportunitas ex peſte, quæ graſſabatur, ſumpta ſectam ipſa peſte deteriorem ſpecie pietatis parere cœpit, quod certa quædam hominum flagitia graſſari dicerentur, ad quæ expianda ſe à Deo excitatos profitebantur, cruce prælata incedebant bini viri. Juxta ac mulieres, habitu pœnitentium, vultu triſti in terram defixo. Urbem aliquam ingreſſi, recta petebant templum & cæmererium. Ibi in orbem circumfuſi flagellis ſeſe lacerabant, ſtabantque in medio tres canora voce lugubre carmen ululando. Verberatione peractâ, nunc ad voces magiſtri ſublatis in cœlum oculis ac manibus, nunc ſupini cubantes in faciem, nunc flexis genibus Deum precabantur. Qua ſpecie pietatis trahebantur in ſocietatem Sacerdotes, nobiles, ignobiles, mulieres ac pueri, &, quos maximè perſtringit Clemens Pontifex, Mendicantes Monachi. Poſtquam hæc ſecta per ſuperiores Rheni urbes increverat, penetravit ad inferiorem Rhenum, & per Weſtfaliam etiam ſe diffudit. Nam, ut Henricus de Hervordia, per Haſſiam ſerpendo Mindam infecit veſano hoc malo. Demum cùm multa ſuperſtitione, multisque hæreticorum erroribus infamis eſſet, Clemens Pontifex per Carolum Regem admonitus edoctusque ſectam ſupprimi, & in fomite extingui mandavit; ut verò per ſaniora & conſueta pietatis opera populum ad pœnitentiam provocaret, annum jubileo celebrem indixit.

Argentin. Rebdorf. Levoldus Trithemius in Chron. Hirſau. Odoricus in hiſt. Eccleſ. Wittius in Chron. Henricus de Hervord. Crantz. in Wandal. lib. 8. c. 28. Ursbergen.

Secta Flagellantium Germaniam pervagata.

Moritur

Moritur Walramus Archiep. Colonienſis.

Moritur inter hæc 14 Auguſti Walramus Colonienſis Archiepiſcopus, Pariſiis in peregrino ſolo, incertum qua ex cauſa in Galliam profectus; cujus corpus Coloniam delatum, & in Baſilica haud procul à mauſolæo trium Regum honorificè conditum. Præclarè is de Eccleſia ſua inter multa adverſa meritus. Magna inter ipſum & Balduinum Epiſcopum noſtrum, & vicinos Ducatus Weſtfaliæ amicitia & concordia, alterque alterius auxilio adjutus adverſus infeſtos Weſtfaliæ Comites. Succeſſorem habuit Wilhelmum Dynaſtam Geneppenſem, præſulem, qui in clero Colonienſi excultus, & per gradus dignitatum provectus, Theſaurarium ejus Eccleſiæ agebat; ob prudentiam verò ſingularem, & ſpectatam induſtriam à Walramo intimis ſemper conſiliis admotus, multa laudabiliter geſſerat. Qua virtutum commendatione à Pontifice Metropolitanæ huic ſedi impoſitus; offenſo licet Carolo Rege, qui pro Decano Olmucenſi & Cancellario ſuo eam dignitatem ſollicitarat. Auctor eſt Argentinenſis, Pontificem amplo pecuniæ dono demulſum priusquàm Wilhelmus ad Colonienſem ſedem admiſſus fuerit.

Carolus R. facultatem dat Abbati Corbeienſi conſtituendi Freigravios & exercendi judicium ſecretum.

Carolus Rex interim cùm multis privilegiis Principes, Clerum, urbesque paſſim exornârat, tum pro regali magnificentia Corbejenſe ad Viſurgim Cœnobium complexus, inſigni diplomate poteſtatem fecit Theodorico Abbati creandi conſtituendique Comites liberos, quos Friegravios dicimus, quorum auctoritate atque opera jus diceret adverſus omnes injurioſos homines, à quibus celeberrimum illud Cœnobium hactenus ſpoliatum oppreſſumque erat. Quam in rem ſimul Theodorico Abbati poteſtatem dedit inſtituendi judicium ſecretum, quale per Weſtfaliam Epiſcopus Monaſterienſis & Paderbornenſis Cæſarum auctoritate habebant; ita enim Rex pro ſingulari erga Theodoricum Abbatem affectu, quem & Joannes Pater ſuo favore complexus erat ex Dalwichorum familia ortum: ut ex aliis Corbeienſium literis conſtat.

Carolus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus et Bohemiæ Rex, Venerabili Theodorico Abbati Corbeyenſi, Principi, et devoto noſtro dilecto gratiam regiam, et omne bonum. Quia ſicut certa relatione didicimus, Monaſterium Corbeienſe ex ſuggeſtione malivola temporum, perſonarumque timore Dei poſtpoſito, ipſi Monaſterio non timuerunt multipliciter derogare in temporalibus, adeo collapſum conſpicitur, quod vix aut nullo modo reſtaurari, et priſtinæ felicitatis ſtatum reſtitui valeat absque Majeſtatis regiæ gratia et præſidio ſpeciali. Nos igitur attendentes ſinceræ devotionis affectum, quem illuſtris Joannes Boëmiæ Rex genitor noſter Kariſſimus ad ſe tanquam ſpecialem devotum ipſius dinoſcitur geſſiſſe. Qui etiam ad aſſecutionem dignitatis Abbatiæ et principatus, qui tibi commiſſus eſt, exacta diligentia, et ſincero dilectionis ſtudio te promovit, ad honorem beati Viti patroni noſtri et tui, ad cujus obſequia natalis ſoli dulcedo et patriæ Boemicalis dilectio ſingulariter nos invitat, ut prædictum Monaſterium ab hujuſmodi incommodis

modis et jacturis commode resurgere valeat, et in talibus oppressionibus respirare gaudenter sub regimine principis gratiosi tuo et ipsius Monasterii felici statui, dignum duximus de regiæ Celcitudinis magnificentia gratiosius providendum, Dantes et concedentes tibi et Successoribus tuis in perpetuum Abbatibus et Principibus Monasterii prædicti regia auctoritate Nobis ex sacra regia potestate competente plenam licentiam et omnimodam potestatem Comites liberos, qui vulgari eloquio **Freygeding** nominantur. Qui ad exterminandas malorum pravitates nominatim et expresse coram Monasterio Corbeiensi, ac in villa Horhusen prope Oppidum ------- Tuvisne, Dorpede, et Westhem prope castrum Blanckenavve, prope castrum Thonenborch, ac in omnibus terris, castris, oppidis, villis, desertis, et pertinentiis ad prædictum Monasterium Corbeiense vel ipsius jurisdictionem spectantibus. In quorum possessione vel quasi pacifica dictum Monasterium esse et hactenus fuisse dinoscitur, et ad quæ aliquem juris respectum habere censetur, ad vestrum mandatum et beneplacitum sedes suas liberas, quæ freygestolt dicuntur, locare, judiciis, quæ vulgo frigding et feneding nominari sunt solita, præsidere, ac eadem exercere valeant, juxta vestræ discretionis arbitrium constituendi et institutos, quoties vobis opportunum visum fuerit, et pro bono et incolumi statu ipsius Monasterij expediens fore videbitur, revocandi, aliosque substituendi pro vestræ beneplacito voluntatis. Decernentes et edicto perpetuo statuentes, quod tu et Successores tui Abbates Monasterii Corbeiensis prædicti sacri Imperii Principes, et devoti adinstar venerabilium Monasteriensis, et Paderbornensis Ecclesiarum antistitum, Principum nostrorum, Scabini judiciorum Westualiæ provinciæ amplius fore debeatis, Et hujusmodi scabinatus officia exercenda fideliter corporalia juramenta præstare. Nec non universa et singula secreta, et occulta ejusdem judicii scire possitis, et omnibus juribus et consuetudinibus, gratiis et libertatibus potiri et gaudere, quibus prædicti Episcopi, et prædecessores ipsorum, ac cæteri Scabini Westualiensis provinciæ hactenus freti sunt, et hodie potiuntur, Mandamus igitur liberis Comitibus, qui vulgo freygreven dicuntur, et Scabinis Westualiæ provinciæ præsentibus et futuris, quatenus te et universos successores tuos Abbates Corbeienses circa statuendos Comites liberos ipsos quoque Comites in locatione sua et prosecutione judiciorum hujusmodi ubiq; in proprietatibus Monasterii non impediant, Vosque et quemlibet vestrum, qui pro tempore fuerit ad officia scabinatus Westualiæ provinciæ ad præstanda juramenta soluta, ad cognitionem secretorum judicii et alios scabinatus excercendos juxta præsentis nostræ largitatis indultum admittant, contradictione seu difficultate qualibet non obstante, sub pœna proscriptionis et banni Regalis, quem qui secus attemptare præsumpserit, se cognoscat graviter incurrisse. Nobilibus Joanne de Riffenschel Marscalco Westualiæ, Bertholdo de Buren, Joanne de Bylstein, Joanne de Grascamp, Joanne de Padberch, et Godsvvino de Rodenberch, fidelibus nostris testibus ad præmissa. Præsentium sub nostræ majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Bunne anno Domini MCCCXLIX indict. 2da, 7 Calend. Februarij Regnorum nostrorum anno tertio.

Satis

Satis hoc diploma simul commonstrat, quinam ex Westfaliæ ac nostræ diœcesis proceribus Carolo Regi Bonnæ in conventu Principum præsto fuerint.

Ex Bibl. P. Mauritii MS. tom. 9.

Carolus Aquisgranensibus priorum Cæsarum privilegia confirmat.

Magnifico deinde diplomate Aquisgranensibus omnia Cæsarum privilegia, quæ ad XVII reduxit, Carolus instaurat. Id diploma 8 Calend. Augusti die solemni coronationis suæ, quo festum D. Jacobi agebatur, consignatum. *Testes* producuntur *Balduinus Trevirensis, Engelbertus Leodiensis Episcopi, Rudolphus et Rupertus Duces Bavariæ, Comites Palatini, Joannes Dux Brabantiæ et Henricus filius ejus, Henricus Dux Glackoviæ, Wladislaus Dux Teschinensis, Wilhelmus Marchio Juliacensis, Richaldus S. Cornelij Indensis, et Hugo Stabulensis Abbates, Joannes de Catzenelenbogen, Joannes de Falckenberg Comites, Dominus de Bueren, et Radenrode, cæterique Dynastæ*, qui tum aulam Cæsaris assectabantur. Nulla in his tabulis mentio Walrami Colonensis Archiepiscopi, seu is jam in Galliam à Rege missus Legatus ad Pontificem, seu, quod fit, tabulæ hæ omnium præsentium nomina non exhibeant. Et perquam verisimile habeas, Ludovicum Monasterienſem, ceteroſque Westfaliæ Episcopos, pacato jam Imperio, ad hanc celebritatem convenisse.

Pacificantur certis legibus, & Nobilibus arbitris, Abbas Corbeiensis & Comes Waldecanus.

Haud incelebris hoc anno procerum Westfaliæ conventus fuit in Aprili ante festum Georgij Martyris, quo inter Theodoricum Abbatem Corbeiensem, & Ottonem Waldecensem Comitem pacificatio per arbitros nobiles facta est; convenitque inter alia, ut Comes Waldecensis Abbati trecentas marcas penderet ob damna à se & à majoribus Cœnobio illata, & vicissim Cœnobitæ quotannis sacrum funebre facerent pro majoribus suis. Inter testes hujus pacificationis referuntur quatuor præsules Corbeienses Henricus Præpositus, qui Balduini Episcopi successor fuit, Camerarius, Portarum custos, & hospitiorum curator: Theodoricus præterea Monasterienſis & Hermannus Mindensis Ecclesiæ Præpositi Comitis fratres, ceteriq; è nobilitate Westfaliæ. Tantum valuit Caroli Regis auctoritas & studium ubique pacem sollicitantis, quemadmodum Spiræ in comitiis Principum sancitum diximus; tametsi non desint literæ Caroli Regis hoc anno etiam datæ, quibus Ottoni Waldecensium Comiti ob præclara in se merita omne auxilium & patrocinium offerat. Non hic prætermiserim Balduini Episcopi nostri pietatem cultumque erga venerabile corporis Christi Sacramentum. Hic, ut à majoribus acceperat, ita annuâ supplicatione per urbem ductâ, circumlatoque corpore Christi, populi pietatem adorationemque accendit; & quia cum omni clero Canonici quoque Bustorfiani Collegij supplicationi eo die intererant, petierunt ab Episcopo, liceret sibi pro singulari cultu dominica proxima corpus Christi in sua Ecclesia pari supplicationis ritu circumferre; id quod Balduinus Episcopus non modò probavit, sed & quadraginta dierum noxarum indulgen-

Balduini Ep studium promovendi Cultum Venerabilis Sacramenti.

dulgentias præsentibus impertijt. Quia super re Balduini tabulæ extant, miro venerationis in Christum amorisque sensu plenæ.

Annus Christi 1350.

Clementis VI Pont. 9.
Caroli IV Reg. 5.
Balduini Ep. Pad. 11.

Consequitur annus quinquagesimus supra millesimum trecentesimum, quem Clemens Pontifex jubileo sacravit; quinnumerabilis hominum multitudo ex omnibus regnis & provinciis Romam confluxit, adeo ut cùm sudarium Domini, in quo Veronica sanguinolentam Christi faciem retulit, monstraretur populo, multi compressi in turba exspirârint; sicuti hæc Rebdorfius Romæ spectator & scriptor memorat. *Rebdorf. in annal. Argent. Chron. M. Belg. Brouver. in annal.*

At Carolus Rex postquam à Ludovico Marchione Brandebur. gico Ludovici Cæsaris filio, & Bavariæ heredibus sacra Imperii insignia, sacram videlicet Christi Domini lanceam, S. Crucis partem, ex qua brachium dexterum pependerat, clavum Domini, mappam, qua mensâ supremæ cœnæ instrata fuerat, unâque spinam coronæ Christi, quam Rex Franciæ donârat, Norimbergæ in conventu procerum accepisset, Pragam secum transportavit. Prolatis deinde pomerijs, urbem ædificiorum structuris, & nova Basilica D. Wenceslao constructa, florentissimæ Academiæ institutione exornavit. Impetratum deinde a Pontifice, ut per totam Germaniam de lancea, corona, & clavis Christi sexta post octavam Paschæ feria celebris memoriæ dies ageretur. At verò cùm Norimbergenses harum reliquiarum possessionem sibi in hunc usque diem vendicent, argumento est, vel partem harum à Carolo detractam, vel quæ Cæsarei juris sint, postea reddita esse. Sed longè illustrius regni ejus ornamentum Carolo debet Praga, cujus studio Clemens Pontifex adductus Pragensem Ecclesiam à Metropoli nostra Moguntina sejunxit, & Archiepiscopi dignitate decoravit: Subjectiq; Pragensi Ecclesiæ Misnensis, Olmucensis, & Litomislensis Episcopatus.

Carolus Imperij insignia secum Pragam deportat.

Quam nova Academia exornat.

Et à Moguntina Ecclesia per Clementem Pont. sejungit.

De cetero annum hunc à bello vacuum habuit Carolus; tot enim funeribus pestis, Germaniam cumprimis inferiorem Saxoniamque, exhausit, ut & Marti miles, & militi anima subtracta fuerit. Nam quæ una omnium nostratium scriptorum consensio est, tam dirè sæviit, ut plerisque in locis ne centesima quidem pars hominum superfuerit; eòque pestilentiam hanc tam funestam notant, qualis ab omnibus retro seculis nulla fastorum memoria excepta. Tilmannus Planschius inquit, Coloniæ & Aquisgrani, cùm humandorum corporum non esset in cœmeteriis spatium, ingentes fossas apertas fuisse, in qua cadavera conjicerentur. Monasterij westfaliæ supra 11000 millia hominum extincta narrat vetus chronici scriptor. Osnabrugi

Pestis per varia Westfaliæ loca sævit, & multa hominum millia absumit.

Chron. Monaſt. populoſa in urbe vix ſex ſeptemve conjuges relictos perhibet Ertmannus. Quare ad placandum numen feria V ante Pentecoſten iſtic ſupplicatio inſtituta, quæ inde ad alterius ſubſecutæ religionis tempora frequentata. Idem per Magdenburgum & per Saxoniam factum eſſe ad placandum Deum tradit vetus Chronicon Saxoniæ. Hammonæ vix decem familiæ ſervatæ. Eadem per Marchiæ, & totius Weſtfaliæ Oppida pagosque ſtrages funerum. Paderbornæ congeſta mortuorum cadavera plenis agreſtium plauſtris invecta in cœmeterium, & in lacunas projecta; multique palpitantes adhuc in illa funerum confuſione ad ſepulchra rapti; ſicuti hæc Gobelinus noſter ex viva hominum memoria retulit, quippe qui octennio abhinc ſe natum ſcribit: additque ſingulis fere ſeptenniis ab hoc annopeſtem per Weſtfaliæ urbes invaſiſſe. Bremæ quotidie ſupra ducentos homines elati ad ſepulchra, ſtabantque urbis portæ ſine excubitoribus apertæ. Auctor chronici Sclavici Lubecæ novem hominum millia intra breve tempus extincta memorat, quo malo paſſim per Saxoniam adeo graſſatum, ut filij fugerent parentũ cadavera, neceſſent, qui obſequium funeri præſtarent. Longum per annales ceterorum locorum ire. Mali origo cùm ex naturalibus, tum à Judæis requiſita, quorum perfidia fontes infecti credebantur. Quare Coloniæ, Tremoniæ, atque in aliis paſſim Germaniæ urbibus per furorem populi, ad ſupplicia poſtulati, & internecione prope deleti fuerunt; boniſq; eorum in Fiſcum redactis, tanta fuit ſuperſtitum Judæorum ex hac laniena deſperatio, ut multi incenſis ædibus ſibi cum conjugibus & liberis rogum quærerent voluntarium. Inhiabat Marcanus Comes ſpoliis Judæorum, quos Tremoniæ cives neci dederant, ſed ea ſpe fruſtratus, iram vertit in cives.

Chron. Saxon. Dreſſer.

Gobelin. ætat. 6. c. 69.

Hiſtor. Brem. in Godefrido.

Levoldus. Chron. Colon.

Florens Cœnobij Marienfeldenſis ſtatus.

Florentiſſimum hac tempeſtate Cœnobium Campi-Mariæ viris religioſis, & omni ſcientiarum genere excultis; obtigitq; in hanc felicitatem Nicolaus Abbas, præſul pietate & religione egregius, ortus ex antiqua & ſenatoria Monaſterienſis urbis familia, à quo ut in Cœnobio illo receptum erat, Monachi præſtantioris ingenij mittebantur in Gallias ad omnia diſciplinarum ſtudia excolenda. Quare religioſæ ſanctioriſque vitæ deſiderio multi celebres in clero viri & ſacerdotes ſeſe Deo inter Monachos conſecravêre; quos inter ex faſtis eorum memorantur Lubertus de Wend, ex equeſtri Wentiorum familiâ Canonicus Oſnabrugenſis, Hermannus Scholaſticus, Arnoldus Cantor Oſnabrugenſis, Hermannus & Bernardus Canonici ad S. Martinum, Liborius Canonicus Suſatenſis, Henricus Decanus Angarienſis, Bernardus Canonicus & judex Eccleſiaſticus Mindenſis, aliique ſpectabiles ex Collegiis viri. Acceſſit ad hunc numerum Henricus Korff ex equeſtrium ordine Dynaſta, ſtructorque arcis Harcottanæ. Is hæreditate inter filios Henricum & Everhardum partitâ, ut quondam

fece-

fecerat Bernardus de Lippia Comes, Monachi vitam iſtic amplexus, tam ſevero cultu, ut piſcibus & leguminibus contentus, nunquam carnibus veſci ſit viſus, & ferreâ catenâ ad corpus adſtrictâ quotidie noxas expiare. Vir præterea in hoſpites benignus, liberalis in egenos, aſſiduus in ægrorum ſervitio, atque omni virtutum aſpectu religioſiſſimus. Quem non ſine famâ ſanctitatis tumulus iſtic inter Monachos etiam excepit. In hunc modum viri ſapientes ex bellicis turbis, & peſtilentiæ graſſantis malo, ſeſe in Cœnobia tanquam in ſecuriorem ſalutis portum recepêre.

At poſtquam anno ſuperiori mors extulit Ottonem Oldenburgicum Comitem, Archiepiſcopum Bremenſem, non ſine turbamento in duobus Weſtfaliæ Epiſcopatibus mutatio conſecuta eſt. In locum Ottonis Archiepiſcopi ſublegêre Canonici Mauritium Decanum ſuum, Comitem Oldenburgicum, Ottonis Patruum. Verum Clemens Pontifex ſollicitatus à conſanguineis Godefridi Oſnabrugenſis Epiſcopi, Arnsbergenſis Comitis, Godefridum ex ſua Eccleſia tranſtulit Bremam. Is poſtquam cum Apoſtolicæ ſedis literis Epiſcopatum intravit, benignè exceptus eſt à Bremenſis urbis & Stadenſis Oppidi Magiſtratu ac civibus, indignante Mauritio & Canonicis, liberam ſuam electionem interturbari; quibus cùm ordo equeſtris & beneficiarij ſe conjungerent, ortum eſt inteſtinum & grave bellum, in multos annos protractum.

Hiſtor. Brem. in Godefrido. Crantz. l. 9. Metrop. c. 39. Godefridus Ep. Oſnabr. auctoritate Pontificis, imponitur ſedi Bremenſi.

Oſnabrugenſes Canonici poſt Godefridum Epiſcopum Bremam evocatum, repetiêre Lubertum à Wendt è Cœnobio Campi Mariæ Monachum, quem ex Canonico ſuæ Eccleſiæ ad id vitæ inſtitutum tranſgreſſum diximus, ſuiſq; ſuffragiis Epiſcopum dixêre, ſed ille religioſæ vitæ amantior conſtanter dignitatem reſpuit. Quo ad Pontificem relato, Clemens VI pro Apoſtolica auctoritate Oſnabrugenſibus dedit Epiſcopum Joannem ab Hoet Canonum Doctorem, virum ſcientem, & pacis artibus, quàm nobilitate generis, civiliumque rerum tractatione clariorem. Ac licet à Carolo Rege regalibus donatus, & diplomate aureis literis inſigni, diœceſin intrârit, receptuſque benignè ob Regis & Pontificis auctoritatem à clero & populo, ſacraque ex pontificali munere præclarè adminiſtraret; minimè tamen gratus fuit, explevitq: auctoritatem Principis: ſeu quòd obſcuriori loco natus, ſeu quòd à Pontifice invitis Canonicis & nobilibus impoſitus fuerit. Hinc primum colliſus cum Capitulo, deinde cum nobilibus, eòq; redactus fuit, ut caſtra prope omnia, ipſamque Jburgenſem arcem Epiſcopi ſedem Comiti Teclenburgico oppignorare neceſſè habuerit. Neque his malis remedium fuit, priusquam Theodoricum Engelberti Comitis Marcani fratrem Adjutorem Epiſcopatus ſumeret, quo nobilitatis humero diœceſis rurſum erigi cœpit.

Ertwvin. in Chron. Oſnabrug. Epiſcopatum Oſnabr. reſpuit Lubertus à Wendt è Canonico Monachus Ciſtercienſis. Quem ſuſcipit juſſu Pontificis Joannes ab Hoet, Doctor Canonũ.

Balduinus partem Comitatus Swalenb. Ecclesiæ suæ adjungit.

Feliciori per id tempus cursu, ac Principis auctoritate, Balduinus Episcopus noster administrabat diœcesin nostram; adjecitque hoc anno ad patrimonium Ecclesiæ Paderbornensis magnam partem Comitatus Swalenbergensis, empti à duabus viduis Burchardi & Henrici defunctorum Comitum Swalenbergensium. Id cùm posteritatis memoriæ jurisque Ecclesiæ nostræ interfit, operæ pretium duximus ipsas venditionis literas ex patrio idiomate versas integra fide reddere, harum primæ sic habent.

Ego Agnes vidua Borchardi quondam Comitis de Svvalenbergh, profiteor, et hisce literis publice attestor, quod Reverendo Patri ac D. Baldevvino Episcopo Paderbornensi legitimè vendiderim et vi harum literarum transscripserim omne jus, quod mihi competit in Dynastia Svvalenbergensi, quodq; mihi obvenit ex parte prædicti mariti mei Borchardi quondam Comitis in Svvalenberg, hvidelicet mille sexcentas marcas, pro quibus Dominus de Lippia oppignoravit partem suam castri et oppidi Svvalenbergensis. Item Stoppelbergam cum omnibus ad eam spectantibus, quemadmodum illam maritus quondam meus à Gunthero Comite comparatam possedit. Hujus venditionis evictionem emptori præstabo, ubicunque necesse fuerit. In præmissorum testimonium sigillum meum litteris hisce appendi; atque insuper rogavi nobilem virum domicellum de Büren cognatum meum, ut suum quoque sigillum hisce appenderet. Et ego Joannes de Büren profiteor, quod rogatu prædictæ Agnetis viduæ Borchardi quondam Comitis de Svvalenbergh cognatæ meæ appenderim hisce literis scriptis anno 1350. in vigilia Paschatis.

Alteræ tabulæ, quibus altera pars comitatus Swalenbergensis Ecclesiæ Paderbornensi est vendita, ex communi quoque idiomate translatæ.

Nos Mechtildis Henrici quondam Comitis de Svvalenbergh, cui Deus sit propitius, uxor legitima fatemur, et publice protestamur præsentium tenore, quod nos tanquam legitima tutrix filiæ nostræ Juttæ, ejusque nomine cum consilio et consensu fratrum nostrorum D. Conradi Comitis de Retbergh et D. Ottonis Canonici Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis integrum Comitatum Svvalenbergensem, ejusque castra, terras et jurisdictiones cum omnibus attinentibus, sicut hæc omnia Henricus quondam Comes prædictæ filiæ suæ Juttæ hæreditariè reliquit, vendiderimus Rdo Patri et Domino Baldevvino Episcopo Paderbornensi, Præposito, Decano, totique Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis pro quadringentis marcis legalium denariorum Paderbornensium. Adhæc renuntiavimus prædictæ dynastiæ Svvalenbergensi, manuque et ore filia nostræ Juttæ nomine ijsdem legitime resignavimus.

Nos etiam Conradus Comes, et Otto Canonicus prædicti promittimus fideliter et unanimiter præfatis Reverendis Dominis, quod soror nostra Mechtildis nomine filiæ suæ Juttæ hanc renuntiationem et resignationem reiterabit coram Dominis, á quibus Dynastia Svvalenbergensis titulo feudi dependet, quandocunq; Episcopus, ejusve successores, aut Capitulum Paderbornense hoc ipsum postularint. Præterea quando Jutta sororis nostræ prædictæ

filia

filia ad maturam ætatem pervenerit obstricta erit supradictam resignationem ac renunciationem facere coram Dominis, à quibus Comitatus prædictus feudi nomine descendit, idque ore et manu, in favorem Reverendorum Dominorum et Capituli Paderbornensis, quando Futta prædicta ad hoc ab ijs requisita fuerit. In prædictorum omnium fidem ac testimonium nos Domina Mechtildis, Conradus Comes, et Canonicus Otto prædicti sigilla nostra his litteris appendi fecimus, quæ scriptæ sunt anno ab incarnatione Domini MCCCL.

His accedunt aliæ Balduini Episcopi tabulæ post festum D. Matthiæ consignatæ, quibus Episcopus jurato promittit Theodorico Corbeiensi Abbati, & Henrico Swalenbergensi Comiti Henrici Comitis filio se omnia sanctè præstiturum servaturumq;, quæ inter se, & Comitem convenerint de Comitatu Swalenbergensi jam diu ab Henrico Comite, ut supra retulimus, de castro & oppido Swalenbergensi ex voluntate Corbeiensis Abbatis, cujus illa feudum erant, vendendo, quæ hoc anno transacta sunt post obitum Comitis à viduis; quanquam in harum literis nulla de Henrico Comite Henrici filio (seu is jam fatis concesserit per commune pestis malum abreptus, seu ad Clerum, aliamve sacram familiam transierit) mentio fiat.

Dynastia Oldenburg. Balduino Ep. oppignoratur.

Swalenbergensi Comitatui cohæret Oldenburgensis, vetus à tempore Caroli M. comitatus; sed ut tum se habebant, angustioribus Comitum terminis & jurisdictione instricti Comitatus, post in Dynastias aliqui etiam commutati ita & hic Oldenburgensis, Balduini Episcopi ævo; quòd nullum Oldenburgensem Comitem reperiam in vetustioribus literis. Quanquam qui in literis Marienfeldensibus inter fundatores cum Comite Swalenbergensi conjungitur Comes de Waldenburg, hunc Oldenburgensem fuisse suspicio est. Castrum in ea vetus & præmunitum in fastigio montis haud procul à Monasterio Mariæ, sicuti etiamnum ex murorum & turrium ruderibus conspicitur. Hujus castri partem mediam cum omnibus juribus ac proventibus, die Valentino M. consecrato, Conradus nobilis de Schonenberg, acceptis trecentis marcis denariorum Paderbornensium, Balduino Episcopo nostro pignori oppositit. Tabulæ hæ testibus Ravenone de Canstein, Arnaldo de Portenhagen, & Henrico Spigelio militibus equestris ordinis à Balduino Episcopo & Schonenbergio consignatæ.

Subinde VIII Calend. Junij alia inter Episcopum & Conradum Dynastam transactio facta est super eodem castro, qua tota hæc Venditio Castri jure tum castrensi, legibusque receptis stabilitur, transferturque possessio castri ad Episcopum & Capitulum eorumque Successores.

Reperio & alias tabulas Conradi de Schonebergh militis hujus, festo decollationis S. Joannis Baptistæ hoc anno datas, quibus octavam partem castri Swalenbergensis precariamque in oppidum,

acceptis

acceptis à Balduino Epiſcopo noſtro centum marcis argenti, vendit, jure ſuo in Epiſcopum & Capitulum transfuſo.

Hunc in modum Balduinus Epiſcopus noſter inter pacis ſtudia cum vicinis diœceſin caſtris, acquiſitisq; bonorum poſſeſſionibus, feliciùs, quàm alij armorum uſu, locupletavit: pede ſimul in caſtro Oldenburgico poſito, totum exinde caſtrum cum Dynaſtia ad patrimonium Eccleſiæ noſtræ acceſſit.

Annus Chriſti 1351.

Clementis VI Pont. 10.
Caroli IV Reg. 6.
Balduini Ep. Paderb. 12.

Trithem. in Chron. Argentin. Crantz. Chron. Colon. Carolus Principes novis ad Rhenum teloniis donat, quæ tamen cogitur recipere.

Sextus interea Caroli IV Regis annus affluxerat, ſeculi quinquageſimus primus, pace per Imperium publicâ non minus, quàm vini omniumque frumentorum ubertate fertiliſſimus; eò Carolus Rex, ut Principes, quorum ſtudio atque opera ad Imperium pervenerat, ſibi arctius devinciret, multis eos ad Rhenum teloniis, quæ antiquis addiderat, largiter donavit. Id cùm magno Reipub. onere, ac detrimento commerciorum fieret; Argentinenſes, & aliæ quædam urbes indignatæ, Rhenum catenis defixiſque in altum palis obſtruxêre, ne qua navis commeare poſſet. Rex cùm ceterarum in ſe odia urbium accendi intelligeret, relictis veteribus, nova abrogavit. Peſtis interim, quod Crantzius, alijque referunt, non deſtitit graſſari per Saxoniam. Quare Epiſcopi per Saxoniam publicas preces & ſupplicationes ad placandum numen inſtituêre.

Hiſtor. Bremen. Crantz. l. 9. Metrop. c. 40. Hammelman. Bellum inter Electum à Clero, & conſtitutũ à Pontifice Archiep. Bremenſem feliciter componitur.

Bellum interim, quod anno ſuperiori affectum diximus inter Marcanum, Comitem Oldenburgicum, electumque Bremenſem Archiepiſcopum, & Bremenſes cives, qui accerrimè Godefridi Arnsbergenſis Comitis à Pontifice conſtituti Archiepiſcopi partes tuebantur, hoc anno in publicam flammam erupit. Quippe Mauritius ſubnixus primùm favore Canonicorum, & conſpiratione nobilium clientumque Bremenſis diœceſis, auxiliares præterea copias contraxit, à Weſtfaliæ Comitibus & conſanguineis ſubmiſſas; quos inter numeratur Conradus Comes Oldenburgicus Mauritij patruus, Engelbertus Comes de Marca, Otto de Lune, Henricus de Iſendorp, Martinus de Hude Dynaſta Stenfurdenſis, quibus & Balduinus Epiſcopus noſter ex eadem Steinfurdenſium familia cum valida nobilium manu acceſſit. Horum viribus confirmatus Mauritius, ad urbem Bremenſem movit cum exercitu, cives ſubacturus. Jamque non procul à conſpectu urbis aberat, cùm per exploratores cognoſcit urbis portas apertas patere, & domos ubique fere in plateis clauſas conſpici; adeo enim per id tempus peſtis, quæ tum graſſabatur, urbem funeribus exhauſerat. Quo cognito, Mauritius urbem intrare recuſavit, palam conteſtatus: *Nolle ſe afflictis addere afflictionem*, nec commiſſu-

commissurum,ut ea mala flagitiaque patrentur,quæ in ejusmodi urbium occupationibus licentiæ militum exponuntur. Digna præsule vox? ita miles omnis ab urbe reductus, & cives, quorum ingenia sæpe beneficiis magis quàm armis vincuntur,contentè apud Magistratum egere de concordia inter utrumque præsulem ineunda; quæ haud multò post in hanc legem convenit: ut diœcesis administratio penes Mauritium, Archiepiscopi dignitas supremusque dominatus penes Godefridum esset.

Archiep. Colon. studium in reformando Clero.

At Wilhelmꝰ Colonienſis Archiepiscopus, postquam à Pontifice coram probatus,& à Carolo regalibus exornatus erat, Cleri Synodum Coloniæ habuit, in qua præter alia salutaria decreta,id quod superiores Archiepiscopi toties perstrinxerant, Clericis suis vestium luxum detraxit. Nec multò post mense Junio congressus cum Balduino Trevirensi Archiepiscopo, Wilhelmi Juliaci Marchionis causam uterque suscepit, Marchionemque, quem Gerhardus & Wilhelmus filius jam biennio captivum in carcerem compegerat,filiis reconciliatum libertati reddidêre. Haud dissimili pietatis studio Balduinus Episcopus noster controversiam,quæ inter Canonicos Huxtarienſis Collegii,& Rectorem ædis B. V. ad Visurgis littus exarserat, pro pontificali auctoritate in loco Paderbornensi, & jurisdictione, quam eo in oppido Paderbornenses Episcopi antiquo jure obtinent, interpellatus composuit; nihilque sollicitius habuit,quàm ut omni Cleri populique offensione sublata,quàm ordinatissimè sacra administrarentur. Quod negotium tum sibi, cùm pro more diœcesin perlustraret,ante omnia commendatissimum habuit.

Balduinus Ep. componit controversiam inter Canonicos Huxtarienses & Rectorem ædis B. V. ad Visurgim exortam.

Annus Christi 1352.

Clementis VI Pont. 11.
Caroli IV Reg. 7.
Balduini Episcopi Pad. 13.

Clementi VI defuncto succedit Innocentiꝰ VI.

Sustulit annus insequens Clementem VI Pontificem, postquam anno superiori,rogatu Regis Franciæ, XII Cardinales Francicæ nationis creasset. Clementi subrogatus Innocentius VI & ipse Francicæ nationis,ex Episcopo Ostiensi & Cardinali ad solium supremum provectus; adeo Apostolicæ sedis revocandæ Romam tum nondum consilia fuêre. Interim Innocentius homo priscæ, severæq; disciplinæ multa laudabiliter per decennium gessit.

Rebdorf.in Annal. Spondanus. Trithem. Odoricus. Argentin. Rebdorf.

Carolus Rex noster hoc anno in Bohemia se continuit, regni negotiis,& Pragæ exornandæ studiis occupatus: nec lævi simul metu perstrictus ob Lituaniæ Regem, qui cum ingenti Russorum & Tartarorum multitudine in Poloniam irruperat, Cracoviæ excidium,& Christianis supremum exitium minitando. Retudit barbaros Deus Polonorum armis,ne in vicinas regiones penetrarent.

Ceterum per Imperium passim armorum quies; præterquam quòd'

Levoldus Georg: Braun. Teschema. Comitis Marcani cum Arnsbergensi Com. & Tremoniensibus bellum.

quòd Alberto Austriæ Duci bellum esset cum Tigurinis; & Westfalia duorum Comitum, Engelberti Marcani, & Godefridi Arnsbergensis, acri bello commissa; id postquam ad pugnam exarsit, fusus Arnsbergensis, coactusque victori Marcano pro captivis redimendis toparchiam Vredeburgicam cedere.

Bello huic nulli se Episcopi miscuêre: at Tremonienses, quòd cum Arnsbergensi armorum societatem inierant, iram Marcani in se traxêre. Is cum victore milite circumfusus, cives tanquam ferascavea diu inclusos tenuit, ac prope erat, ut ex insidiis urbem interciperet; quippe milites noctu ad cancellos, per quos aquæ urbis emittebantur, collocati à Marcano muros perfoderant, orto die pleniscopiis ingressuri; cùm detecta fraude, excubitor signum ære dat, quo excitti cives ad arma provolant, hostemq; cum clade à mœnib⁹ submovent. His interim malis adacti Tremonienses, cùm ab Arnsbetgensi nihil subsidij se ostenderet, pristinum fœdus cum Marcano renovant.

Balduinus ab Archiep. Colon. emit jurisdictionem civilem civitatis Hervordiensis.

Egregius ea tempestate Præsul Wilhelmus Colonienses obtigerat Archiepiscopus. Quam procul ille sagum militare habuit, tam sollicite pacem amicitiamque cum vicinis Principibus quæsivit, Balduino etiam Episcopo nostro, quem ejusdem secum indolis fortitus Episcopum, conjunctissimus; cui hoc anno etiam VI Augusti jurisdictionem civilem urbis Hervordensis, acceptis quadraginta marcis aureis Susatensis pretij, vendidit, ut jam utramque jurisdictionem Hervordensis civitatis sibi Paderbornensis Ecclesia vendicarit. Contra Balduinus Episcopus noster mediam partem castri Kruckenbergij Oppidique Helmwardeshusani, uti hæc duo oppignorata tenebat à Colonienssi Archiepiscopo, rursum Abbati Helmwardeshusano & Cœnobio pro quingentis & nonaginta marcis argenti opponit pignori; ea tamen lege, ut si hoc pretium rependat Colonienssis Archiepiscopus, castri Oppidique pars redeat ad Colonienses: uti hæc prolixis tabulis multisque conditionibus ex consensu Præpositi & Collegij Cathedralis consignata sunt.

Annus Christi 1353.

Innocentij VI Pont. 1.
Caroli IV Reg. 8.
Balduini Ep. Paderb. 14.

Argentin. Rebdorf. in Annal. Trithem. in Chron. Chron. M. Belg. Caroli industria in Imperio administrando.

At Carolus Rex postquam in Bohemiæ Regno sua omnia sapientissimè composuerat, omniumque ordinum fidem atque animos sibi devinxerat, ad res Imperij ordinandas se accinxit, diverso à Joanne Patre ac Rege Bohemiæ ingenio; nam ut illum bellicis, quàm civilibus rebus tractandis magis præstantiorem tradit Dubravius: ita Carolus alienior à bellis, ac Princeps omni literarum linguarumque artibus excultus, Imperium sapientia, insita mentis bonitate, tranquillitate, maturisque consiliis moderandum suscepit. Igitur mense

mense Septembri, in superiorem Germaniam, quàm turbatam reperit, magno splendore & comitatu procerum digressus, Ulmæ omnes Alsatiæ ac Sueviæ civitates in fœdus pacis conjunxit; ideo Basileam, Brisacum, Hagenoam, Argentinam, ceteraque urbes invisit jura populis priscorum Cæsarum more dicendo. Inde Spiram descendit ad Reipub. controversias componendas. Nihilque tum magis conturbabat Rhenum, quàm flagrans in octavum annum dissidium inter Henricum Virneburgicum exauctoratum Archiepiscopum, & Gerlacum Nassovium à Pontifice impositum. Virneburgicus, ope manuque Cunonis Falckensteinij Canonici, hominis familiæ opibus potentis, & militaris ingenij, retinebat plerasque in Thuringia & Hassia diœcesis civitates, castra, & possessiones. Quare Falckensteinius, Spiram à Carolo Rege postulatus, stitit se quidem, sed tanta audacia & pertinacia, tanquam qui omnium Alemannorum animos secum ferret in judicium; & cùm multa illi objicerentur, respondit se nondum super his deliberasse. Quapropter Rex Moguntiæ Principum comitia indixit, ad quæ Balduinus Trevirensis, & Wilhelmus Colonienſis, Gerlacus Moguntinus Archiepiscopi accessêre, & cum his multi Episcopi & Principes ac proceres Imperij convenêre. Cœpta comitia ante Natalem Christi diem, quem tres Archiepiscopi sacris celebrem fecêre; nocte enim sacratissima Balduinus Trevirensis, sub auroram Gerlacus Moguntinus, orto die Wilhelmus Colonienſis, Archiepiscopi solemne sacrificium peregêre. Omnibus sacris interfuit Rex, sacrosancto etiam corpore Christi in ipsa nocte à Balduino Trevirensi Archiepiscopo refectus.

Controversia inter Archiep. Moguntinum Gerlacum Nassovium & Henricum Virneburgicum, hujus morte finitur.

Inter hæc in pervigilio Natalis Christi excessit Henricus Moguntinus Archiepiscopus, ex paralysi solutus in mortem, quo omnis simul dissensio, curæque Regis & Principum abruptæ. Nam & Gerlacus ex Regis & Principum sententia in plenam ejus Ecclesiæ possessionem venit, & Cuno Falckensteinius reconciliatus Gerlaco Archiepiscopo, ei inter familiarissimos fuit, ac post etiam Trevirensis Archiepiscopus delectus. Tanta in homine illo, qui tot annos divexârat Moguntinam Ecclesiam, morum commutatio fuit, postquam ad saniorem mentem redijt, & oblatis honoribus, præcelsum ingenium virtuti dedit occupandum.

Archiep. Colon cura in reformando clero.

Sed longè pulchrius religionis omnisque virtutis exemplum Wilhelmus Colonienſis Archiepiscopus; in quem omnes Westfaliæ Episcopi tanquam in formam cleri conjiciebant oculos. Is priusquam ad comitia iret, duas Cleri sui synodos congregavit: alteram Bonnæ verni jejunij tempore, qua justi sunt Clerici & religiosi, qui flagellantium sectæ se miscuerant, intra xv dies sistere se Archiepiscopo suo ad satisfactionem præstandam. Altera postridie Calend. Octobris convocata, sancitumque in ea, ne Clerici sine corona in vertice capitis rasa incederent, ne vestes colore viridi, rubro, glauco,

aliove indecoro, aut sectas gestarent; ne prolixas barbas alerent; ne hastiluctiis se miscerent, aut cauponariam tractarent. Indignum, inquit, eos, qui de Patrimonio Christi vivunt, dedignari insignia Christi portare, Quare nullum Clericum passus est sine sacro indumento sacris inter esse; qua lege ipsos etiam ædituos comprehendi voluit. Multa hujusmodi, quæ per bella, ut fit, irrepserant, latis legibus præclarè emendavit.

Engelbertus Comes Marchiæ proficiscitur in Palæstinam, & fratres ejus in Galliam *Levold. in Chron. Mar.*

Engelbertus etiam Marchiæ Comes, qui hactenus Episcopos & Ecclesiam spoliis & armis vexârat, delictorum pœnitentia ductus, iter hoc anno in Palæstinam ad sacra loca invisenda suscepit; percujus absentiam fratres ejus Adolphus & Everhardus Comites in Galliam profecti, haud alio instituto, quàm ut juvenilem ætatem literis & omni scientiarum cultu inter florentissimos Galliæ viros exornarent; quo tum nihil inter Saxoniæ Nobiles, Comites, ac Principum filios frequentius ac laudabilius habebatur, ad honorum gradus in Clero adipiscendos; tum vel maximè, cùm Pontifices, in Galliis sedem collocarent; ut inde mos invaluerit per Westfaliam in Cathedralibus Collegiis, transmittendi Clericos è nobilitate ad florentes Galliarum academias Marcanæ interim provinciæ gubernatio data Gerhardo Plettenbergio Comitis Dapifero, viro è prima nobilitate Westfaliæ, prudenti, rebusque domi militiæque gestis claro.

Henricus de Hervord. Cleinsorg. Ferdin. in monum. Paderb. Angli Borussiam petituri in prædones Westfalos prope Lipspringam incidunt. *Henric. Knichto. l. 4. inter Histor. Angl. ann. MD. CLII Londini edit.*

At dissonum fœdumq; per id tempus facinus Hunoldi Plettenbergii, Joannis Padbergii, ac Comitis Ritbergensis; sicuti id Henricus de Hervordia eorum temporum scriptor retulit. Præmiserat Henricus Dux Lancastriæ 400 milites ex Anglia in Borussiam pugnaturos adversus barbaros, quos ipse Dux ferebatur sequi. Hi postquam Rhenum transgressi, pervenêre in Westfaliam, delati ad Lipspringam Oppidum diœcesis Paderbornensis, incidêre in Plettenbergium & Patbergium prædonũ Duces; circumventiq; Angli spoliantur armis, vestibus, & magno, quem secum portabant, auri argentiq; thesauro. Rem altius repetit, ac planius exponit Knichtonius in historia Anglica. Pace inter Regem Franciæ & Angliæ anno MCCCLI pacta, Henricus Dux Lancastriæ altero mox anno magno procerumac nobilium gentis suæ comitatu expeditionem suscepit in Prussiam adversus barbaras gentes, Christianis infestas. Is postquam Coloniam pervenit, intellexit à fidis monitoribus, Ottoni Duci Brunswicensi à Rege Franciæ demandatum esse, uti Lancastriæ Ducem interciperet. Quibus contemptis, Lancastrius transito Rheno in altam, ut Auctor inquit, Alemanniam, Westfaliam nimirum dicere voluit, antiquam Saxoniam, iter prosecuturus ingreditur: ubi ex insidiis à Brunswicensi positis intercipitur, & captivus cum magno nobilium comitatu abducitur; nec prius è custodia dimissus, quàm Brunswicensi tria millia scutorum aureorum in lytrum penderet; quo persoluto, in Prussiam procedit. Verùm cum ad fines Prussiæ perveniret, intelligit pacem in multos annos

annos inter Chriſtianos & paganos eſſe factam: eòque ad Rhenum regreſſus, Coloniæ in congreſſu Germanorum Principum queſtus eſt, ſe peregrinum pro Chriſti & Chriſtianorum milite ad ſacrum bellum adverſus barbaros in Pruſſiam euntem, à Duce Brunſwicenſi in medio itinere interceptum, ſpoliatum & in captivitatem abreptum eſſe, quem nulla unquam injuria læſerit. Quæ poſtquam Brunſwicenſi renunciata fuêre, & ille indignatus nomen ſuum apud Germaniæ Principes profundi, ſcriptis ad Lancaſtrium literis, ad ſingulare illum certamen provocat. Nec ſegnior Lancaſtrius reſpondit, nihil ſibi gratius fore, quàm ut locus & dies certaminis quamprimum deſignetur. quo Pariſiis poſtea indicto, acceſſit ex Anglia Lancaſtrius, & Brunſwicenſis ex Saxonia ſpectator aderat Rex Franciæ cum omnium aulæ ſuæ procerum & magnatum totius Franciæ concurſu. Tentata primùm per Francos compoſitio. Abnuit omnia Lancaſtrius, palam conteſtatus, non ſe ex hoc prælij loco abiturum, niſi manus cum Saxone conſereret. Tum uterque Dux conſcenſo equo deſcendit in arenam, Brunſwicenſis vultu expalleſcente animoque conturbato, Lancaſtrius mente hilari promptaque. Et jam committendi inter ſe erant: cùm Rex Franciæ intervenit, & pugnam ſtitit; quo lætus Brunſwicenſis cauſam ſuam Regis arbitrio permittit: ægre Lancaſtrius induci ſe paſſus. Tandem intervenientibus totius Franciæ proceribus & Conſiliarijs à certamine ſunt abſtracti; quos Rex Franciæ convivio exceptos amice reconciliavit.

Igitur Weſtfali noſtri à Duce Brunſwicenſi ad hoc facinus inducti; ea enim tum nobilium prædandi licentia erat, ea prædonum multitudo ex caſtris nobilium, tanquam ex rapacium avium nidis convolantium ad ſpolia. Nec jam mirum videri debet, Epiſcopos tot caſtris clientum nobilium, militumque manu ſe per Weſtfaliam præmunijſſe

Balduinus Epiſcopus noſter ſub id tempus innumeris Reipub. curis obrutus fuit; ijs tamen tantiſper ſepoſitis, ad vehementes Collegij Buſtorfiani preces, approbat Epiſcopali auctoritate ſtatuta, quæ ipſi de admittendis apud ſe in numerum Canonicorum jam longâ conſuetudine induxerant. Ejuſmodi erant, de certis marcis in Eccleſiæ fabricam, in Canonicos ac ceteros Eccleſiæ ſuæ miniſtros erogandis: de vexillo & centum libris ceræ Epiſcopo pendendis. Quibus ſimiles erant impenſæ de emancipandis & in Canonicos cooptandis, aut ad gradum altiorem ſui Collegij provehendis. Jam enim per Saxoniam paſſim in Cathedralibus Eccleſiis, prava magis quàm laudabili conſuetudine, hæc invaluerant; crevêreque in magnos ſumptus, tanquam pretio pararentur, quæ gratuito virtuti & ſcientiæ debebantur; donec in Collegiis Cathedralibus Nobilitati, in ceteris patrocinio & opulentarum familiarum filiis adſcriberentur. Balduinus Epiſcopus etſi ægre in hæc conſentiret, perſuaſus tamen

Balduini ſtatuta Collegij Buſtorfiani approbat.

precibus Collegij, & antiqua consuetudine, quæ legis instar prævaluerat, pridie Natalis Virginis comprobavit. Postquam jam ante eidem Collegio emptionem villæ Richofianæ ratam habuisset, testibus adscriptis Ludolpho de Herise, Ludovico Post, & filio ejus, cæterisque militibus, & nobilibus viris, ex quibus ad nostra tempora familia Postorum celebris permansit.

Chron. Mind. Cranz. lib. 9. Metrop. c. 49. Gerardo Ep. Mindensi defuncto subrogatur, Caroli commendatione, Theodoricus ex Ord. Cistercienſi Monachus.

Inter Westfaliæ Antistites naturæ hoc anno concesserat Gerhardus Comes Schawenburgicus Mindensis Episcopus, gesto in septimum annum laudabiliter sacro munere, adjectoque ad Ecclesiæ suæ patrimonium castro Rode. Cui Caroli Regis commendatione, & Pontificis auctoritate, subrogatus Theodoricus eo nomine III Mindensium Episcopus, ob singularem agendi solertiam, & facetum ingenium, ex Monasterio Leven Ordinis Cistercienſium traductus ad aulam; Carolique beneficio primùm Ebronensis, post Sleswicensis, deinde hoc anno circa Calend. Martij Mindensium Episcopus creatus, Anno posthæc 1361 ad Archiepiscopatum Magdenburgensem transvectus.

Annus Christi 1354.

Innocentij VI Pont. 2.
Caroli IV Reg. 9.
Balduini Ep. Pad. 15.

Argentin. Rebdorf. Chron. Mind. à Pistor. edit. cum diploma. Theodoricus Ep. Mindens. confirmationem privilegiorum Ecclesiæ suæ à Carolo R. impetrat.

Quæ exinde Carolus Cæsar fine superioris anni Moguntiæ comitia cœperat, ea cum mense Januario sequentis hujus anni finem habuêre; interque Saxoniæ Episcopos Moguntiam accesserat Theodoricus Mindensis Episcopus, cui Carolus Rex pro meritis in se & Imperium, omnia Mindensis Ecclesiæ privilegia, uti ea à Divis Romanorum Imperatoribus ac Regibus donata erant, insigni diplomate 2 Idus Jannuarij instaurat. Inde Rex Francofurtum ascendit; Regemque assectatus Theodoricus Mindensis Episcopus, alterum beneficentiæ diploma impetrat, 18 Calend. Februarii datum, quo die illi ac successoribus judicia libera, sedesque liberas, quæ vulgo *Vehmeding* nuncupantur, ea jurisdictione ijsque commodis dilargitur, quibus in Ducatu Angariæ & Westfaliæ possidebant. Utrumque hoc diploma fastis Mindensium à Pistorio adjicitur.

Brouver. lib. 17. Annal. Trevirens. Carolus parentat Balduino Archiep. Trevirensi.

Francofurto Cæsar digressus Treviros ad parentandum Balduino Archiepiscopo avunculo suo, quem mors ex comitiis Moguntinis regressum festo D. Agnetis die extinxerat; Præsulem qui supra quadraginta sex annos Archiepiscopatum magna sapientia administrârat, auxeratque possessionibus bonorum, ac castris supra quàm ab ullo antecedentium Pontificum prope memoratum. Quippe columen Imperij ea tempestate, penes quem auctoritas summa erat. Magnum eo consanguineo Archiepiscopo subsidium amisit Cæsar. Funeribus exquisitè persolutis, Carolus Metas profectus, Wenceslaum

laum fratrem 3 Idus Martij Ducem Lutzenburgicum creat in corona Episcoporum Gerlaci Moguntini, Wilhelmi Colonienſis, Engelberti Leodienſis, ceterorumque Antistitum & Principum. Inde in Alsatiam digressus ad armatas controversias inter Albertum Austriæ Ducem & civitates Helvetiæ componendas Pascha Keisenbergæ celebrat. Mense Septembri cum haud magno comitatu, privati instar, iter in Italiam susscepit. Lombardiam ingressus Mantua ad Episcopos, Principes, & civitates scribit, commonetque, ut sibi exercitum ex provinciis collectum submittant, quantum Imperij majestas ad coronationem Cæsaris poscceret. Vicarius idem Imperij ab eo nominatus Robertus Palatinus Dux & Elector.

Wenceslaum fratrem suum Ducem Lutzenburgensem creat. Proficiscitur in Italiam.

Per id tempus, imperante Carolo IV, ut hoc verbo adscribam, repertus fertur pulvis pyreus, simulque sclopi ferrei, & nova hæc tormenta bellica, majori mortalium bono, an pernicie in certum habeas. Inventor Bartholdus niger, homo Germanus, & professione Franciscanus Monachus perhibetur, medicæ & chimicæ artis peritus, ut Hieronymus Zieglerus tradit. Polydorus Virgilius anno 1380 hujus feralis machinæ usum adscribit; tum enim Venetis à Bartholdo ostensum censent alij, cùm adversus Genuenses ad fossam Clodiam bellum gererent. Nonnulli à Burgundis hæc reperta volunt, casu magis quàm arte; ignis videlicet in pyreum pulverem, qui in mortario servabatur, illapsus, & cum sonitu motuque vehementi excussus, hoc novum tormenti genus monstravit, quod arte postea expolitum sit.

Pulvis pyrens inventus & usus scloporum ferreorum.

Annus Christi 1355.

Innocentij VI Pont. 3.
Caroli IV Reg. 10. Imp. 1.
Balduini Ep. Pad. 16.

Rex sub initium anni hujus Mediolanum ingressus, festo Epiphaniæ in Basilica D. Ambrosij ferrea corona insignitur à Roperto Mediolanensi Archiepiscopo. Ac tametsi mille tantum Bohemis, & paucis Germanorum militibus cinctus esset, Romam tamen perrexit, honorificeque à senatu exceptus, ac sexto ab hinc die ab Ostiensi Episcopo & Cardinale, ut id ab Urbano Pontifice constitutum erat, unâ cum conjuge, ipso die Paschatis, Augustalibus ornamentis decoratus inungitur. At illo sacratissimo die ex urbe discessit, nihilque in Italia pro imperio & honoris majestate gessit. Ausi etiam Pisana in urbe cives conspiratione facta mortem Imperatori machinari, minitarique se Cæsarem patibulo suspensuros. Maximum præsidium Cæsaris erat in Augusto Episcopo; is maturo tempore, ad vesperam fortissimè dimicando tumultuarios cives oppressit, è quibus post XVI capite imminuti sunt. His periculis extractus Cæsar, rapto diademate, in Germaniam abiit. Perstringit id factum Petrarcha.

Argentinen. Rebdorf. Ursberg. Paralip. Brouver. lib. 17. Annal.

Carolus Mediolani, deinde Romæ cum conjuge coronatur.

O infa-

O infamem diem! o pudendum facinus! o superi! en jusjurandum, en religio, en pietas! Romanus Pontifex ita Romam deserit, ut malit eam ab alio frequentari, et de hoc cum Romano Imperatore paciscitur. Quid hic loquar, nescio, et si scirem tacere consilium est. Cæsar reliqua parte anni in ordinandis Imperij negotiis consumpta, Norimbergæ comitia indixit.

Archiep. Colon. jus vetus per Ducatum West. faliæ instaurat.

Mediolani dum ageret Carol⁹, magnifico diplomate Wilhelmo Colonienſi Archiepiſcopo ob præclara erga ſe & Rempub. merita, omne jus vetus per liberos Ducatus Weſtfaliæ & Angariæ inſtaurat; ea nominatim lege præſcripta, ne cui Comitum & Scabinorum faſſit ſine auctoritate Archiepiſcopi tribunalia inſtituere, habere, aut jus dicere in judiciis, quæ comitia & ſecreta judicia appellabantur; niſi tamen ea feudi titulo ab Archiepiſcopo poſſideant: factaque eſt poteſtas retractandi omnia pronunciata judicia, abſolvendique reos, quibuſcum hactenus iniquè actum compererit. Diploma hoc, quod Gelenius produxit, conſignatum à Carolo Imperatore Mediolani Nonis Januarij, recognitumque à Joanne Lithomiſnienſi Epiſcopo Cancellario, vice Wilhelmi Colonienſis Archiepiſcopi.

Balduinus Ep. Silvam Reinerianam Landgravio Haſſiæ oppignorat.

Non tam proſpere Balduinus Epiſcopus noſter res ſuas egit. Is enim neſcio in quam neceſſitatem temporum conjectus, partem ſylvæ Reinerianæ, vetus ac nobile diœceſis peculium, Hermanno Haſſiæ Lantgravio ejuſque Succeſſoribus, acceptis centum marcis argenti, oppignoravit; ea tamen conditione adjecta, qua Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis quovis tempore redimendi jus & copia maneret. Qua ſuper re publica hujusmodi literarum monumenta ſunt.

Nos Baldewinus Dei gratia Epiſcopus Paderbornenſis præſentibus hiſce literis notum facimus, et publice proteſtamur pro nobis, ſucceſſoribus noſtris, et Eccleſia noſtra, quod cum voluntate et conſenſu Eccleſiæ et Capituli noſtri, Illuſtri Principi Hermanno Landgravio Haſſiæ ejuſque legitimis hæredibus oppignoraverimus pro 100 marcis puri argenti ponderis et valoris Geiſmarienſis partem noſtram nemoris dicti vulgo **Reynereſwold** *cum annexis juribus foreſti, piſcaturæ, venationis, aliiſque omnibus ad dictam nemoris foreſtique partem ſpectantibus. Quam etiam intra unius anni ſpatium, à proximis ſancti Michaëlis feriis computandum, redimere non poterimus: quo tamen elapſo tum demum illius redimendi facultatem liberam omni tempore habebimus, poſtquam ſex menſibus prævie de reluitione à Nobis facienda Landgravium ejuſve heredes reddiderimus certiores: Qui etiam tunc, cùm nobis libitum fuerit, dictam nemoris noſtri partem cum omnibus ad eam modo ſpectantibus pro centum argenti marcis, ponderis et valoris antedicti, ſine contradictione prompte integreque reſtituere tenebuntur. Præterea inter nos convenit: ſi Landgravium Hermannum poſt hæc contingeret mortali hac vita decedere, quod prædictis conditionibus obſtricti manebimus illi, cui Landgravius has literas cum argento ceſſerit. Sed et viciſſim nobis repignorandi jus liberum manebit. Ad horum omnium certam firmamque obſerva-*

observationem ac testimonium sigillum nostrum majus hisce literis appendi fecimus, datis anno post Christum natum MCCCLV, *die S. Jacobi Apostoli.*

Et nos Hermannus Dei gratia Landgravius Hassiæ publicis hisce literis. Pro Nobis et heredibus nostris profitemur, quod partem illam nemoris et foresti cum appertinentiis suis nobis pro centum marcis puri argenti Geismarienſis ponderis et valoris, à D. nostro D. Baldevvino Episcopo Paderbornensi oppignoratam eidem Episcopo ejusq; successoribus et Ecclesiæ Paderbornensis secundum præscriptas conditiones repignorandam dabimus. Omnes præterea conditiones, articulos, et pacta conventa his literis descripta venerabili D.D. Baldevvino Episcopo ejusq; Successoribus et Ecclesiæ Paderbornensi pro Nobis et heredibus nostris, seu quovis alio, cui post mortem nostram dono nostro argentum prædictum cum literis hisce obvenerit, inviolabiliter sancteque promittimus, Nos omni fraude procul et dolo malo observaturos. In quorum fidem ac testimonium sigillum nostrum his literis appendimus, datis anno et die suprascriptis,

Cautè hanc oppignorationem fecit Balduinus, tanquam ægre nimis repetendum prævideret, ideo, vades popoſcit, qui fidem pro Landgravio obligarent. Hi fuêre Wilhelmus Hassius Landgravij supremus eorum locorum præfectus, Burchardus Haldessen, Albertus Vekerus, Consules & senatores civitatis Immenhusen. Horum quoque literæ apud nos in tabulario servantur quibus fidem suam sancte obstringunt, ut quoties ab Episcopo Balduino, aut Successoribus oppignorati nemoris pecunia repræsentetur, nemus ad Episcopi Paderbornensis patrimonium redeat.

Fefellêre omnia Balduinum; nam postquam pars nemoris semel in potestatem Landgraviorum venit, seu Paderbornensium negligentia, seu tenaci possessoris manu factum sit, nunquam inde ad diœcesis nostræ patrimonium rediit. Adeo periculosum est oppignorare, & paciſci cum potentioribus, quibus cupido retinendi alimentum rapacitatis est. Olim Henricus III & Henricus IV Reges & Imperatores capti nemoris Reineriani venatione à Paderbornensi Episcopo per commutationem bonorum aliquando obtinuerunt; at non quievit Imadus Episcopus noster, donec ab Henrico IV per preces Agnetis matris redditum oblatumque ad altare D. Virginis, Kiliani & Liborij reciperet, ſicuti hoc ad annum MLIX ex diplomate Cæsaris hujus retulimus.

Et si altius repetas nemus hoc, donum est Paderbornensis Ecclesiæ à D. Henrico Imperatore Meinwerco Episcopo factum, ampliſque locorum ſylvestrium, agrorumque cultorum ſpatiis, quantum diœcesis nostræ peculium est, ad Visurgim, Fuldam & Dimolam fluvios extenditur. Quemadmodum supra ex certis donationum tabulis ad annum MLIX in Meinwerco Episcopo memoratum est. Universum verò Reinerianum nemus, ſicuti Dilichius in Hassiæ Chronico tradit, tam in longitudine quàm in latitudine ad quatuor millia-

Nemoris Reineriani descriptio.

or milliaria ſe explicat, quercubus & fagis conſitum, eaque ubertate, ut cum annus glandibus fœcundus eſt, ſupra 20000 porcorum ſagi. net: & ſi vici, agri, ligna, ac cetera in annuum pretium veniant, ſupra 30000 florenorum aureorum porventus æſtimentur. Ingens ſimul ferarum copia: nec Landgravio in tota Haſſia præſtantior venatio. Atque id nemus, poſtquam tam facili oppignorationis pecunia averti primùm cœpit à Balduino Epiſcopo, inde retentum ab Haſſis ad innovatæ religionis tempora; quibus verò tum artibus & pactis à diœceſi alienatum Haſſis demum ceſſerit, in Theodoro Epiſcopo memorabitur.

Balduinus Ep. duas partes caſtri Furſtenberg. Hermanno Brenckio oppignorat.

Subinde Balduinus Epiſcopus duas partes caſtri Furſtenbergij ducentis marcis pignori oppoſuit Hermanno Brenckio equeſtris ordinis viro, id quod more & jure Caſtrenſium tum recepto eſt conventum; juſſusque Brenckius fidem jurare Epiſcopo, & Cathedrali Collegio, tuerique caſtrum adverſus hoſtes Epiſcopi, & ad omnem Epiſcopi ingreſſum aperire. Vades dati Joannes Schorlemmerſus, Joannes & Fridericus Patberg, Joannes de Horhaus, Widekindus Valckenberg milites diœceſis. Maximum per id tempus cùm tumultuaria adhuc bella arderent, præſidium erat in Caſtrenſibus, qui cùm magnis impenſis alerentur, haud ſecus quàm beneficiarij nobiles, multæ quoque poſſeſſiones bonorum, quæ clientelari beneficio tenebant, cum his ab Eccleſiæ patrimonio abſtractæ ſunt.

Annus Chriſti 1356.

Innocentij VI Pont. 4.
Caroli IV Reg. 11. Imper. 2.
Balduini Epiſc. Paderb. 17.

Rebdorfius Argentin. Trithem. Chron. M. Belgij. Naucler. Levold. Dubran. Brovver. Carolus auream bullam condit.

Aderat nunc annus quinquageſimus ſextus ejus ſæculi, cùm ad indictam Norimbergæ comitia, quæ inter omnia Caroli fuere celeberrima, convenêre Archiepiſcopi, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, alijque cum ſuis provincialibus Epiſcopis tum Electores ceteri cum ingenti Principum, Comitum, Baronum, procerum, Nobilium & civitatum multitudine. In his comitiis Carolus pro imperatoria majeſtate, qua anno ſuperiori decoratus erat, edidit conſtitutionem, quam Auream Bullam vocamus. Quippe ad turbas & diſſidia tollenda, quæ Regibus creandis hactenus inter ipſos ſeptemviros orta erant ſanctionem hanc pragmaticam IV Idus Jannuarii promulgavit, in qua de jure Electorum, eorumque privilegiis, de gradibus, & poteſtate Principum, aliorumque ordinum multa ſapientiſſimè ad concordiam Germaniæ & majeſtatem Imperij decernuntur, ut vel aureum ideo diplomati nomen datum, dummodo aureum inde ſeculum polliceri licuiſſet. Metas poſt illa menſe Decembri profectus Imperator, haud minus celebria Electorum & Principum comitia habuit; in quibus capita ſeptem curiæ Imperialis, ritibus officiis, & ſeſſioni

ſeſſioni Electorum, quæ in aurea bulla leguntur, adjecit. Auctorq; eſt Argentinenſis, eo in congreſſu Electores quemq; ordine & pro ſuo munere Imperatori menſæ accumbenti miniſtraſſe, tanto ſplendore & majeſtate, qua ex omni retro ætate nulli unquam Imperatori quicquam delatum magnificentius.

Memorabilis Gallorum clades ab Eduardo R. Angliæ illata.

Quàm lætus hic annus Germaniæ, tam funeſtus Galliæ, pugna cladeque Pictavienſi. Enimvero Eduardus Regis Angliæ filius, octo tantummodo millium exercitu armatus, Gallorum exercitum quinquaginta millium florentem, & tanquam ad triumphum progredientem, admiranda in omnem poſteritatem victoria, 19 Septembris fudit. Cæſa ſeptem Gallorum millia in prælio, capti mille ſeptingenti nobiles, ſeptendecim Comites, quos inter Joannes Rex & Philippⁱ filius captivi in Angliam abducti. Juſta adhuc vindicta numinis viſa inhærere Galliæ, quæ tot annis, Ludovico Cæſare, afflixerat Germaniam. Acceptaque clade neceſſe habuere Galli confugere ad conſilia Caroli Imperatoris. Quam in rem alter Regis Galliæ filius ex prælio profugus cum Gallorum proceribus Metas Imperatorem & Principes Germaniæ adijt.

Levoldus Chron. M. Belg. Pontanus lib. 7. Geld. Trithemius.

Bella inter Ducem Gelriæ & Cliviæ.

Et Carolus Imperator, licet optimis legibus conſuleret publicæ per Imperium paci, bella tamen pati neceſſe habuit. Quippe invalidæ leges, niſi potentia & armis ſimul imperari poſſint. Pugnabant enim per id tempus inter ſe Reinaldus Dux Gelriæ, & Joannes Dux Cliviæ. Victus captusque Gelder, Adolpho Cliviæ Duci coactus eſt Embricam dare, quæ deinde Cliviæ aſſerta. Gravius bellum ardebat inter Wenceslaum Lutzenburgicum Ducem, Caroli Imperatoris fratrem, & Ludovicum Flandriæ Comitem de Ducatu Brabantiæ decertantes, quem uterque ex dote conjugis ſibi vendicabat, poſtquam Dux Brabantiæ ſine maſculo herede obierat, filiaſque tantùm duas reliquerat, quarum altera Wenceslao, altera Flandro denupta erat. Bello huic ſe Wenceslao junxêre Marcanus & Montium Comites, multamque Weſtfaliæ nobilitatem ſecum traxêre adverſus Flandrum, eventu improſpero.

Ducem item Lutzenburg. & Comitem Flandriæ.

Haud levius interim tumultuariis bellis Comitum & nobilium jactabatur Weſtfalia. Leges quidem tulerat Cæſar ne quis privatum bellum alteri indiceret, & per fraudes, ſpolia, pacta, nobilitatiſque colligationes turbaret publicam pacem; ſecus ſi quis faceret, infamis haberetur. Sed his nondum inveteratum prædandi malum tollebat, quòd legibus pondus non adderet armorum terrore, & capitalibus pœnis. Quare quantum quiſque Epiſcoporum & procerum valebat caſtris, armis & fœderibus, tantum ſe tuebatur adverſus prædones.

Huxaria triplici aggere circumdatur & munitur.

Huxtarienſes noſtri cùm undique infeſtarentur, permiſſu Theodorici Corbeienſis, ceterorumque Cœnobitarum, triplici aggere circum Oppidum ducto ſe præmunière; per quos tamen liber tranſitus

ſitus maneret Abbati. Plena hujuſmodi aggeribus, quos vulgo Lantwer dixere, eſt Weſtfalia, ad incurſiones hoſtiles obſtruendas. Quam in rem paſſim ſpeculæ & turres conſpiciuntur in montibus & editis agrorum locis: è quibus ſigna incurrentium hoſtium eminus dabant excubitores, incolis oppidorum & pagorum ad arma convolantibus

Idemque Theodoricus Abbas, ut in ijsdem priſcis Corbeienſium literis reperimus, limites certos immunitatis Corbeienſis Oppidi circumſcripſit ad conſtitutionem jurium municipalium, quæ muris & turribus Oppidi ducti per quam anguſti fuêre. Quemadmodum idem Theodoricus in literis anno MCCCLII datis Abbatem Corbeienſem diœceſis Paderbornenſis inſcribit, fatetur. que ſe in medio nationis pravæ habitare, armis undique circumfrementibus: itaque Cœnobium à Prædonibus affligi, ut fratribus ſuis ægre annona & veſtitus ſuppetat. Quibus nullum per id tempus fidum magis præſidium erat, quàm in patrocinio & fœdere Paderbornenſis Epiſcopi, quocum & caſtra & mutua Caſtrenſium clientumque arma conjunxit.

Annus Chriſti 1357.

Innocentij VI Pont. 5.
Caroli IV Reg. 12. Imp. 3.
Balduini Ep. Pad. 18.

Caroli Imp. pietas erga reliquias Divorum. *Brouver. lib. 17. Annal. Chron. Colon. Trithemius. Pontan. l. 7. Geld. Rudolphus à Rivo apud chap. Levoldus. Rebdorf. in annal. Annal. Boic. pag. 2. lib. 5.*

Poſt ordinatam anno ſuperiori Rempublicam, Carolus Imperator Metis Trevirorum urbem adiit; trahebaturque religione luſtrandi antiquitatum monumenta & loca ſacrorum. Quippe, ut Trithemius tradit, omnia paſſim religioſorum Cœnobia & templa vetera per Germaniam inviſebat, colendoque ſanctorum ſepulchra ſimul reliquias colligebat, quibus Praga & Bohemia exornata eſt. Id cùm Treviris etiam feciſſet religioſiſſimus Imperator, præter exſpectationem Coloniam advenit; ibi cùm non ſatis honorificè excipereturindignatus ſubitò ex urbe exceſſit, ac Brulam ſe contulit. Quo animadverſo, ſenatus populuſque Agrippinenſis poſtero die magnificentiſſimè in urbem introduxit: Ille luſtratis Baſilicis & ſanctorum locis, Aquiſgranum proficiſcitur, ubi 2 Idus Februarij Neomagenſibus vetera urbis populique privilegia confirmat: diploma id Pontanus recitat. Inde Trajectum ad Moſam contendit compoſiturus Flandrum cum Wenceslao fratre Lutzenburgenſi & Brabantiæ Duce; id cùm fruſtra tentaret, negotium dedit Wilhelmo Bavaro, Hollandiæ & Hannoniæ Comiti; ipſe cum theſauro ſacrorum pignorum Pragam accelerat. Nec multo poſt menſe Aprili, ut Rebdorfius refert, cum ingenti Bohemorum & Moravorum multitudine Bavariam intravit, vaſtatàque regione, Bellum, quod iſtic exarſerat, ſopiit,

Qui.

Quiescente Westfaliâ, Wilhelmus Colonienſis Archiepiſcopus constantissimè hæsit in formandis cleri populique moribus. Ejus rei gratia rursum hoc anno celebrem synodum habuit, qua reliquias sectæ flagellantium, quæ latenter adhuc per diœcesin serpebat, severis edictis & pœnis proscripsit. Multa præterea ea in synodo salubriter statuta, & communicata cum Westfaliæ Episcopis, quorum idem studium, disciplinam cleri inter bella collapsam restituere in integrum. *Wilhelmi Archiep. Colon. studium in corrigendis Vitiis & erroribus.*

At mors subinde sustulit 18 Augusti Ludovicum Hassiæ Landgravium Monasterienſem Episcopum, virum toga sagoque ea ætate inter Westfaliæ antistites clarissimum, eòque conditus in choro Cathedralis Basilicæ ante principem aram & brevi hoc encomij versu celebratus. *Ludovici Ep. Monast. mors & breve gestorum compendium*

Clerum dilexit, et militiam bene rexit,
Hic passus multa, quæ non permisit inulta.

Crantzius virum præclarum & magnificum & literis apprime instructum commendat, qui Ecclesiam per XLIX annos admirabili constantia & sapientia administravit. Præsul qui in domestica familia Clericos multos & doctos alebat, honorabatque ante omnes alios, ipse vitâ integerrimâ omnibus forma gregis sui, in egenos liberalis, bonis amabilis, improbis formidabilis, carus omnibus, fortunatus in bellis, adversis interritus, spectabilis inter omnes Imperij Principes; quique, ut fasti eorum perhibent, opibus, gloria, & magnificentia omnes superiores ejus loci Episcopos supergressus est. Bellum illi fuit cum Marcano, Geldro, Episcopo Osnabrugensi, Ludolpho Steinfordiensi Dynasta. Ter armatus processit adversus Comitem Teclenburgicum, & Benthemium, & nobilem de Solmis; quo in bello Stipense castrum haud procul Linga erexit. Trajectensem diœcesin non semel armatus ingressus, hostes ibi suos oppressit. Lagam Trajectensis Episcopi arcem subvertit. Cum Hojano & Diepholdio Comite de jure Lacus Dummersee decertavit. Fractæ ab eo Arnsbergensis Comitis vires: contusus Steinfordiæ Dynasta, captusque filius ejus, cum Gisberto Brunhorstio ante portas oppidi Steinfordiensis: domitus Comes Oldenburgicus, eversaque arx Wordenburga, prædonum receptaculum: contrà castrum Rutenovium, indignante licet Oldenburgico, exstructum frenumque impositum. Tornekingus Friso, prædonum ductor, captus & in rotam actus. Inde ut Frisones per Embslandiam spoliis grassantes contineret, arcem Nienhusanam ad inferiorem Amasim erexit. Ipse in Frisiam armatus processit, Ducuwaldiam & Capenhusium, prædonum receptacula, & castra Bernefoldam, Rhedam ad Amasim, & Wulfesbergam solo æquavit. Multæque ejusmodi prædatrices arces, Ovelguna, Davensberga, publicæ securitatis causa eversæ à Ludovico, acerrimo justitiæ vindice. Non aliter tum Episcopatus servabantur per Saxoniam & totam Germaniam, quàm per arma. Ea necessitas sanctissimis etiam Episcopis imposita erat.

Ludovico in Episcopatu succedit Adolphus Comes Marcan9.

In locum tanti præsulis Canonici una suffragiorum consensione elegêre Adolphum Marchiæ Comitem, Engelberti Marcani Comitis fratrem, *virum*, ut Levoldus scribit, *corpore elegantem, moribus et vita ornatum, Baccalaureum juris Canonici*. Tam honorificum tum erat, quod nunc pudori reputat Nobilitas, Comitum filios in publicis academiis decorari laurea Doctorum, & per gradus doctrinarum ascendere ad honores in clero. Ad Canonicorum electionem accessêre nobiles, vasalli, Castrenses, urbs Monasterienſis, & oppida totius diœcesis; quorum omnium votis expetitus Adolphy Episcopus, quòd ejusmodi tempora inciderant, ut nihil consultius haberent, quàm ex vicina & potenti Comitum Marcanorum familia legere Episcopum, atque ab eo præsidium & vinculum petere. His ita constitutis, Adolphus in Gallias Avenionem profectus, circa suam causam in aula Pontificis egit. Pontifex qui tum bello inter Gallos & Anglos componendo occupatissimus erat, rem commisit tribus Cardinalibus, quorum judicio Adolphus probatus, nec multò post à Pontifice, frustra aliis interpellantibus, Monasterienſis Episcopus renunciatus est. Inde Avenione regressus in Germaniam, relictisque fratribus Theodorico & Everhardo in literarum studiis perficiendis, sese ad Engelbertum patruum suum Episcopum Leodiensem contulit, à quo in castro Hujano & urbe Leodiensi lætis omnium gratulantium vocibus exceptus est.

Balduinus Ep. sacris eleemosynis & fundationibus ad mortem se parat.

Balduinus Episcopus noster, quòd ex senio & corporis debilitate ad extrema se deduci animadverteret, nihil sollicitiùs habuit quàm pietatis operibus & largitionibus in egenos factis sibi de securo vitæ exitu providere; interque alia altare unum *in honorem S. Mariæ genitricis Dei, nec non SS. Caroli et Henrici Imperatorum, et S. Osvvaldi Regis* (quod nunc S. Crucis dicitur) fundavit & dotavit; alterum D. Mauritij in Basilica Cathedrali tantis proventibus auxit sanxitq; ut non modò sacerdos aræ illi consecratus pro se & parentibus suis quotidianum sacrificium offerret; sed & eam ex bonis per industriam acquisitis fecit dotationem, ex qua Canonicos Cathedralis & Bustorfiani Collegij obligatos voluit ad annuas post obitum suum vigilias & funebria sacrificia; quibus tam sui quàm antecedentium Episcoporum, certa ad id fundatione carentium, memoria precesque solemnes fierent. Quemadmodum hæc ex tabulis ejus, festo Michaëlis die consignatis, accepimus.

Theodoricus Corbeiens. Abbas festum Conceptionis D. Virginis solenniter

Theodoricus verò Corbeiensis Abbas, vir insigni modestia & pietate erga B. Virginem, Fratribus suis in concilium advocatis, festum conceptionis B. Virginis solenni ritu celebrandum Corbeiæ & per omnia Cœnobia Corbeiensibus subjecta edixit; id cùm Balduini Episcopi nostri exemplo, à quo id jam antè factum diximus, adductus videri possit; tum multas gravesque causas in peroratione ad Cœnobitas suos producit, non modò ab eximia Virginis sanctitate, & divino

& divino beneficio, quo ab omni labe originali concepta colitur, sed à multis etiam miraculis suo ævo patratis; refert enim Ezelinum Abbatem sui ordinis virum è naufragio ereptum, quòd singulari obsequio intemeratæ conceptionis suæ diem colere solitus. Alterum clerici in Segana fluvio submersi, cujus anima postquam ope Virginis corpori reddita, monuit Virgo clericum, insisteret festo hoc die colere sui memoriam ex tam immortali beneficio donoque conceptionis suæ. Multa hujusmodi Theodoricus Abbas, quæ testimonio etiam Anselmi aliorumque Patrum exaggerabat, certò pollicentium, nunquam vel Abbatem, vel religiosum è gradu suo dejiciendum, qui hanc celebritatem festi coleret. Vixit autem Theodoricus Abbas, vir candidæ mentis hactenus, ut diximus, familiaritate conjunctissimus Balduino Episcopo. Et jam uterque eò processerat ætatis, ut ex senio & multis temporum necessitatibus ad quietiorem apud superos vitam aspiraret. à suis celebrari vult.

Annus Christi 1358.

Innocentij VI Pont. 6.
Caroli IV Reg. 13. Imp. 4.
Balduini Episcopi Pad. 19.

Alterum, qui sequitur, annum Carolus Imperator magnam partem consumpsit in Regno Bohemiæ & Praga exornanda; ubi interpellatus à Theodorico Corbeiensium Abbate rogatusque, ut Joanni Rokkio, quem in oppido Montis Martis constituerat liberi comitatus judicem, Cæsar sua auctoritate confirmaret, daretque illi simul potestatem judicandi criminalium rerum causas, plectendique reos etiam capitis supplicio; quod Imperator Theodorico Abbati, viro, quem ob spectatæ vitæ probitatem virtutesque intimè semper complexus est, ob prædonum grassantium licentiam hoc diplomate indulsit. Carolus Imp. ad preces Abbatis & Corbeien. Joanni Rokkio dat facultatem judicandi causas criminales.

Karolus quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et Boemiæ Rex: Notum facimus tenore præsentium universis, quod licet religiosus Theodoricus Abbas Monasterij Corbeiensis in Westvalia Devotus noster Dilectus, Honorabili Joanni dicto Rochke de monte judicium Comitatus liberi dominicorum suorum in civitate Mersberg ritè contulerit, ipsum quoque investiendum duxerit, et ad talia, quæ sibi de jure videbantur competere, confirmandum; Quia tamen virtute, concessionis et investituræ seu confirmationis prædictorum non potest in causis criminalibus, quæ capitis et membrorum plexionem exigunt, exercere judicia, nisi juris dictione hujusmodi à Romana Imperatoria potestate suscipiatur, quoq; sibi dignemur de auctoritate Baila, quæ ad hoc prosequendum exigitur, Imperatoriæ majestatis clementia providere. Nos ad præfati Theodorici Abbatis Monasterii Corbeiensis votivam supplicationis instantiam, meritis probitatis, et circumspectionis industriam antedicti Johannis signanter in

spectis,

ſpectis, recepto prius ab eodem per diſcretum Joannem Glantz Notarium et Secretarium noſtrum de officio judicatus exercendo, et proſequendo legaliter, corporaliter, et ſolito juramento. Ipſum de præfato Comitatu libero cum omnibus juribus, conſvetudinibus, gratiis, et emunitatibus ad eum ſpectantibus cum plenaria facultate crimina et reatus quoſcunque plectendi auctoritate Romana Imperatoria præſentibus inveſtimus, præſentium ſub noſtræ majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Pragæ anno Domini MCCCLVIII, *die duodecima menſis Martii Regnorum noſtrorum anno* XII, *Imperii vero tertio.*

Rex Livoniæ baptiſmum ſe ſuſcepturum ſimulans Imperatorem decipit. *Rebdorfius in annal.*

Per vernum tempus Imperator in Imperium profectus, rhenſe Julio Norimbergæ Regis Livoniæ Legatos audiit. Denunciabant illi Regem ſuum cum gente Livonum velle Chriſtianam religionem ſuſcipere, & baptiſmo ablui. Lætus eo nuncio Imperator, mittit Archiepiſcopum Pragenſem, ſupremum ordinis Teutonici Magiſtrum, aliosque honoratos viros Legatos in Livoniam; quibus cùm Rex Livoniæ Vradislanium locum condixiſſet, in quo Natali Chriſti die ipſe & Imperator convenirent, coramque omnia repertractarent; eòque magno præſulum, & procerum comitatu ſe contuliſſet; Rex fefellit fidem, nec acceſſit: literas interim in novum dolum compoſitas dedit ad Imperatorem, quibus ſignificabat non prius ſe ad fontem baptiſmatis acceſſurum, quàm terræ à Teutonici ordinis viris in Pruſſia occupatæ ſibi redderentur. Ita deluſus Imperator infecto negotio rediit in Bohemiam.

Armis licet per Imperium raro pacis dono quieſcentibus, tanta hominum ſtrage peſtis ab Auguſto ad Natalem Chriſti graſſabatur, qua innumera multitudo brevi tempore conſumpta eſt. Tanquam Martis flagello, ceſſante, altero peſtis flagello Germania caſtiganda, atque iræ numinis obnoxia maneret. *Trithemius.*

Læta per hæc Adolphi Marcani Comitis & Monaſterienſis Epiſcopi inauguratio, quem Dominica Sexageſimæ Engelbertus Leodienſis Epiſcopus, Adolphi patruus, magno procerum & nobilium Weſtfalorum comitatu in urbem Monaſterienſem introduxit: nec minori gratulantium plauſu à Clero populoque exceptus eſt. Sicuti hæc Levoldus ſcripſit, eaque narratione Chronicon ſuum clauſit, ſcriptor judicio bonus, qui virtutes regentium ita commendat, ut vitia non diſſimulet. Præclarè antiquitatum cognitioni conſultum eſſet, ſi ut ille Marchiam, ita ſingulæ provinciæ & Epiſcopatus ſuum ſcriptorem ſortitæ fuiſſent; at neſcio quo fato aut genio nulla prope Germaniæ gens negligentior in ſcribendis rebus geſtis, quam Weſtfali. Verum quo anno hic jam octogenarius ſcribere deſiit, naſcitur Paderbornæ Gobelinus Perſona auctor Coſmodromij, novuſque hiſtoricus, brevis quidem hactenus, & non niſi perabrupta incedens, ſed quo tamen nemo melius res Epiſcoporum noſtrorum attigit, Levoldi Hiſtorici Marcani obitus, & Gobelini ortus.

attigit, aut plus lucis ex illa temporum & scriptorum caligine dedit, plenior aliquando ac certior ubi res suorum temporum exponet.

Transactio inter Episcopum Paderb. & Comites Lippienses de Comitatu Swalenbergensi.

Ac ne Balduinum Episcopum nostrum hujus anni memoria transeamus, haud intermittenda transactio, cum Comitibus Lippiensibus. Emerat Balduinus Episcopus noster, ut supra relatum, partem Comitatus Swalenbergensis à duabus viduis, postquam Comitatus ille herede masculo vacuus erat. Id cùm malè haberet Ottonem & Bernardum Comites de Lippia fratres, litemque intenderent Episcopo, res in hunc modum composita est. Media pars Comitatûs, quæ Henrici Comitis Swalenbergensis erat, cum castris, bonis, decimis, Castrensibus, Vasallisque Episcopo Paderbornensi, & Successoribus: pars autem quæ Henrici, alteraque quæ Guntheri Comitum Swalenbergensium erat, Comitibus Lippiensibus cedet, hac nimirum divisione, ut quarta tantummodo pars Paderbornensibus, & duæ tertiæ Lippiensibus obveniant. Conventumque præterea in has pacis leges. Bellum si quod inter Comites & Paderbornenses exortum fuerit, Comitatus Swalenbergensis extra hostilitatem partium intactus manebit. Neutra pars sine alterius consensu venditionem & bonorum abalienationem faciet. Feuda suæ cuiq; parti serventur libera. Castri Swalenbergensis portæ, muri, turres communia sint utrique: Castrenses castrique custodes pro utriusque partis voluntate imponentur, &, si res poscat, amoveantur. Tam Paderbornensis Episcopus, quàm Lippiensis suos præfectos, judices, & bonorum ministros habeant; & quæ præterea Castrensium more ac jure recepto utrimque convenêre; uti hæc in tabulas relata fuêre, festoque D. Antonij die partium juramento sigillisque confirmata tenemus. Paderbornenses sibi Comitatus partem vendicabant justa emptione, Lippienses hereditario titulo; quippe Comitum horum Ottonis & Bernhardi avia, Alheidis, seu Kunegundis, ut Piderit ius retulit, filia Comitis Swalenbergensis Bernardi Episcopi nostri mater, & Guntheri Episcopi nostri soror. Igitur peculium hoc Comitatus Swalenbergensis, quod hodiedum possidet Ecclesia nostra, Balduini industria comparatum est.

Annus Christi 1359.

Innocentij VI Pont. 7.
Caroli IV Reg. 11. Imper. 5.
Balduini Episc. Paderb. 20.

Carolus Moguntiæ cum Electoribus pertractat de Imperio bene administrando

Imperator dehinc anno proximo Moguntiam accessit, ut cùm Moguntino, Colonienſi, Trevirensi Archiepiscopis, ac Ducibus Bavariæ & Saxoniæ Electoribus de Republica pertractaret. Aderat ibi simul Innocentij VI Pontificis Legatus pro veteri instituto subsidia Apostolicæ Cameræ pecuniamque flagitans. Quem cùm in magna

in magna Principum corona audisset, Legatum benignè ac sapienter monuit, primas potiùs curas converteret in formandos Cleri mores; hunc enim ita se corruptum deprehendere in Germania per superiorum temporum bella, ut nisi luxus ac cetera vitia corrigantur, constitutum sibi sit proventus cleri redigere ad fiscum, aut in alios piorum hominum usus convertere. Quod ubi ad Pontificem relatum est, probavit quidem Pontifex Imperatoris Zelum; sed quod hæc sine Pontificis auctoritate sibi sumeret scriptis ad Carolum literis reprehendit.

Odoricus in hist. Eccles.

Nauclerus gen. 46. Serrar in Mogunt. Brouver. l. 17. annal. Annales Boic. pag. 2. lib. 5.

Adstabat tum fortè Cuno Falckensteinius Moguntinus Canonicus, cujus supra meminimus, vestitu in luxum composito, penulam sive capitium, ut vocat Nauclerus, gestans sericis segmentis variè distinctum. Hunc ubi Carolus Imperator conspicit, heus, inquit, capitium tuum mihi accomoda; quo accepto, capiti suo imposuit, conversusque ad proceres: Nunquid, inquit, militem potius quàm clericum refero. Mox ad Gerlacum Moguntinum Archiepiscopum, si qua tibi cleri tui cura est, hoc age primùm, ut luxum vestium clerique mores corrigas. Valuitque hæc publica admonitio tantum apud Cunonem, ut vitam in alios mores formaret, isque sit habitus, qui post Trevirensis Archiepiscopus postularetur.

Publicè castigat luxum vestium in Cunone Falckensteinio.

Pragam reversus Imperator, animum curasque intendit in Saxoniam; quæ licet disciplina ceteris Germaniæ partibus esset integrior, multum tamen vexabatur à politicis Principibus, & urbibus potentioribus: latæque ab his erant leges, quibus tota Ecclesiastica libertas in discrimen venit. Quæ postquam ab Episcopis ad Carolum relata sunt, auream ille edidit constitutionem, quam hic referre interest.

Caroli Imp. constitutio super libertate Ecclesiastica.

Carolus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus et Bohemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam. Etsi imperialis clementia, quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit imperium, ex officii debito teneatur necessitatibus, et injustis operationibus consulere, et de opportunis remediis providere; ad illos tamen permaxime dirigitur nostræ mentis affectio quos indebite pati cognoscimus, quorumcumque oppressionibus status Ecclesiasticæ libertatis, quem semper nostris temporibus augeri volumus, nonnihilum minuitur et minus debito pergravatur. Sane ad Imperialis majestatis audientiam pro parte honorabilium prælatorum, Canonicorum, et prælatorum Clericorum inferioris Saxoniæ, Magdeburgensis, Bremensis, et vicinorum locorum, ac provinciarum insinuatione quæruloſa specialiter est deductum, quod seculares quidam in potestatibus et officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, et alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, oppidorum, villarum et locorum Rectores dictarum Magdeburgensis et Bremensis provinciarum, timore postposito, statuta singularia et iniquas ordinationes motu proprio et de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum, et locorum religiosorum libertates,

tates, et privilegia condiderunt, eisdemque publice et de facto insistere præsumserunt, contra legitimas, civiles, et canonicas sanctiones, ut puta, quod nulla bona temporalia in potestate Ecclesiastica transferantur. Nec non Clerici in sacris constituti ad agendum seu testificandum in civilibus et maxime piis causis aliquatenus admittantur: Quodque excommunicati laici, et publice denunciati in civili foro minime repellantur. Item prædicti Domini temporales, consules, et rectores per secularem potestatem res et bona clericorum occupant et arrestant. Oblationes fidelium diminuunt et restringunt. Exactiones et tallias indebitas de bonis et reditibus Ecclesiarum exigunt et extorquent. Possessiones Ecclesiarum et personarum earundem devastant incendiis et rapinis. Contractus inter Clericos et Laicos factos legitime ad libros civitatis, villarum et locorum recusant inscribere ac sigillare. Donata et legata ad fabricas et Ecclesiarum structuras contra voluntatem prælatorum et aliorum, quorum interest, usurpare præsumunt contra justitiam, in fraudem et odium Clericorum. De bonis etiam et in rebus Clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro usibus propriis per terras ducunt, seu duci faciunt, thelonium exigere, et recipere non verentur. Et confugientes ad Ecclesias et cemiteria inde extrahere contra sanctiones imperiales præsumunt. Quæ omnia et quælibet obinde secuta, cum per sacras, civiles et canonicas sanctiones expresse reprobata sint, et in fraudem Ecccleſiasticæ libertatis de facto præsumpta, de Principum, Ducum, Comitum, Baronum fideliumque nostrorum consilio ex certa scientia et imperiali auctoritate cassamas, irritamus, annullamus, cassaque et irrita, et nullius esse momenti penitus dicimus, et expresse pronunciamus. Præcipientes sub indignatione imperialis banni universis et singulis dictarum Magdeburgensis et Bremensis provinciarum, et locorum vicinorum Dominis temporalibus, Consulibus, potestatibus et in officiis publicis constitutis, quatinus mox visis aut intellectis præsentibus dicta ipsorum statuta et ordinationes, sicut in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omnino revocent, et de luce tollant: quodque secundum ea non judicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in judicio vel extra judicium quomodolibet per se, et contra Ecclesiasticam libertatem potiantur. Item pronunciamus et declaramus imperiali auctoritate, quod quicunque Laicus cujuscunque status vel conditionis extiterit, ausu sacrilego et propriæ temeritatis audacia sacerdotem, vel clericum secularem vel religiosum diffidaverit, proscripserit, captivaverit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, ac hujusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaverit, vel favorem in hys præstiterit, præter pœnas à sacris imperialibus et Canonicis sanctionibus eis inflictas, sunt ipso facto infames, et omni honore privati, nec ad placita vel consilia nobilium aliquatenus admittendi. Volumus etiam, hortamur, et requirimus Episcopos et Prælatos, Canonicos, ut hanc nostram legem et constitutionem in Synodis et Ecclesiis publicari procurent, ne in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare. Nulli ergo omnino hominum liceat nostræ cassationis, irritationis, annullationis, necnon pronunciationis, et declarationis paginam quovis ausu temerario

rario infringere, aut eis quomodolibet contraire, sub pœna quinquaginta marcarum puri auri, quas ab eo qui contra fecerit totiens, quotiens contra factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, et earum medietatem nostri imperialis ærarij sive fisci, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari.

Signum Serenissimi Principis et Domini, Domini Caroli IV Romanorum Imperatoris invictissimi et glorioſissimi Bohemiæ Regis.

Testes hujus rei sunt venerabilis Arnestus Pragensis Archiepiscopus, Johannes Olmmucensis, Johannes Luchonisleni, sacræ Imperialis aulæ Cancellarius, et Theodoricus Mindensis Ecclesiarum Episcopi. Illustres Rodolphus Saxoniæ, Balbo Opuliensis, Primislaus Thesinensis. Duces et Principes Spectabiles Burchardus Burggravius Magdeburgensis, magister nostræ curiæ, Henricus de Monfort. Comites et nobiles Sblineo de Hasenburg, Jesco de Wilharceitz, et alii quamplures nostri Principes, nobiles et fideles, præsentium sub bulla aurea typario nostro impressa testimonio literarum. Datum Pragæ anno Domini MCCCLIX. *Indictione* XII. *III Idus Octobris, regnorum nostrorum anno* XIV, *Imperii vero* V.

Hæc Carolus religioſissimus Imperator; qui si nunc in Saxoniam rediret, videretq; ex ea omnes Episcopos, Sacerdotes, Monachos, omnemque clerum proscriptum, bona Collegiorum & Cœnobiorum abrepta in spolium, avitam majorum religionem in deterrimas & multiplices sectas conversam, quantum non cum Carolo M. ceteriſque Regibus & Catholicis Imperatoribus damnaret Saxonum nostrorum impietatem & insaniam?

Balduinus Ep. Diœcesi adjicit Castrum Levenowe, nunc ab eadem per alios abstractum.

Balduinus Episcopus noster etsi jam ex senij morbis ad supremos vitæ dies perveniſſet, non tamen intermisit Ecclesiæ suæ patrimonium amplificare. Emit enim hoc anno ab Herboldo Westerborchio & Wernero Ravenone, Erbrachio fratreque ejus militibus quartam partem castri oppidique Levenowe, unaque judicium, decimas, agros, pascua, piscinas, & quidquid possessione illi inhærebat. Sicuti hac super re literæ apud nos servantur in chartophylacio nostro XIV Februarij conscriptæ. Castrum id atque Oppidum Levenowe ad Dimolam fluvium haud procul Warburgo nostro olim intra veteres diœceſis nostræ fines, & nostra demum memoria, postquam hæresis omnia corrupit, à Lantgravio cum ceteris diœceſis nostræ castris & bonis aversum, Hassiæque pronunciæ inclusum est.

Theodoricus Abbas Corb. & Balduinus Ep.

Vivebat ad eum diem Theodoricus Corbeiensis Abbas, vir priscæ pietatis fervorisque in disciplina religioſa conservanda. Is cùm deprehendit Monachos quosdam Fratrum ordinis minoris vagos, ordiniſque desertores, oberrare per provincias, lege sacra

cra in eos agendum censuit, comprehensosque ad pœnam postulavit. Quod cùm Provincialis, & præses Monachorum, quem Guardianum vocant, indigne ferrent, extraque potestatem Abbatis contenderent Monachorum judicium, ad Balduinum Episcopum nostrum provocatum est, tanquam loci ordinarium judicem & Episcopum. Et Balduinus Episcopus, cùm hanc publicæ offensionis emendationem sui muneris esse intelligeret, vagabundos illos Monachos, juxta synodorum præscripta, vi intra claustra reduci jussit.

Vagos ordinis Minorum religiosos ad Cœnobia reducunt.

Nec multum hîc superstes integerrimus Abbas Theodoricus; cùm hæc sexto Maji, festò nimirum S. Joannis ante portam latinam, agerentur. Quippe ante festum Virginis in Cœlum Assumptæ jam hoc eodem anno Spigelius Monachus Corbeiensis & Præpositus in Rhode delectus fuit in locum Theodorici Abbas Corbeiensis; his tamen conditionibus ante præscriptis, ad quas non juramentum ipsius tantùm, sed & Fidejussores vades postulati; fuêre autem hujusmodi. Jura, consuetudines, constitutiones, ordinationes, ac statuta Cœnobij servabit integras: literas Abbatum Cœnobio traditas relinquet: Ecclesiam Corbeiensem, fratres, ac subjectos homines pro viribus tuebitur; jura, possessiones, decimas, & dotes Ecclesiarum suarum sine consensu Cœnobitarum non alienabit: bona Cœnobitarum non convertet in usus Abbatis: castra ac munimenta Cœnobii, postquam persolutis debitis redemerit, reddet juri Abbatis & fratrum: suis impensis procurabit sibi confirmationem à sede Apostolica, & jura regalia ab Imperatore. His obtentis, dabit, qui fide jubeant: fuêreque Henricus de Wende, Theodoricus Schawe, Wernerus de Sunrike, & Fridericus de Amelungessen milites. Conventa hæc memorantur Huxtariæ Anno MCCCLIX in pervigilio Virginis Assumptæ.

Moritur Theodoricus, cui in Abbatia Corbeiensi subrogatur Henricus Spegelius.

Peractâ electione, Spegelius misit Avenionem Legatos ad Innocentium VI Pontificem, qui confirmationem impetrarent. Verùm licet electio hæc vitio facta esset, quod sine Apostolicæ sedis auctoritate, uti in ejusmodi literis & proximis Pontifici subjectis Cœnobiis poscebatur, ad suffragia processissent; Pontifex nihilominus pro suprema sua potestate, vitium explendo, Spegelium Abbatem esse jussit, ejusque electionem hoc diplomate ratam habuit.

Innocentius Pont. Electionem Abbatis Henrici Spegelii approbat.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Henrico Abbati Monasterij Corbeiensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis sancti Benedicti Paderburnensis diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissimum pulsat et excitat mentem

nostram, ut status Ecclesiarum et Monasteriorum omnium curæ nostræ divina providentia commissorum, et præsertim ad Romanam Ecclesiam immediate spectantium, spiritualiter et temporaliter augeantur, quodque illis, quæ suis destitutæ pastoribus vacationis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros præficere studeamus, per quorum regimen utiliter et salubriter valeant gubernari. Dudum siquidem quondam Thiderico Abbate Monasterij Corbeiensis ad dictam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis sancti Benedicti Paderburnensis diœcesis ipsius Monasterij præsidente, Nos cupientes eidem Monasterio, cum vacaret, per Apostolicæ sedis providentiam utilem et idoneam præsidere personam, provisionem ipsius Monasterii ordinationi et dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hys à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero eodem Monasterio per ipsius Thiderici Abbatis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii conventus ejusdem Monasterij reservatione et decreti prædictorum, ut asseritur, ignari, te ipsius Monasterij Monachum ordinem ipsum expresse professum, et subdiaconatus ordine constitutum, in eorum et dicti Monasterii Abbatem, licet de facto concorditer elegerunt, tuque reservationis, et decreti prædictorum, ut asseritur similiter inscius electioni hujusmodi illius tibi præsentato decreto consensisti, et jam de facto et deinde hujusmodi reservatione et decreto ad tuam deductus notitiam hujusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes electionem prædictam, et alia inde secuta post, et contra reservationem, et decreta prædicta acceptata fuisse, eaque, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius Monasterij, de qua nullus præter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione, et decreto obsistentibus suprad ctis, ne longæ vacationis subjaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hoc cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis Zelo, litterarum scientia, vitæ ac morum honestate, spiritualium providentia, et temporalium circumspection, et aliis multiplicium virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus, nec non dictorum conventus te eligentium unanimi voluntate attenta meditatione pensetis, de persona tua præfato Monasterio de dictorum fratrum consilio auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius Monasterij tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias, et largitur præmia, confidentes, quod præfatum Monasterium per tuæ circumspectionis industriam, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et salubriter dante Domino suscipiet incrementa. Quocirca discretioni

cretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus ejus regiminis dicti Monasterii suscipiens reverenter, sic te in eo solicite et prudenter exercendo exhibeas studiosum, quod Monasterium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram et dictæ sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinioni. X Calend. Jannuarij, Pontificatus nostri anno septimo.

Hunc in modum Pontifex alteras scripsit literas ad Cœnobitas ejus Monasterij, quibus imperat, ut Spiegelium Abbatem recipiant, eique ut pastori suo obedientiam præstent. Tertias deinde addidit ad vasallos & beneficiarios ejus Cœnobij, jubetque ut fidem & obsequium Abbati delecto à se & confirmato deferant. Quemadmodum omnes hæ literæ Apostolicæ eodem die Avenione consignatæ apud nos servantur. Submisit deinde sub initium anni sequentis Innocentius VI Pontifex magnificum Corbeiensibus diploma, quo omnia illorum privilegia á Cæsaribus & Regibus data, ad eum modum, quo Bonifacius fecerat, ex integro instaurat.

Godefridus Archiep. Bremensis cogitur Archiepiscopatu suo se abdicare.

Hoc demum anno Godefridus Comes Arnsbergensis, quem ante ex Episcopatu Osnabrugensi transvectum diximus à Pontifice ad Archiepiscopatum Bremensem, primùm à Mauritio Comite Oldenburgensi à Canonicis electo, deinde à Gerhardo Comite Hojano, quem Mauritio in administratione Episcopatûs subrogârat, adeo intestinis dissidiis turbisque agitatus fuit, ut consultum habuerit Archiepiscopatu se abdicare; quem mox in Albertum Canonicum Magdenburgensem, Magni Ducis Brunswicensis filium, approbante Innocentio Pontifice, transtulit, modica sibi ad vitam privatam portione reservata: ita virum, qui ad magna aspirarat, fortuna delusit; quietior feliciorque futurus erat, si in Episcopatu Osnabrugensi perstitisset. Pœnam hanc à tergo hæsisse volunt Godefrido, quod dum Osnabrugensis Episcopus esset, stipem annuam pauperibus fundatam in profanos usus averterit, eòque glires etiam, quos Bruno Episcopus olim ejecerat, magno nocumento in diœcesin & urbem retraxerit, quæ fabulis propriora reputes.

Annus Christi 1360.

Innocentij VI Pont. 8.
Caroli IV Reg. 15. Imp. 6.
Balduini Episcopi Pad. 21.

At

Balduinus Ep. in Coadjutorem adlegit Henricum Spegelium, Abbatem Corbeienſem.

At Balduinus Epiſcopus noſter, quòd jam ex podagra & paralyſi, ut Gobelinus noſter ſcribit, afflictaretur, accederetque grave ſenium, muneri Principis & Epiſcopi impar, ultro hoc onus rejecit in alium: cooptavitque Adjutorem, conſentientibus Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, Henricum Spiegelium, quem non ita pridem Abbatem Corbeienſem delectum, & à Pontifice confirmatum diximus. Magnam cum hoc viro jam ante contraxerat familiaritatem Balduinus, cùm Rhodenſem Præpoſitum ageret; multumque ejus opera uſus fuerat in tractandis publicis negotiis, adeoque ſemper probârat viri hujus prudentiam, induſtriam, & magnanimitatem, ut dignum cenſeret, cui vicaria Epiſcopatus adminiſtratio præ ceteris Cathedralis Collegij Canonicis committeretur. Quod ſimul argumento eſt, raros tum in Collegio Cathedrali è nobilitate fuiſſe Canonicos, quibus hoc munus imponi poſſet; ut Monachum è Corbeienſi Cœnobio advocare neceſſe fuerit. Accedebat generis nobilitas, & ſplendor potentiaque familiæ; quippe è veteri Spiegeliorum Deſenbergicorum diœceſis noſtræ familia ortus, multorum conſanguineorum & popularium gratia valebat. Igitur Henricus ſimul Abbas Corbeienſis, & Balduini Epiſcopi noſtri Adjutor, utroque munere eò opportunius fungi cœpit, quòd & Corbeia intra diœceſin Paderbornenſem eſſet, & multa caſtra bonaque ad mutuam defenſionem ex fœdere communia cum Epiſcopo Paderbornenſi haberet, alterque præſul alterius ope hactenus ſe tutatus eſſet adverſus vicinos hoſtes & bonorum deprædatores.

Neque hoc anno, qui ſeculi hujus erat ſexageſimus, aliud à Balduino actum reperio, quàm quod altaria omnia, quæ erant in Eccleſia Collegij Buſtorfiani intra urbem erecta, & à piis fundatoribus dotata, Pontificali auctoritate pridie inventionis S. Crucis probârit conſecraritque. Quod reliquum vitæ habuit, quietis ſacræ, aſſiduis precibus, & pietatis operibus, ac mortis, quam imminere ſenſit, meditationi impendit.

Annus Chriſti 1361.

Innocentij VI Pont. 9.
Caroli IV Reg. 16. Imp. 7.
Balduini Ep. Pad. ult.
Henrici Spigelii Ep. Paderb. 1.

Balduini Ep. obitus & laus

Vixit deinde Balduinus in alterum annum, Chriſti videlicet MCCLXI menſemq; Martium ſenibus fatalem, ac pridie Calend. Aprilis moritur; quem diem mortis ex hoc anno conſignârunt nobis Necrologium ædis Cathedralis & Cœnobij Abdinghoviani: ac junctaque

junctaque est simul annua memoria parentum ipsius, ob singularem donationem Cœnobitis factam; tametsi in Necrologio Wilbacensi mortis dies ad VI Idus Aprilis adscripta sit; sicuti erroris quoque comperti Bruschius, Cleinsorgius, Kersenbrochius, qui anno superiori extinctum tradunt, ac viginti annos Episcopatum gessisse, cùm is in XXII extrahendus sit. Funus illatum in Basilicam, conditumque in medio Ecclesiæ ad aram, quàm istic erexerat, ubi sepulchrum sibi vivus parârat, & ritu cœmeterij consecrârat: additis etiam XL dierum indulgentijs, quotquot precando obirent. Tam sollicitus fuit pro levamento animæ suæ, si quæ noxa expianda maneret, quàm piè se, omnibus sacris munitus, in mortem composuit. Ara hæc, quam pro duobus sacerdotibus dederat, ad quam alter sacerdos sub ortum solis, alter ante solemnia sacrorum quotidie sacrificium offerret, post mortem Balduini, quòd loco importuno consisteret, submota est, eòque monumentum, quod è terra altius erectum erat, depressum, & pavimento æquatum. Posita & statua à Balduino Episcopo, habitu decora, ad posteritatis memoriam, quæ hodiedum in Basilica conspicitur. Præsul, ut Gobelinus noster scribit, afabilis fuit, mitis, omnibus percarus, qui vel ex eo in magna apud populum veneratione fuit, quòd pontificalia munia, ordinem conferendo, chrisma consecrando, Ecclesias dedicando, & confirmationis sacramentum administrando, ceteraque, sicut omnes ante Episcopi hactenus fecerant, per se obierit, nulla unquam Vicarij Episcopi opera usus; id quod post ejus excessum ceteri, ut idem auctor retulit, minus præstitêre. Invaluerat jam passim per Germaniam & Saxoniam, ut Episcopi aut amplitudine diœcesium, aut publicis munerum occupationibus impediti, in hanc partem sacratissimi muneris, quod ex potestate ordinis excellentissimum habent, vicarios sibi Episcopos, quos suffraganeos dicimus, adlegerint; quo pravo usu, & contemptione rerum diviniſſimarum, Deus videri potuit offensus, qui tot Episcopatus, nascente post hæresi, in manus secularium Principum, quibus illi quàm avitis Episcopis similiores esse voluêre, transtulit. Quo factum est, ut in tam amplis & tot opulentis Christi patrimoniis, quæ propter sacram Episcopi eminentiam à Regibus & Cæsaribus data auctaque sunt, nec Episcopi nec Principes passim per Saxoniam conspiciantur; tanquam & Deus rursum diceret: *Quia repulisti me, repellam, te, ne sacerdotio et Principatu fungaris mihi.*

Reperio & inter literarum nostrarum monumenta tabulas Simonis Lippiensis Comitis, quibus testimonio Ermgardis matris, Ottonis fratris, Alheidis, Catharinæ, & Margarethæ sororum decimas agrorum ad urbem Lemgoviensem consignat Virginibus Cœnobij, quod in nova urbe sub patrocinio B. Virginis colebatur.

Sub

Theodorico ab Epiſcopatu Mindenſi ad Archiep. Magdenburgenſem translato, Mindenſi Eccleſiæ præficitur Gerardus II Comes Schawenburgicus. *Chron. Mind. Leerbeckius in Chron. Crantz. in Metrop. Chron. Hildeſ.*

Sub id tempus ſimul Theodoricus Mindenſis Epiſcopus, de quo & ſupra relatum, geſto in nonum annum Epiſcopatu, Caroli Imperatoris ſtudio, & Pontificis auctoritate, ob raras naturæ virtutumque dotes, translatus eſt ad Magdenburgenſem Archiepiſcopatum; quem ille pari cum laude bonoque in ſeptimum annum gubernavit. Raro ſanè per id tempus exemplo Epiſcopi, qui obſcuro loco natus, & ex Ciſtertienſi Monacho delectus, quatuor ordine Epiſcopatus adminiſtravit; ſed Caroli Imperatoris patrocinio, apud quem in pretio erat, ſubnixus. In hujus locum Pontificis auctoritate ſublectus Mindæ Epiſcopus Gerhardus, eo nomine ſecundus, Schowenburgenſis Comes. Jam ante ex eadem Schowenburgicorum Comitum familia Gerhardus I Epiſcopatum illum geſſerat. Tertius Schowenburgenſis Comes per id tempus Hildeſienſis Epiſcopus à Pontifice conſtitutus. Tam fœcunda hæc domus erat, cùm à toga ſacra, priſcæ religionis cultu non minus quàm ſago militari, familiæ decus, & Comitum gloria quæreretur.

ANNA-

IHS

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XIV.

HENRICVS SPEGELIUS XXX,

SIMON Sterneburgius Comes XXXI,

RVPERTVS Juliæ, & Montium Dux XXXII,

EPISCOP. PADERBORN.

HENRICVS SPEGELIUS XXX9 EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1361.

Innocentij VI Pont. 9.
Caroli IV Reg.16. Imp.7.
Henrici Spegelij Episcopi Pad. 1.

Mortuo Balduino in Episcopatu Pad. succedit Henricus Spegelius; ejus familia & dotes.

MOrtuo Balduino Episcopo Paderbornensi, pleno certoque jure successit Henricus Spegelius, Corbeiensis Abbas. Nam is postquam anno superiore adjutor delectus erat, haud multò post Balduinus etiam se Episcopatu abdicavit, & Spegelium Abbatem cum consensu Canonicorum majoris Ecclesiæ Episcopum renunciavit; idque ut à Sedis Apostolicæ auctoritate probaretur, scriptum ad Innocentium Pontificem; à quo XVI Martij, antequam Balduinus ultimo Martij excederet, literæ impetratæ, quibus electio Spegelij Abbatis confirmata fuit.

Gobelin. ætat. 6. c. 72. Crantz. l. 9. Metrop. c. 44. Brusch. in catal. Episc. Kersenbroch. Cleinsorg.

Erat autem Spegelius ex vetusta Spegeliorum Dynastarum familia, eaque stirpe, quæ Desenbergiorum appellatur à Monte Desenberg, Caroli M. expugnatione claro. Celebris per id tempus Conradus Spegelius Desenbergius, qui ausus est cum Hatzfeldo bello Hermannum Hassiæ Landgravium aggredi, exitu licet improspero; fusus enim à Landgravio captusque Desenbergæ castrum à Landgravio præmunitum, magno diœcesis Paderbornensis damno. Ceterum Henricus præsul ingenio acri & militari, ut Gobelinus noster scribit, severus, veri justitiæque amans, ac multis præterea virtutibus, quas ex testimonio Cleri & Pontificis literis mox recitabimus, exornatus. Quanquam militiâ, quod hæc ætas in clericis laudabat, quàm sacra toga celebrior: &, quod à Monacho non exspectares, manu ad arma quam ad sacra promptior sed, quod simul commendes, felici in omnibus successu; magnisque rebus tractandis ac moderandis; ob singularem prudentiam & acrimoniam, à Coloniensi Archiepiscopo admotus.

Post

Literæ Innocentij Pont. ad subditos Ecclesiæ Paderb. quibus jubet Henricum cum Episcopum ab omnibus recipi, & debito honore coli.

Posteaquam igitur Spegelius Abbas à Balduino Episcopo & Collegio majoris Ecclesiæ, ex virtutum commendatione, penitus fuit Episcopus, Innocentius Pontifex, rescriptis ad Balduinum & Canonicos literis, Spegelij electionem ratam habuit. Quæ literæ cum interciderint, recitabimus Pontificis literas ejusdem argumenti, ut moris erat, ad vasallos, diœcesis nostræ datas, quæ sic habent.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis, universis vasallis Ecclesiæ Paderburnensis salutem et Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis, quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita Ecclesiis prætulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cujuslibet statum Ecclesiæ sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter, ut per ejus providentiam circumspectam Ecclesijs singulis Pastores accedant ydonei, et rectores providi deputentur, per quos Ecclesiæ ipsæ, superni favoris auxilio suffragante, votivæ prosperitatis gratulentur successibus. Dudum siquidem provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc apud Sedem Apostolicam vacantium, et imposterum vacaturarum apud eam ordinationi nostræ duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Ecclesia Paderburnensis ex eo vacante, quod venerabilis frater noster Balduinus Episcopus tunc Paderburnensis certis ex causis legitimis regimini ejusdem Ecclesiæ, cui tunc præerat, per dilectum filium Theodoricum de Groulo Decanum Ecclesiæ Orientalis Paderburnensis procuratorem suum, ad hoc ab ipso specialiter et legitime constitutum, in manibus Dilecti filij nostri Raymundi tl. sanctæ crucis in Jerusalem presbyteri Cardinalis apud sedem prædictam sponte cessit; Idemque Cardinalis de mandato nostro sibi super hoc oraculo vivæ vocis facto hujusmodi cessionem apud sedem eandem admisit. Nos ad provisionem ipsius Ecclesiæ Paderburnensis celerem et felicem, de qua nullus præter nos ea vice disponere potuerat, neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Ecclesia Paderburnensis longæ vacationis subjaceret incommodis, paternis et solicitis studijs intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ Paderburnensis personam utilem et etiam fructuosam, habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad dilectum filium Henricum electum Paderburnensem, tunc Abbatem Monasterij Corbeiensis Ordinis sancti Benedicti Paderburnensis diœcesis cui de religionis zelo, vitæ ac morum honestate, spiritualium prudentia, et temporalium providentia, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis. quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona dicti Henrici, prædictæ Ecclesiæ Paderbornensis de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica duximus providendum, eumque illi præfecimus Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiæ Paderburnensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur præmia, confidentes, quod præfata Ecclesia Paderburnensis per ipsius electi circumspectionis industrium

striam et providentiam circumspectam sub suo felici regimine gratia sibi assistente divina grata suscipiat incrementa —. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem electum debita honorificentia prosequentes, et fidelitatem solitam, nec non consueta servitia et jura à vobis debita, exhibere integre studeatis; alioquin sententiam seu pœnam, quam idem electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Avenione, XVI. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno nono.

Scripsit & in hunc modum Pontifex ad Magistratum & cives Paderbornenses, quas literas his verbis claudit.

Quocirca universitatem vestram rogamus, et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus præfatum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote recipientes, ac honorifice prosequentes, ejus salutaribus monitis et mandatis humiliter intendatis, ut quod ipse in vobis devotionis filios, et vos subsequenter in eo patrem inveniat benevolum gaudeatis. Datum Avenione XVI *Calend. Aprilis Pontificatus nostri anno nono.*

His ita constitutis, Spegelius in hanc formam Pontifici juramentum dixit.

Juramentum ab Henrico Ep. Sedi Apostolicæ dictum.

Ego Henricus Episcopus Paderburnensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, sanctæque Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ, et Domino meo, Domino Innocentio Papæ VI, suisque Successoribus Canonice intrantibus: non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, consilium verò, quod mihi credituri sunt per se aut nuntium vel litteras, ad eorum dampnum me sciente neminem dam. Papatum Romanum, et Regalia sancti Petri, adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Sedis Apostolicæ in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi impeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina, Romana curia existente citra vel ultra montes, singulis biennis visitabo aut per me aut per nuntium meum si Apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquomodo alienabo, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta ejus Evangelia.

Literæ Innocentii Pont. quibus Henricum electum Ep. Pad. Carolo Imp. commendat.

Ac ne quid in hac electione Episcopi nostri obturbaret Imperator, scripsit & Pontifex ad Carolum, quas literas hoc loco conjungere juvat.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei, Carissimo in Domino filio, Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto ac Regi Bœmiæ illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Divinæ retributionis præmium et humanæ laudis acquiritur, si per singulares Principes personis Ecclesiasticis, et his præcipue, quæ sunt dignitatis titulo insignitæ condignus honor impenditur, et favor necessitatis exhibetur. Dudum siquidem provisiones omnium Eccle-

Ecclesiarum Cathedralium tunc apud Sedem Apostolicam vacantium, et imposterum vacaturarum apud eam dispositioni et ordinationi nostræ duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Ecclesia Paderburn. ex eo vacante, quod venerabilis frater noster Baldewinus Episcopus tunc Paderburnensis ex certis causis legitimis regimini ejusdem Ecclesiæ, cui tunc præerat, per dilectum filium Theodoricum de Graulo Decanum Ecclesiæ Orientalis Paderburnensis procuratorem suum, ad hoc ab ipso specialiter et legitime constitutum, in manibus dilecti filij nostri Raymundi tt. sanctæ crucis in Jerusalem presbyteri Cardinalis apud Sedem prædictam sponte cessit, Idemque Cardinalis de mandato nostro sibi super hoc oraculo vivæ vocis facto sedem hujusmodi cessionem apud eandem admisit: Nos ad provisionem ipsius Ecclesiæ Paderburnensis celerem et felicem, de qua nullus præter Nos ea vice disponere potuerat, neque poterat reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Ecclesia longæ vacationis subjaceret incommodis, paternis et solicitis studijs intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem et etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Henricum Electum Paderburnensem, tunc Abbatem Monasterij Corbeijensis ordinis sancti Benedicti Paderburnensis diœcesis, cui de religionis zelo ac morum honestate, spiritualium prudentia, ac temporalium providentia aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona ipsius Henrici, prædictæ Ecclesiæ, de dictorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias et largitur præmia confidentes, quod prædicta Ecclesia per suæ circumspectionis industriam et providentiam circumspectam sub suo felici regimine, gratia sibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Cum itaq; dilecte fili sit virtutis opus, Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis ac operibus pro regis æterni gloria venerari, serenitatem tuam rogamus attente, quatinus eundem electum, et commissam sibi Ecclesiam habens pro nostra et dictæ Sedis benevolentia propensius commendatam, ipsum benigni favoris auxilio prosequaris; ita quod idem Electus Celsitudinis tuæ fultus auxilio in commisso sibi prædictæ Ecclesiæ regimine possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde perhennis vitæ præmium et à nobis digna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione, XVI Calend. Aprilis. Pontificatus nostri anno nono.

Quæ cùm omnia provoto succederent Henrico Episcopo nostro, & jam Pontificis & Imperatoris auctoritate impetratis, etiam regalibus præmunitus esset; magna omnium concordia diœcesis administrationem ingressus, convocatis ordinibus, festo Virginis in cœlum sublatæ die Vasallis feuda, & urbibus privilegia confirmat. Sicuti Warburgenses ex hac conventione sua quoque privilegia, magnificè ab Henrico instaurata, producunt. Ne

Henricus Ep. simul Corbeiam in spiritualibus & temporalibus administrat.

Ne verò suo ad Episcopatum Paderbornensem transitu quicquam pateretur Corbeia, ipse se ejus Cœnobij provisorem & tutorem ultro ex consensu Canonicorum atque ordinum dedit; eo beneficio, quo jam antè multos Episcopos Paderbornenses ejus Cœnobij defensores memoravimus. Gubernavitque per aliquot annos simul Corbeiam, rerum sacrarum & civilium moderator; dum Reinerus Corbeiensium Abbas legeretur à suis.

Innocentius Pont. mandat curatque alienata injustè bona Monasterio Holthusano restitui.

Per id tempus Pontifex interpellatus de injuriis Cœnobio Holthusano illatis, bonisque interversis, brevi hoc diplomate optimè consuluit Virginibus.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Decano Ecclesiæ sancti Martini Monasterij salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectarum in Christo filiarum, Abbatissæ et conventus Monasterij Sanctimonialium in Holthusen prope Büren ordinis Cistertiensium Paderbornensis diœcesis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate mandamus quatinus ea, quæ de bonis ipsius Monasterij alienata inveneris illicite, vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem Monasterij legitime revocare procures, Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avinione. IV Idus Februarij Pontificatus nostri anno nono.

Rebdorfius. Cuspinian. Carolus Imp. natum sibi Principem Wenceslaum solenniter Nürenbergæ baptizari curat.

Agebantur ista apud nos; cùm hoc anno sub initium mensis Martij Imperatrix Anna, Silesiæ Dux enixa est Wenceslaum filium. Lætus ea prole Carolus Imperator, Nurenbergam invitavit Electores ac Principes ad Baptismi celebritatem. Infantem è sacro fonte levârunt tres Archiepiscopi, Moguntinus, Colonienſis & Pragensis, Episcopi sex, Abbates quinque. Constituerat Imperator Aquisgranum proficisci, ibique natum filium offerre B. Virgini in Carolina Basilica: at mutato consilio, infantem in bilance librari jussit; qui cùm sedecim auri marcas æquaret, tantum auri donum votumque misit Aquisgranum. Sed hic ille Wenceslaus filius, qui, ut auctor est Dubravius, atque alij, lustrales undas lotio respersit: & cùm bimo post regiâ Bohemiæ corona ornaretur, aram ipsam alvi sordibus conspurcavit, tristi Copronymi præsagio. Quippe cujus ignavia ac luxu Bohemia & Imperij res pessum jêre; nataque est hoc fœdo tempore Hussitarum hæresis multò fœdior.

Dubrav. in histor. Bohem. lib. 23.

Pontan. l. 7. Gelr. Chron. Colon. Chron. Monast. Chron. Belg. Motus & bellum

Ardebat per hæc acre bellum inter Reinaldum & Eduardum fratres, Gelriæ Duces. Reinaldo auxilia submisêre Adolphus Monasterienſis Episcopus, & Joannes Cliviæ Comes. Eduardo se junxêre, Engelbertus Marchiæ Comes, Brunchorstiani, multique nobilium Monasterienſium; quos inter maxima & validissima pars Castrenses Neoburgenses ad Dinckolam fluvium. Horum auxiliis victor Eduardus, Reinaldum fratrem prælio vicit, captumque in decenni carce-

carcerem traxit. Ita bello hoc composito, novum ex eodem arsit inter Adolphum Monasterienſem Episcopum & nobiles Ministeriales. Hi questi se ab Episcopo suo despici, & diœcesin oneribus premi; contra Episcopus querebatur, illos bello Gelrico sibi adversos fuisse, & pugnanti cum Lippiensi Comite auxilia negasse, cùm clientes sui sint. Turbæ hæ in factiones erupêre. Nobilium Duces Merveldij & Neoburgenses, assuto in vestibus flagello, quod factionis symbolum erat. Ab his Brunchorstiani implorati diœcesin Monasterienſem spoliis, ferro & igne evastârunt. Adolphus Episcopus postquam Comitis Clivensis, & fratris Engelberti Marcani Comitis auxiliis confirmatus fuit, primùm Brunchorstianos oppressit. Inde versis in Merveldios & Neoburgenses armis, factiosos hosce homines ultrici manu prostravit. Captus Hermannus Merveldius, & arx ejus diruta. Neoburgenses bonis & privilegiis exuti. Nec tamen quievêre, donec biennio post exhausti & perdomiti ad pristinam paupertatem redirent; quando id castrum ab Hermanno Episcopo primùm pro egenis nobilibus constructum & Castrensium bonis dotatum accepimus. Hujusmodi passim per Saxoniam prædonum & rebellium motus & arma libere grassabantur, Carolo in Bohemiæ regnum & superiorem Germaniam magis quàm inferiorem intento. Id quod unicum ferè Imperatori inter cetera vitio datum fuit, legibus ferendis quàm armis meliori.

inter fratres Reinaldum & Eduardum Duces Geliæ. Et Episcopum Monast. inter & Ministeriales nobiles.

Annus Christi 1362.

Innocentij VI Pont. 10.
Caroli IV Reg. 17. Imp 8.
Henrici Spegelii Ep. Paderb. 2.

Subinde alio motu Rhenus & Westfalia turbari cœpit. Nam insequens annus, qui Innocentium VI Pontificem Avenione pridie Idus Septembris sustulit, subrogato Urbano V. idem etiam Wilhelmum Colonienſem Archiepiscopum humanis exemit, virum omnibus Pontificalibus virtutibus ornatissimum; qui multis injuriis provocatus, leves magnanimitate contempsit, graves prudentia discussit; eòque cum omnibus vicinis, quod ratum & admiratione plenum erat, pacem sanctissimè coluit: & quod in octavum annum gessit Archiepiscopi munus, totum in formanda cleri populique disciplina, quæ per bella multum collapsa erat, insumpsit. Nec annus illi elapsus, quo non celebrem Cleri synodum collegerit, multis salutaribus legibus editis, & cum Westfaliæ Episcopis communicatis. Quibus forma Cleri, & columen religionis habebatur; & ob quæ non modò apud Carolum Imperatorem, sed Francorum etiam regem in summa veneratione erat.

Obitus Innocentij Pont. & Wilhelmi Archiep. Colon. *Chron. M. Belg. Merſæus. Chron. Colon. Cleinſorg.*

Eo Præsule XV Septembris mortuo, fœdum schisma fuit in electione successoris. Wilhelmus priusquam è vita abiret, convocatis ad

Schisma in electione

successoris Archiep. Coloniensis

ad fatalem lectum Canonicis, petiit, eligerent Wilhelmum Schleidanum. Quam in rem 3000 aureorum jussit numerari, quibus confirmationem apud Pontificem expedirent. Sed spretis his consiliis, pars major Canonicorum ab excessu Archiepiscopi elegit Joannem Virneburgicum Decanum suum, ac Præpositum Sanctensem; tametsi electio illa inhibita esset à Pontifice: contra Florentius & Godefridus de Wevelinghoven, ac Theodorus Genipius Canonici suis suffragiis postulavêre Engelbertum à Marcka, Leodiensem Episcopum. Interim Canonicorum studiis, Ministerialium importunitate, & populi acclamatione prævaluit Virneburgius, sedemque Archiepiscopi occupavit, homo qui jam ad dignitatem illam multùm ambitione aspirârat. Atque is ut popularium animos sibi arctius devinciret, collectum à Wilhelmo Archiepiscopo, thesaurum, ut profusissimus erat, pro arbitrio distribuit. Inde Avenionem ad Pontificem profectus, id quod tam flagranter ambibat, minimè consecutus est; relictaque est diœcesis decem mensibus destituta certo pastore suo. Quo malo schismatis prædæ per Westfaliæ Ducatum liberius invaluêre.

At Henricus Episcopus noster multò pacatius Episcopatus administrationem auspicatus; lustrataque diœcesi, omnia sacra & civilia sapienter redegit in ordinem; tanta omnium concordia, quanta vicinorum Comitum quiete, quorum alios terrore armorum continuit, alios agendi solertia, alios beneficentia sibi devinxit. Tanta verò hujus Præsulis sub hæc exordia Episcopatus erat auctoritas, *ut* Carolus IV Imperator sollicitatus ab Henrico Hildesiensi Episcopo, Duce Brunswicensi ac fratre Episcopi Halberstadiensis, ad raptores suæ Ecclesiæ compescendos Henricum Episcopum nostrum, unâ cum Duce Saxoniæ & Magdenburgensi Archiepiscopo, defensorem Hildesiensis Ecclesiæ constituerit, vicariamque suo nomine fecerit potestatem vocandi ejusmodi vexatores in judicium suum, puniendique pro arbitrio, dum Hildesiensi Episcopo satisfacerent; id quod hoc diplomate Norimbergæ sanxit Imperator.

Henricus Ep. à Carolo IV Imp. constituitur defensor jurium, & bonorum Ecclesiæ Hildesiensis.

Karolus Quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et Boemiæ Rex, Illustri Duci Saxoniæ sacri Romani Imperij Archimareschallo, et venerabilibus Archiepiscopo Magdeburgensi et Episcopo Paderburnensi, suis, et Imperij Principibus dilectis gratiam suam et omne bonum. Ad reprimendos noxios hominum iniquorum excessus erexit Deus secularium sola potestatem, ut tuta foret inter improbos innocentia, et boni quietè viverent inter malos; nisi enim nocentes homines et injusti justam pro delictis vindictam metuerent, nunquam à suis impietatibus resilirent. Hinc est quod venerabilis Henricus Hildesemensis Episcopus, Princeps et devotus noster dilectus, ad Celsitudinis nostræ notitiam queruloſe deduxit, qualiter nonnulli homines desperatè, Dei timore postposito, suæque salutis prodigi et honoris, et Ecclesiæ suæ Hildensemensis homines, possessiones, et bona

aufu

ausu temerario capere, invadere, rapere, vastare, et in stratis ac viis publicis derobare et spoliare præsumant, et in personis ac rebus varias et multiplices insolentias damnabiliter exercere, supplicans sibi et Ecclesiæ, ac subditis suis de oportuno super hoc remedio per nostram Celsitudinem provideri. Cujus instantia dignè moti, vos et vestrum quemlibet, suos, et privilegiorum, jurium et libertatum Ecclesiæ suæ Hildensemensis, ac suorum defensores et conservatores damus, statuimus, et præsentibus ex certa scientia auctoritate Cæsarea deputamus, dantes vobis, et cuilibet vestrum, in solidum plenam et liberam potestatem, omnes et singulos Episcopi et Ecclesiæ prædictorum, nec non bonorum, hominum, possessionum, et rerum Episcopi et Ecclesiæ eorundem ad Episcopi Hildensemensis vel suorum instantiam judicialiter evocandi, citandi, judicandi et super objiciendis cognoscendi, et ratione prævia procedendi contra quoslibet invasores, molestatores, et turbatores eorum, ad satisfactionem et solutionem damnorum plenariam compellendi, et omnia, quæ in hys opportuna fuerint, libere exequendi. Ratum habituri et gratum quidquid per vos, vel aliquem vestrum, rite factum fuerit in præmissis, et quolibet præmissorum, præsenti nostra constitutione ad nostræ duntaxat voluntatis beneplacitum valitura, præsentium sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo testimonio literarum. Datum Nurenberg. Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, Indictione quinta decima, tertio Calend. februarij, Regnorum nostrorum anno sexto decimo, Imperij verò septimo.

Haud multùm inde superstes Henricus Hildesiensis Episcopus, Dux Brunswicensis, fraterque Alberti Halberstadiensis Episcopi, mense Februario ex humanis abiit, præclare de sua diœcesi meritus. Quippe qui tres præfecturas Woldenstein, Scladen, & Widelam suo ære & industria Ecclesiæ suæ patrimonio adjecit, & diœcesin decem firmissimis castris præmunitam, atque omni ære alieno exsolutam, florentemque pace atque opibus reliquit. Hujus singulare illud specimen amoris erga Ecclesiam suam, & memorabile factum. Nam cùm senio & morbo urgeretur ad extrema vitæ, vocavit primores Capituli ad fatalem lectum, quos hisce postremis inter cœtera verbis est allocutus. *Elegistis me ex familia Ducum Brunsvicensium Episcopum vestrum, quod ego tam grato semper mecum recolui animo, quàm fidus fui in conservando augendoque Ecclesiæ vestræ patrimonio; at quanto id periculo vestro factum sit, æstimare vos volo ex odio et æmulatione paternæ domus meæ. Scitis enim, quantum à multis jam annis laborârint Duces Brunsvicenses in reprimendis exuendisque Episcopis vestris. Verùm cùm mihi semper Ecclesia mea fuerit ante familiam in amore, cautos vos in posterum esse cupio, ne facile quenquam ex Brunsvicensium domo deligatis Episcopum, cui ea, quæ mihi fide, arces et patrimonium Christi detis in manus.* Rarum synceri Episcopi monitum nec præsagio vacuum.

M.S. Catal. Episc. Hildes. Henrici Ep. Hildes. obitus.

Ejus præclara in agone ad Canonicos adhortatio.

Annus Christi 1363.

Urbani V Pont. 1.
Caroli IV Reg. 18. Imp. 9.
Henrici Spegelij Ep. Pad. 3.

Litigabant interea in alterum annum Avenione in aula Pontificis Joannes Virneburgius & Engelbertus Marcanus Leodiensis Episcopus pro Colonienſi Cathedra; quæ lis cùm Cardinales etiam in partes distraxisset, Urbanus Pontifex utrumque rejecit, alioque consilio Adolphum Monasterienſem Episcopum, nihil sollicitantem, aut cogitantem, Archiepiscopum Colonienſem renunciavit, Virneburgio in locum Adolphi Monasterienſis nominato. Qua commutatione facta, Adolphus ad Colonienſem Archiepiscopatum expessendum transiit, postquam Monasterienſem Episcopatum quinquennio inter multiplices turbas haud illaudabiliter rexisset. Nam & Lippienſem Comitem, spoliis diœcesin suam vexantem, repressit: Brunchorstianos Gelrosque cum clade exegit, rebelles nobiles clientesque armis ad obsequia reduxit; multaque præterea magno diœcesis bono gessit, quæ in fastis eorum commemorantur. Ejus enim procuratione castrum Portzlar à Marcano fratre 2400 marcis redemptum: telonium urbis Monasterienſis, numeratis creditori 400 marcis, receptum, & castrum Vrienovia extructum. Contra aliæ rebellium arces dirutæ: judicium in Dingede, quod liberam Comitiam dixêre, permutatione diœcesi adjectum: impetratum ab Archidiaconis, ut exuvias Parochorum remitterent. Et quò inter ipsum & ordines concordia ageretur, fidem suam obligavit in publico conventu, omnia se privilegia relicturum integra, nec clericum aliumve è nobilitate, nisi ex manifesto crimine compertum, in vincula tracturum; demum nulli se arcem castrumve oppignoraturum sine consilio Canonicorum majoris Ecclesiæ ceterorumque ordinum. Multa hujusmodi salubriter cœpta per prudentum consilia, etsi ipse ætate adhuc juvenis esset; quæ præclarum Episcopum & Principem pollicebantur.

Adolph9 Ep. Monast. auctoritate Pontificis Ecclesiæ Colon. præficitur, ejus commendatio à præclarâ Diœcesis administratione.

Chron. M. Belg. Chron. Colen. Chron. Monast.

Turbatior res erat in Osnabrugenſi Episcopatu, cui Joannes ab Hoet juris Canonici Doctor à Pontifice impositus erat, regebatque diœcesin in XIV annum, sacris quàm rebus publicis moderandis aptior. Et quia humiliori loco natus erat, quàm ut fastus nobilium ea tempestate ejusmodi ferret Episcopos, primùm sibi infestum habuit equestrem ordinem, deinde Osnabrugenſem urbem, demum Tecklenburgenſem Comitem; quorum vexationibus ad extremam inopiam redactus, necesse habuit Rekenburgum castrum cum Widenbrugenſi Oppido & quatuor alia præmunita castra pignori opponere creditoribus; in eamq; contemptionem venit, ut prædones etiam ausi castrum Iburgum, in quo sedem Principis habebat, noctu intercep-

Ertvvin. in chron. Infelix in administrando Episcopatu Osnabrug, Joannes ab Hoet Ep. humili loco natus.

ceptum tradere in manus Teclenburgensis Comitis. Incusantur à nostræ ætatis Scriptoribus Episcopi, quòd cum toga sagum sumpserint militare; at verò in quam necessitatem tum coacti id fecerint, id illos vel hujus Episcopi exemplo jacturaque expendere par erit. Osnabrugensis in eas angustias conjectus, ex consilio suorum, egit cum Engelberto Marcano Comite, uti Theodoricum fratrem suum ex monte Pessulano in Galliis, ubi operam studiis navabat, revocaret, cui administrationem diœcesis committeret. Non sine certa spe successionis id factum; sumptoque vicario Episcopi munere, Theodoricus egregius juvenis extemplo arcem Jburgum, fratris & consanguineorum ope adjutus, recepit. Cetera castra partim armis recuperata, partim ære redempta; ipse validum exinde per XII annos ejus diœcesis, etiam sub Melchiore Episcopo, qui successor fuit, præsidium. Ea tum temporum erat iniquitas, ut in Episcopo Saxoniæ non tam Doctor quàm propugnator expetendus esset. Sanè postquam anno superiori è vita abierat Henricus Hildesiensis Episcopus, cui Henricum Episcopum nostrum cum ceteris tutorem à Carolo Imperatore datum diximus, Urbanus Pontifex Joannem Schadlandum Colonia ortum, & è S. Dominici familia celebrem Theologiæ Doctorem, Hildesiensi Ecclesiæ Episcopum imposuit; is postquam Hildesium venit, auspicaturus diœcesis gubernationem, id primùm curæ habuit, ut inquireret, ubi Bibliotheca, ubi libri servarentur, quibus perlegendis Episcopi ante se tempus & operam impendissent: id cùm novus Theologus Episcopus urgeret, aulici & Canonici ad armamentarium deduxerunt, & machinas bellicas omnisque generis arma monstrando, hæc, inquiunt, Bibliotheca, hi libri, quibuscum hactenus Episcopis nostris negotium fuit; quibus & tibi pugnandum, siquidem & diœcesin hanc tibi à Pontifice datam incolumem esse velis. Quo audito, acceptati Episcopatûs pœnitere cœpit: nec multò post cùm Hildesienses cives & vicini, renovatis pristinis dissidiis, arma intentarent; prætereaque alibi pecora abducta, alibi spoliati homines, alibi incursiones hostiles factæ nunciarentur, frater, inquit Crantzius, umbræ assuetus, pulveremque Scholasticum magis quàm militarem ferre doctus altero mox anno petiit à Pontifice quietiorem Episcopatûs locum, in quo studiis vacare posset; obtentoque Augustano Episcopatu, locum dedit Gerhardo Dynastæ de Monte, viro toga & militia præclaro, qui mox ad Etzium, oppidum Westfalorum, prædonum agmen per diœcesin suam grassantium fudit delevitque.

Necesse fuit hoc tempore præficere Ecclesiis Episcopos, potenti & illustri genere ortos.

Et Spegelius Episcopus noster, cùm in easdem turbas, vicinorumque Comitum inhiantes cupiditates se conjectum videret, nihil antiquius habuit, quàm oppida & castra præmunire, armare beneficiarios, militia instruere diœcesin, qua hostibus etiam aggressionem ostentaret; idque eò potentius facere licebat, quòd Corbeiensis

Henricus Diœcesin suam egregiè tuetur.

Cœnobij adminiſtrationem conjunctam haberet, ex eaque pares prope Epiſcopo vires caſtrorum & vaſallorum exſereret. Sanè Abbates ejus Cœnobij poſtquam priſca Cæſarum defenſione deſtituti fuêre, & ipſi arma tractare alienum haberent à religioſa vita; ampliſſimæ ejus Cœnobij opes ſenſim carptæ in ſpolium vicinorum Principum & Comitum ceſsêre. Quare uti per hæc turbulenta tempora Abbates fere nunc ad Archiepiſcopum Colonienſem, nunc ad Epiſcopum Paderbornenſem perfugium habuêre, ex ijſque tutores ſui Cœnobij delegêre; ita Spegelius ſeſe defenſorem tulit. Nec minus Eccleſiæ ſuæ diſciplinæ intentus, lege dictata, ſumptuoſa Canonicorum convivia ſuſtulit, vetuitque ne vinum vel in admiſſi vel emancipati Canonici epulo præberetur.

Annus Chriſti 1364.

Urbani V Pont. 2.
Caroli IV Reg. 19. Imp. 10.
Henrici Spegelii Ep. Paderb. 4.

Adolphꝰ Archiepiſcopatu Colon. ſe abdicat, ducta in uxorem Margarethâ Comitis Marcani filia.

Magna dehinc rerum perturbatio ex mutatione Epiſcoporum. Enim vero Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus altero anno de abdicando munere laborare cœpit, ſeu quòd ſe inviſum ſuis intelligeret ob æs alienum contractum & obligatas nobilitati arces quaſdam; quam ob rem apud Urbanum Pontificem accuſatus erat: ſeu quod Cliviam ab avunculo ſperaret, à quo nulla proles maſcula ſuſcepta erat, atque ipſe etiam à ſacerdotio abhorreret. Quare miſſis ad Pontificem procuratoribus Florentio Wevelinghovio ſubdecano, & Petro Brabantenſi Canonico Leodienſi, Archiepiſcopatum in manus Pontificis depoſuit; ſimul ſollicitando, ut hunc in Engelbertum Leodienſem Epiſcopum ac patruum ſuum tranferre dignaretur. Quæ licet Pontifex indignante animo acciperet, edito etiam decreto ex Cardinalium conſiliis, ne quiſquam in poſterum ad ſacras infulas admitteretur, niſi qui ſacerdotio initiatus eſſet, aut certa id fide præſtaret; abdicationem tamen Adolpho permiſit, ſimulque Engelbertum Leodienſem Epiſcopum, ob res præclarè geſtas per XX annos in Epiſcopatu Leodienſi, transvexit ad Archiepiſcopi Colonienſis ſedem transmiſſo etiam per Wevelinghovium pallio. Adolphus vinculis cleri ſolutus, multiſque arcibus & bonis Colonienſis Eccleſiæ ab Engelberto patruo Archiepiſcopo dotatus, matrimonio ſibi junxit Margaretham Gerhardi Montani Comitis ante quadriennium occiſi filiam; quæ marito in dotem attulit Cæſaris inſulam cum telonio, quæ à Regibus quondam oppignorata Cliviæ Comitibus, & ab his Montium regulis ceſſerat.

Beka Heida Barlandus Noviomag.

Igitur in locum Engelberti translatus à Pontifice ad Leodienſem Cathedram Joannes Arckelius Trajectenſis Epiſcopus, poſtquam in XXII annum per varios fortunæ caſus præfecturam ſacram

Traje-

Trajecti gessisset; inde in hanc vacuam Trajectensis Ecclesiæ sedem subrogatus à Pontifice Joannes Virneburgius Monasterienſis Episcopus, qui non nisi per annum Episcopatum illum gesserat. Vir quidem benignus ac modestus, sed indole simplex, eòque a Satrapis Monasterienſibus facilè circumventus; ut gens illa callida est. Hi enim cùm illi privilegia sua, multum diœcesis bono & libertati Ecclesiæ derogantia, obtulissent confirmanda, simulque largè pollicerentur, se dissidium, quod inter ipsum & Canonicos exarserat, composituros; obtenta privilegiorum suorum confirmatione, nihil minus præstitêre. Et Virneburgius postquam Trajectensem Episcopatum suscepit, in eosdem scopulos incidit; multumque exagitatus est á Vehleniis Westfalis, Brunchorstianis, cœterisque nobilibus; dum postremùm in Oppido Ghoer noctu captus, & magno ære redemptus, repentina post morte, gesto in septimum annum Episcopatu, exspiraret. Et hic tamen ille erat, qui tanto primùm ambitu Colonienſem Archiepiscopatum prensarat, parum licet idoneus, qui aut Monasterij, aut Trajecti, ferrea illa ætate, Principem & Episcopum ageret.

Buchel. in not. Crantz. l. 9. Metrop. c. 45. Joannes Virneburgicus à Cathedra Monasteriensi transfertur ad Trajectensem, variè à Nobilibus deceptus, exagitatusque

In hujus proinde locum eodem anno, mense Aprili, sublectus à Pontifice Monasterienſis Episcopus Florentinus de Wevelinghoven, dum Avenione præsens, ut diximus, ageret causam Adolphi Colonienſis Archiepiscopi: ex illustri apud Ubios familia; quæ in castro Leienthalio inter Crumbachium & Hideradium veterem majorum sedem habebat, emortuaque stirpe, ad Benthemios Comites, jure dotis, & beneficio Archiepiscoporum Colonienſium, translata est. Ac multum renitens Florentius, Episcopatum tandem ex Pontificis voluntate suscepit: at sub ipsum Episcopatûs ingressum procella jactatus; scripserat enim Avenione non nemo falsæ fidei homo, qui cum illo in curia Pontificis versabatur, ad Monasterienſes, Florentium quidem Episcopatu donatum, sed cum neutiquam velle apud eos unquam sedem capere; nihilque aliud impensius agere, quàm ut Engelbertum Marcanum Comitem vicarium ex munere Principis, tutoremque diœcesis imponeret; ea jam pacta inter ipsos convenisse, ex quibus nihil præter resuscitata vetera bella, & Marcanorum servitus metuenda foret. Literis hisce ad Monasterienſes perlatis illico fides habita, eò etiam pronius, quòd jam ex eadem Marcanorum familia novum Colonienſium Archiepiscopum aspicerent, quem artificem hujus consilij suspicabantur. Tantosq; motus una hæc falsa epistola concivit, ut Canonici evocatum ad se Balduinum Steinfurdienſem Dynastam, patronum, & tutorem diœcesis delegerint, eique oppida, & castra omnia cum suprema potestate Administratoris in manus tradiderint. Accessêre nobiles & vasalli in eandem conspirationem; & civitates etiam, fœdere inter se renovato, abjuravêre Marcani imperium. Horum omnium ignarus Florentius deducitur

Florentius de Wevelinghoven Episcopus Monasterienſis.

Falsò delatus, Monasterienſibus primùm invisus;

ducitur Monasterium à Marcano Comite, recipiturque in urbem; at modico cleri populiq; honore, qui ne specimen quidem inaugurationis præferret. Et ille cùm Pontificis literas exhiberet, admissus quidem; sed mox duræ & iniquæ leges propositæ; ut incertus turbatusque hæreret, quo se verteret. Remansit in urbe privati instar, suis impensis vitam trahendo; dum fraude literarum comperta, & viri innocentia prudentiaque cognita, sensim primorum animi mutarentur. Horum favore Florentius XXIV Augusti solemni ritu acceptus. Tum & leges quidem mitigatæ, sed quæ tamen duræ adhuc fuêre, quòd sumptus, quos hactenus in urbe fecerat, ipse suo ære præstare: Steinfurdiensi pro restitutione oppidorum & castrorum 100 marcas; Apostolicæ verò Cameræ 2000 marcas pendere, atq; omne æs alienum ab antecessoribus contractum dissolvere jussus est. In has aliasque leges postquam stipulatio facta est, inauguratus dum circumduxère per oppida & castra diœcesis. Et Florentius quum invisus primùm, tam gratus postea omnibus fuit. Præsul, exindegesto in XV annum principatu, manu & consilio promptus religionem non minus, quàm exhaustam diœcesin restituit in integrum; multisque præterea bonis, armis industriaque partis, locupletavit. Quem ob id fasti Monasterienses inter præstantissimos ejus loci Episcopos accensent. Tam incerta fallaciaque hominum sunt judicia in deligendis acceptandisque Episcopis. Indignè ferebant Canonici sibi præreptam à Pontifice eligendi potestatem; Pontifices nihil magis detestabantur, quàm discordiam Canonicorum in eligendis Episcopis suis, quorum litibus & querelis quotidie personabat curia & aula Pontificis. Id malum cùm partium studiis ambientium, & Principum nobiliumq; æmulatione, in Episcopos familiæ suæ principes expetentium, magno Ecclesiarum turbamento increscceret, consultius habuêre Pontifices Episcoporum electionem ad Apostolicam sedem retrahere. Quanquam & ibi suis incommodis obnoxia fuerit; quòd hæc mortalium vita nihil omnibus suis numeris absolutum in gubernatione Reipubl. polliceri possit.

Post gratus & acceptus.

At Spegelius Episcopus noster, qui Pontificis non minus quàm Caroli Imperatoris gratia multum valebat inter Episcopos & Principes Saxoniæ, omnia pacifice & constanter moderabatur, una gubernatione Paderbornensium & Corbeiensium res domi foriſque complexus. Quare & à Carolo IV Imperatore, quem mirificè Corbeiensium Cœnobio habebat affectum, hoc anno alterum impetravit diploma, quo judicium liberum in Monte Martis, & districtu Horhusano, sicuti ante septennium dederat, rursum rogatu Henrici Spegelij Principis confirmat, novumque illi judicium in locum prioris imperatoria auctoritate imponit. Qua super re Imperatoris tabulæ, germanico idiomate scriptæ, servantur apud Corbeienses, Anno MCCCLXIV, regni verò XVIII, Imperij X. tertio Paschatis die.

Carolus Imp. rogatu Henrici Ep. judicium in Monte Martis Corbeiensibus confirmat.

Auctor

Auctor est Pontanus in Geldricis suis, per id tempus Hanseaticarum urbium societatem aut originem suam habuisse, aut magno certo numero florere cœpisse. Pervulgatum urbium fœdus, cum ad mercimoniorum libertatem potissimum institutum esset; tum hoc anno Coloniæ celebris Mercatorum Legatorumque conventus fuit habitus, in quo Sclavicæ seu Wandalicæ cum primis urbes commerciorum obtulêre societatem. Id cum jam magno Reipub. bono cœptum esset, nomina sua dedêre Colonia, Monasterium, Osnabrugum, Tremonia, Susatum, Hervordia, Paderborna, Unna, Hammona, Lemgovia, Lipstadium, Bilfeldia, Cœsfeldia, Warburgum, Brakelena, Wesalia, Duisburgum, Embrica, Neomagum, Zutphania, Ruremunda, Arnhemium, Venlona, Hardewicum, Elburga, Daventria, Swollæ, Campi, urbes universim tum mercimoniis florentes septuaginta septem; ausæque mox per fecialem Waldemaro III Danorum Regi bellum indicere, quòd navigationem & commercia prædonibus infesta teneret. Unde & Campis emissa classis in Daniam, junctaque Sclavicarum urbium classe, ingentem Regi Danorum terrorem injecit. Ac Rex, postquam didicit, quo regni sui emolumento hæc commercia procederent, magna societati illi privilegia impertiit. Harum verò civitatum Metropoles emporiaque fuêre Lubeca, Colonia, Brunswicum & Dantiscum; dum & Brugas in Belgium se proferret negotiatorum amplitudo; quemadmodum hæc multis exponit Werdenhagius scriptor hujus societatis. Urbium Hanseaticarum societas.

Annus Christi 1365.

Urbani V Pont. 3.
Caroli IV Reg. 20. Imp. II.
Henrici Spegelij Episcopi Pad. 5.

Anno subsequenti seculi hujus sexagesimo quinto Carolus Imperator, cùm, rarâ temporum felicitate, pacatissimam teneret Germaniam; splendido Principum ac procerum comitatu, mense Majo, iter suscepit in Gallias, salutaturus Urbanum V Pontificem, Christi in terris vicarium; à quo Avenione honorificentissimè exceptus; ipsoq; Pentecostes celebri die Pontifici sacrificium peragenti adstitit, imperiali habitu & diademate ornatus, manu sceptrum gestans. Inde in colloquium cum Pontifice congressus; in quo multa de bello sacro adversus Saracenos suscipiendo, multa de pace per Germaniam & Franciam, multa de latrociniis & prædis coërcendis, aliisque Reipubl. negotiis pertractata sunt. Et Cæsar quàm ad cetera pronus, tam alienus ab expeditione in Asiam erat; quòd diceret bella ejusmodi, adverso Deo & infelici hactenus successu, gesta esse, quibus tantummodo Germaniæ vires, & sanguis per fatales clades absumantur. Id quod anno statim proximo comprobatum, cum Christiani Adrianopolim quadraginta millibus armatorum virorum obsiderent, Turcæ,

Argentinen. Bosq. in rebus gestis Urbani Odoricus. Carolus Imp. in Gallias profectus, multa cum Urbano Pontifice pertractat. *Dubrav. lib. 22. Histor. Bohem. Calvisius ex Annal. Turc.*

Turcæ, enim, qui Genuensium navibus per mare transportati erant, accepto in singula capita Turcarum aureo, noctu Christianos somno vinoque consepultos obruerunt cecideruntque exercitu Christianorum ad internecionem prope deleto.

Ac Carolus Imperator Avenione regressus in Germaniam, reperit prædatorum agmen Vasconum quodam Duce, qui se Archipresbyterum vocabat, irruisse per Gallias in Alsatiam (Argentinensis XII millibus equitum stipatum asserit) in quem depellendum Carolus repente exercitum collegit; quem cùm in se duci sensit Archipresbyter, terrore adventantis Cæsaris Germaniæ finibus excessit. Necquicquam exinde Cæsar habuit sollicitiùs, quàm ut prædonum catervas, quæ passim per Germaniam grassabantur, extingueret.

Bellum Henricum Ep. & Landgravium Hassiæ inter & Schonenbergios, pace certis conditionibus inita, sopitur.

Inter tumultuaria arma, quæ per id tempus passim sumebantur, reperio & bellum in antiquis tabularij nostri literis, quod Henricùs Spegelius Episcopus noster, & Henricus Hassiæ Landgravius, junctis armorum viribus, gessêre adversus nobiles viros Heindenricum, Conradum, Borchardum de Schonenberg. Quæ verò causa hujus belli data, haud perinde proditum est. Id constat, ira partium ad arma & castrorum expugnationes processisse. Intervenientibusq; arbitris hoc anno in has leges reconciliatio ante festum D. Magdalenæ facta est. Arma utrimq; ponantur: capti bello liberi dimittantur: pecunia in lytrum promissa at nondum soluta remittatur: Schonenbergij in castrum Drendenberg, eo jure, quo ante bellum tenuerant, restituantur. Sortita & hoc anno Corbeja in locum Theodorici ante Spegelium defuncti Reinerum Abbatem, virum modestum & religiosum. Qui in has leges acceptus, ut ipse profitetur.

Reinerus Abbas Corbeiensis, certis pactis & legibus præscriptis, acceptus.

Reinerus Dei gratia Abbas Monasterij Corbeiensis Paderbornensis diœcesis. Præsentibus hisce publicè protestamur, nos ut conventum est omnes bonas et laudabiles consuetudines non immutaturos, neque commissuros, ut præpositi, prioris, et alia dignitatum munia per alios quàm per Cœnobij religiosos homines administrentur. Literæ et instrumenta antecessorum bonæ fidei servabuntur. Bona Cœnobij, in quibus Monachi vivunt, relinquemus intacta; neque quæ Abbatis sunt, sine consensu Monachorum ullo modo dabimus in feudum. Acta hæc anno MCCCLXV, *ipso D. Dionysij Episcopi et Martyris die.* Adeo jam invaluerat, ut Abbates non minus, quam Episcopi, certis prius pactis & legibus præscriptis adirent munus suum.

Annus Christi 1366.

Urbani V Pont. 4.
Caroli IV Reg. 21 Imp. 12.
Henrici Spegelij Ep. Pad. 6.

Trithem. in Chron. Hirs.

Carolus Imperator ut prædonum insolentiam, à quibus itinera & commercia infestabantur, compèsceret: Wenceslaum fratrem Brabantiæ & Limburgi Ducem, virum æquissimum ac sapientissimum,

mum, auctoritate Cæsarea publicarum viarum custodem defensoremque per inferiores Rheni provincias constituit. Simul civitates ad Rhenum arctissimum inter se fœdus composuêre, ipsis etiam Principibus formidabile: sive id Hanseaticarum civitatum fuerit, de quibus supra relatum: sive aliud ad securitatem publicam & libertatem suam adversus Dominos amplificandam firmandamque; quando per id tempus passim Episcoporum urbes ac Metropoles, opibus & commerciis potentes, imperium Episcoporum exuêre, & rebellare cœptaverunt. Compertumque etiam, ex quo bella cum barbaris in Septentrione, aut cum Saracenis in Palæstina intermitti cœpta, Germaniam Saxoniamque ingenti nobilium & prædonum multitudine repletam fuisse; quos cùm mars exteris bellis occupare desiit, & ipsi domi inopia conflictarentur, otium & paupertatem domesticam convertisse in spolia Mercatorum, Cœnobiorum, & sacrorum præsulum.

Fœdus Civitatum ad libertatem suam adversus Dominos tuendam.

Abijt hac tempestate è vita Joannes Hœtius Osnabrugensis, vir, ut supra jndicavimus, sacri juris peritissimus, omnique scientiarum & virtutum cultu præstantissimus; cui nihil ad hujus muneris dignitatem deerat præter obscuros natales. Quare in hujus locum Apostolica auctoritate subrogatus Melchior, è Ducum Brunswicensium familia ortus; quem Florentius Monasterienſis Episcopus magna nobilium pompa in urbem ac sedem Episcopi introduxit; tanquam splendore generis expleturum, quod in altero desiderabatur. Sed & ille ijsdem fluctibus jactatus: collisusque primùm cum Theodorico Marcano, Colonienſi Præposito, quem Hœtius Episcopus Administrum diœcesis adlegerat. Is quia castra & oppida pleraque tenebat in potestate, nec prius cedere volebat, quàm impensæ hactenus à se factæ solverentur; necesse habuit Melchior Episcopus ingenti tum pecuniæ summa paciſci, eamque in rem plura etiam castra & oppida pignori opponere. Tam parum illi familiæ splendor, & Brunswicensium Ducum patrocinia, ut post referemus, profuêre.

Obitus Joannis Hœtij Ep. Osnabrug. Cui subrogatur Melchior, è Ducum Brunswicensium familia ortus.

Gesserat jam in quintum annum Mindensem Episcopatum Gerardus Schawenburgensis Comes, magno Ecclesiæ illius bono, ac pace cum finitimis, eòque omnibus carus erat; cùm nescio qua religione impetuque potenti ductus, peregrinationem suscepit in Palæstinam cum Adolpho fratre suo ad loca sacra invisenda, frustra dehortantibus Canonicis & amicis, ne diœcesin illa profectione & absentia in periculum & damnum adduceret. Quorum ille precibus neglectis, iter ingressus; nec multò post pridie D. Michaëlis fluctibus maris exhaustus interiit. Quo fato Adolphus quoque frater in prælio cum Saracenis ad Famam augustam urbem occubuit. Corpus Mindam deportatum, & honorifico sepulchro illatum est. Gerhardi Episcopi corpus, etsi irrepertum non redierit ad suos, ejus tamen memoria his sæculi ejus versibus consecrata posteris.

Chron. Mind. Lerbecius in chron. Cranz. l. 9. Metrop. Gerardus Schawenburgicus unà cum fratre suo in profectione ad Terram sanctam moritur.

Hic est Gerhardus de Schavenberg nullibi tardus,
Qui cum processit prudenter singula gessit,
Clerum Mindensem, clavum bene rexit et ensem,
Oppida construxit, detractaque castra reduxit.

Successorem ea in cathedra habuit Ottonem de Wettin è nobili Misniensium familia. Is cùm per id tempus Decanus Moguntinus esset, per Caroli Imperatoris preces Episcopatum ab Urbano Pontifice impetravit; sed brevi temporis vitæque usura Episcopatum tenuit.

Engelbertus Archiep. Colon. Lipstadium & Lipperadium Comiti Marcano oppignorat.

Hunc quoque annum ex vetustis tabulis consignatum habemus, quo Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus Engelbertus Marcano Comiti, & ex fratre nepoti, acceptis ter mille, seu ut alij octies mille, florenis aureis, Lipstadium Oppidum ad Luppiam flumen, castrumq; Lipperadium prope assitum, vetera diœcesis patrimonia oppignoravit. Quam pecuniæ summam Archiepiscopus in dotem dedit nepti suæ, cùm Cranendonckio Dynastæ duceretur in thalamum. Quæ oppignoratio etsi ea lege facta, ut refusa pecuniæ summa Lipstadium & Lipperodium redderetur Archiepiscopo & Coloniensi Ecclesiæ; id tamen quia neglectum à Successoribus Archiepiscopis, transiit Lipstadium a Marcanis post ad Adolphum Cliviæ Comitem, atque tot litium & bellorum seminarium fuit: manetque ad nostram ætatem armata heterodoxorum sedes, & spoliarium Westfaliæ. Tantum etiam posteris nocuit illius Archiepiscopi cæcus ac profusus in consanguineos amor.

Verùm de hac ipsa Lipperodana arce ad hunc annum ita memorant nostra monumenta. Otto de Tekeneburg, Alheidis uxor ejus, & Nicolaus eorum filius oppignorant Henrico Episcopo Paderbornensi arcem suam Lipperodianam, cùm advocatiis Gesekensi & Cappellensi pro 700 marcis puri argenti monetæ Paderbornensis, quæ intra 4 annos fas non sit redimere; ijs exactis, poterunt quidem pro 700 marcis redimere, sed redemptionem uno anno prius denunciabunt Episcopo. Ad hæc Otto ejusque filius Nicolaus non inibunt concordiam cum Simone de Lippia, priusquam diligenter cautum sit Episcopo de 700 marcis ex pignore.

Annus Christi 1367.

Urbani V Pont. 5.
Caroli IV Reg. 22. Imp. 13.
Henrici Spegelii Ep. Paderb. 7.

Brovver. Chron. Colon. Chron. M. Belgij Mersæus Supplemen. Levol.

Tandem anno proximo, qui Christi erat sexagesimus septimus, Urbanus Pontifex discessu è Gallia Romam adijt, ad turbatum Romanæ Ecclesiæ statum componendum; quamvis tertio ab hinc anno Avenionem repetierit. Coloniensis Archiepiscopus Engelbertus cùm & ipse ære alieno obrutus, ac senio in nervorum paralysin depressus

pressus jaceret, imparemque se videret tanto oneri ferendo, consilio assensuque Canonicorum adscivit sibi Cunonem Falckenstenium, Trevirensem Archiepiscopum, adjutorem; quam ille laboris partem, etsi invitus, ex Urbani Pontificis demum judicio & auctoritate admisit. Vir, ut Trithemius, scribit, prudentissimus, à natura ad regimen multarum Ecclesiarum formatus, impiger ad laborem, strenuus in agendo, & ingenio acutissimus, cui inter præsules sacrorum tum nullum Germania parem habebat. Tantum mutatus, postquam ex dissoluto Moguntini Cleri Canonico traductus ad infulas. Engelbertus deductâ parte bonorum, quantum ad honestam vitam satis erat, in arcem Bruelam ac privatam vitam secessit. Engelbertus Archiep. Colon. Adjutorem sibi adsciscit Cunonem Archiep. Trevirensem.

Primum Cunonis operum fuit, dissidentes & belligerantes inter se Marcanum & Arnsbergensem Comitem componere in concordiam. Per id tempus Marcanus Arnsbergensi infestus ob Fridenbergum castrum, in quod Marcanus par sibi jus vendicabat; eòque Arnsbergam aggressus, Comitis sedem, expugnârat injectisque ignibus diruerat. Intervenit flagranti bello Cuno, deductoque ab armis componit, ea pactione, ut totum castrum cederet Marcano. Oppugnabat per id tempus Tremoniam Wihelm⁹ Montium Comes, Wilhelmi Juliæ Comitis ex fratre Gerhardo nepos, simulq; Adolph⁹ Marcanus, quem hactenus Episcopum Monasterienſem & Coloniensem produximus. Magna abhis vis uni incumbebat Tremoniæ; quam tamen Principum vicinorum interventu mox discussam, & pristinum cum Marcano Comite fœdus instauratum memorant. Facilè nunc, causam belli hujus suspicari à scriptore præteritam, quòd Tremonia cum Arensbergensi Marcanorum hoste fecerit. Cuno Archiep. dissidentes componit.

Hisce turbulentis Westfaliæ temporibus, quibus omne jus confusum erat per tumultuaria nobilium & prædonum arma, in eas angustias adducti sunt Corbeienses (quod passim in eorum literis lego) ut necesse habuerint, alia post alia bona aut vendere aut oppignorare. Et cùm aliorum potentum destituerentur patrocinio, Reinerus Abbas, ceteriqueCœnobitarum primores, imploravêre opem Henrici Episcopi nostri, rogitando, ut se denuo Tutorem & defensorem sui Cœnobij dare velit, quod & Henricus pro singulari amore, ac veneratione erga nativum hunc religiosæ vitæ suæ locum promptè admisit. Supersunt apud nos publicæ tabulæ hoc anno pridie Innocentum datæ, quibus profitetur se, rogatu Reineri Abbatis & totius Cœnobij, omnium sacrorum & civilium procurationem defensionemque suscipere; quæ tamen post mortem ejus ad Cœnobium esset reditura. In has angustias tam celebre ac regale Monasterium Corbeiense, quod castris, oppidis, & possessionibus antiquitus cuivis Episcopatui & Principatui per Saxoniam par erat, temporum injuriis prolapsum erat; nec aliud ab omnibus Advocatis & vasallis, quos inter tot Principes & Comites censebantur, præsidij erat, quàm ut quisque, quantum licentia temporum permittebat, raperet. Abbas Corbeiensis Henricum Ep. rogat, ut curam Cœnobij sui suscipiat.

Annus Christi 1368.

Urbani V Pont. 6.
Caroli IV Reg. 23. Imp. 14.
Henrici Spegelij Episcopi Pad. 8.

Caroli Imp. expeditio in Italiam. *Brouver. Chron. M. Belg. Chron. colon. Cleinsorg. in Chron. Westf. Gelen. in Engelb. lib. 3. not. ad cap. 42.*

Anno de hinc proximo Carolus Imperator, id quod anno superiori solicitârat Urbanus Pontifex, expeditionem cum exercitu in Italiam suscepit, ad rebellionem & tyrannidem Barnabovis Vicecomitis, ceterorumque Mediolanensium, comprimendam. Iter magno Episcoporum & procerum comitatu per Austriam est ingressus. Ac priusquam Italiam intraret, rogatu Legati Pontificis veteres Romanæ Ecclesiæ jura & privilegia more antiquorum piorumque Cæsarum Viennæ publicis tabulis confirmat. *Testes memorantur Albertus Patavienſis, Lambertus Spirenſis, Joannes Brixinenſis, Gerhardus Naumburgenſis, et Otho Mindenſis, Ecclesiarum Episcopi. Illustres Albertus et Leopoldus fratres, Austriæ et Carinthiæ Duces, Joannes et Jodocus filius ejus Marchiones Moraviæ, spectabiles Joannes de Habesburg, Burchardus Burgravius Magdenburgenſis, Joannes et Burchardus de Retz Comites. Viennæ anno Domini* MCCCLXVIII. *Indictione VI, III Idus Aprilis. Ego Joannes Dei gratia Olmucenſis Episcopus, sacræ Imperialis aulæ Cancellarius vice venerandi in Christo Patris Engelberti Colonienſis Archiepiscopi, sacri Imperij per Germaniam Archicancellarij recognovi.* Assecuti præterea Imperatorem Henricus Goritzæ Comes Salisburgensis Archiepiscopus, Rudolphus Dux Saxoniæ (qui tamen infirmitudine præpeditus suffecit pro se Albertum nepotem) alijque proceres.

A morte Engelberti Archiepiscop. Colon. administrat Cuno Archiep. Trevirensis, Coadjutor jam antè electus.

Ad famam terroremque adventus Cæsaris, Barnabos Italiæ turbo, ut tempori se accommodaret, ad pacem se obtulit Pontifici. Ceterum ea expeditione, ut Trithemius scribit, haud multum est confectum. Imperator discurrendo per Italiæ provincias, cùm Mediolanenses subigere arduum experiretur, acceptâ pecuniæ summâ attritum pestilentia exercitum non sine Pontificis offensione subertum anni reduxit in Germaniam: cui hoc anno Imperatrix Sigismundum alterum filium enixa.

Interea 26 Augusti mors in arce Brulensi subtraxit Engelbertum Marcanum Colonienſem Archiepiscopum, eo nomine tertium. Corpus in ædem Metropolitanam delatum, conditumque in Mausolæo, quod vivus sibi parârat. Tum verò Cuno Trevirensis Archiepiscopus, qui jam adjutor delectus erat, honoratiore Administratoris titulo Archiepiscopatum illum gubernandum suscepit, appellatus ab Urbano Pontifice Commendator & Vicarius Generalis; eò quod Archiepiscopi dignitatem sibi reservaret Pontifex. Prima Cunonis cura fuit Archiepiscopatum liberare debitis, bona extrahere è nobilium manibus, castraque recuperare (inter quæ statim

tim Tulpiacum à Juliæ Duce redemptum) nobilium insolentiam intrepidè comprimere, prædonum & rebellium delicta publicis suppliciis punire; quibus nec Andernacensibus parcitum, qui Wilhelmo Archiepiscopo rebellárant: hostiumque alios capite imminui, alios proscribi & in exilium deportari jussit. Hæc Cunonis regentis initia erant, grata Canonicis, qui bona Ecclesiæ repeti videbant: suspecta civibus Agrippinis & nobilibus, tanquam dominatu ejus opprimendi forent.

Comitatus Arnsbergensis Ecclesiæ Colon. adjungitur.

Sed his multò præstantius Cunonis factum: cujus industria Comitatus Arnsbergensis hoc anno ad patrimonium Colonienſis Ecclesiæ est additus. Vivebat ad hunc diem Godefridus, postremus ejus familiæ Comes, unàque Anna Clivensis conjux, sine prole susceptâ, & quia ex senili ætate nullus heres sperari poterat, utrique in votis fuit, reliquum vitæ tempus otio & divino servitio dicare. Atque ut omnibus se curis exsolverent, Comitatum Cunoni Archiepiscopo & Colonienſi Ecclesiæ venalem obtulêre; idque ob hanc etiam causam (sicuti literis hac super re confectis sæpius se legisse fatetur Cleinsorgius) quòd Comitatus Arnsbergensis in meditullio Ducatus Westfaliæ situs eòque à nullo tutius defendi & conservari possit, quàm à Colonienſi Archiepiscopo. Quamvis non desint, qui expiandi noxarum causâ id feciſſe scribant; nam & ipse vir bellicosus, & majores multis afflixerant Colonienſem Ecclesiam: eò partim dono, partim emptione Comitatus obvenit Colonienſibus. Delegitque Comes sibi Brulam Oppidum cum certis possessionibus ad honestam quietamque vitam. Data ex ærario Colonienſi quotannis decem aureorum millia, conjugi aliquot arces in Comitatu relictæ. Tabulis hisce 25 Augusti hoc anno confectis testes subscripsêre Antonius de Reidere, Rutgerus Ketler milites, Henricus Wolff, Arnoldus Haken, Wilhelmus Quaterlant, Arnoldus de Berninghusen, Joannes Schurman, Conradus Wrede, Armigeri Castrenses. Consules præterea & proconsules Oppidorum, Arnsberg, Nihem, Grevenstein, Hirtzberge. Quam vero nobile peculium hoc Comitatu Ecclesiæ Colonienſi accesserit, commonstrant Oppida, castra, Parochiæ, pagi ac villæ in tabulis à Gelenio & Ferdinando Episcopo in Monumentis recitatis.

Gelenius in vita S. Engelberti Ferdman. in Monumentis Wevelsb. pag. 22.

Inhærebat veteri privilegio ac jure hereditario, ob præclara majorum facinora, huic Comitatui Archistrategi ac primipilaris (quem Antebellatorem etiam Westfaliæ dixêre) munus, ducendi nimirum exercitus intra Rhenum ac Visurgim, quæ dignitas simul ad Colonienſem Archiepiscopum transiit. Erat & Godefridus Comes per id tempus Ducatûs Westfaliæ Marschallus, altera hac dignitate exornatus; id verò munus, quia octo millibus aureorum sibi oppignoratum tenebat ab Archiepiscopo Colonienſi; eadem simul pecuniæ summa, quam Henricus Spegelius Episcopus noster repræsentavit,

Ducatûs Westfaliæ Marschalli, dignitas ad Henricum Ep. Pad. transfertur.

sentavit, mutuamque dedit Cunoni Archiepiscopo, tum simul redemptum est; transtulitque post Cuno Marschalli dignitatem in Episcopum nostrum, ut post ex publicis tabularij nostri literis docebimus. Multumque Cuno Archiepiscopus consilio atque opera Henrici Episcopi nostri, quem consanguineum suum scribit, in hanc rem conficiendam usus est. Nec multum exinde Godefridus Arnsbergensis Comes superstes, obiit anno 1371. 21. Februarij, magnifico in Basilica Metroplitana Coloniæ sepulchro illatus, cui hodiedum resupina armati viri statua imposita conspicitur.

Moritur Joannes Hultimus Comes Cliviæ, quæ deinde devolvitur ad Adolphum Comitem Marcanum. *Teschemakerus.*

Sustulit & hic annus præterea Joannem hujus nominis II, Cliviæ Comitem, postremum ejus stirpis heredem; cùm neque ex Aleide Marcana, neque ex Mechtilde Reinaldi Gelriæ Ducis filia ullam prolem sustulisset. Mirum verò quantum utriusque Comitis majores pro familia firmanda augendaque, ex spoliis etiam sacrorum bonorum, bellando prædandoque contenderunt, tanquam æterna stirps futura; quam tamen mors ex tam inani spe posteritatis in ipso demum flore familiæ abrupit. Et verò cùm neque ex Otone, neque Theodorico Joannis Comitis fratribus proles masculà relicta esset; decertavêre pro Clivia adeunda ex fœminea successione Otto Archelius, Theodoricus Hornensis, Engelbertus Marchiæ Comes, Theodoricus & Adolphus Engelberti Marcani fratres: potituque tandem Clivia Adolphus Marcanus; is nimirum, quem ex minorum ordinum gradu primùm Monasterienſem Episcopum, post Colonienſem Archiepiscopum memoravimus, constantior Comes & maritus quàm Episcopus; itàque actum cum Clivia.

Simon III Comes Lippiensis sancit, ne Comitatus in plures in posterum partes dividatur.

Posteaquam verò ab obitu Simonis II Comitis Lippiensis, Otto & Bernardus filij Comitatum Lippiensem diviserant; is ne in posterum in alias atque alias partes laceraretur, Simon III, rogatu Richardæ Bernardi Comitis viduæ, legem sanxit, & in tabulas, quæ supersunt, retulit, ne Comitatus quantum se trans sylvam accisam porrigit, unquam dividatur, sed uni semper Domino pareat. Quòd si plures filij suscepti fuerint, is imperet, quem Lipstadium & Lingovia acceptârint; ad quorum exemplum cetera oppida, Horn, Blomberga, Detmoldia & Castellani Vornholtenses, Brakenses, Falckenbergenses, Blombergenses & Detmoldienses se accomodent. Quæ & hoc anno festo D. Joannis Evangelistæ horum omnium sigillis confirmata sunt. Legem hanc postea Rudolphus II & Ferdinandus II comprobarunt. Bono id consilio ad familiæ potentiam firmandam factum, ne dum multi Comites aspicerentur, nullus ei his pro dignitate Comes esset. Sed tum facilè erat hanc legem sancire, cùm ceteris filiis ostia ad Canonicorum Collegia & Cœnobia altioresque in ijs dignitates adeundas paterent, quæ pòst ipsis à majorum religione desciscentibus sunt occlusa.

Rudolp. anno 1593. Ferdinand. anno 1626.

Subtraxit

Subtraxit & mors vicinum nobis Episcopum Mindensem Ottonem de Wettin, quem Viennam usque Imperatorem affectatum diximus, cum vix anni expleſſet gubernationem; virum tam ætate provectum, quàm eruditione & virtute conspicuum. Funus in templum Prædicatorum, quod vivus expetierat, 17 Julij deductum. Statimque ab excessu ejus cives Mindenses, facta per plebeos impetus eruptione, castra Vlote & Vornholt expugnant, & incendiis absumunt. Quâ insolentiâ quoque abreptus Simon Comes Lippiensis Oppidum Lubekenam invasit, inflammatumque suis cineribus involvit. Motus hosce Widekindus de Monte compressit, quem mox è patriâ Advocatorum nobilitate & Præposito ejus Ecclesiæ creavêre Episcopum, virum gravem, & populariũm gratia acceptum, omnique virtutum commendatione egregium.

Chron. Minden. Lerbec. in Chron. Crantz. lib. 10. Metrop. c. 25. & 33.

Otto de Wettin Ep. Mindensis moritur. Ei succedit Widekindus de Monte.

Et jam Florentius Monasterienſis Episcopus annum quintum gubernationis feliciter ingressus, multa eo tempore præclarè gesserat. Nam Steinfurdiensem præpotentem Dynastam, quem tutorem diœcesis delegerant, facta transactione sibi intime conciliârat; uti id publicis literis, quæ supersunt, testatus est Dynasta; itàque sibi omniumque animos mira prudentia & humanitate devinxerat, ut quàm invisus accesserat, tam gratus laudarerur ab omnibus; postquam visus est sacra insigni religione, & civilia syncera mente, magno diœcesis emolumento tractare, æs alienum dissolvere, quinque liberos Comitatus, quos Frigraviatus dixêre, redimere, castra instaurare, hostium arma & incursiones fortiter propulsare, multaque ædificia & molendina Cœsfeldiæ, Wolbecæ, aliisque in locis opportunè construere, quæ omnia suis impensis supra 10000 millia marcarum confecit. Haud inutili documento, non ex fama vulgique sermone, sed ex virtutum aspectu atque ipso experimento Principes æstimandos esse.

Florentij Ep. Monast felix gubernatio.

Annus Christi 1369.

Urbani V Pont. 5.
Caroli IV Reg. 24 Imp. 15.
Henrici Spegelij Ep. Pad. 9.

Cœperat magnis animis Cuno Trevirensis Archiepiscopus, & Colonienſis Ecclesiæ Vicarius, amplissimam convulsamque diœcesin Colonienſem in meliorem statum feliciter componere; cùm altero mox anno ab urbe Colonienſi & nobilitate exorta procella cœptum turbavit opus. Quippe Magistratus ac cives ad imminuendam cleri immunitatem plebiscito vetuêre, ne in posterum frumentum, vinum, ceteræque Cleri merces à tributis liberæ essent: ne vinum alibi quàm in designatis à Magistratu domibus venderetur: ne quicquam emeretur à Clericis; adhæc alia illis onera, & vectigalia imposita. Cuno cùm antiquari decretum peteret à Magistratu, eò quòd

Chron. Colon. Trithem. in Chron. Brouwer. lib. 18. Annal. Trevir. Chron. M. Belg.

Rebellio Nobilitatis & Civium Colon. con-

tra Cunonem Archiep.

quòd veteri juri & libertati derogaret, nec quicquam impetraret; consulto Pontifice, urbem interdicto subjecit. Quo cives magis exacerbati, cùm iniquiora etiam minitarentur; Cuno omnem Clerum ex urbe in vicina oppida migrare jussit. Stetitque urbs octodecim mensibus omni sacrorum usu orba. Accessit alterum malum ex nobilitate, quæ, seu conspiratione civium incensa, seu odio Cunonis, licentiaque ætatis illius, ad arma prosiliit, & diœcesin spoliis & hostilibus armis pervasit. At Cuno excelsi animi præsul, horum impatiens, toparchas & clientes ad arma convenire jubet; acriquè prælio inito, cæsa profligataque nobilitas: capti ad sexaginta ordinis equestris viri victori cessere Cunoni.

Brav. in theatro urbium in Tremon.

Theodoricus Marcano urbem Tremonienſem intercipere tentat, sed irrito conatu.

Per hanc quoque tumultuarij belli licentiam Theodoricus Marcanus Dinslaci Dominus, quem supra Osnabrugensis diœcesis Administratorem retulimus, urbem Tremonienſem per insidias tentavit intercipere, veteri Marcanorum in Tremonienses odio inflammatus. Dolus in hunc modum compositus erat. Plaustra quot fœni, quibus armatos milites incluserat, in urbem ducit. Militibus imperatum, dum plaustra portas intrarent, exsilirent, excubitores resque civium obtruncarent, dum ceteræ cohortes in propinquo additæ advolarent. Sed detecta in ingressum fraus. Extracti obtruncatique milites. Rei etiam conspirationis cives publico capitis supplicio in foro plexi. Liberatæ civitatis annuam supplicationem grati cives decrevêre.

Annus Christi 1370.

Urbani V Pont. 8.
Caroli IV Reg. 25. Imp. 16.
Henrici Spegelij Episcopi Pad. 10.

Interim Cuno Archiepiscopus cum animo suo reputans tantæ negotiorum moli, quam ex difficili geminæ diœcesis procuratione susceperat, vires sibi uni non sufficere, duo sibi sapienter faciendo censuit; tum ut Mareschallum Ducatus Westfaliæ constitueret, qui in partes laboris veniret: tum ut abdicatæ Colonienſis Ecclesiæ administrationi alium Archiepiscopum subrogandum curaret. Utrumque hoc anno millesimo trecentesimo septuagesimo exacto filio & assensu primarij Collegij confecit. Nam primùm evocatum ad se Henricum Spegelium Paderbornensem Episcopum nostrum, quocum hactenus multa de Westfaliæ gubernatione pertractârat, Mareschallum Ducatus Westfaliæ cum approbatione ordinum nominavit. Magni hunc virum æstimabat Cuno, quem inter Westfaliæ Præsules ac Principes non modò sibi consanguinitate junctum & præclarè de se & Ecclesia Colonienſi meritum, ut in publicis hac super re tabulis testatur Cuno, sed & ingenio manuque militari promptum, auctoritate inter suos præstantem, & confinis Paderbornensis nostræ diœcesis potentia subnixum, agendique solertia

Henricus Ep. Pad. Mareschallus Ducatûs Westfaliæ à Cunone Archiep. Colon. constituitur.

cele-

celebrem habebat. Nec ingravatè Spegelius Mareschalli munus admittere visus; quòd eo imperio & dignitate auctus, simul suam diœcesin & Corbeienses eò potentius tueri posset adversus vicinos Comites hostesque. Hinc fortè etiam spem sibi fecerat posse eam dignitatem firmiori aliquo mutuæ defensionis inter utrumque Episcopatum nexu Paderbornensi Ecclesiæ conjungi. At priusquam Cuno hanc supremi Mareschalli dignitatem transferret in Spegelium Episcopum nostrum; multis præscriptis conditionibus actum in hoc conventu Præsulum Colonienſis Ecclesiæ: de fide videlicet inter utrumque Episcopum, de obedientia & obsequio omnium Satraparum, Castellanorum, Oppidorumque Mareschallo præstando: de bellis gerendis, de impensis & damnis sarciendis, castrorum defensione, limitum custodia, & quæ ejusmodi prolixis admodum tabulis Gudesbergæ Anno MCCCLXX pridie Nonas Aprilis, ac festo D. Ambrosij, quòd tum eo die ex mortis ejus memoria agebatur, consignatis exponuntur, & apud nos in tabulario patrio sermone conscripta servantur. Hisce simul literis profitetur Cuno & Canonici majoris Ecclesiæ Colonienſis, Mareschalli munus Godefrido Arnsbergensi Comiti octo millibus aureorum oppignoratum fuisse, atque ad id redimendum, ne qua vel à Godefrido Comite, vel à consangineis lis moveretur, eâdem pecuniæ summâ, quæ ab Henrico Paderbornensi Episcopo representata fuit, Mareschalli munus redemptum fuisse. Invicem à Cunone & Colonienſibus pignori cessisse Episcopo & Paderbornensi Ecclesiæ castrum Hovestadium, Rudenam, Nordenar, Cogelenbergam, Almam & Oppidum Luden cum proventibus Ducatus Westfaliæ, & qui castris illis proventus bonaque Colonienſium innexa hærebant.

Atque ea dum hebdomada ante solemnem in Ecclesia Palmarum diem aguntur, rursum pridie Palmarum conventum. Quo in congressu ordinum Cuno solemni ritu Henricum Episcopum nostrum Mareschallum totius Ducat⁹ Westfaliæ hisce literis renunciat.

Cuno Dei gratia sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Imperii per Galliam Archicancellarius, Vicarius Ecclesiæ Colonienſis in spiritualibus et temporalibus authoritate Apostolica deputatus, Dilectis nobis universis et singulis Castrensibus, vasallis, ac in Susato, in Hervordia, et aliorum quorumcunque Opidorum officii Marschalcatus Ecclesiæ Colonienſis in Westfalia Opidanis et universitatibus, nec non quibuscunq; fidelibus et subditis in dicto officio Marschalcatus residentibus, seu ad ipsum pertinentibus, gratiam nostram cum salute. Noveritis quod Nos de legalitate ac fidelitate, et industria venerabilis in Christo Patris Domini Henrici Episcopi Paderburnensis consanguinei nostri dilecti, singularem fiduciam obtinentis, ac ad succurrendum tribulationibus et invadentium insultibus, quibus graviter angariamur, ipsum de consilio et voluntate venerabilium Decani et Capituli Ecclesiæ Colonienſis nostrum Marscalcum in Westfalia fecimus et constituimus,

tuimus, facimus et constituimus per præsentes juxta formam et continentiam aliarum literarum nostrarum inter nos et dictum Dominum Episcopum super eo confectarum, vobis et cuilibet vestrum idcirco sub debito fidelitatis, quo nobis et Ecclesiæ Colonienſi constringimini, mandantes, et serioſe volentes quatenus eidem Episcopo tanquam vero vestro Marscalco in omnibus licitis et honestis, in judiciis et extra, pareatis fideliter et intendatis. In quorum testimonium Vicariatus nostri ac Capituli Colonienſis prædicti sigilla præsentibus sunt appensa. Quod Nos Decanus et Capitulum prædictum profitemur esse verum. Datum Gudesberg, Anno Domini Mccc *septuagesimo in vigilia Palmarum.*

Hunc fere in modum Cuno pridie Paschatis Gudesbergæ literas dedit ad omnes Satrapas, Præfectos, Castrenses; quibus significat Henricum Paderbornenſem Episcopum à se & Colonienſis Ecclesiæ Præsulibus ac Canonicis totius ducatus Westfaliæ, Comitatus Arnsbergenſis, & vestæ Rechlinghusanæ Mareschallum præstitutum esse. Quare ejus imperio, secundum ea quæ transacta sunt, pareant, castra & Oppida patefaciant, mutuis fidisque auxilijs præsto sint.

Pars pecuniæ conventæ ad redimendum officium Mareſcalli ab Henrico Ep. numeratur.

Et Henricus Episcopus noster, ut fidem suam exsolveret in numeranda pecuniæ summa, qua Mareschalli munus à Comite Arnsbergenſi redimendum convenerat, festo Christi Ascendentis in Cœlum quinque millia florenorum, partem videlicet conventæ summæ, numeravit. Quod hæc apocha commonstrat.

Nos Josvvinus de Duysberg Canonicus Ecclesiæ Colonienſis, et Burchardus de Westerholte Pastor Ecclesiæ in Holtheim Colonienſis diœcesis, notum facimus universis, Quod honesti viri Domini Johannes de Winsbergeroyde Canonicus et Camerarius Ecclesiæ Paderburnenſis, Fridericus de Brencken miles, et Bertoldus de Geysmar Opidanus in Wartberg ex parte Reverendi Patris Domini Henrici Episcopi et Ecclesiæ Paderburnenſis nobis parata et numerata pecunia nobis ex parte Domini nostri Domini Archiepiscopi Trevirenſis et Ecclesiæ Colonienſis præsentibus, et ad id juvantibus, realiter tradiderint et persolverint nobili viro Domino Godfrido Comiti de Arnsberge, ac suis amicis recipientibus et levantibus quinque mllia florenorum ponderosorum ratione redemptionis officii Marscalcatus terræ Westfaliæ, eidem Comiti obligati. Sic quòd nos nomine dictæ Ecclesiæ Colonienſis et præfatus Comes pro se de solutione dictorum quinque millium florenorum plene contentamur, et est contentus. In quorum testimonium sigilla nostra appendimus huic scripto. Datum Anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo in die Ascensionis ejusdem.

Inteſtinum bellum inter Arnoldum à Brencken & Wenemarum à Furſtenbergium.

Quæ dum uterque Episcopus pro bono publico tractat, oritur inteſtinum privatumque bellum inter utriusque Dynastas, Arnoldum à Brencken & Wennemarum Furstenbergium, quorum ille diœcesis Paderbornenſis, hic Colonienſis erat; quo bello utriusque diœcesis nobiles inter se collisi, quos uterque cum clientibus suis in socialia arma, ut tum moris erat, pertraxerat. Causa belli incerta. Acri interim

interim certamine inter se commissi; profligatique Brenckij sese in Monasterium Virginum Canonicarum Bodecense, quod angusto aditu in valle inter abrupta montium situm est, retraxêre. Furstenbergius victor ac prædabundus hostem insecutus, in diœcesin Paderbornensem irruit: Cœnobium Bodecense, quo castri in modum se incluserant Brenckij, oppugnat; nec prius expugnati Brenckij, quàm injectis ignibus (seu fortuito id casu factum sit, seu nobilium furentium licentia) Cœnobium cum templò conflagrârit. Sanè Furstenbergius cum suorum militum culpa id factum agnosceret, ingentem pecuniam submisit; qua & Cœnobium instauraretur, & damnum innoxiis Virginibus compensaretur. Verùm ut monumenta Bodecensium memorant, ea pecunia à Brenckijs intercepta interversaque est; & Furstenbergius, quod alterum synceræ mentis argumentum dedit, ob damna diœcesi Paderbornensi à suo milite illata, cum Henrico Spegelio Episcopo ex æquo bonoq; composuit. Quàm in rem Furstenbergius adesse voluit. Fridericum filium suum, egregium non minus pro ingenio Patris bellatorem, multisque bellis, ut tempori narrabimus, de Friderico Colonienſi Archiepiscopo meritum. Et hi Furstenbergij, quorum sedes erat in castro Watterlappio, stirps nostrorū ad hæc tempora Baronum Furstenbergiorum. Transactio verò in hunc modum facta est.

stenberg, Nobiles Diœcesis Pad. & Colon.

Nos Wenemarus de Forstenberg et Fridericus ejus filius præsentibus literis profitemur, et testatum facimus, nos cum venerabili Domino Henrico Episcopo Paderbornensi in hæc pacta amice convenisse: quod omnibus actionibus, quæ nobis in illum, et illius subditos possent competere, supersedebimus, quo ad prædictus Dominus vixerit. Quod si autem inter ipsum aut ejus subditos, et nos nova deinceps orietur controversia, eam intra quatuor hebdomadas coram Episcopo prædicto jure prosequemur; quo temporis spatio, si jus redditum non fuerit, liberum nobis erit, salva hac transactione, eum adire, qui jus nostrum nobis tribuat. Contra si Episcopo aut illius subditis nova nobiscum controversia post hæc intercedet, eaque super re appellabimur, intra proximas quatuor hebdomadas id quod justum erit faciemus. Casu autem quo Episcopus officio Marescalli Westfaliæ abiret, et Colonienſibus bellum inferret, fas erit nobis salvis his pactis Colonienſi Archiepiscopo opitulari. Porro si Episcopus, aut illius subditi nos hostiliter aggrederentur, salvis item his literis, nobis licebit vicissim hostilia facere. Quæ uti conventa sunt, Nos Wenemarus ac Fridericus ejus filius bona fide, quæ juramenti loco valeat, firmiter ac sine dolo nos observaturos pollicemur. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus literis appendimus. Datum anno Domini MCCCLXX *feria quinta post octavam Apostolorum.*

Convenit inter Wenemarum Furstenbergium & Henricum Ep. Paderb.

At Cuno Archiepiscopus, postquam de Marescallo providerat Ducatui Westfaliæ, hoc etiam anno salubriori consilio de certo Colonienſi Archiepiscopo subrogando agere cœpit, in quem alterum onus ex humeris suis rejiceret. Quam in rem Canonicorum majoris

Cuno administratione Diœcesis Colon. se

abdicat: Subrogatur ei Fridericus Sarawerdæ Comes, & nepos ex Sorore. *Brouver. l. 18. annal. Trevir. Gelenius in sacra. l. 1. synt. Vl. Chron. M. Belg. Chron. Colon. Trithem. in chron. Spanheim.*

Majoris Ecclesiæ senatum, Capellam, quod Oppidum est haud procul Confluentia, advocavit; ac suo primùm consilio Fridericum Sarawerdæ Comitem, ex sorore Falckensteiniana nepotem, ac Canonicum Colonienſis Ecclesiæ commendavit eligendum, juvenem magni ingenij, & virtutum ornamentis conspicuum, qui per id tempus absens in Bononiensi, academia trans alpes sacrarum studijs operam dabat, Cunonis consilium probavêre Canonici; ac mox Fridericum delegêre Archiepiscopum, quem satis intelligebant Trevirensium opes his turbatis temporibus potentius præmunitum fore. Id ubi Carolus Imperator didicit, ægre tulit; egitque apud Urbanum Pontificem pro Joanne Episcopo Argentinensi, quem ex Wenceslao fratre habebat nepotem, ad eam dignitatem transvehendo. At postquam Fridericus sese Pontifici coram obtulit, Pontifex memor familiaritatis, quam Bononiæ secum contraxerat, præsentem renunciavit Archiepiscopum, scriptisque ad Canonicos literis magnopere cohortatus est, uti omnium ope connixi in possessione collocent; juventutem ejus maturis consiliis adjuvent. Ita verò anno proximo Fridericus in Colonienſem Archiepiscopatum introductus; quem exinde magnificè & sapienter per 44 annos administravit, Henrico Spegelio Episcopo nostro, haud secus quàm Cuno, eodem vinculo cognationis & animo conjunctissimus, quæ res multum contulit ad patrocinium felicitatemque hujus diœcesis.

Fœdus publicum plurium Comitum, Nobilium, Civitatum, auctore Henrico Ep. Pad. initum.

Henricus Episcopus noster qua erat auctoritate, pro Mareschalli munere hoc statim anno vicinos Episcopos, Comites, Dynastas & civitates Westfaliæ ad publicum fœdus adversus prædones & publicæ pacis perturbatores adduxit, quod & publico omnium juramento confirmatum est. In hoc tam salutare fœdus accessêre Fridericus Colonienſis Archiepiscopus, Wenceslaus Dux Brabantiæ Caroli Imperatoris frater, Wilhelmus Dux Juliacensis, Adolphus Clivensis Comes, Colonia, Aquisgranum, Tremoniæ, ceteræque potentiores civitates. Nam per id tempus magna fœdaque Comitum, Nobilium, ac prædonum licentia erat, qua & Wilhelmus Montium Comes haud procul Tremonia captus abductusque, nec prius libertati restitutus, quàm 40000 veterum scutorum penderet; quanquam id alij ad annum 1374 referant. Audaciore etiam facinore Engelbertus Marcanus Comes Ludinghusanum Oppidum Monasterienſis diœcesis, ac feudum Werthinensis Abbatis, obsedit expugnavitque, ejecto Hermanno Ludinghusano milite. Id licet Florentius Monasteriensis Episcopus pacis studio dissimulandum censeret, Ordo tamen nobilium cum id ferre nollet, contra Principis & Episcopi sui voluntatem & auctoritatem ad arma convolavit. Horum ductores Hermannus & Bernardus Drostij Steinfurdenſis, Merveldus, cæteriqui Dynastæ equestris ordinis viri, Ludinghusium armatu manu recipiunt. Cæsi Marcani complures, Marcanus Comes ægre fuga elapsus

Ordo Equestris Diœcesis Monast. Episcopo suo rebellis succumbit.

O

Ob id factum, quo publicum pacis fœdus violatum erat, utriusque partis rei postulati Susatum, mulcta 4000 scutorum damnantur à pacis conservatoribus, quos inter Henricus Episcopus noster supremus judex considebat; qua mulcta, ut se eximeret, Monasterienſium nobilitas, facta ab Episcopo suo secessione, descivit ad Eduardi Gelriæ Ducis præsidium; sed & ille haud multò post in pugna Baccwilerana extincto, deserta à Gelris. Qua opportunitate Florentius nobiles adorsus, alium post alium oppressit, & fortunis exutos in ordinem redegit. Observatumque nobilitatem Monasterienſem, quamdiu cum suo Episcopo concors pugnavit, opibus & gloria ante cœteros floruisse; at postquam ab hoc magnanimo Episcopo primum obteri cœpêre, multum à priori potentia & felicitate excidisse.

Nono Octobris hoc anno, quo festum D. Dionysij agitur, obijt Henricus de Heryordia, ortus ex Hervordiæ oppido Comitatus Ravensbergensis & diœcesis nostræ, à primo ætatis flore cooptatus in familiam D. Dominici, sacerdos religione & doctrina inter suos ea tempestate celebris. Historiam à condito orbe ad sua tempora triplici ac grandi librorum volumine complexus est; quorum duo priora asservantur à Ferdinando Episcopo, tertium per aliorum manus distractum; nullum adhuc hactenus publicæ luci datum. His ille laboribus scribendo dictandoque Mindæ immortuus, sepultusque est ante chori ostium in æde sui Cœnobij. Corpus ejus Carolus IV Imperator, cùm post septennium Mindam adiret, ob præclaram nominis famam, laboresque pro Republ. in scribendis historiis susceptos, exhumatum honoratiori loco ante principem aram condi jussit. Tantum honoris sapientissimus Cæsar viris doctis, quorum amans erat, historicisque detulit.

Chron. Mind. Moritur Henricus de Hervordia, celebris sua ætate scriptor.

Annus Christi 1371.

Gregorij XI Pont. 1.
Caroli IV Reg. 26. Imp. 17.
Henrici Spegelij Episcopi Pad. 11.

Fine anni præcedentis, XIX videlicet Decembris, moritur Urbanus V Pontifex, postquam mense Septembri ex Italia in Gallias redijsset; id quod ei religiosus quidam, ac D. Brigitta futurum prædixêre, si desertâ Româ Avenionem repeteret. Subrogatus Petrus Rogerius Cardinalis, gente Aquitanus, appellatusque Gregorius eo nomine XI, à quo post Apostolica sedes Romam reducta est. Objit & hoc anno Gerlacus Nassovius Moguntinus Archiepiscopus, Metropolitanus noster, in cujus locum Canonici postulavêre Cunonem Trevirensem Archiepiscopum; sed cùm ille hanc dignitatem recusaret, elegêre Canonici Adolphum Nassovium Gerlaci fratrem, qui per id tempus Spirensis Episcopus erat. Verùm & hanc electionem turbavit Carolus Imperator, impetravitque sedem à Gregorio Pontifice

Trithem. Serrar. in Mogunt. Brusch. Obitus Urbani V Pont. Et Gerlaci Nassovij Archiep. Moguntini.

Pontifice Joanni Argentinensi Episcopo, ex Wenceslao fratre nepoti, viro probo quidem nec inutili, sed qui pro simplici indole tanti muneris amplitudinem auctoritatemque non expleret.

Suprema Comitatûs Arnsberg. præfectura Henrico Ep. Pad. à Cunone committitur.

Hoc præterea anno Cuno Archiepiscopus, ob præclara merita fidemque sibi & Colonienſi Ecclesiæ hactenus præstitam, Henrico Episcopo nostro, quem Mareschallum Ducatus Westfaliæ superiori anno fecerat, etiam Comitatus Arnsbergensis supremam præfecturam tradit, illiusque imperio Arnsbergam, ejusque Comitatûs castra & oppida submittit. Quam in rem publicæ apud nos tabulæ extant, patrio sermone conscriptæ, ipsiusque Cunonis sigillo Dominica tertia Quadragesimæ firmatæ, quo conficitur Cunonem ad hoc Vicarij munere in hunc etiam annum præfuisse Colonienſi Ecclesiæ, secus quàm Colonienſium Scriptores tradant, Fridericum Archiepiscopum anno superiori introducendo. Igitur Fridericus Archiepiscopus postquam hoc anno primùm diœcesin ingressus,

Friderico gubernationem Archiep. Colon. aggressus, multa prudenter ordinat,

magnis animis felicique successu sacram præfecturam suscepit; primumque illi negotium fuit, cum Magistratu ac civibus Colonienſibus in concordiam venire; quos cùm deduxisset ad iniquum senatus consultum, quod sanxerant adversus cleri libertatem, abrogandum, reducto in urbem clero, usum sacrorum restituit. Indè postea ad ipsum clerum formandum postridie D. Remigij celebrem totius diœcesis synodum convocavit; in qua cùm vetera Archiepiscoporum decreta sint renovata, tum multis novis ac salutaribus statutis cleri populique disciplinam in melius composuit. Hisce dein sapienter constitutis, armatus Comitatum Newenaricum ingressus, Newenariam, Gustorpium, Rodenbergam, Breckendorpium, Mertzenichium, ceteraque nobilium prædonumque arces captas evertit. Cùm interea urbs Colonienſis fœdo cruentoque dissidio tumultuaretur; modò civibus adversus Magistratum pugnantibus, duplicemque senatum, quorum alter ex patriciis, alter plebeis constaret, extorquentibus: modò senatu cum senioribus civibus adversus textorum & pannificorum rebelles tribus digladiantibus. Haùd aliàs civili magis sanguine conspersa Agrippina, quæ vindex Dei pœna consecuta urbem videri poterat, ex quo jura sacrorum & libertatem violarât. Administrabatur interea Ducatûs Westfaliæ per Henricum Episcopum nostrum ac Mareschallum, magno Friderici Archiepiscopi levamento, magnaque ordinum concordia. Is & hoc anno tria millia florenorum, quæ ex priori summa emptor Comitatûs Arnsbergensis restabant, Friderico Archiepiscopo in congressu ceterorum ordinum numeravit. Qua super reservantur apud nos literæ Friderici Archiepiscopi manu & sigillo Gudesbergæ eo die, qui ad Petri vincula sacer agitur, consignatæ.

Wennemarus

Nec multò post Fridericus Archiepiscopus, postquam Ducatum Westfaliæ perlustrârat, Wennemarum Furstenbergium, veter-

nos

non minus equestrium nobilitate quàm militaribus artibus egregium, Arnsbergensis Comitatus supremum præfectum ac Satrapam imponit: hisce simul legibus præscriptis, ut fidem & obsequium Colonienſi Ecclesiæ præstet: castra, oppida, jura, atque incolas Comitatus pro virili defendat, neque quicquam detrahi patiatur: hostis sit omnium, quotquot hostiliter Colonienſem Ecclesiam aggressi fuerint: non permittat nova castra arcesque excitari: Mareschallo Ducatûs Westfaliæ fida in omnibus opera bellique manu adsit: bella quæ gesserit, Archiepiscopi impensis gerat; uti in hanc rem multa præscribuntur, datis Brunsbergæ literis, anno MCCCLXXI, consequente post festum D. Luciæ die.

Furstenbergius supremus Ducatûs Westfaliæ Satrapa à Friderico Archiep. constituitur.

Ad hunc modum suprema illa præfectura Arnsbergensis, quæ à Cunone Archiepiscopo paulò ante data erat Henrico Episcopo nostro, translata est in Wennemarum Furstenbergium; seu ut fidum ex nobilitate sua illi adjutorem bellique socium adderet, ne totius Westfaliæ ducatus gubernatio penes externum Principem esset: seu ut Furstenbergium bellicosum virum, quemadmodum proximo contra Brenckios bello ostenderat, sibi arctius devinciret, & cum eo magnam nobilitatis partem ad se traheret, in quo haud minus, quam inipso Mareschallo præsidium habiturus esset.

Castrensis pax à quibusdam Nobilibus inita.

Reperiuntur etiam vetustæ apud nos literæ, Castrensium Strombergensium, quibus Adolphus de Battenhorst miles, Joannes Burgravius Strombergensis, Lambertus de Battenhorst, Lubertus Valcke ministri, ut se vocant, & Castrenses Strombergenses perpetuam Castrensem pacem cum Henrico Paderbornensi, & Successore, totoque Capitulo juramento firmatam composuêre; sicuti eandem à Florentio Monasterienſi Episcopo suo & Collegio Cathedrali probatam produxêre. Termini hujus pacis servandæ includuntur via, quâ prodigiosa crux circumfertur. Literæ tribus sigillis signatæ; quorum primum tribus avibus, alterum leunculo erecto, tertium transuersis trabibus notatur: adscriptus annus MCCCLXXI, dies, Nativitas S. Joannis Baptistæ.

Cruentum bellum inter Ducem Brabantiæ, & Juliacensem.

Magnopere hæc pacis fœdera sollicitabantur, quando omnia circum personabant armis. Et hoc anno grave etiam bellum inter Wenceslaum Brabantiæ Ducem, Caroli Imperatoris fratrem, & Wilhelmum Ducem Juliacensem exarsit. Causa belli prædæ & spolia negotiatorum, quæ impune permittebat Juliacensis nobilibus suis, quæque ex imposito munere ultum ibat Brabantinus. Quare validus ab eo contractus exercitus ex Belgio, Galliâ, Lotharingia. Nec segnior Juliacensis traxit in societatem belli, Joannem Nassovium Comitem Dillenbergæ, Rupertum Nassovium Hadimariæ Dominum, Gerardum Comitem Catzenelenbogicum, Eduardum Gelriæ Ducem, Wilhelmum Montium Comitem, quocum ingens Westfalorum nobilium & ignobilium multitudo confluxit, prædis Brabanti-

Trithem. Fossard. Annal. Fland. Chron. M. Belg. Chron. Colon. Pont. in

Gelr. Rudolphus de Ricco. apud chapeav. Brouver. lib. 18. Annal. Trevir.

Brabantinorum illecta. Postquam apud Baeswilerium inter Rhenum & Mosam acies 22 Augusti in conspectum venêre, decertatum est cruento prælio, quod à varijs descriptum est variè. Profligatus ad extremum Brabantinus, occubuêre utrimque octo armatorum millia; ex his septingenti equestris ordinis, interque hos Eduardus Dux, quem florem Gelriæ appellabant, cecidit. Numerus captivorum duorum millium fuit, quibuscum & Wenceslaus in potestatem Juliacensis venit. Abdita Dei consilia! qui justa causa pugnabat, vincitur, capitur, & in Nideccanæ arcis carcerem compingitur.

Eduardo Geldro occiso, Reinaldus frater è decennij carcere extrahitur ad regimen; sed & illo triduo post extincto, & in eundem cum fratre tumulum illato, Nassavica simul cum his stirps, quæ trecentis annis Gelriam tenuerat, succisa fuit; Geldriâque exinde potitus Wilhelmus Juliacensis Dux, Juliæ illam conjunxit.

Nobilium Monast. conspiratio contra Episcopum suum.

Fuit & suis hoc anno turbis agitatus Florentius Monasteriensis Episcopus. Abierat is trans Rhenum ad paternam Wevelinghovenam sedem; protractâque aliquanto longuis absentiæ morâ, conspiravêre nobiles in Episcopum, sparsâ in vulgus famâ Florentium Avenionem ad Pontificem profectum esse, ut in potestate Pontificis deponeret Episcopatum, alteri in perniciem diœcesis conferendum. Quibus falsò persuasis, fœdera ineunt ordines, constituitur novus diœcesis Gubernator, creantur cum potestate necis vitæque judices Florentio infesti; nec alia hujus odij causa arrepta, quam quòd privilegiâ à Conrado Montium Comite, obtrusoque antehac Episcopo data nobilibus Florentius auctoritate Pontificis abrogasset. Postquam à Rheno regressus Florentius, reperit omnia conturbata in diœcesi sua, & quod iniquissimum erat, ab ingressu est prohibitus; quæ res adeo optimum afflixit Episcopum, ut cum quadraginta annorùm vitam ageret, nulla adhuc capitis canitie aspersam, intra paucos dies incanescere sit visus. Igitur non prius in diœcesim receptus est à nobilitate, quàm certis conditionibus vetera quædam pacta renovaret; at ille postquam plenum gubernationis clavum rursum adeptus, inito cum Engelberto Marcano Comite fœdere suisq; cum Marcano armis conjunctis, Dincklagam, Odingam, Vechhusium, Loenhusium, ceteraq; nobilium & prædonum castra arcesque expugnatas evertit, nobilitatiq; frenum injecit. Meppiam etiam ad Confluentes Amasis & Hassæ fluvium fossis ac muris inclusam præmunitamque ex pago hostibus objecit.

Ertwinus in Chron. Osnabrug. Cleinsorg. in Chron. Pideritius in chron. Lippien. Gen. 8.

Arsit & vicinius nobis bellum inter Simonem Lippiæ & Ottonem Teclenburgi Comites. Belli causam Rhedæ castrum Oppidumque ad Amasis flumen dedit, quæ Lippiensis à Teclenburgico cum dynastia repetebat; frustraque inter lites consumptis literis Lippiensis armis aggreditur Teclenburgicum. Quibus ille pressus implorat Wilhelmum Montium Comitem, virum ea tempestate bel-

bellicosum, simulque Ravensbergensem Comitem. Nihil his territus Lippiensis arma convertit in Montium Comitem, vicinumque sibi Comitatum Ravensbergensem spolijs & depopulatione pervastat. Tum verò quod uterq; hostilibus armis læsus esset, Teclenburgicus & Montium Comes corpus jungunt; quibus in Comitatum Ravenbergensem progressi, Lippiensem conserto prælio profligant, captumque abducunt. Victo jam ex sorte agendum erat Lippiensi, & implorare aliorum opem; miseratusq; Lippiensis casum Engelbertus Marcanus Comes arbitrum se dedit, pacemque in has leges composuit. Simon Lippiensis filiam suam daret in Matrimonium Teclenburgico, & cum ea arcem Rhedanam in dotem transferiberet; deinde Lippiensis pro lytro penderet victoribus octo marcarum millia puri argenti; quàm summam cùm exhaustus Comes repræsentare non posset, exposuit Marcanus; ea verò cùm à Simone non redderetur, anno 1376 pignori accepit à Lippiensi arcem Lipperodiam, ipsumque Lippiense oppidum. Tanta jactura, ut fit, inferenti bellum fuit. Inde arx Rheda oppidumque & dynastia, quæ feudum fuit Episcopi Monasterienſis, mansêre in potestate Teclenburgicorum. Repetunt quidem hæc Lippienses, quòd ex filia Elica, haud multò post extincta, nulla proles suscepta fuerit; sed lite in hunc modum prorogata, possessio Teclenburgicis patrocinatur.

Teschemach. p. 246. Simon Comes Lippiensis Comitem Teclenburgicum bello aggreditur, sed infelici successu.

Bellis hisce, etsi in vicinia flagrarent, nondum se miscuit Henricus Episcopus noster, qui id unum agebat, ut pacis fœdera legesque, quæ ipso auctore sancitæ erant servarentur. Salubriori etiam consilio Henricus Episcopus noster, ut se potentum nobilium ope muniret, permisit Bernardo ab Hörde, præpotenti ex equestri ordine viro, ad Luppiæ flumen intra diœcesin Paderbornensem castrum Boock construere, loco à Caroli M. ætate etiam celebri; quod Hördius, ubi absolutum fuit, ultro clientelare fecit Episcopo & Paderbornensi Ecclesiæ. Anno dehinc 1376 ex assensu Collegij Cathedralis Temmoni ab Hoerde, Friderico militi, Theodoro, Bernardo, Engelberto & Temmonis filijs pro 150 marcis pignori oppositi villam regiam in vico Ervete; ea tamen lege, ut quovis tempore redimi posset.

Castrum Bokense à Bernardo ab Hörde construitur.

Annus Christi 1372.

Gregorij XI Pont. 2.
Caroli IV Reg. 27. Imp. 18.
Henrici Spegelij Episcopi Pad. 12.

Subeunte dehinc anno fluentis sæculi septuagesimo secundo, Carolus, accepto fraternæ cladis nuntio, ingenti dolore accensus, retulit ad Imperij Principes de Wenceslao fratre è manibus Juliacensis redimendo; & cùm parum promoveret, Treviros se contulit ad Cunonem Archiepiscopum, columen ea tempestate Imperij, collatisq; cum eo consilijs Aquisgranum cum Impetatrice proficiscitur. Imperator labo-

Trithem. in Chron. Spanheim. Brouver. lib. 18 annal. Chron. Colon.

rat pro redimendo Wenceslao fratre, à Duce Juliacensi capto.

Deducebantque Imperatorem Episcopi omnino undecim, Duces novem, Comites novem, centum equestris ordinis viri, majori pompa quàm militari robore; eo tamen splendore territus Juliacensis, Imperatoris arbitrio se accommodavit: postulatus ad dicendam causam, Aquas accessit; bellum, an pacem vellet, rogatus, pacem promptus acceptavit, captumque Wenceslaum Imperatoris fratrem gratis dimisit. Qua liberalitate Ducis provocatus Imperator, filio ejus Wilhelmo Ducatum Gelriæ fiduciario Imperij jure capessendum tradit: de ceteris captivis, quantum æquum esset, lytrum exigere permittit. Multum in hanc rem contulit Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, cujus auctoritate & consilio hæc transacta sunt inter Cæsarem & Ducem Juliacensem, quorum ille vicissim præsidio fultus Coloniam solemni inaugurationis pompa ingreditur, honorificentissimeque à Clero & populo obviam procedente excepta pro more in æde Metropolitana exquisito sacrorum apparatu sacrificium Missæ cantando peregit; mutuo deinde sacramento fidei urbe & Archiepiscopo palam edicto, omnia in veterem concordiam redière.

Confœderatio Stelligerorum, auctore Ottone Duce Brunswicensi instituitur.

Nullum per id tempus perniciosius malum grassabatur per Imperij viscera, quàm tumultuaria Comitum nobiliumque armis & prædonum spolia; dum videlicet Imperij languebat auctoritas, Imperatorq; legibus magis ac consilijs, quàm armis consuleret rebus publicæ. Quapropter ad hæc vulnera sananda ultro Principes & civitates in certa fœdera, juratamque armorum societatem convenêre; idque ut in Suevia & superiori Germania factum tradit Argentinensis & auctor Chronici Elwancensis; ita in Saxonia, Ottone Duce Brunswicensium auctore, confœderatio Stelligerorum instituta fuit, nomine à Stella ducto, quam proceres auream, ceteri argenteam chlamyde insutam gerebant. Fœderis hujus compositio erat, mutuis sese armis tueri, & qui unum fœderatorum lacesseret, omnium hostis peteretur. Latè hæc factio se per Saxoniam, Thuringiam, Hassiam, Buchoniam pertinuit, in qua & multi Westphali nobiles nomen dedêre; primaque hujus stelligeri fœderis vis, qui bis mille nobilium equitum, & trecentas quinquaginta arces numerabat, incubuit in Hermannum Hassiæ Landgravium, multisque damnis & spoliis provinciam eius afflixit.

Historia Landgrav. Thuring. Hassiæ Chron. Dilichius ad annum 1371. Brouver. lib. 18. annal.

Simile fœdus, auctore Henrico Ep. Paderborn. coaluit inter Episcopos Westphaliæ &c.

Hujusmodi fœdus, ut Gobelinus narrat, auctore Henrico Episcopo nostro, ac Westphaliæ Marescallo, viro publicæ pacis ac libertatis amante, inière Colonienses, Monasterienses, & Osnabrugenses Episcopi, quibus ille quartus accessit, adversus nobilium & prædonum rapacitatem. Eo fœdere Cleri & religiosorum libertati, mercatorum & peregrinorum securitati, totius denique Westphaliæ immunitati consultum fuit; sancitumque, ut nullo discrimine personarum deprehensi prædones suspendio mulctarentur. Eam quoque confir-

confœderationem auctore Henrico Episcopo nostro coaluisse Gelenius tradit, quæ deinde imperiali Caroli Cæsaris decreto confirmata. *Gobelin. ætat. 6. c. 72.*

Ausus interim hoc anno Joannes Burgravius Strombergensis, quem alij Burchardum, alij Hermannum volunt, fiducia opum castri sui, quod in monte Strombergensi præmunierat, infestare itinera, prædas liberè agere, nobilitatem spernere, atque ipsi Florentio Episcopo Monasterienſi, à quo multis beneficijs affectus erat, post spolia minas intentare. Monuit primùm Burchgravium Episcopus, recoleret secum, qua Cæsatis & Principum auctoritate confœderatio pacis recens facta esset, qui pacis conservatores, qua severitate sancitum in prædones hujusmodi. Quæ cùm frustra ageret Episcopus, nec Burchgravius desisteret tam vicinas regiones, quàm Monasterienſem diœcesin spolijs divexare, atque ipsorum Castrensium domos deprædari; Florentius Episcopus primùm ipsos Castrenses in ferocem hominem armavit, quorum viribus arx ejus Crassenteiniana (nam ejus familiæ creditus est) occupata eversaque est. Tum ille magis furere, deprædari, & Florentio Episcopo suo bellum denunciare. Ea demum insolentia Burchgravij commotus Episcopus, collectis suorum copiis & fœderatorum Episcoporum auxilijs, Strombergam obsidet, & ad deditionem compellit; victoriaque, quod Pontificis erat, clementer usus, nihil severius statuit in Burchgravium, nisi quod Strombergense castrum suo præsidio firmarit, & donaria ædis S. Crucis, quæ Burchgravius ad se per sacrilega etiam spolia traxerat, Ecclesiæ reddiderit. His quidem in præsens refrenata hominis insolentia, haud tamen compressa, qui haud multò post, ut referemus, ad eandem redierit. *Cleinsorg. in Chron.* Joannis Burgravij Strombergensis insolentia contra Episcopum sum reprimitur. *Chron. Monast.*

Annus Christi 1373.

Gregorij XI Pont. 3.
Caroli IV Reg. 28 Imp. 19.
Henrici Spegelij Ep. Pad. 13.

Ante exitum præcedentis anni celebris Episcoporum synodus à Joanne Archiepiscopo Moguntiæ indicta, ad quàm & Carolus Imperator accessit; agitatumque in ea de clericorum decimis, quas Pontifex per totam Germaniam petebat. Obstitêre tres Archiepiscopi, Moguntinus, Colonienſis ac Trevirenſis. Nec multò post Joannes Moguntinus Archiepiscopus, Imperatoris ex fratre nepos, veneno, ut fama fuit, extinguitur, novo Imperatoris dolore. Moritur Joannes Archiep. Moguntinus; succedit auctoritate Pont. Ludovicus Marchio Misnienſ.

In hujus locum denuo elegêre Adolphum Nassoviæ Comitem, Gerlaci Archiepiscopi fratrem, Episcopum Spirensem. Sed & hunc denuo rejecit Gregorius Pontifex; sollicitatusque à Carolo Imperatore, imposuit Ludovicum Misniæ Marchionem, Thuringiæ Landgravij fratrem, hominem, ut Crantzius scribit, inconstantem, qui post Halberstadienſem & Bambergenſem Episcopatum Moguntinum Archiepiscopatum ambivit; quocum Adolpho per octo an- *Hist. Landgrav. Hassiæ Serrar. in hist. Moguntin. Crantz. l. 10. Metrop. c. 23.*

Chron. Sclavia. Vrsberg. Paralip. Histor. Thuring.

nos certamen fuit, donec miserabili morte Ludovicus, ut referemus vitam clauderet.

Quo etiam malo per id tempus Osnabrugensi Ecclesiæ conflictandum fuit; sedi enim huic, ut supra diximus, Melchior Dux Brunswicensis Grubenhagensis ad potentum preces à Pontifice impositus erat, regebatque Ecclesiam illam in octavum annum; præsul quidem bonus rectæque mentis; sed qui prudentia, & alienis consiliis indigens, debitisque immersus, castra ferè omnia oppignorârat. Et fœdus quidem ille fecerat cum Henrico nostro ceterisque Episcopis de coërcendis prædonibus; patiebatur interim ex castro Quakenbrugensi suæ diœcesis per famosum prædonem infestari Hojanum Comitatum. Questus id semel iterumque Gerhardus Hojanus Comes cum Melchiore Episcopo, repetendo, quæ ablata erant; verùm cùm nihil à languido præside obtineret, filium suum Joannem Comitem cum agmine militum immisit in diœcesin prædas repetitum. Huic Melchior Episcopus cœco impetu armatus occurrit, commissusque ad pontem Batbergensem (qui Hasæ flumini instratus) prælio cum Hojanis, fœdè à suis nobilibus & civibus Osnabrugensibus inter primos fugam capientibus deseritur, captusque in potestatem Hojani Comitis venit, à quo & in carcerem detrusus. Clade hac accepta missi ad Hojanum à Collegio Canonicorum Theodoricus ab Horne Præpositus, Amelungus à Warendorp Canonicus, & bini consules Osnabrugenses, qui cum Hojano de Episcopo suo liberando agerent; at dum ille 10000 florenorum lytrum exigeret, quod nec Collegium probabat, nec Melchior præstare poterat, in carcere relictus est. Per hanc Episcopi absentiam diœcesis & Hojani & aliorum spolijs extremùm vastata fuit. Exspectabantur ex fœdere inito Fridericus Colonienſis, Florentius Monasterienſis, & Henricus Paderbornensis Episcopi; sed hi domesticis impediti, consilio magis quàm armis adstitêre. In has angustias redacti Osnabrugenses, Protectorem reposcunt Theodoricum Marcanum, Colonienſem Præpositum, Dinslaci Dominum, virum acri & militari ingenio, cui in XII annos vicaria Episcopat⁹ præfectura rursum data. Et ille ad III Idus Jannuarij Wildeshusij conventum indicit, in quo præsenti Hojano 10000 florenorum lytrum numeratum, & Melchior Episcopus in libertatem assertus; quem exinde Florentius Monasterienſis Episcopus & Theodoricus Marcanus Osnabrugum reduxêre, apud quem cum solum nomen Episcopi maneret, administratio omnis penes Theodoricum Marcanum fuit, qui mox Jburgum Teclenburgico oppignoratum redemit, circumlatoque nominis sui terrore, cetera castra hostibus vi extorsit; eoque fortissimo adjutore Melchior Episcopus per triennium deinceps sat prospere Osnabrugensem Ecclesiam administravit.

Melchior Ep. Osnabrug. commisso prælio, captivus à Comite Hojano abducitur.

Liberatur à Theodorico Marcano, cui vicaria Episcopatus præfectura committitur.

Henrico At quæ erat Henrici Episcopi nostri magnanimitas, & ingenij solertia,

solertia, multò ille felicius tranquilliusque Episcopi Paderbornensis, & Mareschalli Ducatus Westfaliæ præfecturam gerebat; adeoque Friderico Colonienſi Archiepiscopo se probabat, ut Mareschalli munus in triennium illi prorogarit, nec id tempus redimendum decreverit. Extant hac super re apud nos Archiepiscopi literæ, quibus Henrici Episcopi nostri singularem fidem, merita & industriam commendat, 8 Julij, festo D. Kiliani consignatæ. Ep. officium Mareschalli in Ducatu Westfaliæ ad triennium prorogatur.

Annus Christi 1374.

Gregorij XI Pont. 4.
Caroli IV Reg. 29. Imp. 20.
Henrici Spegelii Ep. Paderb. 14.

Et multum certè laborabat Henricus Episcopus noster, cujus magna erat auctoritas inter Westfaliæ Episcopos ac proceres, in publica pace firmanda. Quapropter eo auctore, ut Cleinsorgius ex vetustis literarum monumentis tradit, confœderatio ante biennium inita, hoc anno rursum inter Fridericum Colonienſem, Henricum Paderbornenſem, Florentium Monasterienſem, Melchiorem Osnabrugenſem Episcopos instaurata est. Ea confœderatio quòd bellorum freno, optata mercimoniorum securitate, prædonum compressa licentia, magnoque Westfaliæ bono procederet; Episcopis se in eam conjunxêre Engelbertus Marcanus Comes, Monasterium, Tremonia, Susatum, Osnabrugum, cæteræque per Westfaliam primariæ civitates. *Cleinsorg.* Renovatur confœderatio inter Episcopos Westfaliæ ante biennium inita.

Hoc concordi & potenti Principum urbiumque fœdere innixus Florentius Monasterienſis Episcopus, præclara per id tempus gessit in sua diœcesi. Adjutus enim ab Henrico Episcopo nostro, Melchiore Osnabrugenſi Episcopo, Ottone Teclenburgico, & Conrado Oldenburgenſi Comite, invictum hactenus castrum Dincklagen die S. Lamberti sacro expugnavit. Hunc in modum castri Velenſis Dynasta subactus: arx Beverena Orientalis, ex quo jure reciderat ad Episcopum cum fiduciariis & ministerialibus, asserta Ecclesiæ: Meppena, quæ jam ex pago in oppidum inclusa erat, castro, quod Paulinum dixit, præmunita: Wolbeca turribus & firmissimis ædificiis instructa: Telgeti, quòd Castrenses adversus Episcopum se erexerant, validissimum monumentum constructum, quod Florentinum ab ejus nomine dixêre: Bulcholdia, quam in dissidio Capituli & urbis hostes interceperant, Ecclesiæ Monasterienſi restituta: Harcottana arx bis obsidione liberata, semel depulso Ottone, iterum Bernardo Comite Lippienſi, Ottonis fratre, profligato. Demum bellum illi fuit cum Castellanis Ravensbergenſibus, & Benthemenſi Comite, ac Ravensbergenſi, quòd prædabundi diœcesin ingressi essent. Primum, collectis in arma copijs ad Versmell, qui diœcesis Osnabrugenſis est pagus, fudit. Qua clade exacerbati Ravensber- Præclara Florentij Ep. Monast. opera, in bonum Diœcesis patrata.

vensbergenses, Theodoricum Marcanum Osnabrugensis diœcesis administratorem, quòd is sibi eorum patrocinium vendicaret, traxêre in partes; confirmatique viribus Osnabrugensium in Monasterienses ferro flammaque irruptionem fecêre. Nec segnior Florentius, resumptis suorum armis, eos ad montem Vechtorpium consecutus, acri conserta pugna obtrivit; parsque in paludes acti, pars capti, pars obtruncati. Ibat paribus armis accinctus Florentius in Benthemensem Comitem, libere Monasterienſem diœcesin spoliis carpentem; jamque Comiti imminebat, cùm à suis desertus, bellum omittere necesse habuit. Hæc atque alia partim hoc anno ac superioribus à Florentio Episcopo gesta memorantur in scriptis Monasterienſium fastis.

Inter has publicas Westfaliæ curas, quantum etiam Henricus Episcopus noster ex Mareschalli munere distrahebatur; nihil tamen omisit privatis studiis res suæ Ecclesiæ augere. Habebat ille tum Collegium Cathedrale illustrium nobilium filiis virisque plenum; interque hos etiam ex Dynastis aliquot Burani fuêre, quos in eam mentem induxit, ut quatuor simul fratres hæreditatem suam paternam venderent Ecclesiæ Paderbornensi; id quod hisce publicis tabulis fecêre.

4 fratres è familia Bürana hæreditatem suam Ecclesiæ Paderb. vendunt.

Nos Bernardus, Simon, Joannes, et Henricus fratres nobiles de Büren fatemur publice pro nobis et nostris, veris hæredibus in hisce literis, quod nos vendiderimus nostram partem arcium et Oppidi in Büren cum suis appertinentiis Reverendissimo Domino Domino Henrico Episcopo, suis Successoribus, et Caputulo Paderbornensi, prout ex hæreditate nostrorum parentum accepimus, et nos à prænominatis Dominis in feudum habebamus juxta tenorem literarum nostrarum, quas ipsis desuper dedimus, et sigillavimus, et providos viros, Consules, Senatum, ac totam communitatem liberavimus, liberamus et dimittimus in his literis, liberos à juramento, quo nobis obligabantur, et quod adhuc obligati erant præstarè, et dimisimus et remisimus, et remittimus illos in his literis ad nostrum Dominum, suos Successores, et Capitulum Paderbornense præscriptos, ad omne hæreditarium jus ipsis præstandum omni modo, pro ut id nostris parentibus et nobis adhuc præstare tenebantur, neque illud ab ipsis unquam petemus, omni dolo excluso. In cujus fidem et confirmationem nostrum sigillum hisce literis appendimus. Testes hujus rei fuêre honorabiles viri Otto de Brencken Præpositus, Simon de Sterneberg Decanus, Alardus de Busche Cantor, Ioannes Westphalen Præpositus in Bustorff, Theodoricus de Gesede, et Conradus de Benfeld Canonici Paderbornenses, Domini Bertholdi filius, et strenui Fredericus de Brencken, Crato de Haersfels, Widekindus de Falckenrig, Fredericus de Hoerde Domini Heinemanni filius, Ludovvicus de Mollen judex, Joannes de Schorlemer senior, Theodoricus de Wentzgerode Nobiles, et alii multi honesti viri. Anno post Christi Nativitatem milleſimo trecenteſimo septuageſimo quarto, proxima Dominica post Petri et Pauli Apostolorum.

Erat

Erat quintus horum frater Bertholdus, in Werthinensi ad Ruram Cœnobio vitam monachi amplexus; is quòd & suum jus in Oppidum Buranum & bona Dynastiæ obtendere poterat, promisêre hi quatuor fratres, se hunc quoque fratrem in consensum adducturos. Id quod ille etiam haud multò post sub initium sequentis anni hisce publicis fidei literis præstitit. Ad eandem venditionem ijdem inducunt fratrem suum Bertholdum, in Werthinensi Cœnobio religiosam vitam amplexum.

Ego Dominus Bertholdus Nobilis de Büren Portarius Cœnobii Werdensis Ordinis S. Benedicti in hisce præsentibus literis fateor, quod mei fratres Simon, Joannes, et Henricus de Büren vendiderunt hæreditaria et perpetua venditione ex meo jussu et cum mea voluntate illorum et meam partem dominii, arcis et civitatis in Büren, quæ media pars est, cum omnibus appertinentiis Reverendissimo Domino Dño Henrico Episcopo, et suo Capitulo Paderbornensi juxta tenorem literarum, quas fratres mei desuper dederunt, et renuncio, omni juri, quod in isto dominio, arce, et civitate, et appertinentiis prænominatis habebam, vel ullo modo habere possem, et promitto in bona fide ipsi Domino Episcopo et Capitulo venditionem istam semper et firmiter tenere, et nunquam contra illam agere cum verbis aut cum factis, absq; omni dolo. In testimonium hasce literas meo sigillo signare feci. Datum anno Domini MCCCLXXV *quinto die Circumcisionis Domini.*

Annus Christi 1375.

Gregorij XI Pont. 5.
Caroli IV Reg. 30 Imp. 21.
Henrici Spegelij Ep. Pad. 15.

Hactenus Carolus Imperator Pragæ fere consedit, in Bohemiæ magis regnum, quam in Imperium intentus; ac cùm ob id intestinæ turbæ, privata bella spoliaque invalescerent, necesse habuére Electores Episcopi, ceterique Principes, fœderibus inter se initis armisque, oblanguentem Imperij auctoritatem explere. Tandem tamen Carolus Imperator hoc anno ex Bohemia in Saxoniam digressus, Lubecam cum Imperatrice veteri Imperatorum splendore ac majestate mense Octobri intravit. Assectabantur enim Carolum Fridericꝰ Colonienſis Archiepiscopus, Otto Marchio Brandeburgensis, Albertus Dux Luneburgensis, Albertus Dux Megapolitanus, Wilhelmus Misnienſis Marchio, Jodocus Marchio Moraviæ, Henricus ac Nicolaus Comites Holsatiæ; ingens præterea Comitum, Baronum, ac nobilium multitudo ex Saxonia confluentium. Nec minori pompa plausuque exceptus à civibus, deductusq; est à Magistratu in urbem, ac per decem dies regali magnificentia tractatus. Ibi dum Imperator publicè jus dicit, litesque ad se undique delatas aut componit, aut decidit; Colonienses quoque damnati sunt à Cæsare, bellumque mox exarsit inter urbem & Archiepiscopum, quod Henricum Episcopum nostrum Mareschallum Westfaliæ ad arma traxit. Enim vero sub initium hujus anni gravis lis & seditio resuscitata est inter cives & Magistratum: *Crantz. l. 10. Saxon. c. 1. Auctor. chron. Sclavici.* Carolus solenni pompa à Lubecensibus excipitur. *Chron. Colon. Cleinsorg.* Bellum Colonienſium contra Archiepi-

scopum suum, quod etiam involvit Henricum Ep. Pad.

magistratum; à quo cùm graviores exactiones imponerentur, quàm illi ferre volebant, cives quidam discordes ad Archiepiscopum appellavêre, ultro asserentes & contendentes Archiepiscopi esse non magistratus sui, tributa civibus imponere; quam jurisdictionem cùm tam promptè arriperet Archiepiscopus, ad imperium amplissima in urbe capessendum quam pertinaciter tuebantur magistratus, bellum intestinum ab ipsis civibus suscitatum exarsit. Archiepiscopus Imperatoris judicio fultus, à quo magistratus politico edicto damnatus proscriptusque erat, bona civium Colonienſium per diœcesin attineri jubet. Quo magistratus offensus accusare Archiepiscopum publicæ pacis violatorem, & duos Archiepiscopi ministros, Gerhardum Wevelinghovium Canonicum, Florentij Monasterienſis Episcopi fratrem, & Quæstorem Archiepiscopi in vincula rapere. Ob id factum Archiepiscopus urbem usu sacrorum interdicit. Cæsar literis festo S. Severini, 28 Octobris, Lubecæ datis scribit ad vicinos Episcopos, cumprimisque Henricum Episcopum nostrum Ducatus Westfaliæ Mareschallum, ad Duces, Comites, urbesq; Westfaliæ, ad omnes inter Rhenum & Mosellam publicæ pacis fœderatos, hortaturque uti Friderico Colonienſi Archiepiscopo adversus urbem Colonienſem consilio atq; armis præsto sint. Ita classicum primò cani cœptum, frustra urbe ad vetera Imperatorum privilegia appellante; ad quæ eadem contentione etiam appellabat Archiepiscopus. Et Cæsar eò pronior in Archiepiscopum, quo flagrantius ambibat Electorum suffragia pro Wenceslao filio coronando.

Gobelin. ætat. 6. c. 72. Paneg. Paderb. lib. 2. c. 13.

Auctor est Gobelinus noster Carolum Imperatorem ante filij coronationem Paderbornam venisse, magnificeque ab Episcopo nostro & Clero exceptum: sed hic Caroli accessus ad urbem nostram ad annum 1377, de quo post dicturi sumus, verisimilius erit referendus; quòd Carolus 28 Octobris adhuc Lubecæ versatus sit, & mox 2 Nonas Decembris Pragæ rursum fuerit, ubi iteratis ad ordines Imperij literis Colonienſes læsæ majestatis reos à se proscriptos denunciat.

Annus Christi 1376.

Gregorij XI Pont. 6,
Caroli IV Reg. 31. Imp. 22.
Henrici Spegelij Episc. Pad. 16.

Carolus pro Wenceslai filij sui in Imperio successione laborat.

Successit annus sæculi hujus septuagesimus sextus, Wenceslai filij Caroli inauguratione fatalis. Animadvertebat Imperator ætatem vergere ad extrema, & difficilem fore filij successionem, quem habebat quindecim annorum adolescentem, vix dum ex Ephebis egressum, ingenio vecordem, interq; Bacchanalia educatum, qui ventri magis quàm sceptro natus esset. Id cùm septemviri non ignorarent,

rent, aversique essent; multum quoque hactenus Wenceslai electio retardata fuit. Verùm Imperator, qui cœco magis amore filij familiæque agebatur, nihil non movit, quo in filium vivus insignia Imperij transferret: atque id, quod precibus obtinere non poterat, precio pervicit; Quippe, ut passim retulêre auctores, singulis Electoribus centum aureorum millia ex pacto oblata. Cui æri cùm solvendo non esset, oppida urbesque Imperij vendidit; quemadmodum in Suevia sedecim ejusmodi urbes inter vicinos Principes distraxit. Cùmque his promissa non expleret, Septemviris telonia & publica vectigalia oppignoravit; ac ne pignora hæc repeti possent, Principes juramento Imperatorem adegerunt. Quibus ita Imperij nervi accisi, quemadmodum libere Æneas Sylvius scripsit, ut exinde se attollere, nec lacertos veteres exserere potuerit; eò quòd Electores ad se omnia traxerint. Qua super re cùm vehementer Germaniæ populus quereretur, & in utramque partem hæc disceptarentur; Electores etiam sibi hæc non inique deberi obtendebant, quòd in ista Germaniæ perturbatione, legum confusione, & impune grassantium prædonum licentia ipsi soli majestatem Imperij defensionemque sustinerent. Tanti stetit ignavus Cæsar.

Æneas Sylvius Trithemius in chron. Spanh. Crantz. l. 10. Saxo. Cuspinia. in Carolo Ursberg. Paralip. Brouver. in annal. Trevir. l. 18.

Igitur Calend. Maji ad vicum Rense haud procul Confluentia apud Rhenum, ipsa die Pentecostes sacra convenêre Septemviri, Ludovicus Moguntinus, Cuno Trevirensis, Fridericus Colonienſis Archiepiscopi, Rupertus Senior Comes Palatinus, Wenceslaus Saxo, Sigismundus Brandeburgicus: Wenceslaum juvenem Caroli filium Regem Romanorum deligunt; quem mox Francofurtum profecti XII ejusdem mensis die solemni more Cæsarem renunciant. Inde secundo Mœno Rhenoque Bonnam usque Imperator cum filio & septemviris processit. Animus erat Coloniam versus carpere iter, atque inde Aquisgranum. Verùm cùm civitas illa, ut dicemus, cum Archiepiscopo bellum agitaret, immissisque in Rhenum palis navigationem obstruxisset; deflexo itinere Aquisgranum concessêre; ubi pridie Nonas Julij Fridericus Colonienſis Archiepiscopus Wenceslaum regalibus ornamentis decoravit, augustalique ceremonia Regem inunxit. Novis istic muneribus ab Imperatore exornatus Cuno Trevirensis Archiepiscopus, & Hammerstenio ac Schonenberga castris donatus. Friderico Colonienſi Archiepiscopo præter alia loca cessit Tremonia donum, Imperialis in Westfalia urbs; nam telonia ad Rhenum jam ante donata acceperat Archiepiscopus Colonienſis. Quæ deinde amplissimo diplomate Anno regni Bohemici 14 Romani 1. 6 Julij Wenceslaus Rex confirmavit: multisque præterea privilegiis Archiepiscopum, à quo se coronatum, & unctum profitetur, exornavit. Ita verò, ut Crantzius inquit, deplumata est aquila, & ceteris animalibus facta est contemptui.

Wenceslaus Romanorum Imperator deligitur & coronatur.

M. S. lib. P. Mauritij de Büren Crantz. l. 10. Saxon. c. 3.

Tumultuabatur per hæc Colonia, nihil verita Imperatoris & tot

Chron Colon.

Chron. M. Belgij Brouver. in annal. Trevir.

Colonienses Tuitium evertunt: pluresque in se hostes concitant.

totElectorum præsentiam. Primus furor in Tuitienses effusus, quod renunciata urbis tutela se totos in partes sui Archiepiscopi transisse denunciassent. Quare Colonienses populi concitatione facta, transmissoque Rheno, in Oppidum irrumpunt, magnamque partem Tuitij exurunt. Mox alia vesania agitati, totum oppidum cum muris solo æquant. Ex ea vastitate solùm Monasterium & Parochiæ Ecclesia intacta mansêre. Sed nec illis parcitum; haud multò post tertia irruptione facta celeberrimum illud D. Heriberti Cœnobium cum templo injectis flammis absumunt, & funditus evertunt. Ea plebis, ferarum instar, est rabies, cùm sævire permittitur. Quæ post quam ad Archiepiscopum relata sunt, renovata priori pœna, sacris omnibus urbi interdicit. Imperator acerbius vesanam illam populi licentiam castigandam sumit, editoque decreto ad vicinos Principes Coloniam armis ad obsequium sui Archiepiscopi compellendam mandat. Igitur, ut Trithemius scribit, inita armorum conspiratione, Cuno Trevirensis Archiepiscopus, Henricus Paderbornensis Episcopus, Wenceslaus Dux Brabantiæ, Dux Austriæ, Comes de Zeringen, civitas Aquisgranensis, alijque complures militares viri copias suas conjunxêre cum Friderico Colonienſi Archiepiscopo; ad quas Henricus Episcopus Ducatus Westfaliæ Mareschallus robur Westfalicæ nobilitatis unâ cum Wenemaro Furstenbergico Arnsbergensi Satrapa adduxit; quibus præterea octingenti militares per Westfaliam viri accessêre. Colonienses ubi in se hæc parari intellexêre, cives armant, externum conductumque militem in urbem advocant, Engelbertum Marcanum Comitem magnis præmiis illectum trahunt, belli sui socium, urbisque præfectum creant. Is ea tempestate bellicis artibus clarus, cum ducentis ex equestri ordine viris Coloniam intrat, civesque adversus Archiepiscopum inflammat, nihil Cæsaris, nihil Archiepiscopi, nihil Electorum iras veritus.

Colonia ab Archiepiscopo obsidetur, sed irrito eventu.

Contraxerat jam Archiepiscopus septem millia armatorum; & postquam auxiliares ceterorum Principum copiæ accessêre, sexto Calend. Augusti ante portam D. Severini castra figit, persuasus ab *aliis*, si urbi tantummodo exercitum admoveret, fore ut, discordantibus inter se civibus, urbs ultro in potestatem veniret; qua ille fiducia propius militem subire jubet, machinas bellicas attrahi, & noctu insequenti ignes ad terrorem jaculando immitti. Ad quæ interriti cives Duce Marcano manè erumpunt; & clade licet accepta repellerentur, ausi tamen crebris velitationibus fatigare Archiepiscopum. Et ille cùm videret jam versis civium animis, & in extrema paratis, tantæ urbis oppugnationem operosam fore, militem ab urbe reduxit, copiis singulorum domum remissis. Quo conspecto, Marcanus multò insolentior, Colonia prorumpens, Archiepiscopo Bonnæ ante urbis portas insultare visus; frustraque erant confœderationes pacis superioribus annis tam sanctè juratæ. Interim dum Marcanus Co-

lonia

loniæ pugnat, præfecti Archiepiscopi per Ducatum Westfaliæ Marchiam Comitis extremum depopulantur. Sed hæc ille mox ultus Lecchenichij & Gymnichij incendio, vicinorumque agrorum & pagorum vastatione, per quos flamma ferroque grassabatur. Tanta vel unius Comitis audacia impune toleranda erat, posteaquam intra Colonienſium muros receptus civium plausu armisque ad omnia facinora accendebatur, homo, cui pravo majorum exemplo insitum erat, omnibus Westfaliæ turbis se miscere, ad sacrorum præsules divexandos. Nec aliud ab Imperatore auxilium erat, quàm minacia decreta sine armis invalida, haud secus quàm tormenta bellica magno pulveris sonitu sine globo excussa.

Castrum Strombergense, & Burgraviatus, justo bello captus, cedit Episc. Monast.

Fine anni aliud mox bellum resuscitatum in Westfalia à Joanne Strombergensi Burgravio, inquieto capite, ac publico viarum agrorumque prædone. Receperat ille, Ritbergensium & Susatensium ope adjutus, Strombergense castrum, exturbatis, quos Florentius Monasterienſis Episcopus imposuerat, præsidiariis & Castellanis. Horum in locum turba prædonum aggregata, quibus multò quàm antè rapacius se in diœcesin Monasterienſem effudit; non agricola, non mercator, non clericus ab his uspiam tutus; frustraque erant ad hunc hominem coërcendum Florentij Episcopi minæ, intentatæ sacrorum pœnæ, publicæ pacis leges, Imperatoris proscriptio. Quare Florentius Episcopus ad conservatores publicæ pacis appellat, opemque poscit. Ac primi, qui se obtulerunt, fuêre Henricus Spegelius Episcopus Paderbornensis, & Theodoricus Osnabrugensis diœcesis Administrator, fidi ac bellicosi præsules. Horum copiis, quas magno numero adduxit Spegelius ex ducatu Westfaliæ & Paderbornensi diœcesi, confirmatus Florentius, castrum Strombergense arcta obsidione incingit premitque. Burgravius ubi se ad extrema deduci vidit, clam cum plerisque sociis elapsus, ad arcem Rhedanam se recepit, ubi sub patrocinio Ottonis Teclenburgensis Comitis aliquantum delituit. Burgravio profugo, ceteri se Florentio Episcopo castrumque dedidêre; horum alij mox suspendio necati, alij in vincula rapti, alij pœnis mulctati. Ea expugnatione castri illud cum Burgraviatu, ac Burgravij bonis cessit Episcopis Monasterienſibus, qui exinde tres alites, quod Burgraviorum illorum insigne erat, suo adjecêre. Maluitque Carolus Imperator Episcopum Monasterienſem Burgravij dignitate castroque donatum exornari, quàm publicum in eo prædonem pati. Magna hæc semper Episcoporum Monasterienſium felicitas fuit, justitiam & fortitudinem bellicam secuta, justis armis Episcopatus patrimonium augere.

Melchior Episcop. Osnab. suis invisus transfertur ad

Dispari sorte agebatur cum Melchiore Osnabrugensi Episcopo. Is quòd Theodoricum Marcanum haberet Administratorem, gravem sibi & invisum, penes quem omnis auctoritas & potestas erat, Avenionem hoc anno profectus est ad Pontificem; ubi simul Ludge-

Episcopatum Suerinensem. *Ertvvin. in chron. Osnabr. Cleinsorg. Krantz. l. 9. Wand. c. 9.*

rum à Vechte Canonicum Osnabrugensem, Joannem Wedingen Furstenoviæ præfectum, alioſque ex equestri ordine viros ad Tribunal Pontificis citavit, quòd ab his desertus proditusque veniſſet in captivitatem Hojani Comitis. At cùm hi per Legatos causam suam constanter agerent in judicio Pontificis, omnemque conturbatæ diœcesis culpam verterent in Episcopum, tanquam ingratum, & inutilem rebus publicis tractandis, Pontifex Melchiorem transtulit ad Suerinensem Episcopatum.

Gerhardus Ep. Hildes. insurgentem in se Ducem Brunswicensem bello devincit.

Celebris per id tempus Gerhardus de Monte Hildesiensis Episcopus, vir toga sacra non minus quàm militari manu egregius pro defensione Ecclesiæ, cui hoc anno bellum fuit cum Magno, Duce Brunswicensi, perpetuo ejus diœcesis hoste. Traxerat is in societatem armorum Theodoricum Magdenburgensem Archiepiscopum, & Halberstadiensem Episcopum, multosque Saxoniæ proceres, quorum copiis auctus processit in Hildesiensem Episcopum. Et ille licet exiguis copiis instructus, ausus est rem prælio committere, confisus patrocinio B. Virginis, cui seſe & Episcopatum commendârat. Trepidante ad egressum urbis milite, manicam suam, in qua reliquias gerebat, manu tangens, fidite, inquit, magnus mihi in hac manica sociorum militum adhuc numerus est. Ita in aciem progressus cum 500 militibus prosternit validissimum Ducis exercitum; cæsique eo prælio 1500 Brunswicensium, interque ceteros captus Halberstadiensis Episcopus; & quia is celebris Philosophus, & Hildesiensis præstans Rhetor erat, militum vulgique jocus fuit, victam esse garrulam Logicam à Rhetoricâ.

Annus Christi 1377.

Gregorij XI Pont. 7.
Caroli IV Reg. 32. Imp. 23.
Henrici Spegelij Ep. Pad. 17.

Sedes Apostolica ex Galliis Romam refertur. *Odoricus Raynald. in histor. Eccles. Histor. Rom. Pontf. Nauclerus & alij. Theodoricus de se in Nemore Unionis Meibom. in*

Lætus subinde illuxit annus septuagesimus septimus supra millesimum trecentesimum, quo Gregorius XI Pontifex ex Galliis, monitis Catharinæ Senensis & Brigittæ, quæ tum sanctitatis fama clarebant, Sedem Apostolicam secum Romam retulit, postquam magno Christianæ Reipub. turbamento supra LXX annos Avenione hæserat. Urbem Pontifex obviam effuso Magistratu, populoque Romano XVII Jannuarij ingressus. Pontificem ex Galliis Romam assectatus Theodoricus à Niehem, ortus ex Oppido Niehem diœcesis nostræ Paderbornensis, veteri Niemiorum familia, eruditione scriptisque, ut ætas illa tulit, non minus clarus. Is per triginta septem annos sub quinque Pontificibus Gregorio XI, Urbano VI, Bonifacio IX, Innocentio VII, Gregorio XII in curia Romana versatus, & plerumque Secretarij munere functus, postremùm à Bonifacio Pontifice Ferdensis Ecclesiæ in Saxonia Episcopus impositus est; quemadmodum

dum hæc tempori memorabimus, falliturque Georgius Fabritius, à quo Magdenburgensis asseritur Niemius.

præfat. in opera eiꝰ lib. 10. Crantz. l. 10. Metrop. c. 11. Cuspinianus in Ottone M. Fabrit. l. 1. Orig. Saxon.

Bellum quod anno superiori inter Archiepiscopum & Colonienses exarserat, Trevirensis Archiepiscopus, cujus summa post Imperatorem auctoritas erat in Imperio, ad pacis compositionem deduxit; ultroque se arbitrum obtulit; additusque illi Conradus Bransbergius supremus ordinis S. Joannis per Germaniam Magister. Horum studio atque labore 16 Februarij pax inter Archiepiscopum & Colonienses certis legibus convenit; quæ tamen haud diuturna fuit; altius enim hoc vulnus ex priori bello impressum, quàm ut subitario hoc emplastro persanari posset.

Pax inter Archiep. & Colonienses operâ Trevirensis Archiep. coalescit.

Eodem quoque mense Fridericus Coloniensis Mareschalli munus, quod à Cunone Trevirensi Archiepiscopo Henrico Episcopo nostro oppignoratum impositumque supra diximus, redemit, transtulitque in alium. Summa, qua id pignori cesserat, quinque millium & sexentorum florenorum erat; eam ex parte numeravit Archiepiscopus; restabatque primùm summa 2400, deinde 500 florenorum; cui cùm ex tempore solvendo non esset, obligavit, cessitque Episcopo nostro & Ecclesiæ Paderbornensi mediam partem oppidi Ludæ, castri Cugelberg, & Almeni. Quemadmodum hæc festo D. Agathæ utrimque convenêre, & in tabulas relata sunt; in quibus fatetur Archiepiscopus se id necessitate coactum facere; seu quod Henrici Episcopi nostri ætas in senium vergeret: seu quòd à suis urgeretur, indecorum censentibus, Mareschalli munus & castra in vicini aliorumque Episcoporum manibus relinquere.

Archiep. Colon. Mareschalli Ducatûs Westfaliæ munus, Henrico Ep. Paderb. oppignoratum, redimit.

Neque per id tempus Westfalia bellis vacua fuit; mense quippe Julio Wilhelmus Comes Montium, Wilhelmus Dux Juliæ, Comes Clivensis, alijq; proceres fœdere inter se inito conflârunt copias, quibus Tremoniam obsedêre, injectisque grandium lapidum globis civium domos lacerarunt, civibus ad omnia interritis. Causa belli erat, quòd Montium Comes ante urbis portas captus, spoliatusque, id civium dolo & conspiratione factum diceret. At cùm oppugnatione urbis nihil proficerent, & Magistratus juramento civium innocentiam probaret, facta pace recessêre Comites.

Tremoniæ obsessio, Magistratu suam civiumque innocentiam probante, solvitur.

Sed longè gravius bellum recruduit cum Strombergensi Burgravio, & Teclenburgensi Comite Ottone. Is enim Burgravium, publicum Westfaliæ prædonem à Cæsare proscriptum, non modò receperat in arcem Rhedanam ad novam prædæ licentiam, sed & ipse diœcesin Osnabrugensem vicinosque Episcoporum agros spoliis divexabat. Florentius Monasteriensis Episcopus imploratis Osnabrugensis & Paderbornensis Episcopi auxiliis, Teclenburgicum aggressus, castrum Halstenbecanum, quod Comes in ejus diœcesi intraque paroetiam Ostbeveranam obluctante Episcopo erexerat, Calend Maji expugnat, funditusque evertit. Inde in Comitatum Ottonis

Novum contra Episcopum Monast. bellum movet Burgravius Strombergensis.

tonis progressus, Gronenbergam, Wedam, Vordam, aliasque arces, quas pignorum prætextu Osnabrugensi eripuerat, ipse & Theodoricus Marcanus Osnabrugensium Administrator uno expeditionis impetu recipiunt. Ac tanta hæc exacerbatione agebantur, ut captivos utriusque ex vicina arbore suspenderent. Divisis deinde copiis, Theodoricus Versmollensi, Florentius Rhedanæ arci expugnandæ imminebat; cùm Teclenburgicus supplex ab utroque pacem petit. Quæ ea lege data: Stromberga maneret Episcopo Monasterienſi: castra expugnata relinquerentur Osnabrugensi: Comes Burgravium è suis finibus & locis ejiceret, nec in posterum consilio auxiliove adesset: damna hactenus utrique diœcesi illata certa pecuniæ summa sarciret; quæ cùm Comes non præstaret, altero ab hinc anno bellum est resumptum.

Melchiori ad Suerinensem sedem translato in Episcopatu Osnabrug. subrogatur Theodoricus Hornius.

Ac postquam Melchior Osnabrugensis à Pontifice translatus abjit ad Suerinensem Episcopatum; Canonici Osnabrugenses una suffragiorum consensione elegêre Theodoricum Hornium Præpositum ejusdem Ecclesiæ, virum magnanimum, multisque virtutum ornamentis conspicuum. Atque hujus electionem ubi Pontifex ratam habuit, Theodoricus Marcanus ultro Administratoris munus posuit; potuitque facilius pati sibi præferri è nobilitate delectum Episcopum ob virtutum merita, quàm Ducem Brunswicensem, qui præter generis claritudinem nihil dignum inferret in sacrum Episcopi thronum.

Carolus Imp. Westfaliam transit.

Per Autumnum hujus anni Carolus Imperator, ætate jam gravis, Wenceslaum fratrem Brabantiæ Ducem, & Galliarum Regem nepotem suum invisurus, iter ex Bohemia per Saxoniam suscepit; tandemque unâ cum Imperatrice & Wenceslao filio perlustratis ceteris Saxoniæ urbibus, & Episcoporum sedibus, ad Visurgim accessit; cujus adventus eò lætior fuit omnibus, quòd nec ipse jam in trigesimum secundum annum regni sui, nec alius à multis annis Cæsar in his regionibus visus; quo tamen priscis Regibus & Imperatoribus nihil frequentius fuit, aut ipsis Imperatoribus salubrius ad gentis nostræ animos sibi conciliandos. Igitur ut ante biennium Lubecam, & Septentrionis regiones; ita nunc has inferioris Saxoniæ partes magno Episcoporum, Principum, ac procerum comitatu, veterumque Cæsarum ritu, tandem perlustravit, & jus dixit; transitoque Hildesio & à Gerhardo de Monte ejus loci Episcopo deductus, mense Novembri Mindam intravit, sumpto hospitio apud Patres Dominicanos, quibuscum triduum familiariter vixit, delectatus viris in eo Cœnobio religiosis doctisque, quorum apud Carolum, cùm & ipse raro Cæsarum ornamento doctus esset, magna semper æstimatio veneratioque fuit. Ibi cùm recoleretur Henrici de Hervordia, ejus Cœnobij Monachi, scriptorisque celebris, memoria, monstrarenturque historiarum volumina, quæ istic conscripserat, jussit aperiri sepul-

sepulchrum, ossaque cum tumba transferri in templi chorum, & honoratiori, ut supra retulimus, loco condi.

Quem Mindæ accedunt Henricus Spegelius Ep. Pad. & Henricus Ep. Verdensis.

Mindam usque obviam processit Imperatori Henricus Episcopus noster; ubi & Henricus Verdensis Episcopus accessit; uti ex diplomate Caroli Imperatoris, quod Widekindo de Monte, præclaro eorum temporum Mindensi Episcopo, xv Decembris dedit, certum est. Id verò egregium diploma, quia communi Episcoporum Saxoniæ consilio rogatuque pro libertate Ecclesiastica adversus iniquissima Ducum quorundam ac Comitum & urbium decreta, impetratum est: & depravatissimos sæculi ejus, inclinantesque ad hæresin, quæ post secuta est, mores exhibet, operæ pretium erit hoc loco recitare.

Diploma Caroli datum Widekindo Mindensium Ep. pro libertate Ecclesiastica.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis feliciter Amen, Carolus quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et Bohemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam. Etsi imperialis benignitatis clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit Imperium, ex officio debito teneatur necessitatibus et injustis oppressionibus consulere, et de opportunis remediis providere. Ad illos tamen permaxime dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status Ecclesiasticæ libertatis, quem semper nostris temporibus augeri voluimus, enormiter enervatur, et quasi ad nihilum redigitur. Minus juste sane ad nostræ Serenitatis audientiam pro parte honorabilium Prælatorum, Canonicorum et Clericorum Minden. civitatis et diœcesis insinuatione querulosa suppliciter est deductum: Quod seculares quidam in potestatibus et officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, milites, et Sculteti, et alij domini temporales: Nec non Consules civitatum, Oppidorum, villarum, et locorum Rectores diœcesis prædictæ, Dei timore postposita statuta singularia, iniquas ordinationes motu proprio, ac temeritate præsumtuosa de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum et locorum Religiosorum libertates et privilegia condiderunt et condunt, eisdemque publice et de facto insistere præsumpserunt et præsumunt ausu temerario et nephando quotidie contra legitimas civiles et Canonicas sanctiones, ut, puta. Quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur, neve Clerici in sacris constituti ad agendum seu testificandum in civilibus, et maxime in piis causis, aliquatenus admittentur, quodque excommunicati Laici et publice denunciati in civili foro minime repellantur, nec in eorum consulatus officio ac aliis actibus secularibus evitentur: Item prædicti Domini temporalis Consules et Rectores per secularem potestatem Ecclesias et personas Ecclesiasticas capiunt, et capi procurant: Res et bona Clericorum occupant et arrestant, oblationes fidelium diminuunt et restringunt, exactiones et tallias indebitas de bonis et reditibus Ecclesiarum exigunt et extorquent, stationes immoderatas cum multitudine nobilium in bonis Ecclesiarum et piorum locorum faciunt, vecturas curruum et evectiones multiplices bonis ipsius imponunt contra Ecclesiasticam libertatem,

tem, possessiones Ecclesiarum et personarum Ecclesiasticarum devastant incendiis et rapinis, contractus inter Clericos et Laicos legitime factos ad libros civitatum, villarum et locorum recusant inscribere, ac sigillare, donata et legata ad fabricas et Ecclesiarum structuras contra voluntatem prælatorum et aliorum, quorum interest, præsumunt usurpare contra justitiam in fraudem et odium Clericorum, confugientes ad Ecclesias, Cimiteria, et ad loca libertatis Ecclesiarum inde extrahere contra Imperiales sanctiones præsumunt. Cum igitur hæc omnia et singula, et quævis alia similia, nec non quæcunque sequuta sunt, et sequi possunt, ex ijsdem sint et fuerint solum de facto ac temere attentata, et per sacras civiles, et Canonicas sanctiones reprobata expresse: Nos ea omnia et singula de Principum, dominorum, Comitum, Baronum, fidelium. que nostrorum consilio ex certa scientia tenore præsentium et auctoritate Imperiali cassamus, irritamus, adnullamus, cassaque, irrita et nullius esse momenti penitus declaramus, dicimus, et nuntiamus expresse, præsenti edicto perpetuo valituro serioſius inhibentes, ne hujusmodi aut eorum similia de cætero dicti domini temporales attemptare præsumant, præcipientes nihilominus sub indignatione Imperialis banni universis et singulis dominis, militibus, Consulibus, potestatibus, officiatis, et in officiis publicis constitutis, quatenus mox visis aut intellectis præsentibus dicta eorum statuta et ordinationes, * sicuti præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omnino revocent et de luce tollant, quodque secundum ea non judicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in judicio vel extra, quomodolibet per se et contra Ecclesiasticam libertatem potiantur. Item pronunciamus et declaramus Imperiali auctoritate, quod quicunque, cujuscunque status vel conditionis extiterit, ausu sacrilego et propriæ temeritatis audacia Sacerdotem vel Clericum, secularem vel religiosum, diffidaverit, proscripserit, captivaverit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut hujusmodi malitiam perpetrantes scienter receptaverit, seu consilium, auxilium, vel favorem in his eis præstiterit, et pro causa criminali et civili quæstionum in judicium seculare et specialiter ad judicium, quod dicitur Frydius, quod nulla temporis præscriptione, vel regali aut Imperiali edicto seu judicij confirmatione contra personas Ecclesiasticas seu Clericos per quamcunque consuetudinem introduci volumus trahere præsumpserit, vel ratione dictæ consuetudinis seu potius corruptelæ extra præfatum judicium contra Clericos in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis aliquid attemptaverit, præter pœnas à sacris Imperialibus, et Canonicis sanctionibus eis inflictas, decernimus hos imperiali edicto ipso facto infames, et omni honore privatos, nec ad placita vel consilia nobilium aliquatenus admittendos, et actorem, vel actores tales à jure suo cadere, ac judicatum non tenere, judiciumque judicandi potestate privatum et bannum Imperiale incidisse pronuntiamus. Verum quia parum esset jura condere, nisi essent, quæ tenerentur, eadem auctoritate Imperiali prædicta universis Principibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, et specialiter, Colonien. Moguntinen. Magdenburgen. et Bremen. Archiepiscopis, Monasterien, Osnaburgen. Hildensemen. Paderburnen. Minden. Lubnen.

*an. ficubi int

Lubnen. Verden, et Suerinen. Episcopis. Nec non omnibus Saxoniæ Luneburgen. et Brunsvvicen. Ducibus, Landgravio Hassiæ, nec non de Marcka, de Monte, de Hoja, de Teckoneburg, de Schobenburg, Wernengerode, Holtzatie, et Redenstein Comitibus, quibus et eorum cuilibet vices nostras committimus in præmissis per præsentes, et eis sub obtentu Imperialis gratiæ præcipimus et mandamus, quatenus toties, quoties pro parte dictorum prælatorum Canonicorum et Clericorum, vel alicujus ipsorum fuerint requisiti, eisdem pro toto suo posse assistant, et faciant, quod præmissa committentes, quicunque fuerint, pœnis prædictis puniantur realiter, et cum effectu, quatenus ..... exemplo perterriti similia de facile non attemptent. Præterea omnes et singulos Ecclesiarum seu Ecclesiasticarum personarum prædictarum vasallos et feudatarios cujuscunq; ordinis, gradus, vel conditionis existant, qui contra Ecclesiam vel personas Ecclesiasticas ipsius Minden. Ecclesiæ, Civitatis et Diœcesis, à quibus feuda eorum tenent, aliquid fecerint de præmissis, seu ea facientibus, si propter hoc excommunicati denunciantur, vel alias adstiterint quovismodo, dummodo de hoc servato juris ordine conjuncti fuerint, denunciamus et decernimus eo ipso suis feudis sive beneficiis esse privatos, eosque præsentis constitutionis edicto privamus perpetuo, dantes Ecclesiæ seu Ecclesiasticis personis antedictis dicta feuda concedendi aliis personis laicis fidelibus et utilibus liberam facultatem. Volumus etiam, hortamur, et requirimus Episcopos et prælatos Ecclesiasticos, ut hanc nostram legem et constitutionem in synodis et Ecclesiis publicari procurent, ne in præmissis per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram cassationis, irritationis, annullationis, inhibitionis, nec non pronuntiationis, et declarationis paginam infringere, aut ei ausu temerario quomodolibet contraire sub pœna Imperialis nostræ indignationem gravissimam, nec non quinquaginta marcharum auri purissimi, quas ab eo, qui contra fecerit, totiens quotiens fuerit contrafactum, irremissibiliter exigi, et earum medietatem Imperialis nostræ ærarii sive fisci, residuam vero partem injuriam passorum usibus volumus applicari: Signum serenissimi Principis et Domini Dni Caroli quarti Romanorum Imperatoris invictissimi et glorioissimi Bohemen. Regis. Testes hujus rei sunt venerabilis Gerhard⁹ al. Borherd⁹ Hildemsemensis, Heinric⁹ Werdensis, et Heinric⁹ Paterbrunensis Ecclesiarum Episcopi. Illustres Albertus Saxoniæ, et Luneburgen. et Wentzelaus Opaviæ Duces, spectabiles Borchardus de Hardeck, Borchardus de Hoja, Buso, et Heinricus de Schrapelovv Comites. Nobiles Otto advocatus de Monte, Petrus de Wartenberg dictus dechost Imperialis curiæ nostræ Magister, Thuno de Colditz Cameræ nostræ Magister, Hintzo de Lipa, Albert⁹ de Sterenburg, Symon de Lyvven, Busko de Azuzan, Bussueto de Bistritz, Altzardus de Busche, Dapifer in Ravensberge, Heinricus de Ezigelen, et alii quamplures nostri et Imperii sacri Principes, Comites, Nobiles, et fideles præsentium sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo testimonio literarum. Datum Minde, Anno Domini Millesimo tricentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta decima, XV Calend. Decembris, Regnorum nostrorum Anno Tricesimo secundo, Imperij vero vicesimo tertio. De mandato Domini Imperatoris Nicolaus Cameracensis Præpositus.

Carolus Imperator Witekindi M. monumentum altius eductum exornat.

Minda Imperator Bilfeldiam & Hervordiam profectus cum aula, & Principibus: at iſtic ubi didicit, antiquitatum amans, in vicino Angariæ vico Widekindi M. avitam ſedem ex vetuſtis arcis ruderibus monſtrari: adhæc Baſilicam, quam ille D. Dionyſio ſacram unâ cum Collegio Canonicorum conſtruxerat, in eaq; Widekindi ipſius ſepulchrum conſpici, quo magni illius Saxonum bellatoris oſſa contegantur; cupidus viſendi, eò divertit, reperitque antiquo opere monumentum è terra altius erectum, cui ſuperne incumbebat Widekindi effigies lapidi inſculpta, ſicuti hodiedum aſpicitur. Verum cùm hæc omnia vetuſtate deformata videret Imperator, tantoque heroi ad poſteritatis memoriam auguſtiora deberi judicaret, totum monumentum quinque pedes altius è terra eductum, & quatuor utrimque columellis interjectiſque trophæis exornatum, longè fecit magnificentius: addiditque duo inſignia, quorum alterum adcaput Widekindi cubantis, aquila cum liliis Caroli M. Imperatoris & Francorum Regis; alterum fulvus Leo in puniceo campo, regni Bohemici atque ipſius Caroli IV ſignum. Sicuti hæc omnia Ferdinandus Epiſcopus noſter in ſuis monumentis Paderbornenſibus accuratiſſimè ad omnem poſteritatis memoriam exhibuit.

Litem Hervordiæ inter Abbatiſſam & Ducem Saxoniæ dirimit.

Inde Carolus Hervordiam regreſſus, controverſiam, quæ inter illuſtre Virginum Collegium & Albertum Ducem Saxoniæ Angariæque intervenerat, præſente Duce cognovit. Et verò cùm per id tempus à morte Abbatiſſæ nondum alia ſubrogata eſſet, juſſit primùm Imperator ire Virgines in ſuffragia; delectaque eſt Hildegundis, cujus ſolertia producta ſunt antiqua Cæſarum & Pontificum diplomata, Conradi cum primis I I Regis & Adriani Pontificis; quibus ad Imperatorem delatis, perlectisque, Imperator palam pronunciavit Albertum Saxoniæ & Luneburgi Ducem Mareſchallum ſuum nihil habere juris in oppidum Hervordienſe; eò quòd Pontificum & Cæſarum privilegijs ab omni Principum poteſtate exemptum, totumque juriſdictioni Abbatiſſæ aſſertum eſſet. Sicuti hac ſuper re literarum inſtrumenta nobiſcum communicata habemus, & *multis* teſtibus conſignata. Ac priuſquam diſcederet Imperator, Widekindum Mindenſem Epiſcopum, ob præclara erga ſe & Imperium merita, telonio Oppidi Petershagij donavit. Adſunt in hanc rem Imperatoris tabulæ, germanico idiomate ſcriptæ, Hervordiæque conſignatæ, ſacro D. Elizabetæ die, qui XIX Novembris agitur.

Cæſar Paderbornæ ab Henrico Ep. excipitur, alibique ab alijs.

Poſt illa Paderbornam digreſſus Imperator, & quod Gobelinus noſter ſcribit magnificè ab Henrico Epiſcopo, Clero, & civibus eſt exceptus, tractatusque. Et quia Epiſcopus noſter Mindæ per reliqua itinera Imperatoris comes negotia ſua cum Imperatore pertractaverat, feſtinaretque iter in Brabantiam Cæſar, altero die, ut Gobelinus noſter refert, ſe in viam dedit, Suſatum profectus. Inde Tremoniam conceſſit, deductus ab Henrico Spegelio Paderbornenſi Epiſcopo,

scopo, magnificeque à Magistratu & Clero susceptus, urbem intravit. Triduum ea in urbe permansit Cæsar. Rursumque festinatis itineribus pridie S. Andreæ transgressus Rhenum, Juliaci Wilhelmo Ducis Juliæ, & Mariæ Gelriæ filio ducatum Gelriæ & Comitatum Zutphaniæ post septennij controversiam adjudicavit. Quam in rem Caroli diploma recitat Pontanus in Gelricis. Juliaco Lovanium properat, ubi fratrem Wenceslaum Ducem Brabantiæ convenit, ab eoq; Cameracum versus deductus est in viam; qua in urbe celebratis Christi Natalitiis, perrexit in Gallias.

Theodoricus à Niem Gobelinus. Chron. Trevir. Westhovius.

Pontanus lib. 8. Gelr. p. 315.

Annus Christi 1378.

Urbani VI Pont. 1.
Caroli IV Imp. ultim.
Wenceslai Reg. 1.
Hentici Spegelij Episcopi Pad. 18.

Proximus dehinc annus Gregorij XI Pontificis, & Caroli IV Imperatoris obitu Christianæ Reipub. funestus accessit. Sublato enim 27 Martij Gregorio Pontifice, Clerus populusque Romanus post tot Italiæ funera turbasque Romanum, aut certe Italum Pontificem rogant; electusque est absens Bartholomæus Butillus Neapolitanus Barrensium Archiepiscopus, qui Urbani VI nomen tulit. At Gallicani Cardinales indignati genti suæ honorem præripi ac spem, revocandi Apostolicam sedem in Gallias, quam Gregorius primùm Romam reduxerat, consilia iniere, factaq; secessione apud Fundos Robertum Gebennensem Pontificem appellant, quem & Clementem VII dixêre. Inde fœdum & diuturnum schisma per quadraginta circiter annos fuit, quando alij veri Pontifices Romæ, alij Pseudopontifices, Clemens VII, Benedictus XIII, Clemens VIII, Felix V, Avenione in Galliis consedêre. Interim Itali, Germani, Lusitani, Ungari, Angli, Belgæ, Poloni & Septentrionalia regna, pars maxima orbis Christiani, Urbanum VI amplexi: Gallia, Hispania & Sicilia Clementi Pseudopapæ adhæsit. Schismatis hujus initium scripsêre Theodoricus Niemius, & Gobelinus, ambo Paderbornenses, ac tum simul in aula Pontificis versati; quorum neuter tamen alterius uspiam meminit: seu id fortuito factum, seu partium studio fuerint diversi. Sanè Urbanum VI, quem magnopere laudat Gobelinus, & ab omni labe absolvit, hunc Theodoricus Niemius ubique & multis aculeis figit, & multis vitijs factisque pravis obnoxium introducit. Scriptor in Pontifices acerbus, & iniquior etiam in multis, quàm ut fidem faciat; sed tanto gratior hæreticis nostrorum temporum, quibus nihil acceptius, quàm Pontificum vitia exaggerari; eòque cum plausu ab his in lucem protractus.

Urbanus Pontifex ut primum throno impositus fuit, & Romæ salutatus, dedit ad totius Christiani Imperij Episcopos & Principes

Urbanus VI Pont. Antipapa Robertus Gebennensis, Clemens VII dictus.

Odoricus Rainald. in histor. Eccles. Spondanus. Trithem. in Chron. Hirs. Spanheim. Chron. M. Belg. Paralip. Ursberg. Crantzius. Gobelin. ætat 6. Theodor. à Niem. Brouver. lib. 18. annal. Cleinsorg. in Chron.

literas, quibus se rite electum & in sede Apostolica collatum significavit, proscripto simul damnatoque Clemente Pseudopapa. Ejusmodi quoque literas scripsit ad Fridericum Colonienſem Archiepiscopum, & provinciales ejus Episcopos. Hunc in modum ad Moguntinum, Trevirensem, Bremensem, Magdenburgensem, Archiepiscopos perscriptum; totamque Germaniam traxit in fidem obsequiumque sui.

Binius 3 p. Concil. Chapeavil.

Carolus Imperator, quem per Saxoniam in Gallias properasse retulimus, magnificè ac regiè una cum Wenceslao filio à Francorum Rege Parisiis exceptus fuit. Causa hujus profectionis traditur fuisse, seu ut carissimum nepotem suum Carolum V Francorum Regem inviseret, seu ut Wenceslao filio, cui unicè studebat, Francorum benevolentiam compararet. Et Carolus Imperator, ut Gallorum Regem sibi arctius devinciret, Carolum Regis filium vicarium perpetuum Arelatensis regni designavit, sceptro, uti res docuit, cum titulo abalienato; tanquam nondum satis patrimonium Jmperij ab eo Jmperatore accisum fuerit. Tanto inanior post titulus Trevirensi Archiepiscopo, qui se hactenus Arelatensis regni Archicancellarium scripsit. Post multa colloquia & convivia, firmata inter Carolum Jmperatorem & Carolum Francorum Regem jurejurando amicitia. Jmperator regiis impensis ex Gallia reductus, rediit in Bohemiam; & Pragæ hoc ipso anno vita exuitur. Diem mortis alij eundem volunt, quo Gregorius Pontifex XVII Martij obijt; licet alijin pervigilio D. Andreæ extinctum tradant. Princeps fuit pietate, rerum peritia, conditis legibus, eruditione, & linguarum notitia bonis potius quàm strenuis & bellicosis Jmperatoribus accensendus.

Nauclerus. Æmilius lib. 7. Brovver. lib. 18. annal. Trevir. Paralip. Ursberg.

Carolus Imp. regnum Arelatense imprudenti consilio, transfert ad Gallos.

Moritur Pragæ.

Cuspinian. Calvisius. Æneas Sylvius. Chron. Sclav. Brovver. l. 18. Annal. Trevir.

Patri in Jmperio successit Wenceslaus, degener filius, homo corpore & animo deformis, totus ignavus, ventri & vino deditus, & per omnia voluptatum & libidinum vitia pessundatus; cui nulla cura publici boni: post Henricum IV & V Cæsares, deterrima labes Jmperij. Hinc eo fatali Jmperatore legum confusiones, tumultuaria nobilium bella, factiones potentum, rapinæ, cædes, quæ jam sub patre invaluerant, multo calamitosius grassabantur. Auxit hæc mala fœdum Schisma, quod nullum à Wenceslao remedium habuit. Accessit pestilentissima Hussitarum hæresis, Pragæ inter ejus otia & libidines nata; qua Bohemia pessundata, totumque Jmperium tot cladibus afflictum laceratumque fuit. Et hunc Jmperatorem per 20 annos ferre necesse fuit, donec bis exauctoratus regressusque ad gubernacula, postremùm ab Electoribus Jmperio deturbaretur. Quæ deinceps, cùm Turcarum Jmperator Thessalia ac tota Græcia potitus, sub hoc ignavo Rege Wenceslao ex ipsorum malorum conspectu multo tristius se offerrent.

Carolo defuncto succedit Wenceslaus, labes Imperij.

Ceterorum hoc anno intestina, ut hactenus factum est, continuata sunt bella cis Rhenum. Wilhelmus Juliæ Dux, à Carolo Impe-

nuata

ratore Gelria donatus, Gennepianum Brederodij castrum una cum patre Wilhelmo obsidere aggressus; id cùm ceteri non ferrent Geliæ hereditate excluſi, Duce Woltero Vorstio, auxilia Marcanorum, Clivensium & Westfalorum contraxêre. Quo cognito, Juliæ Duces hostibus obviam progressi, conserto propè Calcariam prælio, sibi adversantes obtrivêre. Capti supra 70 militares viri. Gelria exinde Juliæ conjuncta mansit. Dux Juliæ, cæsis hostibus suis, Gelriam retinet. *Pontan. l. 8. Gelr. Teschem. p. 514.*

Trans Rhenum Florentius Monasteriensis Episcopus arma, quæ hactenus induit adversus tumultuantes nobiles prædonesque, vertit primùm in Joannem Solmis, Ottensteinij castri Dynastam, ceteroſque prædatoriæ factionis homines, à quibus Embslandia diripiebatur; hos ille celeritate oppressit, captosq; grandi pecuniæ summa mulctavit. Inde ad Calend. Novembris, junctis cum Friderico Colonienſi Archiepiscopo copijs, castrum Godackerianum obsidet, deditumque in potestatem accepit. Mox castra Wassenbergam ac Malemas publica prædonum receptacula expugnat ac diruit. Florentij Ep. Monast. bella hoc tempore. *Chronica Monaster. diversa.*

Idem Henrici Episcopi nostri hactenus labor fuit. Nam postquam vicinorum circum Comitum vis compressa fuit, restabant Dynastarum & nobilium prædonum castra arcesq; disturbandæ. Quam in rem Fridericus quoq, Colonienſis Archiepiscopus, & Bodo Corbeienſis Abbas cum Henrico Episcopo conspirabant. Jam enim Reinero Corbeiensium Abbate mortuo, qui Henrico Episcopo nostro, ut diximus, successerat, ab anno nimirum MCCCLXXIII subrogatus notatur Bodo, vir religione non minus quàm publicis rebus tractandis præclarus. Magnaque tum erat conjunctio Paderbornensis Ecclesiæ cum Corbeiensibus, mutuaq; se ope adversus hostiles prædonum incursus sub præsidio Colonienſis Archiepiscopi tuebantur. Et Henricus Episcopus noster, quòd ex Abbate Corbeienſi ad Paderbornensem Ecclesiam transvectus esset, singulari semper patrocinio complexus est Corbeienses; habebatque per id tempus Ottonem Spegelium fratrem Præpositum Huxtariensem vinculo obligatum Corbeienſibus, quòd opulentam illam Præposituram, quam feudum Colonienſium in publicis tabulis fatetur, beneficio Abbatis possideret. Henrici Ep. Pad. conjunctio cum Abbat. Corbeiens.

Annus Christi 1379.

Urbani VI Pont. 2.
Wenceslai Reg. 2.
Henrici Spegelij Episc. Pad. 19.

Altero dehinc Wenceslai Regis anno, cùm serperet per Germaniam schismatis malum, repertique essent cum Leopoldo Austriæ Duce Principes & Comites, qui Clementis Pseudopontificis partes sequerentur, ea verò dissensione, ne Germania turbaretur, Cuno Trevirensis, *Odoricus Raynald. in histor. Eccl. Petrus Minorita. Radulph.*

Gobelinus ætat. 6. c. 75. Conventus Francofurtensis, in quo Urbanus VI verus Pontifex â Rege & Electoribus agnitus.

Trevirensis, Fridericus Colonienſis, Ludovicus Moguntinus Archiepiſcopi, ceterique Epiſcopi ac Principes celebrem Francofurti conventum habuêre, in quo coram ipſo Wenceslao Rege cauſa utriuſq; Pontificis diſceptata eſt. Et Wenceslaus, quia ex ultima Caroli patris voluntate Urbanus illi commendatus erat, pro Urbano pronunciavit. Quem mox alij Electores, Epiſcopi & Principes verum Pontificem renunciavêre colendum; ſancitumq; ne ulla cum Clemente Pſeudopontifice communicatio haberetur. Extat hac ſuper re præclara Friderici Colonienſis Archiepiſcopi epiſtola 25 Julij Lintzij data ad Leodienſes, in Urbani fide vacillantes, ne faces ſchiſmatis inter ſe ſpargi paterentur. Eo in Comitio Wenceslaus Cæſar 2 Calend. Mar.

Et telonia quædam abrogata. *MSS. P. Mauritij de Bueren ex Spirenſi tabulario.*

tij, ad querelas mercatorum, telonia, quæ Duſſeldorpij Carolus pater Wilhelmo Comiti de Monte, & Rurorti Engelberto Marcano Comiti permiſerat, publicis literis abrogat, promittitque Friderico Colonienſi Archiepiſcopo nulla ſe etiam ſine ejus aſſenſu cuiquam deinceps indulturum; ipſum deinde Fridericum Archiepiſcopum poſt fidem juratam regalibus exornat, omniaque ſimul Colonienſis Eccleſiæ privilegia inſtaurat.

Gobelin. ætat 6. c. 72. Ertwin. in chron. Oſnabr. Chron. Monaſt. Epiſcopi Weſtfaliæ Comitem Tecklenburgenſem Rhedæ obſident, ob defenſum Burgravium Strombergenſem.

Bellum quoque hoc anno à tribus Epiſcopis, Florentio Monaſterienſi, Henrico Paderbornenſi, Theodorico Oſnabrugenſi reſumptum in Ottonem Teclenburgenſem Comitem, & Burgravium Strombergenſem. Acceſſêre Epiſcopis, Engelbertus & Theodoricus Marcani Comites. Sollicitatus ex priori fœdere Colonienſis Archiepiſcopus, incertum qua ex cauſa, ſe ſubtraxit, auxiliari tamen militem ſubmiſſo. Sed validæ ſat copiæ in unum contractæ adverſus hunc unum Teclenburgenſem Comitem; nec alia belli cauſa, eaque juſta fuit; quàm quòd Comes Burgravium Strombergenſem, publicum prædonem, & à Cæſare ob flagitia proſcriptum ante biennium, recepiſſet in arcem Rhedanam, aleretque per biennium in ſocietatem prædarum, ad vexandas circumjacentes Epiſcoporum regiones. Igitur tres Epiſcopi admotis copiis & machinis Rhedam Oppidum, ut Gobelinus refert, occupatum deſtruunt, arcem verò in ſextum menſem obſidione clauſam oppugnant. Teclenburgicus ubi ad extrema rem deduci, nec Epiſcopos, qui obſidioni præſentes erant, quicquam vidit remittere; cœpit per arbitros agere de compoſitione, & ingentem vim pecuniæ offerre, ad obſidionem ſolvendam ac ſe liberandum. Id cùm Monaſterienſis & Oſnabrugenſis acceptarent, diſplicuit Paderbornenſi; ſeu quòd arcem ad fines trium Epiſcoporum ſitam, & tot prædis hactenus infeſtam funditus everti; ſeu quòd Burgravium captum in manus Victorum tradi maluerit: ſeu alias ob cauſas, quas Gobelinus noſter non retulit. Et quia ceterorum Epiſcoporum prævaluêre ſententiæ, ſoluta eſt obſidio; arx Epiſcopis dedita, retentaque, dum Teclenburgicus pactam pecuniæ ſummam penderet, arcemque redimeret. Extat enim in tabulario noſtro

Henrici

Henrici Episcopi scriptum hoc anno MCCCLXXIX feria secunda post D. Ægidij Abbatis diem ab ipso & Capitulo consignatum, & à Præposito, Decano, & cæteris Canonicis approbatum; quo testatur tantum juris esse Theodorico Osnabrugensi Episcopo, ejusque Ecclesiæ, quantum sibi in pecuniæ summa, qua Potho Monasterienſis Episcopus, Florentij Successor, arcem Rhedanam oppignoratam tenet.

Quippe Florentius Episcopus cùm oppugnationi arcis assidet, literas ab Urbano Pontifice accipit, quibus ad Episcopatum Ultrajectensem capessendum vocabatur; ut vel eò compositio accelerata, & arx eo præsente in manus Ecclesiæ Monasterienſis tradita videri possit.

Burgravius, quem maximè illa oppugnatio spectabat, seu facta compositione dimissus, seu elapsus, trans Visurgim, Ertwino teste, profugit, receptusque à Ducibus Brunswicensibus, in Grubenhagen castrum aliquamdiu delituit. Postremum etiam, ut ex alijs verisimile redditur, in diœcesin Monasterienſem redijt. Nam his literis, quæ anno 1493 datæ sunt, memorantur Ludolphus de Went miles, Joannes Burgravius Strombergensis, Henricus Burgravij filius, Lubertus, Fridericus, Wernekinus, Henricus, Hermannus, Henrici de Went filius. Et altero sigillo impressæ tres aves, altero tres pilei; quorum illud Burgraviorum, hoc Wentiorum insigne erat. Burgravij Strombergensis bona inter varios dividuntur.

Cæterum Burgravius, potens eorum temporum prædo, magna bonorum amissione mulctatus. Castrum enim Strombergense cum amplis bonorum possessionibus assertum Florentio & Monasterienſi Ecclesiæ: Reckenberga Oppidumque Widenbrugum Osnabrugensi Episcopo: Paderbornensi Episcopo pars Delbrugiæ ex proscripti Burgravij bonis cessisse traditur. Quanquam hac super re certiora literarum monumenta desiderentur.

Postremum hoc Henrici Episcopi nostri bellum fuit, & non sine magnis impensis, ut tum bella non ex tributis populi & agricolarum exactionibus, commodiori bellandi ratione; sed ex ipsis Episcoporum facultatibus gerebantur. Hinc primùm decimas, deinde prædia & bona, post ipsa castra arcesq; vel oppignorare, vel in feudum dare necesse fuit; interque ea hoc anno mediam partem judicij civilis in urbe Brakelensi Senatui populòque Brakelensi transcripsit. Deinde arcem castrumque Wuneberg cum oppido, dynastia, & libero judicio, acceptis ducentis argenti marcis, Luberto & Joanni Westfalen pignori dedit. Ea pecunia licet castrum Wünnenberg à Joanne Spegelio, Episcopi consanguineo, redemptum fuêrit; pignus tamen debitumque mansit ad nostra tempora; donec Theodorus Adolphus Episcopus à Westfalijs redimeret.

Et Henricus Episcopus postquam sensit ætatem ex senio & multis laboribus ad extremam vitæ lineam urgeri, nihil habuit solliciti- Henrici Ep. extrema opera.
us, quàm omnia sacra civiliaque in bonum Successori statum com-

ponere:

ponere: debita moleſtiora ſolvere, aut redimere opportunioribus: caſtra præmunire; arces inſtaurare: ædificia abſolvere. Ex hiſce ejus operibus inſigne monumentum hodiedum aſpicitur Neuhuſana arx, firma exinde Epiſcoporum ſedes; quam munitiſſima, domo ex ſolido lapide muroque quinque pedum craſſo per tres contignationes ita conſtruxit, ut magnificæ habitationis, & præmuniti ſimul caſtelli uſum præſtaret.

Florentius Epiſc. Monaſt. juſſu Pontificis transfertur ad Eccleſiam Trajectenſ. ejus obitus & laus *Chron. Monaſt. Beka. Heida in Epiſcopo Ultraject. Chron. Windesh. l. 1. c. 38*

At Florentius Monaſterienſis Epiſcopus, poſtquam arx Rhedana ad deditionem & transactionem deducta fuit, tranſcriptaq; Succeſſori ſuo, ad imperium Urbani Pontificis rebus omnibus compoſitis, ſe ad Trajectenſem Eccleſiam contulit, magno deſiderio ſui ex tot rebus præclarè geſtis relicto; quàm enim averſi cùm primò accepêre Monaſterienſes, tam inviti cum lacrymis dimiſêre abeuntem. Trajectum VII Idus Novembris feſto nimirum D. Willebrordi, primi ejus loci Epiſcopi die, magna cleri lætitia ingreſſus, pari, qua Monaſterienſem, eam quoque Eccleſiam laude ac bono annis ſedecim adminiſtravit. Præſul, ut Chronici Windesheimenſis auctor ſcribit, exemplum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, pius, modeſtus, parci cibi victuſque, ſine ullo luxu, œconomus optimus; à quo debita perſoluta, obærata caſtra recepta, vetera præmunita, nova conſtructa, arces inſtructæ, divina ac humana pari diligentia procurata; domeſticicis jucundus, pauperibus facilis, Clero ac populo gratus. Exceſſit è vita Anno Chriſti MCCCLXXXXIII, pridie Nonas Aprilis, ipſo Paraſceves die; ſcriptoque teſtamento, reliquum theſaurum, ex quo omnia debita ſolverentur, D. Martini Eccleſiæ, videlicet pauperibus, ceſſit. Integerrimus in utraque Eccleſia Epiſcopus ac Princeps, immortalique laude celebrandus.

Potho à Pothenſtein Florentij in Epiſcopatu Monaſt. Succeſſor. *Gobelin. ætat 6. c. 72. Chron. Monaſt. Crantz. l. 10. Metrop. c. 27.*

Florentio in Epiſcopatu Monaſterienſi ſubrogatus ab Urbano Pontifice Potho á Pothenſtein, gente Bohemus, homo ne linguæ quidem gnarus ejus populi, cui Epiſcopus dabatur; ſeu id Caroli IV Imperatoris commendatione, cùm in aula ejus verſaretur: ſeu Wenceslai Cæſaris gratia factum, quem Pontifex arctius ſibi devincire voluerit, quòd ejus auctoritate ex Francofurtenſibus comitijs tota prope Germania in ſuas partes adducta eſſet. Potho Pontificis Cæſarisque favore præmunitus, cupiduſque novi honoris potiundi, cum magno gentis ſuæ comitatu ex Bohemia in Weſtfaliam accelerat; jamque in Marchiam advenerat, tranſito Luppia Monaſterienſem diœceſin ingreſſurus; cùm prope Hammonam turma prædonum ex Marcani nobilibus conflata incurrit in ſplendidum ejus Comitatum, primoque impetu in fugam diſiicit, horum alij ſauciati, alij capti, & quod unicè quærebatur, ſpoliati omnes. Potho ægre elapſus Hammonam intravit; Ea nimirum per id tempus prædonum erat licentia & impunitas, ea ſacrorum rPæſulum contemptio. Id tamen facinus ubi Monaſterium perlatum, Canonici, Senatus populusque

lusque Monasterienſis armatus Pothoni Hammonam usque obviam progressus, ereptumque è periculo honorificè in urbem introduxit, & solenni etiam ritu in cathedra collocavit, sanctius quàm Marcani nobiles Pontificis & Cæsaris auctoritatem veneratio. Quanquam Potho nullius frugi Episcopus, triennio non expleto, locum ultro deseruerit.

Annus Christi 1380.

Urbani VI Pont. 3.
Wenceslai Reg. 3.
Henrici Spegelij Episc. Pad. 20. & ultimus.

Annus dehinc octuagesimus supra millesimum trecentesimum accesserat, prosperis adhuc Wenceslai Regis initiis; nisi quòd sæva pestis per Bohemiam grassaretur. Quo malo funerumque aspectu Wenceslaus territus, cum Pillero Cardinale Ravennate, quem superiori anno ab Urbano pontifice in Germaniam missum comitem moderatoremque conciliorum habuerat, ad Rhenum profectus, Moguntiam venit. Unde splendido Principum, ac procerum comitatu Coloniam descendit. Nec multum istic demoratus Aquisgranum concessit, eaque in urbe Imperiali aliquamdiu sedem cepit. Quò & Cuno Trevirensis Archiepiscopus, ea tempestate sapientissimus præsul, & Fridericus Colonienſis Archiepiscopus, alijque Electores, Episcopi, ac Principes accessêre; ubi consulente Cardinale Pillero, Urbani Pontificis Legato, Clemens Pseudopontifex à Germaniæ Episcopis & Principibus explosus est, iterumque Urbanus renunciatus est verus Ecclesiæ Pastor, quem omnes in Imperio colerent Christi in terris Vicarium. Ad populi quoque pietatem accendendam ducta Aquisgrani publica supplicatio, in qua Pillerus Cardinalis augustissimum Christi corpus deportavit, illo ipso videlicet die, qui hujus Sacramenti veneratione solemnis erat.

Trithem. in Chron. Spanhei. Gelen. Radulphus cap. 16. Brovver. lib. 18. annal. Trevir.

Wenceslaus R. Aquisgranum accedit, ubi denuo Urbanus Pont. contra Clementem recipitur.

Eo in congressu Principum Wilhelmus Montium & Ravensbergensis apud nos Comes, in ordinem Principum ac Ducum provectus est à Wenceslao Rege, ex assensu Electorum ac Principum; eaque dignitas illi ac Successoribus magnifico diplomate, quod inter Gelenij monumenta reperitur, IX. Calend. Julij confirmata est. Ita verò hoc sæculo demum tres Juliæ, Gelriæ, & Montium ad Rhenum inferiorem Comites, pari ducum dignitate ob merita fidemque Imperio præstitam exornati sunt. Marcano adhuc inter Comitum gradum relicto, etsi opibus, populis, & potentia regionis ceteris non multum inferior haberetur. Sed eò vicinis Episcopis, quibus cum hactenus continua fere bella illis fuêre, metuendi assurexêre; incensaque cupiditas & æmulatio proferendi limites, & oppugnandi Episcopos.

Wilhelmus Montium & Ravensbergensis Comes ad ordinem Ducum provehitur.

Sed & hic annus postremus fuit Henrico Paderbornensi Epi-

Henrici Spege-

scopo

IIij Ep. Mors.

scopo nostro. Nam in hunc porrexisse vitam testantur ejus tabulæ, quibus festo D. Agathæ duo prædia in præfectura Lichtenawensi Herboldo, & Friderico nobilibus in Vlechten, acceptis 80 marcis, pignori opposuit. Nec multum inde superstes XXI Martij, sacro videlicet D. Benedicti die, excessit è vita, illatus sepulchro, quod in æde Cathedrali ante aram S. Viti sibi designârat; utrumque enim divum, ex quo in familiam D. Benedicti Corbeiæ religiosus transiit, sibi per omnem vitam peculiari cultu patronum delegerat, eorumque patrocinio atque ope creditus est tam feliciter multa pro diœcesi sua, & Corbeiensi Cœnobio, quod tum magnopere afflictum oppressumque jacebat, confeciſſe. Funeri & honori juxta parentatum decorato sepulchro, cui ænea ad gratam posteritatis memoriam affixa est tabula, hisce encomij versibus pro rudis sæculi more insculpta.

Mille quadringentis bis denis inde retentis,
Præsul is Henricus, procerum flos, pacis amator,
Singula vir prudens justo moderamine gessit,
Salvus dum vixit, hanc Ecclesiam bene rexit,
Cum triplici speculo, prô jacet in tumulo.

Reperio in veteri Warburgensi Chronico annotatum Spegelium hunc antistitem festo D. Benedicti die Corbeiæ Monachum induisse, eodemque post die delectum Abbatem, deinde Episcopum, ac speculum insigne Spegeliæ familiæ, quod hi versus indicant, vitam clausisse.

Gessit Episcopatum annis omnino XIX deducendo à Martio anni MCCCLXI ad Martium anni MCCCLXXX; nam eo mense Episcopi munus adiit, & morte post exivit. Hunc præterea diem mortis consignant Necrologium Abdinghovianum & Mariæmunsterense, quorum utrumque S. Benedicti, ob beneficia, anniversarium ejus diem coluit. Annus hic supremus vitæ ejus cum ex tabulis ejus supra relatis, tum ex hac sepulchri inscriptione certus est. Quare fallitur Kersenbrochius cum Bruschio, qui anno 1378, & Gobelinus, qui anno 1379, alijque, qui in obsidione arcis Rhedanæ obijsse tradunt.

Princeps fuit acris ingenij, severus injuriarum vindex, inimicis durus, veri justique tenax, bello non minus quàm pace clarus, in nullum genus hostium acrior quàm prædones, quos nullibi in diœcesi consistere passus; bella non nisi ex necessitate, aut ex sociali cum vicinis Episcopis fœdere, aut eorum hortatu suscepit, eòque diœcesin à prædonibus purgatam tranquillamque successori, quantum vis multis adhuc debitis obnoxiam reliquit. Sed Princeps melior quàm Episcopus, à quo nulla Episcopi munia exercita reperio, quæ omnia per suffraganeum Episcopum peregisse tradit Gobelinus, eumque in hac Ecclesia primum fuisse, qui Vicarium Episcopum introduxerit. Ferrea hæc bellorum ætas erat quæ Principem magis quàm Episcopum in supremo capite & moderatore diœcesis poscebat.

SIMON

SIMON
Sternebergius Comes
XXXI.
EPISCOP. PADERBORN.

AB excessu Spegelij Episcopi Paderbornensis Ecclesia intra eundem annum Successorem habuit Simonem Comitem Sternebergium. Hactenus ille in clerum Paderbornensem adscitus venerat, & per gradus etiam honoris provectus, Cathedralis Ecclesiæ Decanus erat; is verò uti ad Episcopatum pervenerit, certus eorum temporum scriptor Gobelinus noster tradit. *Simon*, inquit, *de Sternebeg impetravit Episcopatum Paderbornensem à Domino Urbano sexto, et præfuit Ecclesiæ annis octo, mensibus sex, diebus decem. Hic Simon Friderico Archiepiscopo Colonienſi, ut eum apud sedem Apostolicam promoveret, et postea in possessionem Episcopatus potenter introduceret, prout et fecit, maximam summam pecuniæ, in qua ratione officij Mareschalciatus, quod Henricus Episcopus exercuerat, Ecclesiæ Paderbornensi obligabatur, Capitulo non consentiente, remisit. Ipse munere consecrationis in curia Romana suscepto, reversus Paderbornam* XV *die mensis Julij solenniter admissus est, nec tamen officium Pontificale exercuit, et vix duas Missas in Pontificalibus toto tempore regiminis sui celebravit.* Hinc & nos non magnæ frugi laudisque Episcopum hic suscipimus narrandum. Quippe qui per ambitum, ac studio magis Colonienſis Archiepiscopi fœdaque pactione, quàm virtutum merito, aut cleri electione, Episcopatum intravit. Et Pontifex uti à Colonienſi Archiepiscopo commendatum, & ad se venientem accepit; ita confisus Archiepiscopi judicio, Episcopatum illi dedit. Nec tamen prius in Germaniam remittere voluit, quàm Romæ sacerdos & Episcopus consecratus esset; ne pravo antecessoris exemplo Episcopum sese sine consecratione ferret. Jam enim passim invalescere cœperat per Saxoniam (quod in Adolpho Monasterienſi, & Colonienſi Episcopo notavimus) Episcopos Diaconi gradu administrare diœceses, & sola jurisdictione sacra contentos divinissimum illud munus tractare; ea verò, quæ ex ordinis potestate ab ipsis poscebantur, rejicere in Vicarium Episcopum; quem cùm ab antecessore introductum reperit Simon, non magnopore hanc partem muneris à se ipse requirendam

Simon Comes Sternebergius, opera Archiepiscopi Colon. fit Ep. Pad.

Consecratur Romæ sacerdos & Episcopus; sacra tamen per Vicarium Episcopum administrat.

rendam cenſuit. Adeo hoc tempore ſenſim deſcitum à primorum Epiſcoporum pietate & fervore religonis, quæ hoc ſæculo Huſſitarum, & altero poſt Lutheri hæreſis excepit. Multumque ad hanc diſciplinæ Eccleſiaſticæ laxitatem fecit calamitoſum in Eccleſia Schiſma, dum alius Romæ, alius Pſeudopontifex in Galliis conſideret; nec Romano Pontifici liceret ad priſtinam illam ſervitatem ſacrarum legum ab Epiſcopis Germaniæ omnia tam exacte requirere.

Familia Simonis Ep. & deſcriptio Comitatus Sternebergenſis.

Interim Simonis genus tanto illuſtrius ex Sternebergiorum Comitum familia; quæ tamen antiquitate magis quàm potentia, rebuſque majorum geſtis clarior. Situs hic Comitatus intra montes Teutonicos, intraque diœceſin Paderbornenſem, haud procul à Viſurgi; cujuſmodi arctioris limitis Comitatus Pyrmontanus, Swalenbergenſis, Oldenburgenſis, Erberſtenius in illo tractu montium ad Viſurgis ripam incoluntur. Nomen familiæ adhæſit ex arce Sternebergh, quæ Comitum ſedes ſupereſt inter Blombergam & Rinchelenam Oppida. Comitatus hic complexus Barenberg, Uffelen, ceteroſque pagos & vicos, quo nunc una alterave Satrapia continetur. Similis Lippienſium Comitum antiquitus fuit, antequam feudis Paderbornenſis Eccleſiæ increſceret. Totus hic Comitatus feudum eſt Eccleſiæ Paderbornenſis, qui morte Joannis poſtremi Comitis, ut infra referemus, ad Schawenburgicos Comites ex pacto tranſiit, & his extinctis, ad Eccleſiam Paderbornenſem recidit.

Simon Ep. in urbem Paderb. ſolenniter introducitur.

At Simon Sternebergius, poſtquam ſacerdos & Epiſcopus conſecratus Româ redijt, ad Fridericum Colonienſem Archiepiſcopum ſe contulit, ab eoque xv Julij ſplendido procerum comitatu Paderbornam eſt introductus. Et Canonici majoris Eccleſiæ, viſis Urbani Pontificis literis, quibus ſibi Epiſcopus creatus datuſque eſſet, acquievêre, admiſſumque in Cathedra & poſſeſſione Epiſcopatus collocavêre. Is deinde convocatis ordinibus in comitium de Republica conſtituit; ac pridie Mariæ Magdalenæ Warburgenſi Senatui populoque pro recepto more vetera privilegiâ confirmavit. Idem feſto D. Severini Brackelenſibus, ceteriſque exinde pro merito Oppidis fecit; quòd in ingreſſu in Epiſcopatum omnia pacata reperiret, præter urbem Paderbornenſem.

Gobelinus ætat. 6. c. 70. Urbis Paderborn. temeraria circa oblationes pro defunctis ordinatio.

Enim vero obitum Henrici Epiſcopi, cujus auctoritate armorumque potentia hactenus in officio metuque continebatur, auſi Conſules civitatis plebiſcitum promulgare, quo vetitum, ne in exequiis mortuorum non niſi in uno ſacrificio Miſſæ oblatio fieret: idque tam viris quàm mulieribus imperatum; ſecus qui faceret, Magiſtratui marcæ unius mulcta obnoxius eſſet; tametſi hactenus mos obtinuiſſet, ad tria plerumque ſacrificia oblationes proprio arbitrio facere. Indignatus quidem Clerus, hæc à politico Magiſtratu præſcribi; Verùm quia nemo, ut Gobelini verbis loquar, huic vulneri ſanando oleum affudit, graviori etiam poſt malo erupit. Quippe

Wilhel.

Wilhelmo Episcopo ausi post aliam legem sancire, qua præscriptum, si qui cives exequias vellent celebrari solemnibus Missæ sacrificiis, eas non nisi die dominica fieri curarent. Hanc legem quòd iniqua, esset, ac nemo Parochorum publice pro concione promulgare vellet, ipsi Consules ac senatus vicatim per domos denunciavêre. Multò id insultius quàm prius decretum erat; tanquam dies dominicus, qui lætitiæ & Christi resurgentis memoriæ est consecratus, luctui in posterum mortuorum impendendus. Tametsi auctor hujus plebiscíti post ad summam inopiam adactus, foro etiam cedere necesse habuerit. Eò vesaniæ abitur, cùm populus rerum sacrarum sibi judicium, & imperium sumit, cyathorum evacuandorum, quam sacrorum canonum magis gnarus. Quanquam hæc justa etiam numinis pœna videri potuerit, populum sibi munia Episcopi sumere, ex quo Episcopi nostri primùm pontificalibus muniis, ut supra diximus, sacrisque se vestibus exuere cœperunt, sago magis militari quàm toga conspicui. Hæresis hæc ex libertate plebis fuêre præludia, quæ majori post turbamento sacrorum invaluit in Bohemia & Germania. Ea nimirum per id tempus à Wiclefo & Baleo in Anglia pestilentissimis hæresiarchis procusa, magnis incrementis serpebat, ex qua haud multò post transitum fecit in Bohemiam.

Annus Christi 1381.

Urbani VI Pont. 4.
Wenceslai Reg. 4.
Simon II Episcopi Pad. 2.

Subinde Wenceslaus Cæsar, omnibus curis abjectis, otio & voluptatibus se permittebat. Hinc deinceps publicorum operum parum se annalibus dignum offeret. Cœpitque Imperium tanquam navis sine rectore fluctuare; tantumque incolumitatis manebat, quantum quisque Principum aut fœdere armorum, aut pacis studio in sua provincia conservare poterat. Wenceslaus R. otio deditus, Imperij administrationem negligit.

Potho Monasterienſis Episcopus, qui Wenceslai patrocinio impositus erat, cùm populi, cui præerat, linguam, mores, & institutа patriæ non calleret, & paucis in consilium adhibitis, ijsque adulatoribus & perfidis hominibus, multa turbaret, nec in aliud magis quàm pecuniam corradendam intentus esset, odia omnium incurrit. Compertus enim Odingam castrum Ghemensibus Dynastis, Horstmariam Hojano Comiti oppignorasse, alia aliis venalia obtulisse, tanquam cum spolio aliquo fugam meditaretur. Præterque hæc in despectum venit, quòd Benthemensem Comitem, & Solmensem Dynastam impune per diœcesin grassari pateretur. Monasterienses Canonici tam prodigi & ignavi Episcopi impatientes Henrico Wolfio Præposito suo imperium dedêre propulsandi hostes. Et ille vir animi excelsi, & militaris ingenij, evocato ministerialium Potho Ep. Monast. malè Diœcesi suæ præest.

equi-

equitatu, ac copiis undique collectis, primùm depopulatores è diœcesi ejecit: Inde mense Augusto castrum Wolbecense & munimentum Telgetanum uno eodemque die armata manu, expugnatum in potestatem Capituli redegit. Quæ ubi Potho magno sui contemptu fieri, nec se tanto principatui gerendo parem cerneret, seria de abdicando Episcopatu consilia agitare cœpit.

Ertvvinus. Turbæ civium Osnab. contra clerum.

Nec in Osnabrugensi diœcesi omnia quieta erant; nam cùm ex superiori bello in recuperandis diœcesis arcibus & castris cives Osnabrugenses magnos sumptus fecissent, urgerentque Clerum in partem onerum, & debitorum, & ille suam immunitatem & privilegia obtenderet, haud leviter cives & Clerus collisi sunt; spectabatque res publicam seditionem; quæ tamen res auctoritate Theodorici Episcopi, viri cordati & sapientis, composita est; datique è nobilitate arbitri Everhardus à Warendorp miles, Fridericus Duvelius, Ludovicus & Ludolphus Hakij, Amelungus Buchius; quorum operâ pax certis legibus inter clerum & urbem convenit.

Theodoricus Ep. Osnab. fœderi & Societati Hovestadiorum se jungit.

Et Theodoricus eorum Episcopus, ut inter tumultuaria horum temporum bella se præmuniret, dedit se ultro in fœdus, & societatem Castrensium Hovestadiorum; validum enim ea tempestate Hovestadium ad Luppiæ amnem castrum erat, à Coroli M. ævo celebre, ac sedes olim primorum Westfaliæ Ducum: magnaque in id se nobilium societas collegerat, haud secus quàm in Sternebergense castrum; eòque jam ante Hermannus Comes Lippiensis, Otto Comes Ritbergensis, alijque potentes Dynastæ sese in fœdus horum Castrensium conjunxêre; quibus hoc anno Theodoricus Osnabrugensis Episcopus accessit. Hæc enim per id tempus armata tribunalia erant, in quibus jus dicebatur: cujusmodi & Werlis erat in Ducatu Friderici quoque Archiepiscopi Colonienſis Castrensium militia instructum; memoranturque ex his literis hoc anno ab Archiepiscopo datis Castrenses nobiles Theodoricus de Berchem, Henricus de Uffelen, Theodoricus Lappius, Hermannus Brullius, Hunoldus de Berding, Arnoldus Schade, Everhardus & Thomas Rossius, Hermannus Ostheimius, omnes equestris ordinis viri.

Simon Ep. Pad. fit Mareschallus Ducatûs Westfaliæ.

Sub idem hujus anni tempus, quo Fridericus Colonienſis Archiepiscopus Simonem Episcopum nostrum solemni pompa introduxit in Paderbornensem diœcesin atque urbem, eundem quoque Antecessoris honore decoratum Mareschallum Ducatus Westfaliæ fecit. Id quidem honorificum munus Archiepiscopus pro sex millibus florenorum Heidenrico ab Ore militi & Toparchæ Reckling-husano oppignorârat; At postquam Simon Episcopus noster hanc pecuniæ summam numeravit refuditq; Heidenrico militi, Archiepiscopus Mareschalli munus transtulit in Simonem Episcopum. Quæ super re adsunt certa apud nos monumenta literarum festo divisionis Apostolorum die, decimo videlicet sexto Julij, data.

At

At postquam Simon Episcopus noster cum plena potestate Marescallus Westphaliæ impositus, supremaque illi administratio transcripta fuit, Præfecturam Werlensem ex consensu Præpositi, Decani, & Canonicorum Paderbornensium vicissim pignori oppositi Heidenrico ab Ore, acceptis mille florenis, quæ summa pecuniæ mox in utilitatem bonumque diœcesis Colonienſis approbante Archiepiscopo conversa est. Conditiones huic transactioni adscriptæ, quibus jubetur præfectus hic novus fidem dicere Archiepiscopo, & Marescallus pugnare adversus Archiepiscopi hostes, ipsumque Werlense castrum Simoni Episcopo ejusque Canonicis ad omnem ingressum patefacere. Extant hac super re mutuæ transactionis tabulæ tam Simonis Episcopi, quibus se Marescallum Westphaliæ inscribit, quam Heidenrici ab Ore præfecti festo D. Urbani Episcopi, & Martyris hoc ipso anno 28 Novembris consignatæ. Præfecturam Werlensem oppignorat Henrico ab Ore.

Hunc in modum sese Colonienſis Archiepiscopus & Simon Episcopus noster firmavêre adversus hostes. Olim Conradus Archiepiscopus, & Simon eo nomine primus Episcopus noster hostilibus armis inter se decertavêre: nunc Fridericus Archiepiscopus, & Simon II Episcopus noster synceri amici, & mutuo armorum fœdere colligati. Nihilque tum opportunius ad mutuam tutelam erat; quòd Episcopatus Paderbornensis Ducatui Westphaliæ magnam partem obtendatur, alterque alterius ope defendatur.

Ac Simon Episcopus, ut diœcesin suam alio etiam præsidio firmaret, fœdus inijt cum Wilhelmo Duce Juliæ & Montium, eodemque Comite Ravensbergensi, super castro Radenkenberga, quod alij post Reckenberg dixêre, & præfectura Widenbrugensi; in quibus cùm quartam partem sibi Dux, tum duas sibi partes Simon Episcopus certâ summâ pecuniæ Paderbornensi Ecclesiæ à Theodorico Osnabrugensi Episcopo & Capitulo ejus Ecclesiæ oppignoratas vendicabat. Id certis legibus ritu Castrensium fœderum est ictum; castrum videlicet & bona præfecturæ mutuis armis defendantur: neuter sine alterius voluntate quicquam alienabit, aut vendet: neuter ex hoc castro hostilia faciet, bello inter se exorto; nec sine alterius consensu præfectos castrisque custodes imponet, & quæ ejusmodi multis utrimque convenêre. Acta hæc referuntur Paderbornæ ex assensu Præpositi, Decani, & ceterorum Canonicorum, testibus præsentibus Friderico de Brencken, Henrico Westphalio, Henrico de Wienhorst militibus, Alardo de Busch armigero, aliisque quam plurimis fide dignis viris. Anno Christi MCCCLXXXI pridie D. Ambrosij Episcopi. Fœdus Simonis Ep. cum Duce Juliæ & Montium.

Adhæc Simon Episcopus noster, quia alio simul fœdere conjunctus erat cum Ducibus Brunswicensibus & Lunenburgensibus, bello, quod Albertus Dux Brunswicensis & Grubenhagensis Marchioni Thuringensi intulit, copias suas submisit, quibus Fridericum à Brencken & Cratonem Hohenfelsium ductores præfecit. An- *Chron. Walckenred.*

Annus Christi 1382.

Urbani VI Pont. 5.
Wenceslai Reg. 5.
Simon II Ep. Paderb. 3.

Obitus Ludovici Archiep. Mogunt. quocum de sede Mogunt. decertavit Adolphus Nassovius. *Langius in Chron. citiz. Trithem. in Chron. Span. Serrar. in Mogunt. Chron. Mogunt. Crantz. l. 10. Metrop. c. 23. Spanhem. in Chron. Mansfel.*

Post hæc annus hic insequens funesta morte sustulit Ludovicum Moguntinum Archiepiscopum ac Metropolitanum nostrum, ex quo in octavum annum cum Adolpho Nassovio de Archiepiscopatu decertasset. Adolphum quippe, ut supra retulimus ad annum 1373, Canonici elegerant: Ludovicum Misniæ Marchionem, rogatu Caroli Imperatoris, Pontifex præstituerat. Id schisma in hunc annum duravit, magno Ecclesiæ illius damno, dum Adolphus Erfurdiam aliaque per Thuringiam castra, ac bona cetera Ludovicus Caroli & Wenceslai Regis patrocinio insideret. Crantzius & Langius hunc simul Magdenburgensem Archiepiscopum numerant, ac Petri Bohemi in eadem Cathedra superiori anno Successorem; ut rectè scripserit Crantzius, per multas Ecclesias oberrasse, nec ullibi requiem invenisse; quippe qui primùm Halberstadiensis, deinde Bambergensis Episcopus, post Moguntinus, ac demum etiam Magdenburgensis Archiepiscopus fuit. Homo ob splendorem generis elatus, & venationi, luxui, & vanitati deditus; in qua & ultore Deo vitam suam clausit. Quippe cùm pro ingenio & depravatis moribus in Oppidi Calvensis curia convivio & choreis puellarum in multam noctem intereesset, ortum est repente incendium in vicino cubiculo, ad cujus terrorem convivæ, qui trecenti ex utroque sexu censebantur, conglobati ad gradus convolant, interque hos Archiepiscopus turbæ immixtus; qua prementium molè dum gradus rupti prolabuntur, inter præcipites solus Archiepiscopus cervices frangit, ceteris fere illæsis; delatusque ad vicinam domum altero die exspiravit; nec tamen incendium id majus compertum, quod non à puero etiam extingui poterat. Simul per id tempus Joannes Citicensis Episcopus in choreis mulierum, duas nobiles matronas medius complexus, *inter saltandum* repentina morte concidit. Hic exitus Episcoporum, qui mulierum consortiis & choreis capiuntur. Ejusmodi non pauci Episcopi Caroli IV & Wenceslai Regis patrocinio obtrudebantur Ecclesiis; dispari sanè quàm à Carolo M. ceterisque religiosissimis Imperatoribus factum est sollicitudine. Extincto Ludovico Metropolitano nostro, Adolphus Nassovius quietam Moguntini Archiepiscopi possessionem adijt. Præsul multo dignior, cujus œconomici studio omnia debita dissoluta, & Hermannus Landgravius Hassiæ bello ad obsequium, & diœcesis illa amplissima in optimum statum reposita est. Demum & hoc anno ad querelas Canonicorum Monasterienſium Pontifex Pothonem eorum Episcopum ad Swerinensem Ecclesiam transtulit in qua superiori anno Melchior ex Osnabrugen-

Potho Ep. Monast. transfertur ad Ecclesiam Suerinensem.

brugensi Ecclesia eò translatus excesserat. Sed nec illic integre quieteque Episcopatu potitus Potho, ijsdem malis involvitur, homo nullius frugi; cujusmodi tum homines Episcopatus ambibant; qualis & Albertus Sternebergius Comes per id tempus gente Bohemus Magdenburgensis Archiepiscopus, postquam sacris profanisque spoliis diœcesin exhausisset, Petro, itidem Bohemo, facta commutatione transcripsit. Præsules quibus ne pagum quidem regendum commiseris. Monasterienses hoc versu Pothonis regimen notârunt.

Providus ex toto non fuit ille Potho.

Pothoni succedit in Episcopatu Monast. Henricus Wolfius.

Pothoni Canonicorum electione subrogatus in Cathedra Monasteriensi Henric⁹ Wolfi⁹ ex veteri Wolfiorũ inter Monasterienses in Fucthelen nobilitate. Is per gradus dignitatum provectus, primùm Pastor in Hertzvelt ad Luppiam, deinde Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, tum Scholastic⁹, post Præposit⁹, demum ejusdem Ecclesiæ Episcop⁹. Vir, ut jam retulimus, ab eo cœpto ita deinceps ex toga sagoque acerrimus libertatis Ecclesiasticæ vindex. Ac Fridericus Colonienſis Archiepiscopus ejus electione lætus (quippe, qui haud secus pro eo quàm pro Simone Episcopo laborârat) scripsit ad Pontificem; & facilè tam præstantis Episcopi confirmationem impetravit. Qua allata, cum Engelberto Marcano Comite, & Theodorico fratre exquisita pompa in urbem introduxit, applaudente clero & populo. Inaugurationem celebrem etiam fecit Otto Teclenburgicus Comes, qui pro veteri more ad ingressum Episcopi in urbem jussus est pulsare campanas in æde D. Ludgeri. Vasalli hoc ejus munus erat; & cùm ille centum marcas peteret, *obtenderetq; pro obsequio illo*; nemo tamen fuit, qui penderet, eò quòd dicerent, jam à multis retro annis eas marcas non consuesse solvi: nec æquum illi esse petere, qui sat multis beneficiis pro eo obsequio quotannis remuneraretur,

Episcopi Monast. & Paderborn. ab Archiep. Colon. promoti, eidemque obnoxij.

Ad hunc modum magno Westfaliæ bono duos sibi Westfaliæ Episcopos intimè conjunxerat Fridericus Colonienſis Archiepiscopus, Monasterienſem & Paderbornenſem; quos commendatione apud Pontificem in sedibus suis collocavit. Ac Simon Episcopus noster, qui Mareschalli etiam Ducatus Westfaliæ munere exornatus erat à Colonienſi hoc anno, ne qua controversia ex hoc munere obmoveri posset, gratumque se præstaret, publicas tabulas confecit in conventu procerum super pecunia, qua sibi Ducatus Westfaliæ oppignoratus erat; hisce verò tabulis contestatur sibi pro ea pecuniæ summa satisfactum esse ab Archiepiscopo, tantumque restare tria millia florenorum ac septingentos, pro quibus castrum Calenbergum, Luda, & Almena Paderbornenſi diœcesi obligata maneant; id quod xvi Novembris hujus anni ex consensu Capituli transactum est. Inde incertum qua consilij necessitate Simon Episcopus telonium in Niemensi Oppido Friderico Flechtenio viro nobili, & judicium Warburgensi Magistratui oppignorat; nec multò post mediam

partem castri & municipij Burani; uti hanc sub Henrico Episcopo partim emptam partim donatam diximus, rursum pignori opponit, Buranis Dynastis; id quod literis à Theodoro Adolpho Episcopo editis constat.

Dynastæ Burani dimidiam partem castri feudum agnoscunt Episcopi Paderb. renunciantque juri, quod habebant in castro & præfectura Wünnenbergensi.

Sub idem tempus Bertholdus Buranus Dynasta cum fratribus ac filiis suis eandem partem suam, dimidium videlicet castrorum recipit in feudum à Simone Episcopo; jurique suo renuntiat, quod in castro & præfectura Wunneberg obtinebat. Qua super re hæ tabulæ sunt confectæ.

Nos Bertholdus Dominus in Büren, Hermannus ejus frater, et Bertholdus, Wilhelmus, et Henricus Domini Bertholdi filij fatemur, et attestamur publicè pro nobis, et pro Bertholdi filio necdum quinquennali, et pro aliis nostris hæredibus in hisce literis, quod cum nostro venerabili Domino Dñ Simone Episcopo Paderbornensi et suo Capitulo, qui mediam partem castrorum et Dominij in Büren cum suis appertinentiis à nostro cognato Simone de Büren et suis fratribus emerunt, convenimus et concordavimus super nostra parte eorundem castrorum, et Dominij in Büren, quæ altera medietas est, ita quod nos à nostro Domino Dño Simone Episcopo Paderbornensi prænominato nostram partem castrorum et Dominij in Buren, prout præscriptum, cum Gograviatibus, Burggraviatibus, monetis, teloniis, molendinis, villis, et aliis eorum appertinentiis, prout ista nunc possidemus in feudum accepimus, et nostri hæredes masculini, aut fœminini sexus, vel si hæres masculus ad ista non existeret, eam non vacantem à nostro Domino prænemorato, et suis successoribus Episcopis Paderbornensibus suscipere debent, prout nostri Parentes istam partem cum suis appertinentiis præscriptis à suis Prædecessoribus et Antecessi Paderbornensi semper in feudum habuerunt. Etiam debent ipsi nos et nostros hæredes fideliter defendere pro suo posse, et in istis castris et Dominio cum suis appertinentiis præscriptis in omni nostro antiquo jure relinquere, expressis punctis, et articulis in hisce, literis placitis. Præterea debemus nos et nostri hæredes nostram partem istorum castrorum, Dominij judiciorum, vel appertinentiarum præscriptarum nulli vendere, velin alterius cujuscunq; manus ullo modo dimittere sine dolo. Si autem voluerimus nos aut nostri hæredes istam præscriptam nostram partem istorum castrorum Dominij et judiciorum cum suis appertinentiis vendere, aut quocunq; modo à nobis dimittere, hoc ipsum debemus nos prædicto Domino nostro, aut suis Successoribus et Capitulo Paderbornensi uno anno ante denunciare, et et notum facere, quando iste annus tunc evolutus, tum debemus nos ipsis eandem nostram partem istorum castrorum et Dominij cum suis judiciis et aliis appertinentiis hæreditarie cedere, et ipsos in illa firmiter ponere pro mille marcis argenti Paderbornensis ponderis et valoris, quas ipsi nobis tum plene in omnibus dare et solvere debent in civitate Buren sine detentione et arrestatione, et assecurare nobis istud argentum ad duo milliaria à Buren, quo loco id nos exigeremus pro se et omnibus ijs, qui de eorum voluntate agere, omittere quid vellent, absq; fraude. Si vero ipsi tunc nobis istam summam argenti pro nostra præscripta parte dare et

solvere

solvere non vellent, prout præscriptum, tunc possemus nos istam nostram partem alicui alteri cedere, præservato ipsis infeudandi et Episcopatus jure. Præterea quod Wunnenberg cum suis appertinentiis, sicuti ipsi hæc à Walrado de Buren nostro cognato emerunt, totaliter et in omnibus renunciavimus et renunciamus in hisce literis, ita quod nos et nostri hæredes ipsos desuper nunquam amplius convenire, aut molestare debemus, nec velimus. Præterea nos resignavimus et resignamus in his literis potestati, quam habebamus emendi et redimendi ab ipsis mediam partem castrorum et Dominij in Büren cum judiciis et aliis appertinentiis, quam à nostro cognato Simone de Buren et suis fratribus emerunt, uti præscriptum est, et dimittimus ipsos quietos et liberos ab omni promissione, quam nobis desuper fecerunt, et pronunciamus inanes et resolutas omnes istas literas, quæ desuper datæ fuerunt, ita quod ipsi eam mediam partem istorum Castrorum et Dominij in Buren cum suis judiciis, et aliis appertinentiis præscriptis quo ad nos et nostros hæredes posthac hæreditarie et perpetuo habere et possidere possint pro sua utilitate et necessitate. Omnia hæc conventa, et articulos præscriptos omnes, et singulos pro nobis, et pro Bertholdo nostri Bertholdi filio præscripto, et aliis nostris hæredibus bona fide promisimus, et promittimus in hisce literis firmiter et inviolabiliter servare, et contra ista nunquam agere, aut fieri permittere nostro nomine nullatenus absque dolo. In cujus testimonium et stabilimentum. Nos Dominus Bertholdus, Wilhelmus et Henricus de Buren prænominati pro nobis, et Bertholdo prænominato, et aliis nostris hæredibus nostra sigilla hisce literis appendimus. Pro majori confirmatione noster Dominus Dominus Simon Episcopus, et suum Capitulum Paderbornense prænominatum ab una parte, et nos ab altera parte nostros cives Burenses rogavimus, quatenus ipsa hasce literas cum suæ civitatis sigillo etiam signarent. Et nos Consules, Senatus, et Communitas civium in Büren, quæ omnia ista conventa præscripta, in quantum nos ista tangunt, à nostra parte firmiter observentur, et inviolata permaneant, pro voluntate Dominorum nostrorum prænominatorum utriusque patris nostræ civitatis sigillum hisce literis fecimus appendi. Actum et Datum Paderbornæ Anno Domini Mccc octogesimo secundo, in vigilia omnium Sanctorum.

(LS.) (LS.) (LS.) (LS.) (LS.) (LS.)

Hisce transactis, statim octavo post hinc die Episcopus & Dynastæ Burani fœdus Castrense paciscuntur, quo in mutuam defensionem armorumque conjunctionem sese devinciunt. In hoc pacis fœdus ob hæc eadem civilium bellorum tempora conjunxêre sese Hermannus de Bracle, Widekindus de Falckenberg equites, Simon de Went, Albertus de Bracle, Fridericus de Driborg, Fridericus de Flehten, Gyrius de Calenberg, Hermannus Krevet, aliique è nobilitate viri, pacis publicæ cum Simone Episcopo amantes. Ex literis P. Mauritij de Büren.

Odoricus Raynald. in histor. Eccles. Histor. Slesvvic.

Et verò cùm per id tempus longè gravius schismatis malum, ut supra retulimus, distraheret Ecclesiam; Urbanus Pontifex, quod ad hunc annum etiam admonuit Raynaldus in historia Ecclesiastica, diversos per regna & provincias misit Apostolicos Legatos, ad Germaniæ etiam Episcopos, quorum opera & doctrina populos in sua fide contineret. Quam in rem Raynaldus cùm unam tantummodo epistolam producit ad Leodienses; tum nos Pontificis literas ad Simonem Episcopum nostrum per Joannem Slesvicensem Episcopum Legatum delatos hic conjungimus, non sine testificatione laudum.

Urbanus Pont. commendat Simonem Ep. Pad. quod schismaticis restiterit.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo Paderbornensi salutem et Apostolicam benedictionem. Ex multorum fide dignorum relatibus percepimus, quod magnum geris ad Nos et Romanam Ecclesiam devotionis fervorem, et contra schismaticos, et Dei ac prædictæ Eccles. siæ inimicos viriliter restitisti, atque resistis. Unde merito tuam prudentiam commendantes, tibi gratiarum referimus actiones, te attentius rogantes et exhortantes, ac in remissionem tibi peccaminum injungentes, ut à prædictorum schismaticorum nequitiis et astutiis prudenter præcavens, ipsos vel eorum persequaces ad terras vel loca tua nullatenus accedere permittas, sed ipsos capias, et efficaciter persequaris. Super his autem ex parte nostra loquetur tecum venerabilis frater noster Johannes Episcopus Slesvicensis lator præsentium, cui circa ea, quæ tibi super præmissis ex parte nostra referet, fidem velis credulam adhibere. Datum Romæ apud sanctum Petrum VII Idus Maji Pontificatus nostri anno quinto.

Annus Christi 1383.

Urbani VI Pont. 6.
Wenceslai Reg. 6.
Simonis II Episcopi Pad. 4.

Bella Archiep. Colon. cum Duce Clivensi & Comite Marcano.

Chron. Colon. Chron. Tremo. Teschemach. Cleinsorg. Wittius Kersenbroch. in Chron. Monast.

Subinde Westfalia, quæ hactenus auctoritate Friderici Colonensis Archiepiscopi, ac fœdere vicinorum Episcoporum quieta fuit, novo armorum motu concuti cœpit, invalescente inter Archiepiscopum & Adolphum Cliviæ Ducem discordia. Belli flammam injecit castrum Dickium, è quo præfectus, instigante aut permittente Clivio, prædis infestabat inferiorem Colonensem diœcesin. Quibus offensus Fridericus Archiepiscopus conservatores pacis, Simonem Episcopum Mareschallum suum, Henricum Monasterienſem, ceterosque præsules & proceres appellat; horum ille impetratis subsidiis castrum per sex hebdomadas obsessum ad deditionem compulit diruitque.

Iisdem simul armis Archiepiscopus castrum Vienhoven prædonibus infestum expugnat, injectisque flammis evertit; id quod multò ægrius tulit Adolphus Cliviæ Dux, & frater ejus Engelbertus Marcanus Comes. Ac Marcanus, ut præceps erat ad arma, collectis copiis Werlas in Ducatu Westfaliæ nono Octobris aggressus, Oppidoque intercepto, spoliis & flammis exhausit.

Pro.

Prospera Henrici Monasterienſis Episcopi exordia funestavit pestis ac flamma in urbe. Nam ut fasti eorum memorant, pestis quæ per Westfaliam grassabatur, intra sex menses ultra octo hominum millia utriusque sexus in urbe extinxit. Accessit altera urbis calamitas, funesto urbis incendio, quo supra 400 ædes intra templum S. Servatij & Ludgeri absumptæ. Quare ad numinis iram placandam Henricus Episcopus lugubrem circa omnia urbis templa supplicationem indixit; in qua ipse cum Clero, religiosorum cœtu, & juventute studiosa processit, sequente Magistratu cum civibus ac matronis; cui se ultro magnus numerus, è sequiore cumprimis sexu, pœnitentium habitu, & nudis pedibus incedens, conjunxit. Quo ritu supplicatio hæc feria 2da ante sacrum D. Margarethæ diem instituta, ad nostram usque memoriam solennis fuit. Urbs Monast. peste & incendio vastatur.

Annus Christi 1384.

Urbani VI Pont. 7.
Wenceslai Reg. 7.
Simonis II Ep. Paderb. 5.

Tandem annum sequentem Westfalia à bellis vacuum habuit, postquam fœdere inter se inito, factaque armorum conspiratione, Colonienſis, Monasterienſis, Paderbornenſis, & Osnabrugenſis Episcopi, penes quos summa potestas erat, tumultuarios Comites, nobiles, & prædones compressêre. Et Heidenricus Monasterienſis Episcopus, quò certius paci consuleret, fœdus in quatuor annos pepigit cum Balduino Steinfordenſi, & Joanne Solmenſi Ottensteinia. no Dynasta, eorumque filiis, cui & urbs Monasterienſis accessit. Fœderis hujus leges fuêre: turbatores pacis junctis viribus aggredi, & jus cuique facere. *Ex tomis MM. SS. P. Mauritij.*

Ceterum hic annus sustulit Widekindum, eo nomine II Mindenſem Episcopum, gestâ in decimum sextum annum præfecturâ sacrâ; quocum Henrico Spegelio, & Simoni Episcopis nostris fida animorum armorumque ex cohærente ejus diœcesi conjunctio fuit. Ortus erat Widekindus ex Dynastis de Monte haud procul Minda, Advocatisque opulentis & potentibus Mindenſis Ecclesiæ. Præsul, ut à Crantzio relatum est, in utroque statu præstans, religione non segnis, armis strenuus, Ecclesiasticæ libertatis vindex acerrimus; quippe qui cum Duce Brunswicenſi congressus, prælio vicit, & bona Ecclesiæ in libertatem asseruit. Demum præclarè meritus de Ecclesia excessit, pridie D. Dominici, cujus ille familiam sacram apud se Mindæ, florentesque in eo Cœnobio viros religiosos singulari semper benevolentia & largitate complexus erat. Humatus est in Basilica ad aram, quam majores erexerant, dotârantque. Ab obitu dissensio oborta inter Canonicos de successore; quæ tamen haud multò post composita, septimoque menſe concordi suffragatione delectus Otto *Chron. Minden. Lerbeckius in Chron. Schovvenb.* Obitus Widekindi Ep. Mindenſis, præclarè de sua Ecclesia meriti. *Crantz. l. 10. Metrop. cap. 35. Chron. Hildesienſe.* Successor illius

consanguineus. delectus Otto Præpositus Collegij Hildesimensis, quod est in monte extra urbem, frater germanus Widekindi; seu ut fasti Mindenses referunt, consanguineus Widekindi, vir egregius pietate & religione in Deum. Tertius ex ea familia Gerhardus Hildesienſis Episcopus ex Verdensi Ecclesia translatus. Præsul magnanimus, interque suos religione, & militari felicitate multò celebrior. Ejusmodi per Westfaliam Saxoniamque plerique ea tempestate Episcopi, in nullo degeneres, ab optimis & priscæ religionis Episcopis; præterquam quòd cum toga sagum militare, ob injurias Principum, & rapacitatem Comitum nobiliumque, sumendum fuerit; cùm Cæsarum auctoritas & defensio eos destitueret, tantumque ex prisca Cæsarum donatione retinerent, quantum & ipsi inter Imperij Principes suis armis tueri poterant.

Annus Christi 1385.

Urbani VI Pont. 8.
Wenceslai Reg. 8.
Simonis II Episc. Pad. 6.

Gobelinus Dilschius in Chron. Hassiæ Serrarius in Moguntin. histor. in Adolpho Hassus armis adactus à vexatione vicinarum Diœcesium desijt.

Hanc ob causam anno etiam proximo bellum adversus Hermannum Hassiæ Landgravium communi conspiratione ab Adolpho Moguntino, Friderico Colonienſi, Theodorico Osnabrugensi Episcopis sumptum est; tractique in societatem armorum Otto Dux Brunswicensis, & Balthasar Thuringiæ Landgravius. Hi conjunctis in validum exercitum viribus Hassiam ingressi, Cassellas obsedêre; in easque angustias redegêre Hassiam, ut 20000 florenorum pacem redimere, & vexatores Episcoporum abjurare necesse habuerit. Hassus verò cùm solvendo non esset, tria castra Wolfhagen, Grebenstenium, & Zierenbergam Moguntino cessit in pignus. Non eo contentus Moguntinus, jussit Hassum, quòd vasallus, & Mareschallus suus esset, Frislariæ in congressu Episcoporum publicè suis manibus avenam in pabulum equorum demetere. Id quod eo tempore factum narrat Serrarius ex vetustis Moguntinæ Ecclesiæ fastis. At ubi nunc illa Archiepiscoporum auctoritas? obtinuit in præsens hoc bello Simon Episcopus noster, ne Landgravius, ut hactenus fecerat, Paderbornensem diœcesin & Corbeienses deprædationibus divexaret.

Lipstadiensibus D. Augustini religiosis datur facultas erigendi domicilium in urbe Paderb.

Ac Simon Episcopus noster cùm frequenti opera Sacerdotum è Lipstadiensi Cœnobio Ordinis D. Augustini uteretur per diœcesin & urbem, aream illis prope Paderam & Episcopi palatium ad domicilium erigendum (id quod Otto Episcopus cœperat) acceptis xxx florenis concessit; qui tamen redderentur, si palatium Episcopi instaurandum sumeretur. Tabulis hac super re confectis impressum sigillum, quo B. Virgo patrona conspicitur puerum ulnis complexa: utrimque duo Episcopi Kilianus & Liborius manu thronum prehenden-

hendentes: in altera parte crux Paderbornensis Ecclesiæ, in altera stella Sternebergensis Comitatus insigne.

Ceterum hoc anno Urbanus Pontifex præclaram & omni amore fiduciaque plenam scripsit epistolam ad Simonem Episcopum nostrum, qua ei duo pericula, è quibus admirabili Dei providentia ereptus fuit, prolixè significat, hortaturque, ne per schisma se suosque ab Apostolicæ sedis fide averti sinat. Subijt enim hoc anno Pontifex præsens vitæ discrimen; primum ex conspiratione quorundam Cardinalium in caput suum, quæ per fidos amicos detecta. Hinc Cardinales conjurationis convictos in vincula abripit; in quorum deinde locum alios sibi fidos delegit; interque hos etiam Adolphum Moguntinum, Fridericum Colonienſem, Cunonem Trevirensem, Archiepiscopos, & Arnoldum Leodiensem ex Germanis nominavit Cardinales; quòd nulli genti magis synceræ salutem suam committendam censeret. Quanquam Archiepiscopi post longam deliberationem honorem illum recusârint; fallanturque Ciaconius, Andreas Victorellus, Ferdinandus Ughellus, à quibus inter Cardinales, nescio quibus etiam gentilitiis signis exornati, numerantur. Alterum Pontificis periculum multò gravius incessit; obsessus enim in quintum mensem à Carolo Neapolitano Rege in castro Luceria. Jamque expugnata exteriore castri parte, interius castrum, in quod se Pontifex receperat, admotis machinis, injectisque saxis, in extremum discrimen venerat; cùm Genuensium classis, alijque fidi Pontificis Principes, obsidionem solvunt, depulsisque hostibus Pontificem liberatum, Genuam deducunt, fidam Pontificis urbem; sicuti hæc multis denarrat Theodoricus Niemius, & Gobelinus noster, qui Pontificis tum aulam secutus omnia coram spectavit, atque ex his Paderbornensibus nostris scriptoribus retulit Raynaldus in historia sua Ecclesiastica. Nunc ipsam Urbani Pontificis epistolam, quibus hæc Simoni Episcopo, synceriſſimo suo inter Germaniæ Episcopos amico, sub exitum hujus anni perscribit hic referre juvat.

Pontifex binis gravioribus periculis liberatur.

Quod per literas Simoni Ep. Pad. indicat.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei venerabili fratri Simoni Episcopo Paderbornensi salutem et Apostolicam benedictionem. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, nostri scilicet, et eorum, qui in angustiis et obsidione nobiscum fuerunt fidelium, et erexit cornu salutis nobis, uti in domo David pueri sui, fortis videlicet et fidelis populi Januensis: Et fecit salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, non utcunque, sed stabili firmitate, et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Merito cunctis diebus vitæ nostræ in hujusmodi firmitate et justitia servire tenemur altissimo, narrantes laudes, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit: filij, qui nascentur, et exurgent, narrabunt ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur opera Dei, et mandata ejus exquirant. Nonne ergo Deo subjecta erit anima nostra, ab ipso enim

salutare

salutare nostrum; nam cum dixissent inimici nostri nobis, et qui custodiebant animam nostram consilium fecissent in unum, dicentes, Deus dereliquit eum, prosequimini, et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat, ipse Dominus salvator noster, et liberator noster posuit animam nostram ad vitam, et non dedit in commotionem pedes nostros: transivimus per ignem et aquam, et eduxit nos in refrigerium, et statuit in civitate munita, et in loco spatioso pedes nostros, in hac videlicet fidelissima civitate, ubi divina favente clementia cum magna reverentia et obedientia dicti populi, sublatis quibuscuis impedimentis et obstaculis, Apostolicæ dignitatis officium exercemus. Nam non solum præfatæ civitatis copiosissima multitudo, verum etiam de civitatibus, terris, castris, villis, et locis circumpositis turbæ multæ devotionis ardore succensæ confluunt benedictionem recepturæ. Præterea hi qui detrahebant nobis ad nos veniunt, et vestigia pedum nostrorum adorant. Nos autem summi Pastoris, cujus vices licet immeriti tenemus in terris, doctrinam salutiferam imitantes eis indulgentiam omnimodam impertimur. Hæc fraternitati tuæ succincte significanda censuimus, ad hoc, ut virulentis et dolosis schismaticorum et hæreticorum suggestionibus obtures salubriter aures tuas, et in fidei sinceritate, nostraque devotione, sicut fecisti hactenus, inconcussa stabilitate persistas. Nostri enim, imo totius Christianitatis hostes videntes, qualiter excelsus super omnes gentes Dominus nobiscum est mirabiliter operatus, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus obumbrare eorum sermonibus viperiis, et veluti cancer serpentibus moliuntur: sed muta fient labia dolosa et ora iniqua loquentium obstruentur. Super quibus tibi latius explicandis dilecto filio Echardo Oldendorp Canonico Mindensi Capellano nostro latori præsentium fidem velis credulam adhibere. Datum Januæ VI *Calend. Januarij Pontificatus nostri anno octavo.*

Varia à variis fœdera inita, ad continendam in pace Westfaliam Saxoniamque.

At verò cùm per Imperium sub torpente Wenceslao Rege omnia miscerentur intestinis dissidiis, rapinis, & bellis, unicum salutis præsidium fuit in fœderum societate; qualem hoc anno ad Westfaliam in pace continendam inîere inter se Fridericus Colonensis Archiepiscopus, Heidenricus Monasterienſis, Theodoricus Osnabrugensis, Simon Paderbornensis Episcopi, Bodo Corbeiensis Abbas, Engelbertus Marcanus Comes, Henricus Waldecensis, Simon Lippiensis Comites, civitates Monasterium, Osnabrugum, Tremonia: adscriptique in hanc societatem Otto Episcopus Mindensis, Otto Comes Schawenburgicus, Otto Comes Teclenburgicus, Otto Comes Ritbergensis, Theodoricus Comes Marcanus, Bernardus Comes Benthemius, Hermannus Comes Eberstenius, & Balduinus Dynasta Steinfurdensis, Joannes Comes Diepholdius, ac Widekindus de Monte.

Ad hunc modum, uti Spangebergius refert, convenêre Otto Dux Brunswicensis ad Leinam, Fridericus Dux Brunswicensis Albertus Dux Brunswicensis ad Saltum, Moguntinus & Halberstadiensis Episcopi, Comes Reinstenius, Helinstenius, Stulbergensis, & Mansfeldius,

feldius, multique per Saxoniam proceres ac nobiles, publicum fœdus sanciendo adversus prædonum licentiam, quod idem in Franconia, Bavaria, Suevia factum memorant ceteri scriptores, postquam Wenceslaus Rex ventri, & veneri se dedit, nec Bohemiam egressus ullam Reipub. curam attingere visus est.

Annus Christi 1386.

Urbani VI Pont. 9.
Wenceslai Reg. 9.
Simonis II Episc. Pad. 7.

Pontifex deinde, cùm potentibus in Italia hostibus premeretur, misit in Germaniam Mattiolum Archiepiscopum Ragusanum, sedis Apostolicæ Legatum, qui exhibitis Henrici VII & Caroli IV Imperatoris, avi videlicet & patris Wenceslai Regis, literis, quibus se ad defensionem Romanæ Ecclesiæ obligârant, suppetias sollicitaret. Adhæc Pontifex VIII Februarij literas rursum dedit ad Simonem Episcopum nostrum, quibus petit, ut Wenceslao Regi auctor hortatorq; sit ad maturandum iter Romanum, & coronam augustalem ritu majorum capessendam, ratus si in Italiam cum Germanico exercitu veniret, omnes Romanæ Ecclesiæ hostes disijciendos. Haud dubium quin ejusmodi literas ad Electores Archiepiscopos, & ceteros Germaniæ Episcopos dederit Pontifex. At ignavus Rex Wenceslaus; qui & voluptatibus immersus hærebat; nec subsidia misit Pontifici, nec Italiam ingressus, nec de corona Imperij suscipienda, nec de Imperio moderando unquam serio cogitationem suscepit, laqueo, ut inquit Cuspinianus, quàm corona dignior.

Pontifex Regis, aliorumque Germanorum opem contra hostes suos implorat. *Odoricus Raynald in histor Ecclesiæ*

Tranquilla interim Westfalia ex confœderatione Episcoporum & procerum superiori anno facta; qua tamen pace frui non licuit Hermanno Hassiæ Landgravio, in cujus provinciam rursus irruptionem fecêre Landgravius Thuringiæ & Moguntinus Archiepiscopus, prædis & vastatione infesti; ausique denuo Cassellas incingere, sedem Landgravij. Quam vim cùm maritus armis avertere non posset, depulit eloquentiâ Landgravij conjunx, Margaretha, Burgravij Nurenbergensis filia, Thuringumque viro reconciliavit.

Erra Ring. Schius Bron. lia. Hassia quencongis Landgravij ab hostibus liberatur.

Trans Rhenum bellum exarsit inter Joannem Brabantiæ moderatorem, & Wilhelmum Juliæ Gelriæque Ducem. Causa belli Graviæ ad Mosam Oppidum, quod uterque sibi vendicabat. Juliacensis, ut à Divæo refertur, in societatem traxit Fridericum Coloniensem Archiepiscopum, & cum eo Simonem Mareschallum suum Monasterienſem, Trajectensem, & Bremensem Episcopos; præterea Cliviæ & Meursiæ Comites; quorum copiis Juliacensis confirmatus, Brabantinos, qui quadraginta millium exercitu Gravian obsidebant, altero post anno depulit in fugam.

Dux Juliæ Brabantinos Graviam obsidentes fugat, adjutus copiis Si-

monis Paderb. cetero. rumque Princi- pum.

Inter hæc Wilhelmus Juliæ & Gelriæ Dux, idemque Comes Ravensbergensis, pacem Castrensem firmavit cum Simone Paderbornensi Episcopo super castro Reckenberg, & Wiedenbrugo Oppido, quæ loca ab Episcopo Osnabrugensi partitò jure sibi oppignorata tenebant Dux & Episcopus noster. Consignata hæc pax Sparenbergæ publicis utrimque tabulis in pervigilio D. Thomæ, cùm jam festo D. Martini à Duce impositus esset Heidenricus ab Ore ex militari genere fidus utrique præfectus.

Pontan. in Gelr. Chron. Colon. Divæus Chron. Belg. Seth. Calvisius. Latera Ravensb.

Sollicitatus posthæc Simon Episcopus à Bredelarienſibus Monachis Ordinis Cistertiensium pro subsidio indigentis Cœnobij, quod Hassi vicinique circum prædones, pro temporum illorum iniquitate, & conturbatione rerum evastârant. Id verò damnum religiosis suæ diœcesis viris illatum, quo affectu pietatis Episcopus reparandum susceperit, testes erunt hæ literæ.

Convenit inter Comitem Ravensberg. & Simonem Ep. super oppido Widenbrugo & castro Reckenberg.

Simon Dei gratia Paderbornensis Episcopus, Universis et singulis dilectorum rectoribus per civitatem et diœcesin Paderbornensem constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino. Pium est illis opem ferre, qui noscuntur malo alieno laborare, præsertim Dei famulis mundano auxilio destitutis. Cùm igitur Monasterium in Bredelar ordinis Cistertiensis, nostræ diœcesis Paderbornensis, dudum sit à perversis, quod dolendum referimus, citra religiosorum virorum Abbatis et conventus sui culpam misere deprædatum, facultatibus minutum, et tantis debitis aggravatum, ut pleroſq; Monachos suos et conversos emiserit jam à se, et nisi sibi à Christi fidelitatibus succuratur, residuos sibi emittere sit necesse, suspensis in eo divinis laudibus, et pauperum hospitalitatibus: Dolorosè universitatem vestram in Domino exhortamur, vos et quemlibet vestrum sub objecto debito requirentes, quatenus religiosos viros, præsentium exhibitores, quos propetendis fidelium Eleemosynis, ad salutem meam, prædictos duximus amittendos, debitis et consuetis solemnitatibus, præmissis in Ecclesiis, ad proponendum propter hoc verbum Dei, favorabiliter amittatis, et aliud prout potueritis, promovere curetis, nihil ab eis postulando, nisi quod animo gratuito vobis duxerint largiendum: ut sæpe dictum Monasterium ex his, quæ sibi à fidelibus destinari contigerit, confortatum, Monachos suos recolligat, dominia sua resumat, et hospitalitatum opera, plura prioribus exhibeat Domino sperante, vosque per hæc et alia pietatum opera, præter generalem remissionem et veniam, quam ex hoc merebimini, et indulgentias dicto ordini et Monasterio concessas, etiam quadraginta dierum indulgentiam consequi valeatis, quam de Omnipotentis Dei misericordia, et sancti Liborij Patroni nostri confisi suffragiis, ob hoc a vobis, ac omnibus, et singulis verè pœnitentibus, et confessis, qui dicto Monasterio de bonis sibi à Deo collatis Eleemosynas destinare curaverint, de iniunctis sibi pœnitentiis tenore præsentium duximus concedendum ---------- ab officiis divorum, et inter sanctissimas, si quæ nostra vel Monachorum vestrorum authoritate in loca vestra forsitan latæ fuerint in præsentia reliquarum ejusdem Monasterij, ac religiosorum prædictorum, ex causis præmissis præsentibus

Mysterio fidelium.

præsentibus relaxantes, præsentibus tamen post annum continuum minimè valituris. Datum Nostro sub sigillo, anno Domini MCCCLXXX *sexto in vigilia Sanctorum Simonis et Judæ Apostolorum.*

Annus Christi 1387.

Urbani VI Pont. 10.
Wenceslai Reg. 10.
Simonis II Episc. Pad 8.

Westfaliæ posthæc pacem, quam ante biennium tanta animorum conspiratione fecerant Episcopi ac proceres, rupit Tremoniense bellum, culpâne Archiepiscopi, an Tremoniensium? incertum habeo. Id certè primùm constat Archiepiscopum Colonienſem antiquissimâ possessione sibi in urbem Tremoniensem jurisdictionem sacram vendicare; quam deinde urbem, cum dono Caroli IV Imperatoris, & Principum consensu, sibi assertam accepisset, ut supra à nobis relatum est, cœteri deinde Episcopi & Principes bellum hoc ipsi approbare demum visi, quòd unâ conjunctione armorum ad obsidionem convenerint. Accedebat, quòd Comes, qui antiquitus à Carolo M. impositus erat, & ad hæc tempora memoratur Conradus fuisse, jam dudum ab ipsa urbe exclusus sine ullo imperio ageret. Sanè Archiepiscopus magno apparatu, multisque Principum copiis auxiliaribus, obsidionem aggressus; quas submisêre Moguntinus, Trevirensis, Bambergensis, Monasterienſis, Paderbornensis Episcopi, Wilhelmus Dux Juliæ, Wilhelmus Dux Montium, Albertus Dux Brabantiæ & Hollandiæ Comes, Dux Brunswicensis, Comes Palatinus Rheni, Otto Comes Teclenburgicus, Ritbergensis, Schawenburgicus, Dynasta Steinfordensis, Solmensis, ceterique Westfaliæ proceres. Tanto molimine integro anno & novem mensibus circumsessa Tremonia, intercluſis omnibus viis & annona; nec tamen expugnari potuit, civibus omnia ad extremam defensionem comparantibus. Nam & miles conductitius inductus, & quotquot per ætatem idonei armis induti, & propugnacula circa urbem exstructa, crebrisque eruptionibus hostes fatigati; nam, ut opibus & mercimoniis, ita numero civium animosorum florentissima erat. Archiepiscopus postquam expugnationem secus, quàm sperârat, difficiliorem reperit, passus est per vicinarum urbium Oratores ad compositionem deduci; transactumque in has leges. Jus sacrum Archiepiscopo integrum maneat; cives 14000 florenorum Archiepiscopo pendant pro belli sumptibus: Marcano, qui & jus suum in urbem obtendebat, 16000 aureorum mutuo dentur, non nisi ab heredibus ejus solvenda: munimenta extra urbem excitata solo æquentur. Vades horum fuêre Susatum, Hammona, & Unna civitates. His juratis abductus miles ab obsidione. Celebris hæc arctaque obsidio; sed, quæ per id tempus Scriptorum fuit raritas & ignavia, in annis hi

Chron. Tremon. Crantz. lib. 10. Saxon. c. 12. Wittius in Chron. Cleinsorg. in Chron. Chron. Colonien. Tremonia obsidetur.

multum obscuri sunt; quando alij ad priores annos, alij ad hunc 1387 & sequentem simul obsidionem verisimilius referunt.

P. Crumbach. ex vetustis literis Monumenta Paderbor. in stemmate Furstenb.

Bello hoc fidam operam Archiepiscopo suo præstitit Fridericus Furstenbergicus, Wenemari, ut supra diximus, primi Arensbergensis Satrapæ filius, ac heres paternorum bonorum, Wenemarus patruus, ac Wilhelmus, bellicosi ea tempestate viri. Quapropter his Furstenbergicis larga præ ceteris ab Archiepiscopo compensatio facta est.

Annus Christi 1388.

Urbani VI Pont. II.
Wenceslai Reg. II.
Simonis II Episc. Pad. 9.

Simon Ep. pluribus bellis implicitus multa debita contrahit. Gobelinus Literæ Paderb.

At Simon Episcopus noster, cùm pro Mareschalli munere Colonienſi Archiepiscopo hoc Tremonienſi bello fidus adstitisset, multaque in bello Hassico impendisset, haud leve æs alienum contraxit; interque cetera, quæ hactenus oppignorata diximus, etiam arcem & Oppidum Vorde Bernardo ab Holthusen, viro militari, ejusque filiis & heredibus pignori oppositit. Bella interim multa feliciter gessit, multosque hostes captivos habuit; quos tamen liberius, quàm cautius dimisit, fallacium deceptus hominum persuasionibus; quos deinde acerbiores hostes, quàm amicos habuit: multumque in eo desiderata fuit severitas in delinquentes, auctoritas apud Ministeriales & Vasallos; quibus cùm nimium fideret, neglectâ primariâ nobilitate, ac per eos omnia se conficere posse crederet, apud hos ipsos ex nimia familiaritate in contemptum venit; qui ausi etiam insurgere in ipsum Episcopum, & arma vertere in Dominum suum. Sicuti hæc Gobelinus noster scribit, acer satis Episcopi hujus censor; qui certò in eo fallitur, quòd scribat, Simonem Episcopum nostrum publica Principum fœdera spreviſſe, quem tamen nos hactenus omnibus publicis Westfaliæ fœderibus adscriptum comprobavimus.

Gobelin. ætat. 6. c. 82. Brusch. in Catal. Episcop. Paderbor. Crantz. in Metrop. lib. 10. c. 22. Kersenbroch. in Episcop. Paderbor. Simon Ep. in oppugnatione arcis Brobekianæ.

Postremum igitur & fatale Simoni bellum fuit cum Ministerialibus & Vasallis. Horum Dux, receptorque ceterorum prædonum, Herboldus nobilis, arcis Brobeckianæ Dominus. Sita erat hæc arx in valle intra montes Ducatus Westfaliæ, haud procul à Brulio Oppido; ad hanc captivi homines, pecora, & prædæ tanquam in securum spoliarium rapiebantur. Id quàm indignè tulit Simon Episcopus, tam concitis copiis obsidione incinxit, machinisque admotis oppugnare aggressus est. At dum ipse pugnantibus se miscet, propiusque succedit ad arcem, telo rebellium manu ex arce emisso, trajectoque per inguina, letale vulnus accipit; quo deinde post mensem, sub initium sequentis anni, die videlicet XXV Januarij, extinctus est. Quod tempus mortis etiam in Necrologio Gerdensi & Wilbacensi consignatur. Corpus in Basilica honorifico ad cetero

Episco

Episcopos tumulo illatum est. Spatium hoc temporis, quo decubuit ex vulnere, magnum illi simul beneficium fuit, componendi se ad feliciorem, quàm ipsa vita in Episcopatu fuerat, è vita exitum; siquidem vera sunt, quæ Gobelinus, non satis illi, ut apparet, æquus scriptor, tradit: quod raro, postquam sacerdos & Episcopus consecratus fuit, sacris operatus sit, Episcopi functione sacrâ in vicarium Episcopum rejectâ. Præsul præterea, inquit Gobelinus, inconstantis animi. Verùm si res bellis ab eo gestæ expendantur, sat acris, & militaris ingenij, ut tum ætas illa poscebat, & plerique per Saxoniam præstantes Episcopi commendantur. Unum interim immitioris ingenij factum reprehenditur in Simone, quòd Ludovicum de Büren sacerdotem cryptæ primarij templi in vincula traxerit, abductumque in castrum Driburgense tetro carcere incluserit, in quo fame & pedore confectus sit, haud aliam ob culpam, uti Gobelinus narrat, quàm quòd vacantem in urbe Paderbornensi Ecclesiam Rurensem, quæ simul Virginum Cœnobio conjuncta est à Sede Apostolica invito Episcopo impetrarit. Simile prorsus fecit Willebrandus Mindensis Episcopus. Sicuti id ex fastis eorum memorabimus. Crudi ex ferrea ætate Episcopi: si quidem vera referant scriptores. Quanquam non sine causa indignè tulerint Episcopi & Clerus, tot Sacerdotia Romæ tam facilè impetrari, & contra patria jura conferri immeritis.

næ telo confessus occumbit.

Quæ vitio data Simoni Episcopo Pad.

Per id tempus, quo Simon Episcopus noster, Comes Sternebergius, excessit è vita, ante Simonem nostrum occubuit quoque Joannes Comes Sternebergius in prælio ad Winsam Oppidum, postremus ejus familiæ Comes; sed ante Simonem Episcopum nostrum, quando id prælium fuit inter Lunenbergenses & Brunswicenses anno hoc 1388 festo corporis Christi consertum. Belli hujus flamma ambitio. Quippe Wenceslao Lunenburgensi extincto, Albert⁹ Wenceslai patruus eum sibi Principatum vendicabat. Huic ut aditum præcluderent, conspirâvêre Henricus, Fridericus, ac Bernardus Magni Ducis Brunswicensis, filii, bellumque intulêre. Contra Alberti partes susceptêre cives Lunenburgenses, Otto Episcopus Mindensis, Otto Comes Schawenburgicus, Ericus & Joannes Comites de Hoja, Gerhardus Comes Brunchorstanus, & Joannes Comes Sternebergius. Belli causa etsi æquior penes Lunenbergenses fuerit, victi tamen à Brunswicensibus; interq; cœsos numerati Brunchorstanus & Sternebergius Comites, quibus cum utraque familiæ stirps extincta est. Cessitque Brunchorstianus Comitatus Hojanis, Sternebergius verò ex pacto jam ante inito Adolpho Comiti Scawenburgico. Quanquam anno post 1396 Wilhelmus Dux Montium, idemque Comes Ravensbergensis, litem moverit Schawenburgico, castrumque Sternebergicum in pervigilio Pentecostes interceperit, & per annum insederit, donec Schawenburgicus mille ducentis florenis castrum redimeret.

Joannes Comes Sternebergius in prælio Luneburg. & Brunswicensium occumbit, quocum familia Sternebergica extincta est.

ret. Auctor est Meibomius, Waldecenses, Swalenbergenses, & Sternebergios Comites ejusdem veteris familiæ fuisse propagines, quibus idem gentilitium insigne stella colore tantum diversa, quæ nigra à Waldecensibus, fulva à Swalenbergensibus, rubra à Sternebergiis sumpta est. Antiquissima horum Comitum familia Swalenbergeses, deducti à Widekindo Comite Swalenbergensi, quem à Carolo M. advocatum Ecclesiæ Paderbornensis constitutum volunt. Ceteris familiis extinctis, supersest Waldecensis. Nam Swalenbergicus Comitatus, ut diximus, divisus est inter Episcopum, & Comites Lippienses; Sternebergensis cessit Comiti Schawenburgico. Sed non aliter simul quàm clientelari beneficio; antiquissimum enim Episcopi & Paderbornensis Ecclesiæ feudum est, eòque post Sternebergicos Comites à Schawenburgensibus semper recognitum obtentumque fuit: uti tot tabularij nostri literis, cumprimis anno 1400, 1405, & 1518 datis, commonstratur. Extinctà demum Schawenburgicorum familia, Comitatus ad Ecclesiam Paderbornensem recidit. Hunc quia Comites Lippienses non nisi pignoris titulo occupârunt (quo jure aut vi, disceptent alij) repetiêre Comitatum Paderbornenses, lite ad hunc diem contestata hærenteque; neque Lippiensibus unquam clientelari beneficio ab Episcopis nostris impetrare licuit. Quam in rem Episcopi Paderbornenses etiam stellam, quæ insigne fuit Comitum Sterneburgicorum, inter Ecclesiæ suæ insignia prætenderunt. Sed de his ubi ad extinctam Schawenburgicorum familiam perventum fuerit.

Universitas Colonienſis instituitur.

Nunc res alia majoris momenti prætermittenda non est. Impetravit enim hoc anno Senatus populusque Colonienſis ab Urbano Pontifice universitatem omnium facultatum & scientiarum, ad eum modum, quo Parisiis florebat universitas omnium studiorum. Ob id à Pontifice ijsdem etiam privilegiis Agrippinenses decorati sunt. Recitat id diploma Pontificis Gelenius, quod & Collegio Cathedrali cleroque à Magistratu oblatum est. Magno id non modò Colonienſium, sed totius Westfaliæ bono factum est; ad id enim Athenæum ex vicinis Westfaliæ provinciis & Gymnasijs deinceps confluxêre incredibili numero studiosi adolescentes, posteaquàm increbuit, quatuor facultatum studia, Theologiæ, juris prudentiæ, Medicinæ & Philosophiæ, ceterarumque artium aliunde evocatis professoribus apertè florere. Qua in re haud leviter etiam divina providentia suspicienda. Enim vero cùm studia literarum passim in Collegiis Cathedralibus, penes quæ publicæ hactenus scholæ fuêre, oblangueſcerent, Clero vel ad otium, vel ad luxum, vel ad inscitiam inter bella prolapso, Deus injecit mentem Regibus & Principibus erigendi condendique publicas studiorum universitates; qualem jam Pragæ Carolus IV Imperator, Viennæ Albertus Dux Austriæ, Heidelbergæ Rupertus Palatinus instituerat. Quo inscitiæ malo cùm

Gelen. in sacrar. syntag. 2.

Ecclesia

Eccleſia in his regionibus laboraret, ut nec in Clero eſſent viri, qui Parochias dignè adminiſtrarent, populumque docerent: Nec è Cœnobiis Monachorum ſuppeterent idonei homines; acceſsêre per id tempus Gerhardus M. & Florentius presbyteri, à quibus Daventriæ ad Iſalam celeberrimum omnium liberalium artium Gymnaſium,& juventutis pietatiſque ſeminarium inſtitutum eſt, magno totius Friſiæ, Weſtfaliæ,& Saxoniæ fructu. Nec enim aliunde magis omnis illa tumultuarij belli ſævitia, & prædonum multitudo, & vitæ licentia irrepſerat, quàm ex ignorantia Paſtorum, eorumque hominum, per quos populus in religione & pietatate formandus erat; eaque ſæculi hujus ſpecies erat, & morum prolapſio, ut populus ad primam barbariem rediturus crederetur.

Sed hæc hæreſis, quæ poſt ſecuta, præludia fuêre.

RVPERTVS
Juliæ & Montium Dux
XXXII.
EPISCOP. PADERBORN.
Annus Christi 1389.

Urbani VI Pont. 12.
Wenceslai Reg. 12.
Roberti Ep. Pad. 1.

Hundius in Metrop. Salisburg Gobelinus ætat. 6. Crantzius Tesschemach. p. 2. pag. 440.

DEfuncto Simone Episcopo, haud parum solliciti fuêre Cathedralis Ecclesiæ Canonici, quem ea tumultuantis sæculi tempestate successorem eligerent, cujus patrocinio, familiæque potentiâ, adversus tot prædonum, vicinorumque Comitum insolentiam Ecclesiam defenderent; hunc verò cùm in suo primario Clero non reperirent, postulavêre Robertum Ducem Montium, & Colonienſis Ecclesiæ Canonicum, ætate quidem juvenem, sed qui jam fama virtutum, & maturitate judicij, senum prudentiam occupârat. *Princeps* nimirum, ut Gobelinus, & ex eo Crantzius scribit, *ingeniosus, discretus, justus, magnanimus, Deum timens, in pauperes liberalis, acer in agendo, atque omni virtutum commendatione celebris.*

Robertus Dux Montensis postulatur Ep. Paderb. ejus genus & dotes.

His accedebat natalium splendor; genitus enim erat Robertus Wilhelmo Juliacensi & Montium Duce, Comiteque Ravensbergensi quem Comitatum diœcesi Paderbornensi inhærentem Margaretha Ottonis Ravensbergensis filia, Gerhardo Juliacensi denupta, in dotem attulerat, unâque Montium ducatum, Margarethæ Montanæ matris hereditatem, Juliæ conjunxerat. Mater Roberti Anna Palatina, Roberti Palatini Ducis Bavariæ, ac post etiam Romanorum Regis soror. Fratres habuit Adolphum Montium Ducem, patris heredem, Wilhelmum primùm Paderbornensis, deinde Colonienſis Ecclesiæ Episcopum. His natalium & virtutum ornamentis conspicuus, post obitum Joannis antistitis, anno 1387 4 Februarij defuncti, Passavienſis Episcopus majori suffragantium numero à Canonicis eligitur: altera verò Canonicorum parte, quæ minor erat, diligente Gregorium Hohenloensem Comitem. Quantumque Robertus Palatinus pro Roberto nepote suo, tantum Albertus Austriæ Dux laborabat pro Wohenloensi apud Urbanum Pontificem. Et Urbanus

Delectus priùs Episcopus Passavienſis, approbante Urbano Pontifice.

banus Pontifex licet collatis ex Cardinalium cœtu consiliis pro suâ auctoritate alium imponere Passavienſi Ecclesiæ Episcopum decreverat; postquam tamen de Roberti electione, eujsque virtutum ornamentis certior factus esset, Robertum Passavienſis Ecclesiæ Episcopum approbavit. Quâ super re extant apud nos Urbani Pontificis binæ literæ, ad Canonicos & Clerum Passavienſem datæ V Calend. Maji Pontificatus anno decimo.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis, Clero civitatis et diœcesis Patavienſis salutem, et Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis, quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestate plenitudine sibi tradita, Ecclesius prætulit, universis plena vigiliis solicitudo requirit, ut circa cujuslibet statum Ecclesiæ sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumspectat Ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus, et rector providus deputetur, per quem Ecclesiæ ipse, supernı favoris auxilio suffragante, votivæ prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem bonæ memoriæ Johanne Episcopo Patavien. regimini Patavien. Ecclesiæ præsidente, nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum vacare contingeret, per Apostolicæ sedis providentiam utilem et ydoneam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ ordinationi et dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prædicta Ecclesia per ipsius Johannis Episcopi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem et felicem, de qua nullus præter nos ea vice se intromittere potuerat neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne Ecclesia ipsa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad dilectum filium Rupertum de Monte electum Patavienſem, tum Canonicum Colonienſem, Notarium nostrum, clericali duntaxat caractere insignitum, cui de literarum scientia, vitæ munditia, honestate morum spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona ipsius Ruperti nobis et ejusdem fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Ecclesiæ de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica providimus, ipsumque Rupertum illi præfecimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur præmia confidentes, quod dextera Domini sibi assistente propitia præfata Patavien. Ecclesia sub ipsius Roberti electi felici regimine prosperè, et salubriter dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, Ex lib. diplom. Paderb. à Ferdin. Epo. collectorum.

mandamus, quatinus eundem electum tanquam Patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubribus monitis et mandatis intendentes, humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam idem electus intulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Luce V Calend. Maji Anno MCCCLXXXVII, *Pontificatus nostri anno decimo.*

Urbanus PP. VI — *Pro P. de Wserob. P. de Ingelheim.*

At quòd adversa Canonicorum factio ac Duces Austriæ pro Hohenloënsi Comite pertinaciter decertarent, & persequentem etiam annum schisma ejus Pataviensis Ecclesiæ aleretur, Roberto ad Ecclesiam Passaviensem aditus non fuit. Moritur post hæc subinitium ani 1389, ut diximus, Simon Episcopus Paderbornensis; à cujus obitu Canonici statim una suffragiorum consensione postulavêre Robertum Ducem Montium. Et ille, quòd Passaviensem Ecclesiam sibi adhuc æmuli potentia obstructam videret, tanto pronius admisit Paderbonensem, nec id ingratum Urbano Pontifici, ad schisma Passaviensis Ecclesiæ componendum. Quanquam hoc ipso anno Urbanus quoque Pontifex III Idus Octobris abierit è vita, subrogato Bonifacio IX Pontifice; deinde XI Calend. Novembris scripsit ad Robertum, hortatusque est ut à petenda Passavienſi Ecclesia desistat, ultroque illi cofirmationem Paderbornensis Ecclesiæ detulit.

Moritur Urbanus Pont. succedit Bonifacius IX.

Verùm dum Robertus hoc anno inter utriusq; Ecclesiæ electionem fluctuat, trahitur longius ingressus in Paderbornensem Ecclesiam. Conspiravêre per hanc Episcopis viri nobiles ac vasalli, qui jam, Simone Episcopo, cœptaverant turbas; seseque in unum prædatorium agmen contrahentes, spoliis & incendiis miserum in modum vastavêre diœcesin. Horum incentor ductorq; Fridericus Padbergensis ex veteri Padbergiorum familia, qui confisus castri sui munimento novum in eo prædonum receptaculum aperit. Homo ferocis ingenij, flagitiosæque vitæ in homines injurius, contumeliosus in Divos solitusque sacrilego dicto jactare, frustra à Canonicis reponi patrocinium in D. Liborio, cui virilia jam dudum exsecta essent & manus ad opitulandum languidæ. Præsules & Canonici ut per interregnum hisce infestis prædonum incursionibus diœcesin liberarent, provincialem militiam convocant, ductoribus Bertholdo de Nathesungen, Ludolpho & Hermanno de Herse, viris è nobilitate præstantibus, quibus Gerhardus, vir rei militaris peritus, præficitur; idemque Ecclesiæ defensor est delectus. Et hi postquam temere cum hostibus congrederentur omnes fere præter Nathesungen, qui equo elatus, aut cœsi, aut capti in potestatem Patbergij venêre. Qua clade consternati Canonici, veriti ne tota diœcesis cede-

Gobelin. Literæ Paderb.

Fridericus Padbergius Ecclesiam & Diœcesin Paderb. infestat.

rei

ret in prædam ipsum Patbergium provincialis militiæ præfectum, tutoremque diœcesis creant: ad hæc castrum Dringenbergam pro lytro captivorum tradunt in pignus. Ita hostem, quem armis domare non poterant, beneficio placavêre.

Pari insolentia divexabat Warburgenses Falkenbergius, nunc prædas agendo, nunc ante portas insultando; ac cives dum audacius quàm cautius armati prorumpunt, pridie D. Laurentij magna clade pars cœsi, pars capti, & in compedes abrepti; præterque spolia armorum & equorum lytrum 7000 florenorum expressum. Tam tumultuariè omnia per interregnum agebantur.

Annus Christi 1390.

Bonifacij IX Pont. 1.
Wenceslai Reg. 13.
Roberti Episc. Pad 2.

Annus dehinc Christi nascentis millesimus, trecentesimus, nonagesimus subit, multò serenior Paderbornensi Ecclesiæ quàm prior fuerat. Quippe tandem Robertus, remisso jure electionis in Passaviensem Ecclesiam, secundum Bonifacij Pontificis voluntatem Paderbornensem acceptavit. Igitur paratis omnibus ad inauguratio- nem, magno consanguineorum Ducum & procerum comitatu Paderbornensem diœcesin ingreditur; magnificèque ab Ordinibus exceptus, magna omnium gratulatione VIII Idus Aprilis in urbem introducitur. Ac postquam omnia, accepto fidei sacramento, magna ordinum concordia fuêre peracta; ipse pro more, feria quarta post Pascha, Warburgensibus, Brakulensibus, ceterisque urbibus atque oppidis privilegia instaurat. Mox animum adjecit ad controversias, quæ exortæ fuerant, componendas, etiam in minuta intentus. Omnia judicio supra ætatem maturo, imberbis adhuc, ut Gobelinus inquit, sapientissimè composuit, omnium simul animos & amorem occupando.

Gobelin. ætat. 6. c. 83.

Robertq Diœcesis administrationem adit.

Discussâ Paderbornensium procellâ per adventum Roberti Episcopi, alia oboritur per Westfaliam, inter Henricum Wolfium Monasterienſem Episcopum, & Engelbertum Marcanum Comitem. Nec enim desistebat inquietus Comes repetitis incursionibus vexare Monasterienses; cùm Henricus Episcopus hactenus aut multum dissimulasset, aut levius restitisset, tandem horum impatiens fœdus cum Friderico Colonienſi, & Theodorico Osnabrugensi Episcopo Susati renovat; quorum copiis adjutus Marchiam ingreditur, ferro igneque villas & pagos impune vastando. Quibus exacerbatus Marcanus contractis ingentibus copiis, se in diœcesin Monasterienſem prædabundus effundit, in conspectum etiam urbis Monasterienſis progressus. Nec segnior Henricus Episcopus, extemplo omnes diœcesis Satrapas, Vasallos, & stipendiarios milites adesse jubet;

Chron. Monast. Cleinsorg. in Chron.

Bellum Episcopi Monast. cum Engelberto Comite Marcano.

bet; quibus postquam Osnabrugenses accessêre, armatus cum exercitu procedit ex urbe Monasterienſi Marcano obviam. Quo cognito, Marcanus pedem retrahit, nuncijs significando se recessisse, ne in fuga suos occuparet Episcopus. Bello huic tandem arbiter intervenit Colonienſis Archiepiscopus, ut tum post subita bella pacis fœdera citius, quàm ex nubilo cœlo serenitas conspiciebantur.

Liber Statutorum Colonienſ. Archiep. Colon. depravatos Cleri & Religioſorum mores corrigit.

Sed longè utilius Ecclesiæ opus Fridericus Colonienſis Archiepiscopiscopus hoc anno aggressus in Cleri moribus, qui per id tempus corruptissimi erant, emendandis. Perlustratâ enim diœcesi, reperit in Collegiis Canonicorum, aliisque Ecclesiis, in quibus hactenus quadraginta sacerdotes ac Clerici deservierant altari, quinq; apparere in choro; ceteros aut otio, aut vanis studiis vacare: atque ubi hactenus duodecim aut sedecim sacrificia Missæ quotidie peragi solita, vix unum celebrari; alios interim, dum campanæ signum daretur, ad distributionem stipendii quotidiani subito convolare ad templum, eaque accepta mox sese subducere, aut cum Decano suo ad Capitularem domum recedere, in qua sub divinis non nisi profana, rixæ, & conspirationes tractarentur. Habitu deinde Clericorum abjecto, alia gestare indumenta, alios rubri, alios alterius coloris; sæpius in spectaculis, conviviis, & choreis spectari quàm in choro; nullum ex vestitu & moribus discrimen à Laico homine conspici. Quibus vanitatum vitiis non modò Clerici, sed & Monachi, ceteríque religiosi obnoxij erant. Hæc & similia convocata synodo severis legibus & pœnis castiganda suscepit Archiepiscopus. Depravatus cleri passim per Saxoniam & Germaniam status erat; dum Cæsar Imperij lustrandi curam abjiceret: dum bellis tumultuariis & nobilium spoliis omnia miscerentur, & in Episcopis magis quærerentur Principes, qui arma ad defensionem diœcesis conservationemque sacrorum bonorum, quàm ipsa sacra & disciplinam Cleri tractarent. Donec primùm hæresi Hussitarum in Bohemiam, deinde Lutheri in Germaniam ingressa, utrumque tanta religionis jactura amitteretur.

Annus Christi 1391.

Bonifacij IX Pont. 2.
Wenceslai Reg. 14.
Roberti Episcopi Pad. 3.

Conradꝰ suffraganeus Roberti Ep. Diœcesin Paderb. lustrat.

Post illa Robertus Episcopus noster, sicut ex clero Colonienſi ad hanc Ecclesiam translatus accesserat; ita exemplo Friderici Colonienſis Archiepiscopi cleri populiq; disciplinam per diœcesin suam reparandam sumpsit. Quod ille Pontificale munus, cùm nec sacerdos, nec Episcopus adhuc dum consecratus esset, Conrado Albicastrenſi suffraganeo suo Episcopo commisit; jussitq; totam diœcesin perlustrare, atq; ad se de statu singularum Parochiarum, Collegiorum, &

Cœ

Cœnobiorū referri. Is inter cetera diœcesis nostræ loca inspecta hoc anno etiam Montem Martis adiit, interq; alia inspectionis munia Divorum reliquias, quæ istic à Carolo M. ejus Ecclesiæ conditore collectæ honorabantur, examinavit, probavitque. Cujus rei id testimonium reperimus. *Nos Conradus Dei gratia Episcop⁹ Ecclesiæ Albicastrensis, ac venerabilis in Christo Patris Domini Domini Ruberti electi Ecclesiæ Paderbornensis in Pontificalibus Vicarius generalis, protestamur in his scriptis sub propria manu, quod nos anno Domini* Mccxci. *ad rogatum et piam instantiam religiosorum virorum, D. Conradi provisoris Monasterij Montis Martis, ac Domini Joannis Cesar custodis Ecclesiæ et Monasterij ejusdem reliquias examinavimus, et præter caput unius sancti supra* Lxxxvii *reliquiarum partes reperimus, quas et cum digna devotione reposuimus.* Et reliquias in Monte-Martis examinat.

Primus hic Vicarius Episcopus inter monumenta nostra reperitur, ex quo Henricus Spegelius Episcopus, ut Gobelinus scribit, ejusmodi Vicarios Episcopos, & post eum Simon Episcopus, Roberti antecessor, introduxit; quòd hi primi, qui Pontificalia munia intermisêre. Quanquam jam passim per Germaniam ante hæc tempora ejusmodi Vicarij Episcopi in ampliſſimarum diœcesium administratione recepti fuerint; ut in erudito scripto de Colonienſibus ſuffraganeis commonſtrat Heiſterus ex Gelenij monumentis. Observatumque à multis, ex quo Episcopi hæc munia divisêre, magnam simul felicitatis partem amisisse; & verendum, ne & cælum quoque dividant cum Vicariis Episcopis, postquam jurisdictione sacra & Principis nomine contenti, diviniſſimum hoc ordinis munus rejecêre in alios, ex quo propriè Episcopi dignitatem & fontem omnium horum consecuti sunt.

Curâ sacrorum in Vicarium Episcopum translatâ, Robettus antiſtes eo impensius ſuscepit administrationem civilium ex Principis munere; interque domestica hoc anno primùm partem castri Burani & bonorum ejus dynastiæ, quam ab Henrico Spegelio Episcopo primùm emptam, deinde ipsis Dynastis Buranis oppignoratam diximus, rursùm commutatis, quæ prius contracta erant, 500 marcis, urgente Collegio Cathedrali, pignori oppoſuit Wolmaro de Brencken ex veteri Brenckiorum familia, viro nobili. Qua super re tabulæ servantur apud nos, Dominica tertia post Pascha datæ. Nec multò post, seu quòd possessionibus Buranis inhiarent, seu quòd potentem illam in meditullio diœcesis familiam ſuppreſſam vellent, in duriores conditiones adstrinxêre; quod his literis profitentur Dynastæ. Pars Castri Büranioppignoratur Wolmaro de Brencken.

Nos Bertholdus nobilis de Buren, Bertholdus ſuus filius, Henricus et Wilhelmus ipsius fratres, et Hermannus ſuus cognatus, pro nobis et omnibus nostris veris heredibus fatemur publice in hisce literis, quòd, de consilio amicorum nostrorum, cum Reverendo in Christo Patre nostro Domino Dño Ruperto, electo Episcopo Paderbornensi, et ſuo Capitulo ibidem tractavimus et convenimus juxta tenorem præscriptum. Primò

Primò quòd pro nobis et nostris successoribus renunciaverimus, et in his literis renunciamus omnibus literis et prætensionibus, quarum vigore nos et nostri hæredes ipsos, vel Episcopatum Paderbornensem convenire posse. mus, quæ omnes cassatæ et annullatæ esse debent.

Et nos prænominatis nostris Dominis nominatim illorum partem Epi. scopatus in arcibus et Dominio de Buren, qui est media pars, cujus admini. stratio sub nomine Satrapiæ nobis cum appertinentiis demandata erat, solu. tam ac liberam à commissione illa, ad ipsorum dispositionem restituimus cum literis desuper confectis. Et nos, vel nostri hæredes, aut nullus nostro nomine debet ipsos, vel illorum Episcopatum, vel eorum officiarios ibidem in parte illorum præmemorata ullo modo impedire vel angustiare ratione lite. rarum vel prætensionum prædictarum, et prædicti nostri Domini pro parte debemus simul in Buren in pace Castrensi et custodia firmiter stare.

Etiam est conventum, literas istas, quas præmemorati Domini super hæreditaria emptione nostræ partis Dominij Buren habent, in omni suo vi. gore absque læsione manere debere. Omnia ista puncta et omnes articulos ac singulos, in quantum nos concernunt conjunctim, bona fide promisimus, et promittimus in hisce literis præmemoratis nostro Domino suisque succes. soribus ac Capitulo solide ac firmiter et inviolabiliter servare, omni dolo ex. cepto et secluso. In cujus testimonium et firmamentum nos pro nobis et no. stris Successoribus nostra sigilla hisce literis appendimus. Datum anno Do. mini millesimo, trecentesimo, nonagesimo primo, Feria sexta infra octavam Pentecostes.

Ac Robertus Episcopus, ut meditati belli nervum compararet, non modo Burana bona, sed & villas duas in majori Ederen, aliaque prædia oppignoravit, ad Conradum Spigelium alioſque captivos redimendos, qui Padbergenſi ex ſuperiori bello obligati hærebant in cuſtodia; nihilque ſollicitius habuit, quàm ut perſolutâ pecuniâ caſtrum Dringenberg ex manibus Friderici Padbergenſis redimeret, ipſumque Fridericum opprimeret. Nam ut Gobelinus noſter perhibet, potens adhuc nobilium & prædonum factio erat, quæ ſe Bengeleros ab argenteis fuſtibus ad pectus ſuſpenſis appellabat. In hanc ſe dederant Wolfius, Schartebergius, Hinderhuſius, Spegelius, Falckenbergius, alijque è prima nobilitate viri. Horum Dux Friderius Padbergius non per diœceſin modò Paderbornenſem, ſed & per Haſſiam prædabundus graſſabatur; nec modò Roberto Epiſcopo inſidias ſtruere, ſed & apertum bellum indicere auſus. Quam hominum inſolentiam cùm Robertus Epiſcopus, juventute ipſa & claritudine generis animoſus, non ferret, arma ſtatim altero Epiſcopatus anno induit, caſtrumque Vorſtenberg, quod factioſi præſidio minus firmatum noctu interceperant, militeque ſuo inſederant, obſidione incingit. Interim Padbergenſis liberandæ obſidionis impar, ſpolijs ferroque graſſari per diœceſin, villas pagoſque depræda. ri, non cœmeteriis templiſque parcere; perlatuſque XVIII Junij in Verne,

Factio Bengelerorum, contra quos arma ſumit Robertus Ep. & ſubjugat. *Dilichius in Chron.*

Verne, Ecclesiam sacrilege spoliavit. Qua præda onustus dum ad castrum suum Padberg iter relegit, Robertus Episcopus cum delectis ex obsidentium numero armatis viris illi ad Oppidum Buren occurrit, commissoque prælio cæsum profligat Padbergium. Tanta horum prædonum erat jactantia, ut vulgari dicto spargerent, octodecim Paderbornenses ne duodecim quidem è suis pares esse. Quare & Robertus Episcopus nonnisi pari numero ex obsidionalibus sumpto hosti huic obviam progressus, victor ostendit Paderbornenses pari fortitudine milites esse. Hac clade consternati, qui in castro Vorstenbergio premebantur, se Roberto in castra reduci dedidêre. Accidit verò tum res prodigio non absimilis; quippe dum captivos recenset Episcopus, prosiliit in medium capreolus sylvestris, ac repente mortuus concidit. Quoviso, exclamavêre Paderbornenses, ita ceteros hujus prædatoriæ factionis homines interituros; nec vanum, ut ab eventu hujus belli constabit, augurium fuit.

Subvenisset Fridericus Colonienſis Archiepiscopus Roberto nostro, quòd Ducatus Westfaliæ fines haud minus quàm Paderbornensem diœcesin infestaret Padbergius; sed ille jam gravi bello cum Clivis & Marcano Comite implicitus erat. Anno enim superiori, Adolphus Dux Cliviæ, dum Eltenense Virginum Collegium adi turus, modico lembo & comitatu vectus, Rhenum trajicit, capitur à Colonienſibus, piscatorum istic specie excubantibus, & Rhesam deducitur. Ducis captivitas magnos motus dedit; ac nemo flagrantius ad arma convolavit quàm Engelbertus Marcanus Comes, pro Adolpho fratre captivo. Is collectis ingentibus copijs ad Orsaviam Rhenum transit, junctusque Clivensibus latè Colonienſium agros spoliis flammaq; depopulatur, simul omnibus circum villis, pagis, & oppidis eandem vastitatem intentando, nisi cum præscripta pecuniæ summa occurrant. Objecit se quidem Archiepiscopus; sed impar hostibus pugnam distulit; donec à Wernero Trevirensi, Henrico Monasterienſi, & Theodorico Osnabrugensi Episcopis auxiliares copiæ accederent. Horum adventu territus Marcanus se per Rhenum cum præda recepit. Nec multum inde superstes, 24 Decembris, anno ætatis 60, extinguitur (unicâ tantum filiâ Margarethâ relictâ, quæ Philippo Comiti Falkensteinio jam ante denupta erat) homo pro majorum ingenio bellicosus ac turbulentus. Quod enim bellum inferioris Germaniæ, cui se non miscuerit? aut quis vicinus Episcopus, quem armis & incursionibus non divexarit? funus Freundebergam ad Cœnobium Virginum ac majorum tumulos delatum. Marchiæ exinde gubernationem Theodoricus frater, Colonienſis Præpositus, at ante hac Osnabrugensis diœcesis moderator suscepit, rexitque ad annum 1395. quo cùm Theodoricus abiret è vita, successit Adolphus frater Dux Cliviæ. Tum verò ut Montium ducatus Juliæ, ita Marchia post Cliviæ conjuncta est.

Pontanus in Gelr. Teschemach. Annal. Cliviæ Berchemius Cleinsorg. in Chron. Brouver. lib. 18. annal. Trevir.

Adolphus Dux Cliviæ captivus à Colonienſibus abducitur, unde ingentes motus exorti. Pro eo liberando laborat Engelbertus C. Marcanus frater ejus. Moritur Marcanus unica tantùm post se filia relicta.

Cleinsorg. da an. 1395.

Annus

Annus Chriſti 1392.

Bonifacij IX Pont. 3.
Wenceslai Reg. 15.
Roberti Ep. Pad. 4.

Robertus Ep. Pad. bergios ceteroſque rebelles ad obſequium reducit.

Monumenta Cœnobij Bredelarienſis Jongelinus de Abbatijs Weſtf. Gobelinus.

Anno ſeqenti bellum, quod cœperat Robertus Epiſcopus noſter adverſus Padbergium & Bengeleros, magnis animis, totiſque diœceſis viribus proſequitur, certus non quieſcere dum inſultantem ferocemque hominem ſubigeret. Igitur contracto provinciali milite, ferijs rogationum Padbergij dynaſtiam ingreſſus, ſedecim ejus villas ſpolijs & ignibus vaſtavit, cœmeteriumque pagi Emmerode, in quo ſe prædones incluſerant, perrupit, injectiſq; ignibus comædes cœmeterio circumpoſitas, ne quod in eas profugium eſſet, buſſit. Quibus malis exacerbati Padbergij, denuo prædabundi excurrunt in diœceſin. Nec ſegnior Robertº Epiſcopº cum inſtructo milite hoſti obviam progreſſus, conſertaq; poſt feſtum pentecoſtes manu profligavit; qua in pugna cum alij prædonũ cœſi, tum tres Padbergij fratres Friderico, Joannes & Hermannus capti, in poteſtatem Roberti Epiſcopi venêre. Fas erat Roberto, capitis ſupplicio animadvertere in facineroſos homines; verùm ne reliquam nobilitatẽ exacerbaret, & clementia ad ſaniora provocaret grandi lytro mulctavit, certiſq; legibus præſcriptis liberos dimiſit; qui tamen nunquam adduci potuerunt, ut cum ceteris diœceſis nobilibus juramentum fidei Roberto dicerent. Hac victoria incenſus Robertus arma vertit in reliquos Bengeleros; quos feſto Marci & Marcelliani Martyrum in aperto campo conſecutus pari felicitate obtrivit; pars cœſi, pars capti Paderbornam abducuntur. Sicuti hæc ex vetuſtis monumentis Cœnobij Bredelarienſis, etiam notarij publici manu conſignatis, accepimus, relataque ſunt à Jongelino in hiſtoria Ordinis Ciſtertienſium. Tanto verò numinis beneficio Robertus hanc victoriam accepit, ut quotannis feſtâ memoriâ celebrem eſſe voluerit. Perculſi hac Roberti fortitudine prædonum ſocij ſupplices veniam & reconciliationem petiêre; quos inter Herboldus de Brobeke, ad cujus arcis expugnationem Simon Epiſcopus occubuerat, depenſa ingenti pecuniæ ſumma in gratiam receptus eſt. Conradus Spegelius ægre admiſſus, dubiam reconciliationem obtinuit, juſſuſque magis ergà ſe fidem ſuam probare.

Archiep. Colonienſis reconciliatur cum Clivis & Marcanis.

Inter hæc Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus indicto poſtridie Calend. Maji conventu procerum, reconciliatur cum Clivis & Marcanis; interque pacis conditiones primùm Adolphus Dux Cliviæ liber è captivitate renunciatur; in vicem Oppidum Linnenſe ac territorium Archiepiſcopo ceditur. Pacem hanc, quæ aliis præterea legibus ſancita eſt, juramento firmavêre Satrapæ Marcani, Eberhardus Wickede Wetterenſis, Wernerus Duckerus Luinſchedenſis, Aſchebro-

Aschebrochius Bockumensis, Gerhardus Kettelerus Hordensis, Satrapæ. Comprehensa quoque hac pace urbs Lipstadiensis, jussa tam Archiepiscopo, quàm Adolpho Cliviæ Duci, Marcanoque Comiti fidem jurare; ea tamen lege, si Lippiensis Comes Simon, ejusque heredes hypothecam redimant, qua urbs Marcano obligata juramento solvatur.

Bello hoc liber Archiepiscopus arma convertit in urbem Colonien-sem, seu quòd superiori anno Marcano Clivisque studuisset, seu quòd pacta juraque Archiepiscopi violasset. Quæ cùm in se parari urbs sensit, arma prævertit; civesque uno furoris impetu per Rhenum effusi, Tuitium irrumpunt; Oppidoque incenso, celebre D. Heriberti Monasterium in munimentum adversus Archiepiscopum convertunt. Inde alternis velitationibus, castrorumque vicinorum præstructionibus & cladibus res agitur, dum sequenti mox anno studio Marcani Comitis certis conditionibus pacis in concordiam ventum. Jam passim Episcoporum metropoles urbesque in eam potentiam assurrexerant, ut consultius fuerit earum benevolentiam captare, quàm armis lacessere.

Bello aggreditur Colonienses.

Trithem. in Chron. Spanhem.

Exemit hic annus vIdus Aprilis è mortalium numero Henricum Wolfium Monasterien-sem eximium Episcopum, morbo in ipsa urbe confectum, Præsulem, qui magnas naturæ dotes virtutibus & rebus præclarè gestis exæquavit; præterque ea; quæ paucis supra insperssimus cum Episcopo Osnabrugensi Lingam obsedit, & Teclenburgicum Comitem ad pacem petendam adegit; hujus quoque Comitis oppidum Bevergernam, arcemque inter paludes munitissimam expugnavit, ac solo æquavit. Ejusmodi ille multa hostium castra evertit; multa contra in diœcesi erexit, frena vicinorum Comitum, bellis semper victor: Comitem Benthemium, Teclenburgicum, Diepholdium, Marcanum omni armorum congressu oppressit, tenuitque vetusto claustro inclusos, prædones factiososque nobiles nullibi consistere passus. Ausi aliquando Novicastrenses nobiles conspiratione armorum cum Ludolpho Ahusano Dynasta Dulmaniam noctu intercipere & spoliare; quos ille bonis & imminutis privilegiis ita mulctavit, ceteros ut in officio contineret. Quoties Embslandiam armatus ingressus, nemo Frisonum se commovere ausus. Interceperant Smisingi & Korfij Nobiles peregre venientes, militaturosque in Prussia adversus barbaros, eosque in Harcottanum castrum suum captivos abduxerant. Ad quam ille injuriam indignatus, castrum obsedit, captivisque liberatis, pœnam vertit in nobiles. Erat & Saxo nobilis Joannes à Salderen in sua diœcesi à prædonum cohorte captus, abductusque in arcem quandam; eo audito, Episcopus armatus advolavit, Saxonemque non modò liberavit, sed & equo donatum deduci jussit in viam; quo facto mirifice omnium animos sibi devinxit. Præsul, ut fasti eorum scribunt, in jure dicendo

Henrici Wolfij Ep. Monast. mors & reliqua gesta.

Chron. Monast. Kersenbroch. in Episc.

æquiſſimus, in cauſis cognoſcendis acerrimus, in prædonibus & factioſis puniendis ſeveriſſimus. Cœterum vir ſyncerus, mitis, pius, carus ſummis infimiſque, &, quod commendant, egregius B. Virginis cultor; quare & corpus ſuum in ſacello B. Virginis, quod Baſilicæ adſtruxerat, & in quod vivus effigiem Virginis ſolemni Cleri populique ſupplicatione intulerat, humari voluit.

Ei ſuccedit Otto Hojanus Comes.

Henrico Wolfio tertio poſt obitum die una omnium Canonicorum ſuffragatione ſubrogatus Otto Hojan⁹ Comes. Monaſterienſis Eccleſiæ Præpoſit⁹, ac quartus eo nomine Epiſcop⁹, prorſus excelſi animi Princeps, quem Hectorem Weſtfaliæ dixeris, quales plerique Monaſterienſes Epiſcopi. Initia Epiſcopatus dura & adverſa aliquantulum habuit, is tamen ut ſe pacis magis, quàm belli amantem, oſtenderet, miſſis ad Adolphum Cliviæ Marchiæq; Comitem Legatis, congreſſum ad Luppiam in Lunæ Oppido petijt, in quo die octava poſt Paſcha de firmanda pace pertractarent. Eò dum feſtinat, pernoctatq; in vicino Ordinis Præmonſtratenſium Capperibergenſi Cœnobio, obruitur noctu à Marcanis prædonibus. Comitum alij cæſi, alij capti, omnes equi & tota antiſtitis ſuppellex in ſpolium rapta; ipſe licet multum quæſitus, ſingulari numinis beneficio per tenebras cum uno alterove famulo effugit, pervenitque pedes in Boſterium caſtrum ſuum. Ea tunc nobilium prædonum licentia erat. Nec Canonici Cappenbergenſes ejus loci religioſi nobiles extra conſpirationis ſuſpicionem fuêre, quos id circo Otto Epiſcopus in cuſtodiam traxit; nec adduci potuit, ut aut liberos dimitteret, aut unquam Monaſterium illud inviſeret. Conventus ſubinde in Hornenſi ad Luppiam caſtro inter Adolphum Marcanum Comitem & Ottonem Epiſcopum habitus, in quo de publica pace actum, & omnium reſtitutio Ottoni Epiſcopo decreta eſt; nec tamen ſeverius quid in prædones ſtatutum. Tandem Hammonæ totius Weſtfaliæ conventus eſt habitus, in quo per Legatos Friderici Archiepiſcopi Colonienſis, Roberti Paderbornenſis, Ottonis Monaſterienſis, & Theodorici Oſnabrugenſis Epiſcoporum pax publica Weſtfaliæ ſancita eſt. Convenêre in hanc fœderationem Adolphus Dux Cliviæ, & Marcanus Comes, multique Weſtfaliæ primores. Quo in conventu cum Steckij nobiles ob prædas per diœceſin Monaſterienſem actas mille florenorum mulcta damnati ſint, tum omnium voce in prædonum capita conſpiratum eſt. His inter Epiſcopos ad communem Weſtfaliæ incolumitatem transactis, Otto Hojanus Monaſterienſis Epiſcopus, cùm jam à Bonifacio Pontifice confirmatio acceſſiſſet, ſolemni procerum & nobilium comitatu ſeptus, Monaſterienſem urbem ingreditur; inauguratuſque magna omnium gratulatione, & concordia ordinum, gubernationem diœceſis cœpit, biennio abhinc Joannem fratrem ſortitus Paderbornenſem Epiſcopum noſtrum.

Qui à prædonibus in via ſpoliatur.

Hammonæ pax publica totius Weſtfaliæ coaleſcit.

Annu

Annus Chriſti 1393.

Bonifacij IX Pont. 4.
Wenceslai Reg. 16.
Roberti Ep. Pad. 5.

Altero dehinc anno Epiſcopi ac proceres Weſtfaliæ, qui Hammonæ in commune pacis fœdus convenerant, ad firmandam animorum concordiam, ſacrum etiam fœdus, ſocietatemque Roſarij ſub patrocinio Deiparæ Virginis iniêre; conſtitutumque ut ſinguli vel aureum vel argenteum è collo ſuſpenſum Roſarium geſtarent, quotquot in id ſodalitium admitti vellent. Convenêre autem in hanc cultus B. Virginis ſocietatem Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, Otto Monaſterienſis, Robertus Paderbornenſis Epiſcopus noſter, Adolphus Cliviæ, & Marchiæ Comes, Adolphus & Theodoricus filij ejuſdem, Theodoricus Dinslacenſis Adolphi frater, Fridericus Meurſæ Comes, Reinerus Falckenbergius, Godefridus Dalenbrochius, Loſſæ & Heinsbergæ regulus, aliique per inferiorem Rheni provinciam & Weſtfaliam Comites ac proceres. Is tum Virginis cultus: ea majorum pietas etiam inter turbulentiſſima bellorum tempora florebat, publica etiam Roſarij quotidie recitati profeſſione.

Teſchemach. p. 2. pag. 251. Gerhardus ab Horne. Societas S. Roſarij, cui adſcribuntur plures primarij è Weſtfalia Nobiles.

Haud minus illuſtre fœdus, quod ſub exitum hujus anni Tremoniæ Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, Conradus Moguntinus Archiepiſcopus, qui anno 1388 Adolpho Naſſovio in cathedra illa ſubrogatus erat, Robertus Paderbornenſis Epiſcopus noſter, Balthaſar Thuringiæ Landgravius, & Miſniæ Marhio, Otto Dux Brunſwicenſis, & Hermannus Haſſiæ Landgravius, conſignatis publicè tabulis iniêre. Auctor horum fœderum cum primis Robertus Epiſcopus noſter, quem Gobelinus noſter ſcribit, certos Principes, Epiſcopos ac nobiles per Weſtfaliam, Saxoniam, Haſſiamque ad plurima pacis fœdera in duodecim annos pacta ſuâ ſollicitudine & auctoritate induxiſſe, quibus ſeveris pœnis in violatores animadverteretur. Cujus ſcriptoris fides vel eo probatior eſſe debet, quòd eo Epiſcopo ſacerdos Paderbornæ vixerit, ſcripſeritque res geſtas ſuorum temporum. Princeps enim erat, ut idem auctor retulit, qui terrori omnibus latronibus erat & prædonibus; quique generis claritudine, & fama virtutis omnium Principum animos per Weſtfaliam & Saxoniam occupârat.

Fœdus à pluribus Principibus auctoritate Roberti Ep. Pad. initum. *Teſchem. p. 2. p. 254. Serrarius in Mogunt. hiſtor. Gobelin. ætat. 6. c. 83.*

Et Robertus Epiſcopus, quo amicitiam concordiamque ſtabiliret cum Bodone Corbeienſium Abbate, comprobavit acta, quibus Capitulum Paderbornenſe per interregnum ex ſingulari erga Corbeienſes favore permiſit redimere partem caſtri Beverungani, Simoni Epiſcopo à Brakelenſibus oppignoratam; etſi ducentas quinquaginta marcas penderent, libere redirent in veterem medij caſtri domuſque poſſeſſionem. Caſtrum enim illud ad Viſurgim foſſis, & firmiſſimæ turris ædificiorumque ex ſolido lapide ſtructura, uti

modò conſpicitur, communibus Epiſcopi & Abbatis Corbeienſis impenſis adverſus utriuſque hoſtes erectum erat. Ac Robertus Epiſcopus, qua erat æquitate, Corbeienſes non tam excludere, quàm in partem defenſionis venire voluit, quemadmodum hæc publicis tabulis feſto D. Luciæ tranſacta ſunt.

Literæ Ravensb. Caſtro Reckenbergio, & Widenbrugo præfectus Henricus ab Ohr imponitur.

Hunc in modum caſtro Redekenbergio, ſeu Reckenbergio, Oppidoque Wiedenbruggio præfectum impoſuit Henricum ab Ore, virum è militari genere. Seu jam loca hæc integra poſſeſſione, ſeu partita cum Epiſcopo Oſnabrugenſi aut Montium Duce, ac Comite Ravensbergenſi, patreque ſuo, ut ſupra relatum eſt, tenuerit.

Monumenta Bredelarienſis Cœnobij. Inſolentia Dynaſtarum Padbergenſium

His licet vicinorum fœderibus ſe ſuamque diœceſin firmaret Robertus Epiſcopus; non tamen quievêre Padbergenſes Dynaſtæ prædoneſque, ſimul Waldecenſem Comitatum, ſimul Paderbornenſem diœceſin infeſtando ſpoliis & incurſionibus; interceptumque Wilhelmum Hochverkorum, virum ingenuum ac militarem, ex furca ſuſpenderunt. Quod facinus tantos vicinorum motus dedit, & tot conſpirantium arma traxit in toparchiam Patbergenſem, ut nec in villis, nec in clauſtris religioſorum hominum, nec pagis circum ullius fortunis vitæque parcitum ſit.

Annus Chriſti 1394.

Bonifacij IX Pont. 5.
Wenceslai Reg. 17.
Roberti Epiſcopi Pad. 6.

Monumenta Bredelar. Cœnobij. Oppidum Caſtrumque Padbergenſe obſidetur.

Sed parum hac vaſtitate actum cenſuêre vicini Epiſcopi & Comites, niſi ipſum Padbergenſium caſtrum oppidumque, prædonum receptacula, everterent. quapropter anno hoc ſequenti Friderico Colonienſis Archiepiſcopus, Roberto Paderbornenſis Epiſcopo Comes Waldecenſis, ceteriq; fœderati Principes, ſubmiſſis auxiliaribus copiis, Caſtrum Padbergenſe 5. Junij, quo feſtus D. Bonifacij dies agebatur, obſidione incingunt. Ea verò dynaſtia cum circumjacentibus villis Pagiſq; pars eſt patrimonij Paderbornenſis Eccleſiæ, dono D. Henrici Imperatoris (uti ſupra in Meinwerco Epiſcopo relatum) ſitumq; eſt caſtrum Padbergenſe in edito abruptoq; ad Dimolam fluvium monte, haud procul à celeberrimo Monte Martis, quocum natura loci & firmitate munimenti prope certabat. Igitur promotis caſtris primò oppidum, quod in valle caſtro ſubjectum erat expugnant, injectiſq; ignibus magnam partem abſumunt. Reſtabat ipſum caſtrum, in quod ſe Padbergij fratres cum prædonum turma receperant, confiſi arcis munitiſſimæ præſidio; eòque expugnatio difficilis, & magni laboris opus ſe objiciebat in præſens. Nec ob hæc Robertus, qui exercitui præerat, abjecit animum; caſtraq; circumponi juſſit, admotiſque propius machinis tentari, non deſtiturus priuſquam perfidos & perduelles Padbergios, quorum cum Friderico tres alij fratres, Joannes, Hermannus, & Gotſchalcus produntur, ſubegiſſet. Verùm

rùm dum ea obſidio protrahitur, peſtis per caſtra ſerpere cœpit; qua Robertus Epiſcopus xxviii Junij extinguitur; haud diſſimili fato, quo Simon Epiſcopus Roberti anteceſſor in obſidione arcis Brobeckianæ telo confoſſus interiit. Exanime Roberti corpus Paderbornam mæſto militum comitatu deportatum, majorique cleri populique planctu ante altare S. Crucis, quod Choro Baſilicæ præſtructum erat, honorifico tumulo incluſum. Oſſa etiam noſtra memoria, cùm Theodor⁹ Adolph⁹ chori gradus porrigeret, reperta integra, caputq; rubro nativoque adhuc capillo intectum. Non facilè Epiſcopus Paderbornenſis inter ſuperiores, cujus mors tot lacrymis defleta, ſicut Gobelinus ſcribit; tanta ope erexerat omnum animos, reſtituendi diœceſin in priſtinum florentemque ſtatum, non tam natalium Ducumque Juliæ, Gelriæ & Montium, ex quorum familia erat, ſubnixus præſidiis, quàm illuſtrium virtutum aſpectu. Quippe Princeps exporrecti præcelſique ingenij, animi ſupra ætatem virilis, vitæ integerrimæ, publici boni paciſq; amantiſſimus, clero populoq; percarus, nulli reprehenſioni, quod rari eſt Principis, obnoxius. Quanquam nondum per ætatem ſacerdos & Epiſcop⁹ conſecratus, & bonum Principem magis, quàm Epiſcopum promittere viſus eſt.

In cujus obſidione Robertus Ep. peſte extinguitur.

Ejus laus à virtute & præclaris naturæ dotibus

Morte Roberti Epiſcopi vulgata, Padbergij multo inſolentiores ferocioreſque. Quippe collectis prædonum ſociis, nunc diœceſin Paderbornenſem nunc, Comitatum Waldecenſem incurſare, & quaqua verſum latè atq; impune prædis graſſari; quòd ſublato capite, nemo repertus in diœceſi, qui furioſæ huic factioni hominum ſeſe cum imperio objiceret.

Per id tempus multo inſolentius graſſabatur per diœceſin Oſnabrugenſem & Monaſterienſem Nicolaus Comes Teclenburgicus, homo ferox atque impius nulloque diſcrimine ſæviebat rapinis, incendiis, & omni genere injuriarum in oppidanos, agricolas, religioſos. & Eccleſiaſtici ordinis viros. Citarat hunc Theodoricus Oſnabrugenſis Epiſcopus per advocatos & publicos legum miniſtros ad judicium liberum, quod occultum vemicumque appellant Weſtfali; Ac is tum quidem, cùm multa ſponderet, ab Henrico Monaſterienſi Epiſcopo in publicum judicium introductus, ejuſque patrocinio liberatus eſt. Verùm cùm haud multo poſt ad ingenium rediret, cinctuſque magna nobilum Caſtrenſium, & Miniſterialium turba exitium Oſnabrugenſi urbi & diœceſi intentaret; Theodoricus Oſnabrugenſis Epiſcpus arma cùm Ottone Epiſcopo Monaſterienſi ex ſuperiori fœdere conjunxit; ultroque ſe in hanc armorum ſocietatem dedit urbs Monaſterienſis & Oſnabrugenſis.

Epiſcopi Monaſt. & Oſnabrug. per Diœceſes ſuas graſſantem Comitem Teclenburgenſem armis domant.

Milite igitur in campum educto, Epiſcopi primùm Cloppenburgum in Embslandia Comitis caſtrum prædonumque perfugium aggreſſi expugnant, partitaque inter ſe poſſeſſione caſtri atque oppidi, uterque præfectum imponit. Inde Oitam oppidum ad Friſiæ fines adorti, longè difficiliori opere demum ad deditionem compellunt,

pellunt, Comitique eripiunt. Cessit post, facta inter Episcopos transactione, Cloppenburgum Monasterienſi, Oitæ Osnabrugensi Episcopo. Hac jactura bonorum primùm mulctatus Teclenburgicus. Tanta verò inter belligerantes fuit exacerbatio, ut capti utrimque sine commiseratione injectis in collum laqueis è proxima quer. cu suspenderentur. Quæ tamen ad superiorem annum gesta referri malim.

Ottonis Ep. Monast. studium promovendi disciplinam Ecclesiasticam.

Otto quantumvis bellicosus Princeps, armis illa necessitate & injuria vicinorum Comitumq; expressis, florentem tamen non minus cultu religionis Ecclesiam suam habuit. Quam in rem sub exordia Episcopatus superiori anno synodum indixit, in qua præclaris statutis disciplinæ cleri populiq; consuluit, uti hæc relata extant inter acta synodorum Monasterienſium.

Synodi Monast.

Initia Collegij Canonicorum Regularium, Vrendeswede dicti, in Comitatu Benthemensi.

Ad cleri deinde pietatem, veteremque religionis formam instaurandam, recepit hoc anno intra diœcesin suam Collegium Canonicorum Regularium, quod prope Northornium Oppidum in comitatu Benthemensi sua exordia sumpsit; nemus B. Virginis dixêre, vulgo verò Vrendeswede appellatum. Auctor pij hujus operis ex instituto Gerhardi M. & Florentij Daventrienſis sacerdotis, Everhardus ab Eza Parochus in Almelo, adjuvante Henrico Parocho Schuttorpienſi, & Bernardo Benthemensi Comite. Hi collatis in unum bonis suis domicilium religiosum ædemque sacram erexêre in prædio Evelding à se empto, traductisque eò sacerdotibus & Clericis, qui in Almelo sub Parocho religiosam vitam egerant; fuerêque Henricus Kindeshonig, Herpo de Lippia, Hermannus Plettenbergius, Joannes de Juliaco, quibus nomine Prioris præstitutus est Plettenbergius. Hi sex annis vixêre sub obedientia Ottonis Episcopi, à cujus suffraganeo & Episcopo Wernero Ordinis D. Francisci ædes hæc festo D. Thomæ consecrata est. Septimo ab hinc anno congregationi Windesheimensi Canonicorum Regularium se conjunxêre, impositusque illi moderator Prioris nomine Henricus Lœderus, patria Osnabrugensis, vir eximia religione, doctrina, & fervore in excolendis Cleri populique moribus, quem ob id Westfaliæ, Frisiæ & Saxoniæ Apostolum dixêre. Eo præside mirificè crevit congregatio illa piorum donationibus ac bonis; ac brevi florentissimum Collegium apparuit, meruitque Paradisus Westfaliæ appellari. Uti verò ordo hic partim sacerdotum Ecclesiasticorum, partim Canonicorum Regularium, per quem collapsus tum Cleri ordo restaurabatur, Ottone ab in Monasterienſem, & ab Episcopis nostris in hanc diœcesin introductus sit, tempori memorabitur.

Anna-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM

LIBER XV.

IOANNES

Hojanus Comes

XXXIII.

BERTRAND.

Italus

XXXIV.

WILHELMVS

Dux Montium

XXXV.

EPISCOP. PADERBORN.

IOANNES
Hojanus Comes
XXXIIII.

Annus Christi 1394.

Bonifacij IX Pont. 5.
Wenceslai Reg. 17.
Joannis Hojani Ep. Pad. 1.

Roberto Ep. Pad. defuncto subrogatur Joannes Comes Hojanus. *Gobelin. ætat. 6. c. 58. Brusch. in catal. Episcop. Kersenbroc. in Episc. Paderb. Reusner. in stem. Hojens.*

POst amissum magno desiderio Robertum Episcopum, Canonici ex conturbato diœcesis statu haud parum solliciti de Successore, una consensione elegêre Joannem Hojanum Comitem, Ottonis Monasterienſis Episcopi germanum fratrem. Quanquam ex quo clero, aut ex quo cleri gradu, aut qua ætate meritoque virtutum ad hanc dignitatem provectus sit, neque Gobelinus noster, neque alij prodiderunt. Tam incuriosa hæc scriptorum ætas; ipseque Gobelinus, dum electum & postulatum scribit, in ipsa, ex qua evolvere debebat, nos dubitatione reliquit. Multum hujus Episcopi electionem adjutam fuisse patrocinio Ottonis Monasterienſis Episcopi verisimile habeas, quòd in ejus fraterno auxilio magnam spem sublevandæ Paderbornensis Ecclesiæ reposuerint. Et Joannem hoc ipso statim anno post excessum Roberti Episcopi possessionem gubernationemque Ecclesiæ adijsse, argumento sunt publicæ ejus tabulæ, quibus subrogando Corbeiensium Abbati custodiam castri Blanckenowensis secundum priorum Episcoporum conventa instaurat. Quæ literæ hoc anno pridie omnium SS. testibus Gerhardo Spegelio milite & Bernardo Schwic armigero, atque ipsius Joannis Episcopi sigillo etiam consignatæ monstrantur ex Corbeiensium tabulario. Quo simul constat Bodonem, præclarum Corbeiensium ad Visurgim Abbatem, quem aliæ simul Corbeiensium literæ post Pascha vixisse tradunt, intercè vivis abijsse, eique Theodoricum II. nec multò post Arnoldum Wolfium, cujus mentio est in literis anno 1397 datis, succesſisse. Id quod hîc etiam annotasse juvabit; quando à Wigboldo Abbate in

Chronic.

Chronico Corbeiensi, à Meibomio & Lesnero producta, non nisi obscura Corbeiensium Abbatum series continuata extat.

Ceterum opportunè, magnisque animis, gubernatio Paderbornensis Ecclesiæ à Joanne Episcopo susceptа. Enim vero Padbergij, postquam metu Roberti Episcopi soluti fuêre, collegerunt prædonum turbas, tractoque in societatem belli Marcano Comite, cum ingentibus copiis se in Paderbornensem diœcesin infudêre, flammis & rapinis libere latèque pervagando; & villis pagisque direptis, quantum libuit, Oppida, inter quæ Borgentricum, magna pecunia fortunas suas redimere coacta. Postremùm ad Lichtenawiam retusi: quod Oppidum cùm injectis igneis telis incendissent, extremamque fortunarum jacturam intentassent, Oppidani ad arma & muros convolârunt, insultusque furentium hominum forti propugnatione fregêre. Collegerat interea recens electus Hojanus Episcopus fidorum nobilium & Ministerialium copias, certus armis prædones aggredi: at dum auxiliares aliorum Principum copiæ tardius ob locorum distantiam accedunt, Fridericus cum prædatore milite profugus per montes in castrum suum sese recepit. Post ubi Hojanus Episcopus à Bonifacio confirmatus pleno jure diœcesis possessionem adijt, omnia consilia convertit in Padbergios opprimendos. Id verò ut sine magnis impendiis & armorum motu conficeret, qua erat solertia astuque militari usus, insidijs, quas posuerat, tres simul Padbergios fratres Fridericum, Joannem & Gotschalcum intercipit, captosque in vincula conjicit. Gotschalcus post diuturnos carceres grandi se pecunia redemit. Ceteri quidem fuga elapsi; at Fridericus prædonum Dux, quòd pede tardior, interceptus denuo, & ex fuga retractus in carceres; nec prius dimissus est, quàm multis consanguineorum & amicorum precibus, à quibus utrumque castrum vetus & novum tenebatur, Fridericus & Joannes fidem jurarent Joanni Episcopo & Capitulo Paderbornensi, vadesque darent. Postremùm grandi pecuniæ summa mulctati. Digna certè raptorum pœna, qua omne prædæ lucrum, voracium canum instar, uno vomitu egerere coacti sunt. Neque vitio datum Joanni Episcopo, dolo prædones & rebelles nobiles intercepisse. Nam ut sapienter D. Augustinus scripsit, cùm justum bellum suscipitur, sive apertè quis pugnet, sive ex insidiis, nihil ad justitiam interest. Bonus siquidem hic dolus, ut magnus juris consultus ait, pro solertia habendus, maximè si adversus hostes & latrones prædonesque procedat. Castigatis in hunc modum Padbergiis, reliqua prædonum turba evanuit; habuitque ex his felicibus auspiciis Joannes Episcopus auctoritatem apud suos, & tranquillam exinde diœcesis gubernationem.

Gobelin. c. 85. ætat. 6. Padbergiorum motus & insolentiæ ab Episcopo & aliis comprimuntur.

August. in 9. super Josue. *Ulpianus L. de dolo.*

Annus Chriſti 1395.

Bonifacij IX Pont. 6.
Wenceslai Reg. 18.
Joannis Hojani Ep. Pad. 2.

Serrarius in Mogunt. Trithem. Moritur Conradus Winsbergius, Archiep. Mogunt. Eligitur Godefridus Comes Lœningenſis. Succedit Joannes Comes Naſſovius.

Suſtulit dehinc annus conſequens, Chriſti nimirum nonagesimus quintus ſupra milleſimum trecenteſimum, II Septembris Conradum Winsbergium Moguntinum Archiepiſcopum, Metropolitanum noſtrum, virum religione & pace egregium. In cujus locum Metropolitani Canonici concordibus ſuffragiis elegêre Godefridum Comitem Lœningenſem, pari doctrina & pietate excellentem. Sed is cùm in curia Romana cunctantius rem ſuam ageret, prævertit Joannes Comes Naſſovius, multiſque largitionibus Archiepiſcopatum impetravit. Vir corporis ſtatura parvus, ſed qui ingenio prudentiaque magnus, eòque pro Naſſoviorum indole acer atque callidus diceretur. Tertius ille poſt Gerlacum & Adolphum fratrem Moguntinus Archiepiſcopus ex Naſſoviis. Metropolitani quidem noſtri Moguntini Archiepiſcopi; verùm ex quo priſca pietas, provinciales Epiſcoporum ſynodi, & publici conventus Imperij oblanguerunt, rara cum Metropolitano noſtro communicatio; omneque præſidium auxiliumque in Colonienſi Archiepiſcopo & fœdere cum vicinis Epiſcopis quærendum fuit.

Bitterus Raesfeldius prædator ab Epiſcopo Ultrajectino fugatur. *Chron. Monaſt. Heida in Friderici Ultratraj. Epiſcopo. Cleinſorg.*

Ac quamvis prædonum prædandique libertas ſeveris legibus & pœnis per Weſtfaliam, ex fœdere Epiſcoporum ac Principum, interdicta fuerit; non tamen ſe continuit Bitterus Raesfeldius, quin cum filio equite, collectiſque prædonum ſociis, extra patrium ſolum excurreret in Ultrajectenſem diœceſin, rapinis graſſando. Quem è veſtigio inſecutus Fridericus Blanckenheimius, Florentij ſucceſſor, præclarus Ultrajectenſis Epiſcopus, ad Luppiam uſque; abactaque præda, caſtrum Oſtendorpium expugnatum exuſtumque intra cineres reliquit; non invito Ottone Monaſterienſi Epiſcopo, cui nihil gratius, quàm ejuſmodi prædonum caſtella ſubverti.

Hammonienſis limites ſuos ductis aggeribus includunt. *lib. 2. Paderb. antiq.*

Vicini Hammonienſes noſtri ad Luppiam flumen omnes circum limites urbis ſuæ, ducto aggere, tanquam prolatis pomeriis inclusêre, quales inſani laboris aggeres vallorum inſtar paſſim per Weſtfaliam ſpectantur cum ſpeculis in montibus, ad ſubitas hoſtium incurſiones arcendas, aut firmam defenſionem. Quæ nunc bellandi ratione inutilia opera conſpiciuntur. At Joannes Epiſcopus noſter multus fuit in caſtris præmuniendis, comparandiſque. Nam ut relictæ tabulæ docent, emit hoc anno mediam partem caſtri Oppidique Levenowenſis à Burchardo Pappenheimio milite, ejuſque filiis, depensâ ſummâ 7100 florenorum Rhenenſium feſto Conceptionis B. V. Mox feſto D. Lamberti, quartam ejus caſtri partem ab Henrico Comite Waldecenſi, ejuſque filiis Adolpho & Henrico

Partes aliquot caſtri oppidi-

emptam

emptam adjecit, repetijtque ad possessionem Ecclesiæ Paderbornensis. QuippeHelmeswardehusanum Monasterium, Krockenburgum, Drendelbergum castrum & oppidum, & Levenowense castrum cum Oppido adDimolam fluvium antiqua Paderbornensis Ecclesiæ loca Cæsarum donatione; in quæ partim Hassi, partim Waldecenses Comites per superiora bella manus injecerant, donec postremùm nostrâ memoriâ Hassis in diœcesis nostræ detrimentum & diminutionem cederent.

que Levenoënsis à Joanne Episc. emptæ Ecclesiæ Paderb. adjunguntur.

Annus Christi 1396.

Bonifacij IX Pont. 7.
Wenceslai Reg. 19.
Joannis Hojani Ep. Pad. 3.

VerùmLevenowensi castro in suam potestatem redacto, Hojanus Episcopus mox altero anno, acceptis 5000 florenis aureis, idem rursùmBurchardoPappenheimio oppignorat; ea tamen lege, ut in fideEpiscopiPaderbornensis tueretur, redimique sineret. Nam per id tempus Hojanus Episcopus pecuniæ indigus ad aliud bellum se comparabat, pro Ottone Episcopo Monasterienſi ac fratre suo è captivitate liberando. Poscebat hoc militare auxilium tam fraterna pietas, quàm commune fœdus inter Episcopos Westfaliæ initum. Et justa OttonisEpiscopi Monasterienſis bellique hæc causa erat. Post Comitem Teclenburgicum repressum nemo infestius diœcesi Monasterienſi imminebat prædis & injurijs, quàm Ludolphus Steinfordiæ præpotens Dynasta, Balduini filius, homo pro ingenio patris turbidus. Constructerat is castrum haud procul Scoppingiæ Oppido, & Vechta amne, in fundo Episcopi, & ab invidiæ nomine Ovelgunnam appellârat; ex eoque continuis incursionibus ac prædis divexabat circumjacentem diœcesis regionem, adscito in societatem belli & rapinarum Solmensi Dynasta, Ottensteinij castri domino, homine inquieti & predatorij ingenij, qui ex suo castro haud minus erat molestus diœcesi. Otto qui ejusmodi prædonum & insultantium hominum acerrimus vindex erat, Ovelgunnam obsidione incingit, & ad deditionem compellit. Ejectis hostibus, consilia agitantur de castro funditus evertendo. Quo cognito, intervenit Steinfurdiensis, & ad mensem demolitionem differri rogat, ultroque se ad compositionem offert. Interea homo callidus Solmensem cum copijs advocat, quem & suis præficit; captumque ex insidijs Ottonem Episcopum haud procul Hostmaria, nihil hostile per inducias suspicantem, Steinfordiam abducit. Nihil his abjectior animo Episcopus, equo invectus, Leonino vultu oreque libero affatus obvios de perfidia queritur. Mox remissis ad Capitulum & provinciales nuncijs, mandat nihil suo casu terreantur, quem ipse non alium æstimet, quam si ex equo prolapsus sit; omnia perinde ac si captus non sit, constanter

Chron. Monast.

Ludolphus Steinfordiæ Dynasta Diœcesi Monasterienſi infestus.

Ottonem Ep. Monast. captivum Steinfordiam abducit.

agant, elapſoque menſe induciarum Ovelgunnam caſtrum funditus ſubruant.

Ottonis fratres, alijque proceres Steinfordiam obſident.

Vulgata Epiſcopi captivitate, advolant cum ſuis copijs Joannes Paderbornenſis Epiſcopus, & Ericus Hojanus, Ottonis fratres, Simon Comes Lippienſis, multique Weſtfaliæ proceres. Hi junctis cum nobilitate Monaſterienſi armis, II Calend. Auguſti Steinfurdiam, caſtrum Oppidumque arcta obſidione includunt, valla, agge-res, & cetera obſidionalia munimenta circum excitando, certi non prius abſcedere, quàm injurias ulti, Epiſcopum receperint. Quæ licet Steinfurdienſis Dynaſta, confiſus caſtri munimento, ſperneret; Oppidani tamen trepidare, vota Deo facere, ſollicitare compoſitiones, ne tota vindicta in ipſos recideret. Sed dum obſidio difficilius, quàm ſperabatur, trahitur, per Weſſalum de Kemnade, Commendatorem eo loco ordinis ſacri, ac ceteros arbitros, pax certis legibus convenit; quibus Steinfurdium Dynaſtæ ex priſtino jure relinquitur, & Epiſcopus liber dimittitur. Addunt interim, ſeptem millium florenorum lytrum eſſe exactum urgente Solmenſi, à quo durè habitus Epiſcopus. Sed & ille poſt caſtri ſui Ottenſteniani expugnationem, bonorumque jacturam, hæc luere viſus. Nullum Otto hoſtem nactus, quem non armis obtriverit. Captus & per id tempus perfidè Theodoricus Oſnabrugenſis Epiſcopus à nobilibus Buſchijs, & in cuſtodiam detruſus. Tanta privatorum etiam nobilium in ſuos præſules audacia erat.

Pace certis legibus inita, Epiſcopus liber dimittitur.

Wenceslaus R. peſſimè Imperium adminiſtrans, bis captus Cuſtodiæ traditur.

Sed & hoc ipſo anno, ut auctor hiſtoriæ Thuringiæ memorat, Wenceslaus Bohemiæ & Romanorum Rex, à quo hujuſmodi ſcelera & ſacrilegia puniri debebant, ob ſocordiam ac tyrannidem à Baronibus regni Bohemici captus, & per quatuor menſes in cuſtodiam abreptus; at mox à Joanne fratre Marchione, Duce Luſatiæ, & Procopio Marchione Moraviæ libertati redditus, non ſine majori Reipublicæ jactura, quòd omnia luxu, libidinibus, & ſævitia multò calamitoſius fœdaret. Eo quippe hactenus regnante, non modò per Saxoniam, Turingiam, Haſſiam, Weſtfaliam, quod omnes ſcriptores deplorant; ſed & per univerſam Germaniam omnia civilibus bellis, nobilium factionibus, rapinis prædonum miſcebantur: nec aliæ Saxoniæ Germaniæque ſpecies, quàm ſi ad primam barbariem reditura; nec aliud à Wenceslao ſubſidium, quam ſi ex numero mortalium expunctus eſſet. Haud multò poſt, cùm eadem vitia multò fœdius redirent, Sigiſmundus frater, Ungariæ Rex, permotus Bohemorum querelis, Wenceslaum capit, captumque Alberto Duci Auſtriæ cuſtodiendum transmittit. Sed cùm Viennæ negligentius ſervaretur, fuga elapſus, regnum & inertem laſcivamque vitam repetijt, vino, ventri, & veneri noctes dieſque indulgendo.

Hiſtoria Thuringiæ Cuſpiniani.

Annus

Annus Christi 1392.

Bonifacij IX Pont. 8.
Wenceslai Reg. 20.
Joannis Hojani Ep. Pad 4.

Laborabat per hæc fœdo adhuc schismate Ecclesia; extincto- *Raynaldus in histor. Eccles. Onufrius. Scriptor. Galli. Brouver. lib. 18. Gobelinus Auctor. Chron. Belg. Histor. Thuring.*
que ante triennium Avenione in Gallijs Clemente Pseudopontifice, schismatici Cardinales subrogârunt Petrum de Luna Aragonensem, qui se Benedictum XIII appellavit. At Bonifacius, Romanus ac verus Pontifex, cùm apud Reges, Principes, & Episcopos, qui schismati obnoxij erant, nihil sollicitiùs ageret, quam de schismate tollendo, permovit & Carolum VI Francorum Regem ad concordiæ saluberrima consilia. Atque arduum id opus ut conficeret, honorifica legatione invitavit Wenceslaum Romanorum Regem in Franciam; qui tanquam è veterno excitatus, cum insigni procerum Germanorum comitatu Rhemos usque prodijt, ubi per Quadragesimam à nobilitate Francica omni honorum & officiorum genere exceptus est, expensis etiam in singulos dies decem halecum vasis, octingentisque carpionibus. Tractatum mox de schismate tollendo; eòque res deducta, ut Bonifacius & Benedictus ultro supremam dignitatem ponerent, tertio conferendam. Cui decreto cùm præsules Galliæ intercederent, Bonifacio Pontifici studiosi, & Wenceslaus pro ingenio pecoris magis quam hominis rem segniùs ageret, irritus ille labor conventusque recidit.

De schismate tollendo laboratur in Gallia, quò etiam se contulit Wenceslaus Romanorum Rex.

Interea Bonifacius Pontifex multas per Thuringiam, Saxoniam, Westfaliam, & totam Germaniam indulgentias est largitus, missis in hanc rem legatis & literis; in his quia adjutrices simul manus poscebantur (ut à Gobelino nostro, auctore chronici Belgij, & historiæ Thuringiæ, alijsque annotatum est) multos ea largitio sacra offendit, tanquam lucro obnoxia, immemores hæc ultro peti, & absolutionem à peccatis condonationemque noxarum pendere ab ultronea oblatione. Fiunt & veteri ritu oblationes solemnioribus festis diebus post confessionem & sacrificia Pastoribus in Ecclesia, atque etiam multò frequentiores fuêre; quæ tamen à lucri vitio alienæ sunt, ne quid hîc hæresis carpat. Hujusmodi verò indulgentias, de quibus hic agitur, sicuti Pontifex Magdenburgensibus, Pragensibus, Misnìensibus, Colonienſibus, alijsque urbibus passim & locis, ita Paderbornensibus etiam obtulit, quarum hoc exemplar est.

Indulgentiæ à Bonifacio papa Ecclesiæ Paderb. concessæ.

Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filijs, Capitulo Padeburnensi salutem et Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis Ecclesiam, digne nos excitat et inducit, ut petitiones vestras, in his præsertim, quæ animarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hodie siquidem de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate

ritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui Ecclesiam vestram in festivitate visitationis beatæ Mariæ Virginis à primis vesperis ad secundas istius festivitatis devote visitaverint annuatim, et ad ejus conservationem manus porrexerint adjutrices, illam indulgentiam et remissionem peccatorum, quam Ecclesiam sancti Marci de Venetijs Castellan. diœcesis in festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi visitantes annuatim, quomodolibet consequuntur, per nostras literas duximus concedendam. Nos igitur ut Christi fideles ad ipsam Ecclesiam in hujusmodi festivitate confluentes, conscientiæ pacem, et animarum salutem---- sive participes esse possint, benignius agere volentes, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, ut quatuor aut plures, ---------- de quibus vobis videbitur, et fuerit oportunum, qui confessiones quarumcunque personarum ad ipsam Ecclesiam causa hujusmodi indulgentiæ assequendæ accedentium in ipsa festivitate duntaxat audire, et ipsis diligenter auditis eisdem personis pro commissis debitam absolutionem, impendere valeant, et conjungere pœnitentiam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter quæ sedes Apostolica sit merito consulenda, deputare valeatis, devotioni vestræ auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumserit indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum XV Calend. Januarij Pontificatus nostri anno nono.

Magnificus Pontifex Bonifacius IX, qui post Urbanum VI Apostolicam sedem ex Gallijs revocatam in pristinam dignitatem splendoremque restituit, castrum S. Angeli, Capitolium Palatinum, collapsasque Ecclesias instaurando: nec facilè ante eum Pontifex conspectus, qui majorem Romæ potestatem, & in patrimonio S. Petri magnificentiam ostenderit; quæ cùm temporum iniquitas postularet, tum congruum fuit Crhistianum etiam populum, ad Apostolicæ sedis auctoritatem reparandam, adjutrices manus porrigere.

Pecunia ex indulgentiarum concessione collecta, expenditur in bellum adversus Turcas.

Quanquam pecunia, quæ Indulgentiarum largitione simul per id tempus oblata est, majorem in partem colligeretur in expensas belli adversus Turcas. Sicuti etiam superiori anno Sigismundus Ungarorum Rex, Wenceslai Cæsaris frater, cum Bajazete Turcarum Imperatore infelici prælio ad Nicopolim congressus, omnem fere Christianorum exercitum amisit. Submiserant ad id bellum copias suas Galli & Burgundi, torpente Wenceslao Cæsare: neque è Germania subsidia aderant, quæ civilibus inter se armis digladiabatur. Igitur Turca, Bulgariam, Bosniam, interiorem Macedoniam, Thraciam, Tessaliamque turbinis instar pervagatus, & Constantinopoli imminere cœpit.

Comitia Francofurtensia.

Tandem & Germaniæ Principes, intestina Reipub. vulnera, cùm omnia civilibus armis, prædis, & latrocinijs miscerentur, persanada, Francofurti conventum habuêre. Auctorque est Browerus ex vete-

ex veterum eorum temporum Chronico, centum quinquaginta Principes & Comites adfuisse, equites verò ac nobiles armigeros quinquies mille. Octiduo in deliberatione posito, alia ad festum D. Jacobi sequenti anno comitia indixêre.

Bellum Ducis Juliacensis cum Brabantinis.

Prædatorium interim hoc anno bellum fuit Wilhelmo Juliæ & Gelriæ Duci cum Joanna Brabantiæ moderatrice, ob ministros duos injuriosè tractatos à Brabantinis; conscriptoque exercitu triginta millium armatorum (cui & Fridericus Colonienſis, Otto Monasterienſis, Theodoricus Osnabrugenſis, Episcopi suas copias adjunxêre) Brabantiam irrupit, longè latèque Campiniam depopulando. Postquam prædis ira expleta, Dux exercitum reduxit, & dissolvit. Quo cognito, insequuntur Brabantini, parique incursione vastavêre Gelriam ac Juliam. Idem bellum cùm anno sequenti utriusque irruptionibus, alternisque cladibus repeteretur, per arbitros de pace transactum est.

Mejerus lib. 14. Divæus Heuter. l. 2. Burgun. Pontan. l. 8. Geld. Teschem. pag. 401.

Sed longè atrocius hoc ipso anno bellum intulit Wilhelmus Montium Dux, Ruperti & Wilhelmi Paberbornensium Episcoporum pater, Adolpho Cliviæ Duci, ex sorore genito nepoti. Belli causa telonium Cæsaris-insulæ, quod uterque sibi ex controverso jure vendicabat. At Montium Dux impatiens moræ confisusque tam Wilhelmi Juliæ & Gelriæ Ducis consanguinitate, quàm Roberti Palatini affinitate, cum numerosissimo exercitu (quo magna pars Westfaliæ excita fuit) Cliviam ingressus, Clivios ad prælium evocavit. Intrepidi ad hæc Clivij, septima Julij die, ad pagum Kellensem pugnæ sese fistunt, matre è cygnea turri spectante filij & fratris cruentum certamen. Victor primo congressu Dux Montium: mox instaurata acie à Wesalienſibus cæsus, captusque Clivos abducitur; quocum in captivitatem venêre Guilielmus Dux Montium, Reinoldus Wilhelmi Gelriæ & Juliæ Ducis frater, Comites quatuor, nobiles sexcenti, equi bis mille. Cessit hac victoria Clivio telonium Cæsaris-insulæ, Sinzichium, Rhegiomagum, Embrica cum Limarsia & Hetteria, multaque captivorum bona. Tam infelices bellorum exitus plerumque ijs esse solent, qui armis jura præripiunt. Hactenus illi eorumque majores in vexandis Episcopis occupati, nunc mutuis & consanguineis armis se conficiunt.

Et Ducis Montensis cum Clivensibus.

Trithem. in Chron. Spanh. Pontan. l. 8. hist. Gelr. Teschem. p. 202. & 253. Wittius in Chron. M. S. Chron. Monast. Chron. Colon. Cleinsorg. Chron. Tremon. M. S. Chron. Citicense.

Sanctiori in Diœcesi nostra studio intentus Episcopus, ut laboranti 1397. in Monte-Martis religioso cœtui succurreret, donationem Parochiæ S. Dionysij, ante aliquot annos Monti-Martis factam à Bodone Abbate Corbeiensi, hisce, quas subjungimus, literis, ratam habet.

Donatio Parochiæ S. Dionysij in Thule facta con-

Joannes Dei et Apostolicæ sedis gratia electus et confirmatus Ecclesiæ Paderbornensis: Religiosis viris in Christo dilectis, Præposito et Conventui Montis-Martis, Ordinis S. Benedicti, nostræ diœcesis memoratæ, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ex relatione vestra aliorumque fide dignorum

ventui Montis-Martis, confirmatur à Joanne Episcopo Paderb.

dignorum recepimus, qualiter, vestrum Monasterium prælibatum distur-biis guerrarum, aliisque diffortuniis et gravaminibus vestrorum superiorum attenuatum, non solùm defectum in temporalibus patitur, verùm etiam op-pressum sit gravissimis oneribus debitorum; sic quòd fratres, coguntur extra Monasterium victum quærere, per mundumque vagari non sine scandalo et dispendio Ordinis et sacræ religionis; cultusque divinus dicti Monasterij propter personarum paucitatem et absentiam, ut asseritis, permaximè remit-titur et decrescit. Nos igitur, qui sacram religionem in statu debito fovere intendimus, prout officij nostri debitum postulat et requirit, vobis et Mona-sterio vestro sæpedicto, ut sustentari eò commodiùs possitis, ac divinis officiis indeficienter mancipari, Venerabilis ac Religiosi viri D. Conradi Abbatis Monasterij SS. Apostolorum Petri et Pauli Paderbornen. Archidiaconi sedis in Haldencusen, Decani Ecclesiæ nostræ Paderbornen. totiusque Capi-tuli ejusdem Ecclesiæ unanimi consensu accedente, Ecclesiam S. Dionysij in villa Thulen per Venerabilem ac Religiosum virum Dominum Bodonem, quondam Abbatem Ecclesiæ Corbeiensis, dato consensu conventus sui, vo-bis cum jure patronatûs, et omni integritate et pertinentiis in supplementum præbendæ vestræ donatam, sicut etiam literis super hoc confectis contineri di-dicimus, vobis conferimus propter Deum; ita quod fructus, reditus, proven-tus et oblationes ipsius Ecclesiæ, cum ipsam vacare contigerit, ex tunc ad ju vestros possitis convertere ac etiam retinere. Præpositus verò vestri Mo-nasterij, qui pro tempore fuerit, unum de confratribus sui conventûs, Archi-diacono loci ad ipsam Ecclesiam præsentabit, qui investiet præsentatum; et investitus de nostra nostrorumque successorum licentia, et de sui Præpositi con-sensu, ipsius Ecclesiæ plebem regat; et talis ratione investituræ tenebitur ad omnia nostra et Archidiaconi loci mandata exequenda fideliter, in justis, licì-tis, et honestis: et nihilominus ad omnia alia, ad quæ tenebatur præfatæ Ec-clesiæ Clericus sæcularis, salva sibi in omnibus regulari et Monasticâ disciplì-nâ. Ad porcurationes verò seu contributiones sedis Apostolicæ, vel nostras, tenebitur Plebanus jam dictæ Ecclesiæ secundùm antiquam quantitatem, prout est hactenus registrata. In cujus rei testimonium præsens scriptum no-stro, Capituli nostri, nec non Archidiaconi loci prædicti sigillis fecimus robo-rari. Datum et actum Paderburnæ. Anno Domini Millesimo, trecente-simo, nonagesimo septimo, ipsa die beati Liborij Episcopi.

Annus Christi 1398.

Bonifacij IX Pont. 9.
Wenceslai Reg. 21.
Joannis Hojani Ep. Pad 5.

Pax Francofurti concluſa, nequaquam diuturna,

Subeunte dehinc anno, qui constitutus fuerat, hujus sæculi no-nagesimo octavo, Principes Francofurti rursus in comitia festo D. Jacobi convenêre. Atque ut intestinis bellis ac prædationibus mo-dum facerent, pacem communem sanciunt; quæ tamen mala lan-guente capite, & Wenceslao Rege intra otium, luxum, & crapulam consopito,

consopito, ad pristinam licentiam redière; quòd spretâ majestate Imperij, nec judex esset, qui controversias publicas pro regia auctoritate decideret. Nec tribunal, ad quod provocaretur: nec locus conveniendi quempiam, in quo nomine Imperij defensio & patrocinium susciperetur. Hinc ex privatis controversiis & litibus publica & libera bella, ex bellis vastationes agrorum, latrocinia, prædæ & incendia; quibus nec templis, nec Cœnobiis, nec sacris ullis parcitum; id quod Principes multis in sententia exauctorationis queruntur.

ob socordiam Imperatoris.

Hoc turbido rerum statu Theodoricus Morsanus, Adolphi Cliviæ Ducis frater, ingentis animi juvenis, quantumvis inter ipsos Duces anno superiori compositum esset, Montensem Ducatum hostilibus rursum armis ingressus, vastatis agris, Mulheimium Oppidum, quod Agrippinæ objacet, diripit. Inde cetera loca pervagatus spoliis, Elberveldam oppugnatione adoritur; ac dum ferventiùs incautiùsque mœnia subit, à Saxone milite sagitta percussus è vestigio exspirat. Cadaver in Cœnobio S. Claræ Hœrdæ haud procul Tremonia humatum. Visitur & sepulchrum versibus ejus sæculi exornatum. Theodorico sine prole extincto cessit Marcanus Comitatus Adolpho fratri, Cliviæ Duci qui cùm superiori victoria clarus, tum Marcano Comitatu auctus, vicinorum animos ad se traxit.

Theodoricus Morsanus Ducatum Montensem hostiliter pervagatus interimitur. *Chron. Colon. Teschem. p. 254. Chron. Tremon.*

Hos inter Vredenses, seu à Duce pellecti, seu rebellione conciti, sese ab imperio Ottonis Monasterienſis Episcopi sui subtrahere moliebantur, ac Clivio Oppidum suum in tutelam dare. Res eò processerat, ut Clivius castrum istic firmandæ potentiæ causa erigere cœperit. Quod ubi Ottoni Episcopo significatum, magno equitatu cinctus, festinatis itineribus Vredenam advolat, Oppidumque ex improviso ingressus in auctores perfidiæ severè animadvertit; ac ne à finitimis Clivis sollicitati ad rebellionis consilia redirent, arce exstructâ, Vredensibus frena imposuit: opportuno simul consilio, quo & nudum illud diœcesis latus præmuniret, & vicinos infestosque hostes, Henricum Solmensem Ottensteinij, & Svederum Vorstium Ahusiæ, ceterosque Dynastas in officio contineret.

Otto Ep. Monast. Vredenses rebellantes ad obsequium reducit.

Ateo in opere dum versatur Otto Episcopus, intelligit Limburgi Comitem, & Ahusanum Dynastam per diœcesin, quo ad Luppiam porrigitur, prædis grassari. Et ille, ut consilio manuque expeditus erat, cum equitatu ad Luppiam festinat, Limburgique Comitem ad Lunnæ Oppidum assecutus, cum multa armigerorum nobilium turba captivum abducit, quocum magna simul præda potitus. Postridie, quæ par felicitas erat, Ahusanus interceptus unâ cum octoginta armatis è nobilitate equestri viris in potestatem Ottonis venit, & biennio captivus in custodia est habitus; nec prius liberum Episcopus reddere voluit, quàm triginta millia florenorum promitteret se daturum in lytrum. Ex his octodecim millia statim repræsentata: pro reliquo, quod duodecim millium erat, dynastiam Ahusanam pi-

Comitem Limburg. & Dynastam Ahusanum, Diœcesin infestantes capit.

gnori oppoſuit. Quod ea lege accepit Epiſcopus, ut, niſi intra præ-
ſcriptum tempus pecuniam numeraret, dynaſtia perpetuum cederet
Monaſterienſi Eccleſiæ. Id quia præſtitum non eſt ab Ahuſano, Otto
Dynaſtiam Ahuſanam Eccleſiæ Monaſterienſi adjicit. Epiſcopus ex ſententia Rainaldi Juliæ & Geldriæ Ducis quatuor flo-
renorum millia addidit, & totam dynaſtiam Ahuſanam, haud leve
peculium, Monaſterienſi Eccleſiæ adjecit. Transactum per hæc ſi-
mul cum Theodorico Oſnabrugenſi Epiſcopo, feſto Innocentum
Martyrum, ob diſſidentes Cloppenburgo impoſitos præfectos; ceſ-
ſitque Otto Oſnabrugenſibus Vordenſe Oppidum, in cujus locum
ex integro recepit Cloppenburgum.

Hæc felicia Ottonis arma, ſucceſſuſque rerum, multum adju-
vêre Joannem Hojanum Epiſcopum noſtrum, Ottonis fratrem; al-
terque alterius patrocinio manuque defendebatur. Quo factum, ut
& Epiſcopus noſter hactenus tranquillam diœceſin adminiſtrârit,
Joannes Ep. Pad. multis vicinorum incurſionibus divexatam. Is ſub exitum hujus
anni magno augmento complexus diœceſin ſuam, ex conſenſu Ca-
pituli & Miniſterialium, transegit cum Hermanno Comite Eberſte-
Comitatum Eberſteinianum Eccleſiæ ſuæ adjungere nititur. nio de Comitatu ſuo Eccleſiæ Paderbornenſi in perpetuum tranſcri-
bendo. Et res in hunc modum confecta fuit; ut dum viveret Co-
mes, caſtrum Dringenberg cum Oppidis & villis, caſtrumque Stein-
heim cum adjunctis bonis eſſet in poſſeſſione fructuque Comitis: eo
mortuo, hæc omnia cum Eberſteniano Comitatu redirent ad Eccle-
ſiam. Sed cùm poſtea Comes ex conjuge prolem ſuſciperet, omnia
hæc in irritum recidêre. Hoc Epiſcopo civilia tractante, ſacrorum
adminiſtratio per receptos jam ſuffraganeos Epiſcopos commiſſa
fuit Gerhardo Theologo, & Vicario rerum ſacrarum; quem hoc
anno diœceſin perluſtraſſe, & Huxtariæ duo ſacerdotia conjunxiſſe
tradunt Huxtarienſium literæ. Adhæc Bonifacius Pontifex ut Her-
Bonifacius PP. Privilegia Hervordienſium Canoniſſarum confirmat. vordienſe Virginum Collegium, eamque Eccleſiam intra diœceſis
noſtræ terminos ab infeſtationibus inſolentium hominum præmu-
niret, ritu veterum Pontificum præclarum diploma dedit, quo
omnia Virginum ſacrarum privilegia & bonorum poſſeſſiones inter-
pellatus ſub initium ſequentis anni inſtauravit.

Bonifacius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſſæ, Præpoſitæ, Decanæ, et Capitulo ſecularis Eccleſiæ Hervordenſis Paderburnenſis diœceſis ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod juſtum eſt et honeſtum, tam vigor æquitatis, quam etiam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilectæ in Domino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras et locum, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub beati Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra, ſpecialiter autem decimas, terras, domos, curtes, vineas, ortos, agros, ſilvas, nemora, ſtagna, piſcinas, et alia

bona

bona ad vestram Ecclesiam spectantia, omnesque libertates et immunitates, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia vel alias indulgentias vobis, et Ecclesiæ vestræ prædictæ concessas, nec non libertates, exemptiones secularium exactionum, ab Imperatoribus, Regibus, et Principibus, Ducibus, Baronibus, nobilibus fundatoribus dictæ Ecclesiæ, et aliis Christi fidelibus, vobis et prædictæ Ecclesiæ vestræ concessas, et alia bona vestra, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis, et per vos eidem Ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, salvam prædictis decimis moderatione Concilij generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ susceptionis, confirmationis, et communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII Idus Februarij, Pontificatus nostri anno decimo.

Postremus quoque hic annus Ottoni, Mindensium præstanti Episcopo, ipsis Calend. Jannuarij defuncto, postquam tredecim annis diœcesin magna auctoritate & quiete gubernârat. Ortus, ut supra diximus, veteri piaque Advocatorum de Monte apud Mindam familia, ex qua anteceſſor ejus Widekindus, & Gerhardus Hildesienses Episcopi memorantur. Erant Ottoni septem fratres; ex his Widekindus junior Præpositus Mindensi, Joannes Canonicus Osnabrugensis ante sexennium defunctus, ac Simon innocentis vitæ clericus, qui morti vicinus, confisusque patrocinio B. Virginis, quam unice vivus coluerat, hilari & cygnea voce auditus est canere hymnum Ecclesiæ, *Speciosa inter filias Jerusalem*, quo in cantu animam lætus Deo reddidit. Ceteris etiam fratribus sine prole extinctis, Otto superstes omnem avitam Dynastiæ hereditatem, in eaque duo castra Mindensi Ecclesiæ testamento transcripsit, dubiumque fecit, utrumne vivus, an moriens magis de Ecclesia sua meritus fuerit. Præsul priscæ pietatis & candoris, cujus memoriæ multis Cleri, & populi lacrymis, multisque versibus parentatum.

Chron. Mind. à Meibom. editum
Chron. Mindens. à Pistor. editum
Chron. Germ. in S. Crantz. lib. 11. Metrop. c. 13. & 24.
Ottonis Ep. Mindensis obitus & laus.

Hic jacet electus Otto Præsul modo tectus,
Qui meritis magnus fuit, et mansuetus ut agnus.
Huic duo castra dedit sedi quo tempore sedit,
Et sibi districtum mortis genitore relictum.
Pro quo Christus ei sedem tribuat requiemque.
Conditur hac tumba vir nobilis atque columba,
Simplex ac rectus, heu nunc in corde rejectus.
Præsul Mindensis Otto de Monte vocatus,
Laudibus immensis Cleri vulgique probatus.

Post mortem optimi & tranquillissimi Episcopi diœcesis conjecta in graves turbas ob successorem, quem Canonici ab excessu Ottonis una consensione elegêre Wilhelmum * à Busch, Præpositum

* al. Bursche, & Bu-

...ken, in Chron. Mindens. tum Mindensem è veteri Westfaliæ nobilitate. His neglectis Pontifex Marquardum à Randegge, gente Svevum, virum quidem eruditum, prudentem consilio, manuque promptum præfecit, quem & Mindenses pro observantia in Pontificem solemni ritu exceptum introduxêre in urbem; verùm haud multò post facta inter Canonicos, nobiles, & cives conspiratione, noctu nihil suspicantem adorti, extra urbem & diœcesin ejecêre. Dissimulavit factum Pontifex, & Marquardum ad Constantiensem Episcopatum transtulit, ubi popularibus longè gratior fuit; receptusque inde Wilhelmus Buschius Ordinum consensu; cujus tamen Episcopatus triennio & Sex mensibus postea absolutus fuit.

Mindensi Ecclesiæ præficitur Canonicorum electione

Wilhelmus à Busch, at Pontificis voluntate Marquardus à Randegge.

Annus Christi 1399.

Bonifacij IX Pont. 10.
Wenceslai Regis 22.
Joannis Hojani Episc. Pad. 6.

Brevverus. Volvebatur per hæc Imperium inter priores malorum fluctus; neque à Wenceslao Rege, qui jam in vigesimum secundum annum Regis ac Cæsaris nomine sedebat ad clavum Reipub. ullum subsidium, aut cura boni publici, aut spes melioris frugi. Quare rursum hoc anno convenêre Principes, multisque inter se consilijs agitavêre de imperio homini ignavo & simulacro Principis abrogando. Id cùm ille resciisset, non tamen adeo socors agebat, quin retinendi Imperij cupidine tactus, per Legatos & literas modò civitatum, modò Principum animos demulcere studeret, convocatis etiam Norimbergæ comitiis; quæ cùm parum procederent, alia in urbe Eslingensi indicit.

Agitur de Imperio Wenceslao R. abrogando.

Trithem. in Chron. Spanh. Chron. Colon. Chron. Tremon. Interim per Imperium omnia civilibus armis ac deprædationibus miscebantur. Ceterisque prætermissis, *magna*, inquit Trithemius, *bella agitata sunt in ducatu Montium*, A Clivis nimirum, Marcanis, & Monasterienſibus inter se digladiantibus; quòd ex priori controversia adhuc odia iræque fumarent; à quibus tamen nihil *præter* vastationes agrorum Oppidorumque actum est. At verò Adolphus Dux Cliviæ bello & potentia provinciarum clarus, ne Montium Duci cederet, à quo Ruperti Palatini, quem mox Romanorum Regem spectabimus, filiam in matrimonium ductam memoravimus, alteram Palatini filiam Agnetem sibi splendidissimis nuptijs junxit; ex quo tamen conjugio nulla proles suscepta.

Ubbo Emmius lib. 16. hist. Frisiæ. Otto Ep. Monast. Otto Monasterienſis Episcopus, quòd pace transegerat cum Marcanis & Cliviis, arma vertit in rebelles Frisios. Ex his furiosus quidam prædo Wiseldus Thedingam, celeberrimum in ijs locis Cœnobium Virginum Benedictinarum, quod tum Folco Abbas regebat, occuparat, captusque situs opportunitate in arcem prædatoriam præmunire cœperit. At cùm locum tueri se non posse sensit,

pacem Ecclesiis

ignem

ignem in omnia sacra ædificia injecit: jacuitque per octennium Cœnobium sine habitatore vastum. Imploratus adversus hunc turbatorem Otto Monasterienſis Episcopus, intra cujus jurisdictionem locus erat, traxit in societatem belli Bremensem & Mindensem Episcopos, Comitemque Oldenburgensem. Horum auxilijs confirmatus, ea via, qua Oita in Comatatum Oldenburgicum ducit, Frisiam ingressus, Waseldum cum prædonum turba profligat. Atque is cùm in vicinum cæmeterium ac templum Deteranum se reciperet, è vestigio insecutus Otto, ferro flammaque oppugnat, deditumque cum prædonum sociis obtruncat. Ea salubri expeditione Frisiæ Ecclesiis libertas & securitas est reddita. Id quod VIII Calend. Maji hoc anno factum denarrat Ubbo Emmius in historia Frisiæ, scriptor cùm ubique satis iniquus in Episcopos, tum id tamen in Ottone laudare necesse habuit. Nam ad id tempus Monasterienses Episcopi eam Frisiæ partem, quæ jurisdictionis sacræ à D. Ludgero usque ad eos pervenerat, in eaque supra sedecim Præposituras obtinebant, constantissimè semper tutati propugnavêre. Frisiæ restituit.

Sub initium hujus anni Joannes Hojanus Episcopus noster, Ottonis Episcopi frater, deserto Paderbornensi Episcopatu, transijt ad Hildesiensem. Jam ante à Gerhardo de Monte Hildesiensium præstantissimo Episcopo, cognatoque suo, adjutor delectus erat, approbante Pontifice; quod eo potissimum consilio fecerat Gerhardus, ut ejusmodi successorem sibi vivus subrogaret, cujus industria, & fortitudine Episcopatum Hildesiensem, undique Brunswicensium Ducum potentia & intestatione circumsessum, suo cœpto propugnari posse confidebat. Nam ut fasti eorum memorant, post celebrem illam & cœlestem adversus Lunenburgenses victoriam, diœcesin XIX satrapijs amplam, & XII castris præmunitam tenebat. Ad hanc tam nobilem provinciam conservandam delegit Joannem Episcopum, fama rerum apud Paderbornenses gestarum, & bellicæ virtutis laude celebrem. Ipse verò Gerhardus Hildesiensium Episcopus anno superiori 14 Novembris, uti Chronici Hildesiensis scriptor, Bruschius, & Lesnerus perhibent, gesto in XXXIV annum Episcopatu excessit è vita. Corpus ut vivus jusserat apud Carthusianos, quibus florentissimum viris religiosis Cœnobium in suburbio Hildesij intra montem S. Mauritij & urbem construxerat dotaratque, tumulo illatum; cujus ne vestigia quidem post hæresis reliquit; jacentque tanti Præsulis, & tam præclarè de suis meriti, ossa modò inter civium olera consepulta ignorataque; quem inter Divos colere par erat. Nam præter cetera pietatis & religionis opera, quibus vivus inclaruerat, postremos etiam vitæ annos magnam partem inter Monachos ejus Cœnobij meditatione rerum cœlestium exegit; famamque sanctitatis post funus etiam auxêre mortalium encomia. Joannes Hojanus Ep. ab Ecclesia Paderborn. transit ad Hildesiensem. *Gobelinus Bruschius Kerssenbroch. Lesner. in M. S. histor. Ep. Hild. Cranz. lib. 10. Metrop.*

In hujus Episcopi locum successit Joannes Episcopus noster; gratiisque *Cranz. lib. 10. Metrop.*

c. 46. Letznr. in M. S. Histor. Episc. Hild. Chron. Hildes. Lesner. in Chron. Dassel. l. 2. c. 15.

gratiisque Ordinibus diœcesis nostræ honorificè actis, magno nobilium comitatu deductus est Hildesium; ubi non minori plausu exceptus, collocatusque in solio Episcopi. Sed disparem istic fortunam expertus, qualis plerumque eos sequi solet, qui relicta primâ Ecclesiæ Sponsâ nobiliorem, ambitu magis, quam boni publici amore, expetunt. Prospera quidem initia; qua enim magnitudine animi Paderbornensis diœcesis hostes, eadem & Fridericum Brunswicensem Ducem, spoliis & cœdibus per Hildesiensem agrum grassantem repressit. Armis dein versis in castrum Vreden, è quo jam multis annis diœcesis prædonum insolentiâ vexata erat, auxiliis Henrici Brunswicensis oppugnat, ac funditus evertit. Pari armorum successu abarce Wintzeburgica depulit hostes; adeoque se brevi formidabilem fecit, ut nemo se hostilibns aut prædatoriis armis commoveret. Extremis Episcopatus temporibus oppressus Ducum Brunswicensium potentiâ, diœcesin multis debitis oneratam reliquit. Letznerus, aliique posterioris chronici scriptores è numero hæreticorum, ut genus illud hominum pronum est ad carpendos Episcopos, tradunt Joannem hunc Hojanum turpi se otio & delicijs mulierum corrumpendum dedisse, aulamque habuisse earum consortiis plenam, quod ante illum diem insolens fuerit in Hildesiensibus Episcopis. Verùm hæc manifesta tanti præsulis calumnia apparet, quòd in libro statutorum Hildesiensium recitetur Joannis epistola sub finem vitæ conscripta, qua testatur se singulis annis exactè synodum diœcesanam celebrasse, ad vitia Cleri emendanda. Et cui verisimile senem se mulierum amoribus permisisse, cui per superiorem vitam nulla hujus vitij macula adhæserit? sanè Crantzius virum venerabilem appellat, varia fortuna per XXVI annos jactatum, cui tamen nullum castrum nulla possessio erepta sit. Atque ut se ac diœcesin servaret, adlegit postremis annis Magnum, Episcopum Caminensem, Ducem Saxoniæ & Lawenburgi Adjutorem. Ipse anno demum 1424 excessit è vita, Princeps quidem bellicosus, sed Ottone fratre Monasterienſi Episcopo postremis annis bello infelicior.

BER-

IHS

BERTRANDO Ferrariensis XXXIV. EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1399.

HAudleviter rursus, post transitum Joannis Hojani ad Episcopatum Hildesiensem, concussa Paderbornensis Ecclesia. Ac Canonici Cathedralis Collegij, penes quos jus suffragandi erat, ne illa tempestate diœcesin sine rectore diu vacuam relinquerent, iêre in comitium; unaque consensione delegêre Wilhelmum Montium Ducem, Ruperti superioris Episcopi fratrem, juvenem quidem, ut Gobelinus tradit, non multum decimum octavum annum ætatis supergressum, sed præclaris naturæ dotibus ornatum, magnoque familiæ patrocinio innixum; quo maximè diœcesi consultum volebant. Quam in rem Wilhelmo castrum novum Neuhusanum, sedem videlicet Paderbornensium Episcoporum, cum circumjacentibus Oppidis & locis infra Teutonicos montes possidendum tradidêre.

Gobelin. etat. 6. c. 85. Brusch. in Wilh. Episcopo. Kersenbroch. in Bertrando.

Canonicorum suffragijs deligitur Episc. Paderb. Wilhelmus Dux Montium.

Verùm dum Romæ expeditur apud Bonifacium Pontificem Joannis Hojani traductio ad Ecclesiam Hildesiensem, innotuit simul Romæ vacare Episcopatum Paderbornensem; ac dum nullus adhuc sollicitat de Successore Paderbornensis Ecclesiæ, prævertit apud Pontificem Bertrandus de Arvassanis, Canonicus Ecclesiæ Ravennatensis, natione Lombardus, patria Ferrariensis, Doctor Decretorum, auditorque in Palatio Apostolico; facilèque Romæ, ut tum infulæ istic dispensabantur, Episcopatum Paderbornensem impetravit, nescius quàm dispari, & longè alio Episcopatus munere in Saxonia, quàm

Bertrandus de Arvassanis Italus Episcopatum Paderb. à summo Pontifice impetrat.

quàm in Italia susciperentur. Is igitur magnâ spe amplissimi honoris potiundi impletus, in Germaniam properat; delatusque Paderbornam, Pontificis literas collati Episcopatûs Capitulo & Ordinibus obtulit. Ac tametsi jam Wilhelmus Dux Montium concordi omnium voce delectus esset, Bertrandum tamen, quod multis mirum accidebat, pro veneratione Apostolicæ sedis in urbem XXVIII die Octobris introduci permisêre. At cùm nec in palatium Episcopi aditus illi pateret, nec essent, qui honorifico hospitio exciperent, divertit privati instar ad ædes Volcmari à Brencken Canonici, à quo benignius, quàm à ceteris est habitus. Id verò cùm à Ministerialibus Ecclesiæ & nobilitate est rescitum, in Basilicam convenêre; collatisque in unum consilijs, decrevêre non alium quàm Wilhelmum Montium Ducem à Capitulo electum recipere Episcopum, cui jam fidem dedissent, quam retractare nolint, nec videre se, quo bono homo peregrinus & patriæ linguæ ignarus cum imperio diœcesi præesse possit; nisi ut se inani spe fatiget, & omnia in Episcopatu perturbet. Quæ uti inter ipsos convenerant, ita Bertrando per interpretem, quòd Teutonicæ linguæ ignarus esset, renunciari jubent. At nonhis statim deterritus Bertrandus, ad Pontificem, à quo Episcopus præstitutus sit, appellat, & pro Apostolici Legati munere, quo se præditum dicebat, Præsules, & Canonicos anathematis sententia percellit. Deinde à Senatu populoque Paderbornensi juramentum fidei postulavit, ratus si urbem sibi conjungeret, cetera prona fore. Consules verò ac cives, ne quid hic temere agerent, de die in diem differebant responsum; cumque sollicitati à Bertrando, consulendo rogarent Canonicos, quid sibi factu opus esset, respondêre Canonici, se fecisse quod sui est muneris, ipsi quæ sui sint officij secum expenderent. Quo responso, quòd nec juramentum probarent, nec dissuaderent, cives quoque ambiguos reliquêre. Quanquam satis indicarent, quid à se fieri vellent; quando pro veteri more nunquam civitati permissum juramentum sine Capituli voluntate dicere electo Episcopo. Bertrandus ubi se per ambages circumduci vidit, nec tantùm omnium animos à se aversos, sed & in præsenti se periculo versari, ne qua publica injuria tractatus ejiceretur, sibi literas publicæ securitatis & profectionis petijt à Magistratu. Quibus acceptis, XXIV Novembris clam se se ex urbe subduxit, unius tantum mensis in urbe Episcopus. Nec tamen defuêre ex Paderbornensibus, qui syncerè ejus partes susciperent. Nam postquam urbe egressus, in patentem campum pervenit, occurrere equites, qui odio Wilhelmi Episcopi benignè excepêre, armataque manu in castrum Dringeberg deduxêre, tanquam istic Bertrando pedem & possessionem firmaturi. Hujus factionis auctor Hermannus Comes Everstenius, se Bertrando in ipso castro socium & hospitem junxit, omnem annonam largè è suis subministrando, quòd ab eo administrationem totius diœcesis promis-

Introducitur in urbem Paderb.

Rejicitur à Nobilitate.

Juramentum fidelitatis frustra à civitate Paderb. exigit.

Urbe excedit.

promissam haberet. Hæsit igitur in castro Dringenberg Bertrandus aliquamdiu, ex eoque nunc publicis literis per Diœcesin vulgatis, nunc tractatione partium instituta, nunc Pontificis minis & patrocinio causam suam constanter egit. Nihil his moti Ordines; qui jam Wilhelmum alterum Episcopum in castrum Neuhusanum introductum sibi præsentem habebant, quocum consilia ex promissa fide communicabant; atque ut litibus finem potentius imponerent, positis insidijs Bertrandum in castro Dringenberg intercipiunt, captumque, nullo Oppidanorum obsistente, Neuhusium abducunt; id quod Everstenio Comiti etiam dissimulandum fuit, postquam didicit, frustra se contra omnium ordinum conspirationem obniti, eademque quæ à Bertrando promissa erant, se à Wilhelmo Episcopo consecuturum. Hæc Gobelinus noster præsens tum rerum inspector scriptor que hoc anno acta tradit.

Ex castro Dringenbergensi captivus abducitur Neuhusium.

Refert idem auctor pari per id tempus dissidio pugnatum esse inter Corbeienses; quam ob causam reliquiæ D. Viti Martyris Corbeja Lipspringam deportatæ sunt, depositæque sub patrocinio Wilhelmi Episcopi. Atque istic cùm per septem menses consisterent, magna hominum undique confluentium pietate ac religione ad XIII diem Junij cultæ sunt; à quo anni tempore Corbeiam reductæ fuêre. Gobelinus, qui hæc narrat, causam translationis retulit ad dissidium, quod inter Abbatem & Monachos intervenit. Monumenta Corbeiensium inspeximus, schisma inter duos electos Abbates produnt. Nam anno MCCCXCVII Arnoldus Wolfius, ut supra diximus ex consignatis à se tabulis Abbas ostenditur; altero post anno Willebrandus ab Haltermond Abbatis nomine literas diversas ad annum MCCCCVI obsignavit: alteroque rursum anno Arnoldus simul & Willebrandus Abbates reperiuntur consignati. Et ille Willebrandus Abbas, qui anno 1406 Ottoni Ritbergensi in Mindensi Episcopatu subrogatus, à quo tempore illi Theodoricus successerit, cujus exinde nomen in multis tabulis consignatum reperitur.

Dissidium Corbeiense; ob quod reliquiæ S. Viti Corbejâ transferuntur Lipspringam.

WILHELMVS
Dux Montium
XXXV9
EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1400.

Bonifacij IX Pont. 11.
Ruperti Imperat. I.
Bertrandus & Wilhelmus disceptantes Ep. Pad.

Bertrandus causam suam agit apud Pontificem.

ANnum dehinc millesimum quadringentesimum ingredimur, quo duos simul Episcopos Paderbornensis Ecclesia habuit, Wilhelmum à Collegio Cathedrali electum, & Bertrandum à Pontifice nominatum. Et hunc quidem captum in arce Nehusana in libera custodia habuerunt; ex qua tamen non minus quàm ante causam suam egit apud Pontificem adversus Wilhelmum, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicos. Nec remissiùs Canonici, appellando ad Sedem Apostolicam, pro Wilhelmo abs se delecto Episcopo egêre. Et verò quia Bertrandus pro Apostolici Legati auctoritate anathematis vinculo illigârat Canonicos, illi haud multò post rem eò deduxêre, ut à pœnis Ecclesiasticis absolverentur. Hæc verò, uti acta sint, hoc Bertrandi scriptum testabitur.

Canonicos sententia anathematis absolvit.

Bertrandus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Electus Ecclesiæ Paderbornensis universis et singulis beneficiatis, curatis, et non curatis, per civitatem et diœcesin Paderbornensem constitutis, et aliis nobis subjectis salutem in Domino. Noveritis quod nos dudum, anno Nativitatis Domini millesimo quadringentesimo, die ultimo mensis Januarii, certos processus et mandata contra honorabiles viros, Dominos Rolandum de Lustringen Decanum, Joannem de Wintzingerode Camerarium, Bertholdum Bescelini Thesaurarium, Rodolphum de Wintzingerode Scholasticum, Hildebrandum de Usselen, Henricum Westphael seniorem, Thidericum Junge, Joannem de Imminghusen, et Wide-

et Widekindum Speigel, et alios, quos præsens tangebat negotium communiter et divisim, emisimus, in quibus eosdem requisivimus, et monuimus, quatenus infra sex dierum spatium juxta morem suum dicerent Proconsulibus et Consulibus Paderbornensibus, quod Nobis ut Episcopo Paderbornensi debitam facent obedientiam et honorificentiam, et alia Nobis observarent, prout nostris prædecessoribus et antecessoribus fecerunt, et infra XII *dies castrum Niehus, et alia quæcunque, per Nobilem Domicellum Wilhelmum Ducem de Monte occupata, ad Nos et nostram mensam Padeburnen. spectantia, juxta formam ejusdem literæ super hoc editæ, et apud eos depositæ, cujus etiam copiam postulavimus, quoniam eam habere nostra etiam interest, in quantum in eis esset, repeterent cum effectu, eamque Nobis syncere assignari facerent, etc. Deinde vero maturâ deliberatione præhabita, ex certis et rationabilibus causis animum nostrum ad hoc moventibus, sponte et libere præfatos Dominos, et eorum quemlibet .... à sententia excommunicationis pro tribunali sedentes absolvimus, sententias etiam suspensionis in Capitulum, et interdicti in Ecclesiam Paderbornensem per nos latas, post dictas appellationes relaxamus.* Et quæ deinde multis in hoc scripto exponuntur. *Actum in civitate Paderbornensi, in domo habitationis Honorabilis viri Domini Conradi Thus, Officialis curiæ nostræ, sub anno Domini* MCCCC *primo. Indictione* IX *die ultima mensis Januarij, Pontificatus Ss^mi in Christo Patris et Domini nostri Bonifacii divina providentia Papæ noni anno duodecimo, Præsentibus discretis viris Domino Conrado Thus, et religioso viro Domino Joanne de Herne Professo Monasterii M. Munster Ordinis S. Benedicti, et Conrado Berbom clerico Paderbornensis diœcesis testibus.*

Literæ hæ per tres Paderbornensis diœcesis clericos Notarios, Bertholdum Coyc, Joannem Pistoris, & Joannem Hymdael subscriptæ, & consignatæ, addito Bertrandi insigni, quod quatuor rosis decussato in scuto expressum. Inscriptio verò hæc circumposita. *Sig. Bertrandi Episcopi à Bonifacio nono electi Paderborn.* Magna exinde per hunc annum contentione res utrimque acta Romæ in judicio Pontificis; dum postremùm Pontifex, pacis quietisque studio, Wilhelmi electionem haberet ratam, & Bertrandum revocaret in Italiam.

Tandem & hoc anno Principes Imperij, hortante Bonifacio Pontifice, & in hanc quoque rem jubilæum promulgante, seriò de exauctorando Wenceslao consilia agitârunt. Quam in rem primùm mense Majo, ut Gobelinus noster tradit certus eorum temporum scriptor, Francofurti convenêre. Quo in comitio etsi multa pro incolumitate Imperij constituta sint, tractatumque etiam de electione novi Regis; nihil tamen de certo novoque Rege convenit. Luctuosus interim ab hoc reditus Principum. Accesserant inter reliquos proceres Francofurtum Fridericus Dux Brunswicensis, ejusque germanus frater Bernardus, Rudolphus Dux Saxoniæ, Conradus Soltowius Episcopus Verdensis, Sigismundus Anhaltius, nobiles de Barbei, Honstein, & Schwartzenberg. Hi cùm uno comitatu per diœcesin

Histor. Thuring. Trithem. in Chron. Spanh. Gobel. ætat. 6. cap. 70. Cranz. l. 10. Saxon. c. 19. Theod. à Niem. Chron. M. Belg. Raynald. in hist. Eccles. Brovv. l. 18. annal. Trevir.

Spangeb. in Chron. Thuring. Meibom. in not. ad Lerbeck. Dilich. in Chron. Hass. Serrar. in histor. Mog.

Moguntinam redirent in provincias suas, incidêre prope Frislariam in prædonum cohortes; quorum Duces Henricus Waldecensis Comes & Padbergij castrenses memorantur à Lerbeckio. Hi ubi tam lautam sibi prædam oblatam conspexêre, nihil veriti tot Principum veneranda capita & majestatem, facto uno furoris impetu hostiliter incurrunt. Interemptus è vestigio Fridericus Dux Brunswicensis; capti spoliatique Episcopus Verdensis, Dux Saxoniæ, Bernardus Dux Brunswicensis; ceteri aut cœsi, aut simul captivi abducti. Anhaltius diu multumque fortiter pugnando per cædes aliquot fuga tandem elapsus est. Sed deplorata cumprimis Friderici Ducis Brunswicensis cædes, egregij inter Saxones Principis, qui in hoc conventu multorum judiciis etiam Cæsar designatus fertur. Id flagitium cùm ad Fritzlariam, Moguntinæ diœcesis oppidum, patratum, & Henricus Comes Waldecensis, prædonum ductor, advocatus Moguntini Archiepiscopi in Rosteburg esset, Joannes Nassovius Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster in suspicionem compositæ cædis venit; & quia Gobelinus tradit, Waldecensem purgandi causâ fassum esse, se id ex mandato Archiepiscopi fecisse, Cuspinianus, Dilichius, Spangenbergius, Meibomius, Sethus Calvisius, ceterique hæterodoxorum scriptores, odio in Episcopos, magnopere id crimen exaggerant in Moguntino Archiepiscopo, haud veriti eam labem illustri Nassoviorum familiæ aspergere. Verùm cùm Archiepiscopus, ut idem Gobelinus scribit, postulatus in judicium Principum id factum negârit, coramque se apud Principes Marburgi purgarit, se nec auctorem, nec conscium quidem istius cædis esse, publico judicio innocens pronunciatus est. Serrarius multis hanc innocentiam Nassovij Archiepiscopi commonstrat; quam in rem etiam producit ipsius Henrici Waldecensis literas, hoc eodem anno Frislariæ Dominica ab evoluto festo Apostolorum Petri & Pauli datas, & publicè recitatas, quibus Archiepiscopum Moguntinum culpa absolvit; quippe, qui nec auctor, nec conscius hujus facinoris fuerit; id quod juramento ab ipso etiam Waldecensi comprobatum. Post verò cùm Brunswicenses ob cædem Friderici Ducis diœcesin Moguntinam ferro, incendiis, & cædibus evastarent, Rupertus Imperator anno 1403 palam Norimbergæ in comitiis Principum Moguntinum Archiepiscopum innocentem declaravit. Id potius hic requirendum, cur præter unum ex his prædonibus & Sicariis in rotam actum, à ceteris nulla mulcta suppliciumque exactum sit: nimirum quia ea prædonum nobiliumque licentia erat, ut ipsa Saxonia ad veterem barbariem reditura videretur.

Plures Principes è comitiis Francofurt. reduces à prædonibus partim capiuntur partim perimuntur. Eorum cædes falsò Archiepiscopo Moguntino adscripta.

Igitur cùm in hunc modum sub ignavo Cæsare Wenceslao, simulacro Principis, omnia, prædonum, latronum & civilium bellorum per Imperium effreni licentiâ, quotidie in pejus ruerent, nullisque consiliis ac monitis ad saniorem mentem revocari posset Wenceslaus;

ceslaus; Principes denuo mense Augusto in villa Rhensia, deinde in loco, qui Lonsteinium & Brubachium ulteriori ripâ interjacet, convenêre in comitium.

Aderant è Septemviris quatuor, Joannes Nassovius Moguntinus, Fridericus Colonienſis, Wernerus Trevirensis, Archiepiscopi, & Rupertus Palatinus: Saxo & Brandeburgicus evocati, quòd Wenceslao devincti essent, dissimulavêre. Ibi ergo, postquam consulti Pontificis voluntas non aliena accessisset, in celebri ceterorum Principum congressu omnium judicio Wenceslaus dejectus ab Imperij gubernatione. Pronunciavitque Moguntinus 20 Augusti ex edito loco sententiam exauctorationis, qua nota fœdaque ejus simul vitia & crimina, præterea, quæ à Trithemio, Cuspiniano, auctore Chronici Belgij, aliisque scriptoribus prodita sunt, recitantur: interque sex Notarios publicos, qui decretum illud consignavêre, refertur etiam Conradus à Leiborn Clericus Paderbornensis. Wenceslai R. exauctoratio.

Has igitur ob causas Rupertum, Ducem Bavariæ, Comitem Palatinum Rheni, cognomento parvum, Romanorum Regem dixêre; virum religione egregium, ut Trithemius scribit, acri ingenio, cleri studiosum, pauperum defensorem, justitiæ amantem, armis strenuum, & quod nostra etiam contingit, Ruperti & Wilhelmi Episcoporum nostrorum avunculum, qui sorore ejus Anna Palatina geniti erant, eoque diœcesis nostra magnum simul hoc novo Cæsare patronum sortita est. Rupertus Dux Bavariæ Cæsar renunciatur.

Mense Septembri rursum Principes Imperij cum novo suo Ruperto Rege alium conventum celebravêre apud Boppardiam; in quo solemni ritu Rupertum Regem Romanorum creatum, & Francofurti coronatum narrat Gobelinus noster. *Post hoc*, inquit, *Principes circà Rhenum prope Boppardiam convenêrunt, et ibi elegerunt Regem* Romanorum *Ducem de Bavaria et de Heidelberg, virum armis strenuum, consiliis acutum, et Deo devotum.* Is deinde *juxta Oppidum Francofurt, tentoriis in campo fixis una cum Principibus per septimanas et dies, prout electis ad regnum moris est, sub dio moram traxit, et postea idem Oppidum cum gaudio plausuque populi intravit.* Auctor historiæ Thuringicæ tradit Regem per sex hebdomadas Francofurti obsessum, quibus finitis, primâ coronâ decoratum esse, altera deinde Coloniæ insignitum. Neque hic prætermittendum, quod Juvenalis Ursinus scribit, Regem Galliarum post exauctoratum Wenceslaum per Legatos ad Germaniæ Principes missos petiisse, uti agerent de Bonifacio Pontifice, & eo, qui Avenione Pseudopontifex residebat, abrogandis, in quorum locum tertius eligeretur; & à Germanis non aliud responsum retulisse, quàm eo scelere nolle se gentemque suam obstringere, ut verum Christi vicarium è gradu & solio dejicerent; sed hoc Galli potius agerent, ut ex schismate in Ecclesiæ concordiam redirent. Præclarum Ruperti sub ipsis regni auspiciis, & Germanæ gentis nostræ factum, immorta- Nova apud Boppardiam Comitia. Germani nolunt consentire Gallis in abrogando Bonifacio Pont.

immortalique gloria dignum. Qua constantia si in Apostolicæ Sedis fide cultuque perstitissent Saxones & Germani, nunquam Lutheri hæresis altero abhinc sæculo avitam majorum religionem Germaniamque tanto probro nationis nostræ discerpsisset.

Wenceslaus Germanos Professores ex Academia Pragensi pellit, & Hussitarum hæresin extinguere negligit.

Sed ejus mali initium hoc sæculo primùm per Bohemiam, quæ Wenceslao exauctorato relicta est; in qua cùm ipse, ut Æneas Sylvius scribit, vino ciboque marcescens, dormiendo dies nocti conjungeret, neque ullo sanæ mentis consilio regni, ut in Imperio fecerat, gubernationem susciperet, turbavit florentissimam Pragæ Academiam. Seductus enim à Joanne Huss aliisque Bohemis, Germanos Professores, qui in ea Academia eminebant, spoliavit supremis Scholastico. rum honoribus & magistratu; quibus illi offensi, Pragâ discessêre: unoque die secum quinque millia studiosorum adolescentum traxêre Lipsiam ad novam studiorum palæstram. Inde cùm omnia in Bohemorum Professorum potestate essent, Joannes Huss, qui jam lectis Wiclefi libris corruptus erat, hæresin Wiclefi, quæ in Anglia jam compressa & extincta erat, resuscitavit Pragæ, sparsitque, tanto regni malo, & tot bellorum turbis per Bohemiam, Wenceslao Rege, altum, ut hactenus fecerat, stertente. Ac licet à Subincone, egregio Pragensium Archiepiscopo, sæpius moneretur, malum in fomite contingueret; ille tamen libere per urbem & regna debacchari permisit, major etiam regni sui quàm Imperij turbator. Eò nunc felicior Germania Ruperto Cæsare suo, quem Germaniæ Principes sine ullo ambitu, aut regnandi ambitione, quod hactenus rarum fuit, incredibili omnium concordiâ suscepêre.

Archiepiscopi Colon. studium pro conservanda Cleri disciplina. *Cleinsorg. Liber statutorum Colon.*

Has inter publicas Imperij curas occupationesque non ita se abstrahi passus Fridericus Colonienſis, quin universam diœcesin suam, tum per se, tum per alios præsules perlustraret. Inspectis cleri, & populi moribus, mense Decembri celebrem totius cleri synodum convocavit; in qua veteres synodorum leges instauratæ, & novæ pro formanda disciplina conditæ: quemadmodum hæc codex statutorum Colonienſium exhibet. Nihil hac tempestate tumultuantis sæculi difficilius Episcopis, quàm Clerum in veteri disciplina continere, & simul diœceses ab injuriis vicinorum Principum, & prædonum rapacitate armis tueri.

Ottonis Ep. Monast. bellum cum Marcanis & Comite Teclenburgico.

Et licet Colonienſi Archiepiscopo, aliisque per Westfaliam Episcopis ab his malis aliqua quies esset; non tamen ea Ottoni Monasterienſi Episcopo concessa: cui hoc anno duplex bellum fuit, alterum cum Marcanis, alterum cum Teclenburgico. Facta per Luppiam excursione, irruperant Marcani in diœcesin Monasterienſem, nullis injuriis lacessiti; & quæ tamen prædandi licentia erat, Oppidum Wernam haud procul à Luppia flumine oppugnant, captumque spoliant, & incendunt. Otto, qui ad hæc semper expeditus & intritus erat, eodem quo Oppidum ardere visum est die, cum equestri

equestri militia ante Oppidum adstat, hostesque per cædes trans fluvium rejicit, extinctisque ignibus vastata reparat; & quo frenum Marcanis imponeret, novum istic munimentum erigit, militemque imponit, cui eadem per Marchiam prædandi licentia esse poterat; jamque Marchiæ imminebat, contractis undique ex diœcesi copijs; cùm Marcani se ad conditiones pacis ultro offerunt, quòd cum tanto bellatore sibi negotium esse nollent; quas eò proniùs admisit Otto, quò incitatiùs ferebatur ad Nicolaum Teclenburgensem Comitem perdomandum, hominem ferocem, & diœcesi Monasterienſi Osnabrugensique à multis annis infestissimum. Is quia nuper mulctatus ab Ottone, Cloppenburgum & Oitam amiserat, urebatur dolore & vindictâ. Ac postquam interea duxit Theodorici Mörsæ Comitis filiam, neptem Friderici Colonienſis Archiepiscopi, inflatus connubio, iras & arma in Ottonem repetit, vastando pagos, abducendo pecora incolarum, captivos trahendo homines in munitissimam Teclenburgensem arcem. Quibus commotus Otto, fœdus renovat cum Theodorico Osnabrugensi Episcopo: novum deinde fœdus contrahit cum Bernardo Lunenburgensi Duce, cum Hojanis, Schawenburgico, Homburgensi, Comitibus, & cum alijs proceribus. Horum viribus confirmatus, mense Augusto Bevergernam arcem obsidet, & post quartum diem expugnat. Inde Lingam aggressus, pari armorum successu in potestatem accipit. Demum & ipsam Teclenburgensem arcem circumvallat. Risit ad hæc Comes, cum dicterio etiam jactans, quid in attrita illa penula Episcopus arcem hanc meam sperat occupare? cui Episcopus renunciari jussit, tam diu se arcem circumsessurum, dum Comes illi novam togam comparet: & fidem dicto præstitit Otto. Nam Comitem ita obsidione arctavit, ut se deditum offerret ad arbitrium Episcopi. Quod ea lege admisit Episcopus (siquidem seriò hæc sine dolo peteret) uti se Monasterij in urbe festo Crispini & Crispiniani sisteret in judicio; ibi disceptatâ ejus causa, auditurum quid ex æquo ob tot damna diœcesi illata postulaturi sint Monasterienses & Osnabrugenses. Accessit Comes, veritus ne omnium castrorum bonorumque jacturam faceret, urgente utroque victore Episcopo Ottone & Theodorico. Tum verò convocato per utrumque Episcopum tam præsulum sacrorum, quàm procerum ac nobilium conventu, introductus est Comes in judicium. Consedit que pro tribunali Arnoldus Bischopingius judex. Ac primùm instituta est actio de controversijs, quæ inter ipsum & Episcopum hactenus agitatæ sunt; palamque convictus Comes, necesse habuit omne jus, quod hactenus obtenderat in Cœnobia Leisbornense, Marienfeldense, Freckenhorstense, Clahol-tanum, eorumque ministros, villas, & subjectos homines, quodque in regione trans Amasim in arcem Bredevordiam aliaque castra sibi vendicârat, renunciare. Atque ea ut apud hæredes ejus & posteros

Comes Teclenburgicus devictus ad reparationem damnorum adigitur.

rata

rata haberentur, confectæ sunt à Bischopingio judice tabulæ, easque primùm Nicolaus Comes, & tùm præsentes judicij testes, Theodoricus Episcopus Osnabrugensis, Bernardus Comes Benthemensis, Arnoldus de Guterswich, Menso Brechusius Decanus, Lubbertus de Rodenberg Vicedominus, Adolphus de Lembeck Cellerarius, Hermannus de Munster & Hermannus de Kepel Canonici Ecclesiæ Monasterienſis, Heidenricus de Sasse, Bernardus de Droste, Alberti filius, Hermannus de Merveld, Amelungus de Warendorp, Hermannus Korff Everhardi filius, Henricus de Oer, Gerhardus Keppelius, Joannes Halliwat Armigeri, & alij honorati viri, anno M.cccc, ipso die Crispini & Crispiniani Martyrum consignavêre.

Altera actio instituta est de compensatione damnorum, à Comite & majoribus diœcesi illatorum, quæ his tabulis à nullo Scriptore hactenus productis confecta est.

Nos Nicolaus Comes Teclenburgensis notum facimus omnibus hasce literas vel lecturis vel audituris, et palam profitemur, nostro et omnium hæredum nomine, nos in voluntariam compensationem damnorum, quæ à nobis et majoribus nostris ex arce Teclenburgensi ac nostro territorio per prædas, incendia et cædes, exactiones, aliasque injurias diœcesi Monasterienſi illata sunt, cedere, dare, et perpetuum transcribere venerabili in Christo Patri ac Domino Ottoni Episcopo Monasterienſi ejusque Successoribus, primò dominium, præfecturam, et castrum Cloppenborg, castrum, et civitatem Oitam, castrum Schneppenberg cum omnibus horum locorum judiciis, incolis, feudis, sylvis, jure venandi, piscinis, pratis, et quæcunque possedimus in parochia Oieta, Croppendorp, Lastrop, Estene, Loningen, Linharden, Melburgen, Linderen, ac tota præfectura Cloppenburgensi et Oietensi. Secundò cedimus, damus, et transcribimus omnia jura, dominia, incolas, feuda, census, piscinas, sylvas, et loca, quæ nos et majores nostri habuêre in Embslandia per Humelingam. Tertiò cedimus, damus et transcribimus castrum, præfecturam, et Oppidum Bevergernam cum omni dominio, judiciis, agris, incolis, feudis, sylvis, pascuis, cæterisque bonis, quæ nos et majores nostri possedêre in parochia Bevergerna, Risenbeck, Sorbecke, Greven, Hembergen, Detten et Rennen; mediam quoque partem parochiæ Schapen, et quidquid majores habuerunt in Cœnobio et parochia Gravenhorst, ac tribus circumjacentibus sylvis. Hæc omnia nos Nicolaus Comes Teclenburgensis ita in perpetuum cessimus Episcopo Monasterienſi et Successoribus ejus, ut neque Nos, neque hæredes nostri jus repetendi habeant, aut ullam hac super re injuriam, aut molestiam diœcesi Monasterienſi inferre debeant: sicuti hæc inter nos sine omni dolo in utroque tam Ecclesiastico quàm sæculari judicio transacta sunt, et Nos juramento et sigillo nostro confirmavimus. Acta hæc sunt anno Mcccc, *festo Crispini et Crispiniani Martyrum coram Arnoldo Bischopingio judice Monasterienſi. Testes Theodoricus Episcopus Osnabrugensis, iidemque qui supra ex prima tabula relati sunt.*

Hunc

Hunc in modum etiam transactum eſt inter Comitem Teclenburgicum, & Theodoricum Oſnabrugenſem Epiſcopum; quemadmodum Ertwinus in ſuo Chronico paucis percenſet, actaque hæc refert eodem anno & die Criſpini & Criſpiniani Martyrum, Monaſterij, ſententiam pronunciante judice eodem Arnoldo Biſchopingio: teſtes ſiſtit Ottonem Epiſcopum Monaſterienſem, eoſdemque, quos ſupra recitavimus, addito tantum Hermanno Bilderbeck, è veteri equeſtrium Bilderbeckiorum familia. Juſſusque inter cetera Comes jurare, ſe omnia jura Eccleſiæ, omnemque libertatem Eccleſiaſticam Epiſcopo Oſnabrugenſi in poſterum inviolatam relicturum.

Tandem ferox & turbulentus Comes tot bonis mulctatus quievit. Ex quibus nemo felicior Ottone Monaſterienſi Epiſcopo, qui & juſto bello, & æquâ prædarum compenſatione, in publico judicio adjudicatâ, mirificè auxit diœceſis ſuæ patrimonium. Et quam Embslandiam, Meppenſi & Vechtenſi præfecturâ, ex parte tenebat: eam additâ Cloppenbergenſi Satrapiâ, & tractu Humilingiæ, vaſto terrarum ſpatio ad fines uſque Friſiæ exporrexit; totamque exinde Embslandiam, quâ altera diœceſis Monaſterienſis pars continetur, adjecit. Sæpe demirari ſubijt pleroſque per Saxoniam horum temporum Epiſcopos, quos video ferventiùs pro Eccleſia ſua, quàm civiles Principes pro familiâ ſuâ amplificandâ decertaſſe. Quo in genere ſummam fere laudem occupant Monaſterienſes Epiſcopi, acerrimi Eccleſiæ ſuæ propugnatores.

Otto Ep. Monaſt. Diœceſin ſuam, additis novis præfecturis, auget.

Cœpit & hoc anno, ſub Ottone Epiſcopo, Henricus Ahuſius congregationem Sacerdotum in commune viventium Monaſterij in urbe condere, magno totius cleri & patriæ bono. Natus is erat patre Ludolpho Ahuſio, cive Monaſterienſi honeſto & opulento, anno 1370. Indè à puero literis excultus, & ſacerdotium in Cathedrali Eccleſia adeptus, transtulit ſe Daventriam, famâ Gerhardi Magni & Florentij presbyteri excitatus; quibus cùm ſe in diſciplinam aliquamdiu dediſſet, redijt Monaſterium, & quinto ſacerdotij ſui anno aggreſſus eſt ad pomeria urbis, loco, quem ad Fontem Salientem appellant, ſacellum & domicilium conſtruere: Sacerdotes colligere in communis vitæ ſocietatem: omnia conformare ad eum modum, quo Daventriæ, & per Hollandiam & Belgium inſtitutum illud auctore Gerhardo M. & Florentio, atque in ipſa diœceſi Monaſterij ad Northornam Oppidum in congregatione Frenswedenſi florere conſpexerat. Id ſalutare conſilium atque opus cùm religioſiſſimo viro, multorum Sacerdotum & Clericorum acceſſu, feliciter ſuccederet, templum etiam & Collegium erigere cœpit; conſtituitaque illic Sacerdotum congregatione, Coloniam profectus eſt ad S. Pantaleonem; & ſuper latum rivum æde ſacra erecta, alteram Sacerdotum congregationem; ac deinde Weſaliam digreſſus, tertiam inſtituit.

Chron. Monaſt. Litera PP. ad fontem ſalient. Miraus in Chron. Chron. Wimheim. Thom. à Kemp. in Chron. Mont. S. Agnetis.

Congregatio Sacerdotum in commune viventium, auctore Henrico Ahuſio, Monaſterij conditur.

Inde Monaſterium regreſſus ad ſuos, omnibus facultatibus paternæ hæreditatis in Collegij ſui patrimonium converſis, ſanctiſſimam inter ſuos vitam egit. Demum ad Conſtantienſe concilium profectus, adverſus obtrectatores inſtituti hujus, quod ad primam Cleri Apoſtolici formam inſtauratum erat, confirmationem à Patribus Concilij impetravit: adjuvante cumprimis Joanne Gerſone, Cancellario Pariſienſi. Inſtitutum deinde ipſum Martino V, Eugenio IV, aliiſque Pontificibus comprobatum. Uti verò Sacerdotes illi diviſi, alij religioſam Canonicorum vitam amplexi ſint, alij Clericorum Apoſtolicorum in modum vitam communem à Gerhardo M. & Florentio præſcriptam ſectari perrexerint, multis exponit Buſchius in Chronico Windesheimenſi.

Quanto verò Eccleſiæ bono hoc vitæ genus, Sacerdotum ac Clericorum in communi ſocietate viventium, hac tempeſtate, cùm diſciplina Cleri multum diſſipata eſſet, refloreſcere cæperit, ſatis præter cetera teſtati ſunt Cardinales & Patres Concilij Conſtantienſis. Nam poſtquam Conſtantiam advenêre, admiſſique ſunt in conſpectum Cardinalium Joannes de Huesden Prior Windesheimenſis, Joannes de Wael Prior Monaſterij Swollenſis, & Henricus Ahuſius Prior congregationis Monaſterienſis, una omnium vox fuit; *Iſti ſunt verè Patres religioſi, quos dudum videre et audire deſideravimus*; auditique, cum magno gaudio & veneratione deducti ſunt ad ſua hoſpitia.

Inchoantur Congregationes Virginum in communè viventium.

Horum piorum Sacerdotum exemplo, multæ per Belgium, Friſiam, Hollandiam, & Weſtfaliam Virgines ſeſe dedêre in ſimile vitæ inſtitutum, qua illis congregationes juxta normam D. Auguſtini præſcriptæ fuêre. Alteroque poſt anno, quo Henricus Ahuſanus Monaſterij ſuam congregationem exorſus, cœpêre & Virgines Niſſinganæ in urbe Monaſterienſi cœtum colligere; evocatæque Virgines Schurtorpio, ubi jam earum florebat congregatio, Monaſterium, à quibus vitæ ratio illis tradita eſt. Ac mirificè deinde harum Virginum per diœceſin Monaſterienſem non ſolùm in urbe, ſed & Bucholdiæ, Borckenæ, Coesfeldiæ, Dulmaniæ, Bechemij, Alenæ, Vechtæ, *aliisque* in locis propagatæ ſunt. Ac pleræque fere tenuioris fortunæ Virgines, quæ nendo texendoque, & diurno nocturnoque labore manuum, victum ſibi comparabant; hoc ſe felices reputabant, quòd ſeparatæ à conſortio profanorum hominum, Deo in communi cœtu ſervire poſſent. Ita verò divinâ providentiâ, cùm per Cœnobia & Clerum diſciplina religioſa intepuerat, hæc Sacerdotum & piarum Virginum Collegia novo reparatæ religionis ſpiritu inſtituit. A quibus deinde Epiſcopis noſtris Patres hujus congregationis in noſtram diœceſin introducti ſint, tempori memorabitur.

Annus

Annus Christi 1401.

Bonifacij IX Pont. 12.
Ruperti Cæs. 2.
Wilhelmi Episcopi Pad. 1.

Accessit per hæc annus seculi decimi quinti primus, sub cujus ingressum Rupertus Cæsar magno procerum ac nobilium comitatu secundo Rheno descendit Aquisgranum, imperiali corona decorandus. Interque Electores & Principes Regem deduxêre Joannes Moguntinus, & Wernerus Trevirensis Archiepiscopi, Stephanus Dux Bojariæ, Hermannus Hassiæ Landgravius, Wilhelmus præterea Dux Montium cum Adolpho & Wilhelmo Episcopo nostro filiis, Ruperti consanguineis. Denunciârat quidem Rex Aquisgranensibus, uti ad celebritatem hanc omnia maturè pararent; verùm quòd se in fide Wenceslai Regis adhuc esse dicerent, concitati à Wilhelmo Gelriæ & Juliæ Duce, Gallicæ factionis studioso, ingressum in urbem Cæsari denegârunt. Quo offensus Cæsar Coloniam deflexit; effusáque obviam civitate, à senatu ingenti gratulatione excipitur. Qua in urbe à Friderico Colonienſi Archiepiscopo consuetis cæremoniis inter Missæ solemnia, quæ in Basilica agebantur, coronatus est, Ac memorabile de religiosissimo Cæsare, quòd sacro Diaconi habitu indutus Evangelium ejus diei de tribus Regibus modulata voce cecinerit. Aquisgranenses mox ex Principum judicio inter per duelles proscripti à Cæsare, & omni direptioni permissi, meritas pœnas dedêre.

Trithem. in Chron. Spanheim. Gobel. ætat. 6. c. 70. Chron. M. Belgij Chron. Colon. Histor. Thuring. Brouver. lib. 18. Annal. Trevir.

Rupertus Cæsar Coloniæ coronatur.

Multum novi Cæsaris auctoritas & gratia apud Pontificem fecit, ad Wilhelmi Episcopi causam expediendam, quæ jam in alterum annum hærebat Romæ controversa inter Bertrandum & ipsum de Episcopatu Paderbornensi adeundo. Nam pridie Idus Martij advenêre Roma à Bonifacio Pontifice Apostolicæ literæ, quibus Wilhelmus Paderbornensis Ecclesiæ, rejecto Bertrando, Episcopus constituebatur. Quibus ad Collegium Cathedrale & ordines relatis, expositisque, Wilhelmus omnium consensu & gratulatione admissus est ad possessionem. Jam ante Bertrandus, ut Gobelinus scribit, cùm videret, quàm adversos omnium ordinum animos haberet, quamque implicatam & invisam gubernationem homo peregrinæ gentis, & patrij idiomatis ignarus, esset sortiturus, literas manu sua scriptas dederat ad Sedem Apostolicam, quibus Wilhelmi causam in subrogando sibi Episcopo, ultroque se ad abdicationem muneris obtulit. Quare duobus equis & xx florenis à Capitulo donatis, repetito in Italiam itinere, è diœcesi remigravit; jussus tamen prius, tabulis juramento confirmatis, palam omne jus in Episcopatum Paderbornensem renunciare. Ægre enim Saxones, gens libera, alienæ nationis Episcopos ac Principes sibi imponi sunt passi; seu quòd lingua, & moribus diversi, parum ejusmodi Episcopi utiles essent (quemad-

Gobel. ætat. 6. c. 85.

Wilhelmi Ep. Pad. electio à Pontifice comprobatur. Bertrando in Italiam revocato.

modum in Pothone, homine Bohemo, Monasterienſibus obtruſo comprobatum erat), ſeu quòd faſtus nobilitatis ex ignobili genere non amplius ferret Principes creatos: ſeu quòd conturbata bellorum tempora Principem ex militari ſago potius, familiæque potentia innixum, quam ex toga Epiſcopum depoſcerent; poſtquam Cæſarum auctoritas (ſub quorum clypeo priſci Epiſcopi tuti erant) & priſca hominum pietas multum defecerat. Quanquam collapſa Cleri populique diſciplina maturum gravemque moribus, & doctrinâ præſtantem Epiſcopum per id tempus deſiderârit, in quo aſpectabiles virtutes Epiſcopi & Principis munus explerent. Quare ut Mindenſes cum Marquardo, à Pontifice oblato, egiſſe diximus, ita hunc Bertrandum fatigavêre Paderbornenſes, ultro ut ſe Epiſcopatu abdicaret; quod & Pontifici rurſus diſſimulandum fuit. Neque tamen Wilhelmus omnem de ſe exſpectationem explevit. Quippe quem, deſerto non modò Paderbornenſi, ſed & Colonienſi Epiſcopatu, ad nuptias transiiſſe memorabimus.

Wilhelmus Ep. Canonicorum in choro præſentiam urget.

Ille interim hoc anno, cùm è cœtu Canonicorum nonnulli nec in urbe præſentes eſſent, nec Baſilicam frequentarent, præclarum & ſua & Capituli auctoritate edidit decretum, quo ejuſmodi Canonici mulctati fructibus ad præſentiam & chorum reſtringerentur. In pervigilio deinde Natalis Virginis, publicis hac ſuper re tabulis confectis, novi altaris erecti dotationem in Brakelenſis urbis Eccleſia ratam habuit.

Annus Chriſti 1402.

Bonifacij IX Pont. 13.
Ruperti Cæſar. 3.
Wilhelmi Ep. Pad. 2.

Gobelin. ætat. 6. c. 85. Wilhelmus Ep. Diœceſis ſuæ adminiſtrationem adit. *Litera Warburg.* *Litera Brakul.* Juſſu fratris ſui capitur à præfecto Ravensbergenſi.

Altero ſubinde anno Wilhelmus Epiſcopus plenam diœceſis adminiſtrationem tam in ſacris quàm civilibus adijt, adſcitisque ex Collegio Cathedrali & ordinum cœtu prudentibus juventutis ſuæ moderatoribus, rem magnis ſupra ætatem animis eſt aggreſſus. Atque ut domi primùm omnia componeret, accepto fidei juramento à civibus & vaſallis, provincialia comitia indixit; in iisque Warburgenſibus, Brakulenſibus, ceteriſque civitatibus privilegia ſua inſtauravit. Læta hæc & pacata erant novi Epiſcopi ac boni Principis exordia; cùm hoc ipſo anno iter ad Rhenum ingreſſus Wilhelmus capitur ab Henrico Oer, præfecto caſtri Ravensbergenſis, quem Wilhelmi frater Adolphus Dux Montium, & Comes Ravensburgenſis ſuo caſtro, huic diœceſi contermino, impoſuerat. Diſſidebat enim jam per id tempus Adolphus Dux à Wilhelmo patre ſuo, quòd ab eo diviſionem provinciæ ſollicitaret, ac diutius vitam protraheret, quàm ejus regnandi libido ferret. Wilhelmus verò Epiſcopus noſter, quod optimi filij erat, patris defenſionem ſuſceperat, paratus etiam ſi res poſceret,

posceret, diœcesis suæ vires pro honore & salute patris producere. Quibus ut Adolphus præverteret, Wilhelmum Episcopum nostrum per Ravensbergensem præfectum suum noctu, dum in villa quadam ex itinere quiesceret, XXVII Octobris intercepit, captivumque abduxit; è qua tamen captivitate haud multò post, interpellata Cæsaris & Pontificis auctoritate, per diœcesis ordines liberatus est.

Agebantur hæc dissidia inter fratres patremque hoc anno, quo Rupertus Cæsar, eorum avunculus, Romanum iter susceperat; nam ille, ex quo Romanorum Rex creatus erat, nihil impensiùs habuit, quàm ut in Italiam expeditionem susciperet, & pro veteri Imperatorum ritu à Pontifice augustali coronâ ornaretur; sollicitatusque ad hoc erat à Bonifacio Pontifice & Florentinis, ad Galeatij tyrannidem comprimendam. Quam in rem Rupertus præmisit Romam Conradum Satalum, Verdensem & Saxonicum Episcopum, Oratorem & Theologum præstantem, qui in amplissimo Cardinalium senatu de Ruperti sapientiâ, justitiâ, & fortitudine, ceterisque virtutibus tanto Principe dignis peroravit; quemadmodum hæc panegyris in historia Ecclesiastica recitatur. Fuit autem Conradus Satalus, quem nostri Sultowium dixêre, ex urbe Lunenburgensi ortus, præstantissimus eâ tempestate Theologus, vir eloquens, & decus Saxonicorum Episcoporum, eòque à Ruperto Rege ad id munus præ cæteris delectus. Hunc Legatum Rupertus cum exercitu est consecutus, deducentibus Regem Friderico Colonienſi Archiepiscopo, Leopoldo Austriæ, Carolo Lotharingiæ ducibus, multisque Germaniæ proceribus. Verùm, quòd copiis minus validis adveniret, cladé affectus à Galeatio, desertus à Colonienſi Archiepiscopo, & Austriæ Duce, nec à Pontifice, qui ipse egebat auxilio, adjutus, sub vernum tempus iter in Germaniam laceris copiis relegit, adeo jam vires Imperij afflictæ & enervatæ erant. Rupertum subinde scribit Trithemius Coloniæ mense Majo splendidissimas nuptias Ludowico filio celebrasse, data ei in matrimonium Blancâ Regis Angliæ filiâ. Cæsar inde Heidelbergam profectus, res Imperij moderandas suscepit; nec tamen impedire licuit, quo minus Adolphus Dux Montium, sorore sua genitus, primùm Wilhelmum fratrem, ac post etiam ipsum Patrem suum Wilhelmum captivum duceret. Tanta hoc tempore in Imperio conturbatio, & Principum libertas erat.

Raynaldus in histor. Eccles. Antonin. p. 2. Blond. l. 10. Naucler. Gen. 47. Browver. Trithem.

Rupertus Cæsar. Romam contendit, ad suscipiendam à Pontifice Imperij coronam.

Mindæ hoc anno excessit è vita Wilhelmus Buschius Episcopus. In hujus locum Canonici pro veteri libertate sublegêre Gerhardum de Monte Præpositum Colonienſem. At dum Bonifacius Pontifex Episcopum dixit Ottonem Ritbergensem, ortum est haud leve certamen, nec prius finitum, quàm Gerhardus de Monte acceptâ certæ pecuniæ summa Episcopatum relinqueret Ritbergensi ea tum Pontificum valebat auctoritas in Episcopis dandis.

Obitus Wilhelmi Buschij Ep. Mindensis.

Subtra-

Et Theodorici Hornæi Ep. Osnab. *Ertvv. in Chron. Osnabrug. Crantz. lib. 10. Metrop. c. 48.*

Subtraxit & hic annus, XIX Januarij, Theodoricum Hornæum Osnabrugensem Episcopum, virum religiosum, & bellica fortitudine per 25 in administranda diœcesi egregium; qui non modò ex fœdere cum Ottone Episcopo Monasterienſi inito, constanterque cultо: sed & patrocinio Wilhelmi, Montium Ducis, & Comitis Ravensbergensis, omnes hostes suos feliciter obtrivit. Ob quam fidam operam Canonici sæpe Theodorico auctores fuêre, deligeret sibi Wilhelmum filium ejus adjutorem, quem Paderbornenses præripuêre. Auctum ab eo patrimonium Ecclesiæ castris bonisque compluribus. Subrogatus Theodorico Henricus Holsatiæ & Schawenburgi Comes in Osnabrugensi Episcopatu.

Annus Christi 1403.

Bonifacij IX Pont. 14.
Ruperti Cæsar. 4.
Wilhelmi Episc. Pad. 3.

Lerbeckius in Chron. Schavv. Meibomius in Notis Pideritius in Chron. Lipp. Chron. Brunsvvic. Crantz. l. 11. Metrop. c. 7. & lib. 10. Saxon. c. 24. Spangenberg. in Chron. Wittius Ertvvin. in Chron. Osnab. Bellum Brunswicenses inter & Comitem Lippiensem, ceteramque Westfaliæ nobilitatem.

Anno dehinc subeunte vicinum nobis bellum concessit Westfalia, quod inter Bernardum Comitem Lippiensem, & Henricum Ducem Lunenburgensem, ejusque fratrem Bernardum Ducem Brunswicensem, magnis iris, magnaque nobilium Westfaliæ conspiratione, gestum hoc anno refert Meibomius ex veteri chronico; Pideritius verò & Chronici Brunswicensis auctor ad sequentem annum; Lerbeckius, qui captivitatem Ducis Lunenburgensis prosequitur, in Mccccv etiam rejicit; causam tamen nemo satis prodidit, nisi quòd Crantzius indicet, Brunswicenses incursionibus trans Visurgim factis prædisque lacessisse Lippienses ac finitimos Westfaliæ populos. Quapropter Comiti Lippiensi arma sua conjunxêre Hermannus Comes Everstenius, diœcesis nostræ superioris præfectus militaris, Gerhardus ab Ense, Theodorus Kettelerus, Joannes Drostius, Fridericus Brenckius, aliique quàm plures viri equestris ordinis; uti ad ejusmodi bellorum motus prona stabat nobilitas, armis prædisque innutrita. Igitur postquam Dux Lunenburgensis Visurgim cum copiis transgressus, vicinosque agros infestare compertus, objecit se cum Lippiensi Comite armata nobilitas, multis hinc inde velitationibus actis; donec XIX Novembris in planitie ad Oterbergam haud procul à Visurgi instructa utrimque acie concursum, & acerrimè depugnatum est. Cæsi Lunenburgenses ac Brunswicenses, quos inter Henricus Dux Lunenburgensis à Bernardo Comite Lippiensi captus, in veterem munitamque arcem Falckenberg abductus, atque ut Lerbeckius, clarus è familia D. Dominici eorum temporum scriptor memorat, *in cippo* (quod lignum est bipatens, in quo fontium pedes includuntur) *inhumanè et crudelitèr est tractatus.* Eo in carcere per integrum annum Dux à Comite detentus, nec antè laxatus est, quàm centum millia aureorum juraret se Comiti daturum, obsidesque

dare[t]

daret nobiles & equites, quorum fide certus esset de lytro persolvendo. His transactis, Dux è carcere dimittitur; qui mox sese ad Rupertum Cæsarem contulit, questurus de injuria & sævitia, qua per annum in carcere habitus fuisset. Quibus auditis, Cæsar, literis per Saxoniam, Westfaliam, & Hassiam promulgatis, Ducem à juramento absolvit, & Bernardum Comitem Lippiensem, ejusque patrem Simonem, ac Hermannum Comitem Everstenium proscripsit. Implorata & Pontificis auctoritas, à quo & Comes Lippiensis anathematis vinculo perstrictus est. Interim Dux quindecim millia aureorum pendere coactus; reliquum ab obsidibus magnam partem à Comite extortum est. Tanta vel unius Comitis audacia adversus potentem illam Ducum Lunenburgensium & Brunswicensium familiam sese exseruit.

Pontifex dato diplomate libertatem Ecclesiasticam defendit.

Ceterum cùm per id tempus multi Dynastæ in suis territoriis, multique Magistratus & civitates in diœcesi Paderbornensi, Mindensi, & Colonienſi multas leges & plebiscita ferrent, quibus libertati & privilegiis Cleri derogabatur, multisque injuriis tractarent Clerum; questi sunt hac super re Præpositus, Decanus, totumque Collegium Cathedrale Paderbornense cum Abbatibus & clero apud Bonifacium Pontificem, libello supplici eidem oblato; quo accepto, Pontifex præclarum hoc anno diploma pro libertate Ecclesiastica asserenda dedit, idque Abbati Paderbornensi SS. Petri & Pauli, Abbati S. Martini Mindensi & S. Patrocli Susatensi, diœcesis Colonienſis, promulgandum transmisit. Eo verò diplomate non modò ad veteres Ecclesiæ canones, sed & Friderici, Caroli IV, aliorumque Imperatorum leges pro libertate Ecclesiæ se revocat, mandatque censuris Ecclesiasticis severè perstringi, quotquot Magistratus civiles vel leges & plebiscita adversus libertatem Ecclesiasticam statuerent: vel exactiones à Clero exigerent: vel bona Ecclesiæ invaderent: vel Ecclesiasticam personam ad tribunal civile raperent: vel oblationes fidelium interverterent: vel Sacerdotes, Clericos, aut religiosos homines proscribere, spoliare, in vincula trahere, aut aliis verberum vulnerumque injuriis per sacrilegium tractare ausi fuissent. Id diploma Bonifacij Pontificis apud S. Petrum VIII Idus Maji Pontificatus anno quarto decimo consignatum tenemus, & quia prolixum est, recitare prætermisimus. Adhuc ea tempora erant per Saxoniam, quibus Pontificum auctoritas, censuræque Apostolicæ Sedis valebant apud conscientias hominum, quamvis multum in hæreses sæculum inclinaret.

Gobel. ætat. 6. c. 70. Civium Paderbornensium insolentia.

Et verò quanta per id tempus civium Paderbornensium fuerit insolentia, satis commonstrat eorum plebiscitum, quo præscripsêre, sacrificia pro defunctis non nisi die dominico, oblationesque deinde ad unam Missam fieri debere. Adversus hoc pravum decretum Magistratus cùm Gobelinus, qui tum Parochum & Concionatorem agebat

agebat in Forenſi templo peroraret, tantam ſibi populi invidiam, odiumque concivit, ut metu publicæ ſeditionis ultro ſe munere abdicârit.

Annus Chriſti 1404.

Bonifacij IX Pont. 15.
Ruperti Cæſaris 5.
Wilhelmi Epiſcopi Pad. 4.

Trithem. in Chron. Spanheim. Chron. Tremon. M.S. Teſchem. part. 2. Streitham.

Subinde Wilhelmus Epiſcopus noſter domeſtico malo conflictatus eſt. Nam quem habebat fratrem Adolphum patris heredem in Ducatu Montium deſignatum, is longioris patris vitæ impatiens, incenſuſque regendi cupidine, Wilhelmum patrem captivum abduxit in caſtrum Nuembrugum, ubi in arcta eum cuſtodia habuit, fruſtra conſanguineis, & Anna matre, quæ Ruperti Cæſaris ſoror erat, deprecantibus. Ac mater, cùm multis lacrymis nihil ab impio & obdurato filio, qui jam ſe ducem Montium ſuperbo titulo ferebat, impetraret, Heidelbergam ad Rupertum Cæſarem, fratrem *ſuum*, proficiſcitur, multis querelis accuſando Adolphum filium. Cæſar ad tam impium facinus indignatus, Adolphum proſcribit, jubetque ad patris obedientiam redire. Quo Cæſaris judicio confirmatus Henricus ab Oer, etſi primùm Wilhelmi patris ac Wilhelmi filij Epiſcopi noſtri hoſtis eſſet, poſt tamen, hortatu & promiſſis Friderici Colonienſis Archiepiſcopi, Ducem liberavit, ſolutumque Sonſium ad Colonienſem Archiepiſcopum deduxit.

Ertvv. in Chron. Oſnabrug. Cleinſorg. in Chron. Weſtf. Crantz. lib. 11. Metrop. c. 1.

Cæterum cùm hoc anno Henricus Comes Holſatiæ Oſnabrugenſis antiſtes ultro ſe Epiſcopatu abdicaſſet, in ejus locum Præſules ac Canonici Oſnabrugenſes ſublegêre Ottonem Monaſterienſem Epiſcopum; impetratumque à Pontifice, ut Oſnabrugenſem Epiſcopatum Adminiſtratoris titulo cum Monaſterienſi conjungeret. Primò, inquit Crantzius, nihil frequentius, quàm translatio Epiſcopi ex una diœceſi in aliam Pontificis auctoritate; poſt neceſſitate etiam temporum urgente unus Epiſcopus pluribus oneratus. Ut verò Ottonem poſcerent Oſnabrugenſes, fecêre merita ſuperiorum armorum, quibus Theodorico Epiſcopo junctus, Oſnabrugenſem Eccleſiam haud ſecus quàm ſuam hactenus propugnârat: tum bellica fortitudo Ottonis, qua omnibus circum Comitibus & Principibus formidabilis erat, ſub cujus clypeo Oſnabrugenſes ſuæ diœceſis defenſionem expetebant. Sed fœdior cauſa Holſatæ in deſerto Epiſcopatu, nec alia, hæc, quàm quòd Gerhardus frater ejus Dux Sleswicenſis & Holſatiæ bello Dithmarſico occubuiſſet, tribus filiis in pubertate relictis, quorum tutelam curamque ſibi ante Epiſcopatum habendam dicebat, Cæterum Præſul, Ertwini teſtimonio, qui magnam ſui ſpem dederat, qui indies cum tota aula ſummo mane Eccleſiam adire, chorum frequentare, multis precibus Deum colere, religioſos liberalitate fovere,

re fovere, jus ex æquo summis infimisque dicere, multa sacrorum ædificia moliri visus. Ab hoc præsule primum Osnabrugum introducti Canonici regulares secundum D. Augustini institutum quibus & domicilium dedit, & multis postea in Holsatia etiam donationibus prosecutus est ad novam Cœnobij fabricam erigendam. Eo nunc optabilior Osnabrugensibus Otto Episcopus obtigit, qui Ecclesiam illam haud secus, quàm Monasterienſem constantissimè, ut Ertwinus memorat, propugnavit, servavitque ab hostibus intactam.

Mense Octobri, die videlicet prima, è mortalium numero excessit Romæ Bonifacius Pontifex, qui imperiali majestate hactenus Ecclesiam rexerat; ac bene de Paderbornensi meritus; cui è Cardinalium Collegio mox sublectus Innocentius VII vir ætate grandævus juris Canonici Doctor, ac multæ experientiæ, vitæque castissimæ; quemadmodum Theodoricus de Niem Paderbornensis multis virtutibus ornatum exhibet, sed qui biennio Pontificatum clausit. Illustris per id tempus Paderborna duobus egregiis scriptoribus Theodorico, & Gobelino viris in curia Romana probatissimis, quibus multum debet historia Romana, quod ab his schisma eorum temporum, & res gestæ Pontificum cæteris etiam accuratius perscriptæ sunt.

Annus Christi 1405.

Innocentij VII Pont. 1.
Ruperti Cæsaris 6.
Wilhelmi Ep. Pad. 5.

Continuatæ per hæc turbæ in alterum annum ex facinore Adolphi Montium Ducis; ac tametsi Wilhelmus pater è captivitate ereptus esset, nondum tamen secundum Cæsaris voluntatem repositus erat in ducatum. Quare adversus proscriptum Adolphum filium fœdus armorum inière Fridericus Colonienſis Archiepiscopus, urbs Colonienſis, Wilhelmus Episcopus noster, patri semper fidissimus; junctisque armorum viribus Montium ducatum ingressi trans Wipperam flumen Ratingam, Solingam, Wipperfordiam Oppida expugnant, & spoliis exhauriunt. Solinga etiam incendio vastata. Eadem pernicies villis, agrisque populando illata. His demum malis castigatus Dux Adolphus ad obsequium patris, & reconciliationem adactus est; quem & Fridericus Archiepiscopus Colonienſis anno sequenti Mareschallum suum Ducatus Westfaliæ creavit. Wilhelmo patre demum anno 1408 mortuo, & in Monasterio Montis veteris consepulto, Adolphus totius Ducatus Montium & comitatus Ravensbergensis possessionem adiit; extinctoque etiam post Rainaldo Juliæ Duce anno 1423 in Ducatu Juliæ successit. In hac tamen amplissima provinciarum possessione nullum hæredem successorem nactus est; nam filium, quem susceperat Rupertum, ante Adolphum patrem

Auctor Chron. Belg. Chron. Tremon. M. S. Gobelin.

mors rapuit; cessitque omnium harum provinciarum hæreditas Gerhardo Duci Juliacensi Adolphi patruo, justa Numinis pœna, quòd parentem captivum traxerit in carceres. Sed his in præsens transactis cum Adolpho, reconciliatoque etiam Adolpho cum Wilhelmo fratre Episcopo nostro, una animorum consensione Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, Adolphus Dux Montium, & Wilhelmus Episcopus noster in unam suarum provinciarum defensionem, mutuumque auxilium magno Westfaliæ publicæque pacis bono convenêre.

Ac Wilhelmus Episcopus noster, qui in magna cum Cathedrali Collegio animorum conjunctione diœcesin administrabat, hoc anno, concordiæ firmandæ causâ, edidit constitutionem de obedientiis, ut vocant, & supplementis Canonicorum; quam hoc loco etiam, cùm id genus proventuum, quod supra annuos Canonicorum census datur, passim per Westfaliam & Saxoniam in Cathedralibus Ecclesiis invaluerit, adjicere visum fuit.

Constitutio Wilhelmi Ep. de obedientiis Canonicorum.

Wilhelmus Dei et Apostolicæ Sedis gratia electus confirmatus Ecclesiæ Paderbornensis, universis præsentia visuris in Domino salutem. Cum ea, quæ pro Ecclesiastici status honore ampliando olim salubriter instituta fuisse noscuntur, manifestis indiciis tendere deprenduntur ad noxam solicitudinis pastoralis, interest pericula præcavere futura. Hinc est, quod sicut experientia didicimus, cum obedientias seu supplementa præbendarum infra scripta Canonicis majori præbenda præbendatis et emancipatis in Ecclesia nostra prædicta per Episcopum Paderbornensem conferri soluta vacare, et ea ad petentium importunitatem, aut alias, non ut expedit, dispensari contingit, privati commodi perniciosus affectus, dum bonum commune negligit, in ipsius Ecclesiæ detrimentum suas nonnunquam relaxat habenas. Quapropter nos cum honorabilibus Dominis, Præposito, et Capitulo Ecclesiæ nostræ prædictæ, communi consensu omnium nostrum, tractatu Capitulari ac matura deliberatione præhabitis, utilitate ipsius Ecclesiæ in hoc evidente pensata, de obedientiis seu supplementis prædendarum supradictis, statuto et ordinatione perpetuo valituris, statuimus et ordinavimus, quod quotiens aliqua de obedientiis seu supplementis antedictis de cætero vacare contingit, Canonicus majori præbenda præbendatus et emancipatus, qui superior est in gradu, sic quod Præpositus primum, Decanus secundum locum, et deinde Priores et cæteri secundum gradus, quantum adhæc habeant, illam obedientiam infra dies à tempore vacationis, postquam in ipsa Ecclesia ipsa vacatio nota fuerit, immediate currentes, coram Capitulo dictæ nostræ Ecclesiæ in propria persona adoptet; quod si neglexerit, seu noluerit ea adoptare, sequens eum immediate in gradu illam poterit modo consimili adoptare; ita sane, quod si plures obedientias tales simul vacare contigerit, ille adoptans illa vice unam duntaxat adoptet, nec sit ei aliam adoptandi facultas, donec singulos Canonicos ad hoc, ut præmissa est, habiles et ydoneos hujusmodi adoptionis ordo percurrat, tunc demum, et non prius, aliam poterit adoptare, et illam cum prius habita tenere. Nullus autem Canonicorum prædictorum ultra duas simul habere debebit de obedientiis seu supplementis

pleme[illegible]is antedictis, nisi tunc stante tempore adoptionis prædictæ singuli Canonici ad hujusmodi adoptionem ydonei jam binas obedientias de prædictis obtinerent, tunc ille, quem adoptionis ordo tangeret, tertiam posset adoptare, et illam cum prius habitis licite retinere. Si vero ille, quem, ut præmissum est, ordo tangit adoptionis, aliquam de prædictis obedientiis jam possidet, potest illam, quam habet, si vult, dimittere, et vacantem de novo adoptare, et illa sic dimissa per sequentem in ordine eo modo, quo superius est expressum, poterit adoptari. Præterea adjicimus supradictis, quod siquis Canonicorum ad optandum ydoneus, ut præfertur, obedientiam vacantem non adoptaverit, nihilominus salvum maneat illi jus prioritatis in adoptione obedientiæ deinde vacaturæ, quam juxta modum suprascriptum duxerit adoptare. Si autem de obedientiis istis aliquam in tantum deterioratam constaret, seu in futurum deteriorari contingeret, quod propter onera ipsius subeunda, aut alias nemo Canonicorum supradictorum eam duceret adoptandum, fructus illius ad usus Capituli eo modo, quo hucusque in talibus consuevit observare, remanebunt, donec forte Canonicorum aliquis prædictorum onera illius subiturus, ipsam duxerit acceptandam. Ut autem præmissa omnia et singula efficacius robur obtineant firmitatis, Nos Wilhelmus supradictus omni juri, quod nobis et successoribus nostris in prædictarum obedientiarum seu supplementorum prædictorum collatione, aut qualicunque dispositione competebat quovis modo præsentibus, pro nobis et successoribus nostris sponte et libere renunciamus. Et ne cuiquam in præmissis libera tribuatur erroris facultas, obedientias seu supplementa præmissa sub hys nominibus eorum consuetis præsentibus duximus inserenda, Schonenbergh, Remyngse, Moringen, Sallo: Decima in Sinede, Wever, Hildehusen, Selinghuson, Escbechtinghusen, Brockhuse, Hymelhus, Thanehus, Makenlo, Bruchne, Dale, Vylese, Elren, Selcehem, Hildehusen, Brenke, Schoteme, Rode, Luthe, Daseborch, Ossendorp, Lemego, Ultesen: decima Queden, Hoyeringhus, Belinynghus, Wetter, Nortborchnen, Brakle, Eysnen, Gokesbergh, Bokenevorde, Heugeldere, Sumersile, Kleykampe, Bessinghusen, Corbeke, Natheslungen, et Barckhusen. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præsentes literas, seu præsens publicum instrumentum, hujusmodi statutum in se continentes, seu continens, exinde fieri, et per Bertholdum Notarium subscriptum scribi et publicari mandavimus, et sigillo nostro unâ cum appensione sigilli Capituli nostri supradicti fecimus communiri. Et Nos, Præpositus, et Capitulum Ecclesiæ Padeburnensis prædictæ, Decano nostro in remotis agente, in signum nostri consensus, voluntatis, et approbationis omnium præmissorum sigillum nostrum fecimus præsentibus appendi. Acta sunt hæc in domo Capitulari Ecclesiæ Paderburnensis sub anno à Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, quinto. Indictione tredecima, mensis Martii die nona, hora sexta vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini nostri Domini Innocentii divina providentia Papæ VII anno primo, præsentibus ibidem discretis viris Dominis Gobelino Oerson, Johanne Bruggeman, et Johanne Pictoris in prætacta Paderburnensi Ecclesia beneficiatis, perpetuis testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Hanc deinde conſtitutionem Wilhelmi Epiſcopi noſtri Alexander eo nomine v. & Joannes Pontifex anno Mcccex publico diplomate comprobarunt, quorum apud nos tabulæ ſervantur; obſervârunt que inter nos viri antiquitatum gnari, hæc ſupplementa bonorum plerumque ex priſcis decimis, olim à Carolo M. Eccleſiæ Cathedrali parochiiſque per diœceſin attributis, deſumpta, quæ deinde, ſoluta communi vita, factaque bonorum inter ſe diviſione, emeritis & emancipatis Canonicis obvenêre. Nec infrequentes olim è Collegio Cathedrali ſacerdotes ſimul Eccleſiarum Parochi, quibuſcum hæc magnam partem ad Eccleſiæ majoris patrimonium traducta creduntur.

Annus Chriſti 1406.

Innocentij VII Pont. 2.
Ruperti Cæſaris 7.
Wilhelmi Epiſcopi Pad. 6.

Gobel. at. 6. c. 89. & 90. Acta Cœnobij Bodeenſis.

Vacuus exinde Wilhelmus Epiſcopus noſter à publicis familiæ turbis ac bellis, annum ſequentem impendit informandis ordinandiſque Eccleſiæ ſuæ negotiis. Quam in rem, præter alios præſtantes è Clero Sacerdotes, in aula habuit Gobelinum Perſonam, omni ſcientiarum genere excellentem, diuque in curia Romana apud diverſos Pontifices exercitatum, eòque inter Sacellanos aulicos & moderatores rerum ſacrarum à Wilhelmo adſcitum. Ejus conſilio cùm cætera Cœnobia, tum vel maximè Bodecenſe Virginum Canonicarum Monaſterium ad meliorem formam reducendum ſuſcepit. Jacebat id per multos annos vaſtum deſertumque ab ipſis Virginibus & Clericis, ſola Abbatiſſa in anguſto tugurio remanente. Igitur cùm in celeberrimo illo Monaſterio ac templo, à D. Menolpho condito, nullus amplius ſacrorum cultus ſupereſſet, templumque verſum eſſet, in ſtabulum pecorum; conſultum habuit Epiſcopus & Canonici, ipſum D. Menulphi corpus transferre Paderbornam ad Baſilicam ſuam, & honoratiorem divini cultus locum, in quo & ipſe D. Menulphus ſanctius coleretur. Id verò cùm Abbatiſſæ innotuiſſet, clam illa noctu per ruſticanas mulieres tumbam, in qua ſacra oſſa condita erant, ſuſtulit, & in vicino equili abſcondit; ut, multum licet Epiſcopi miniſtris ſcrutantibus, ſacrum pignus irrepertum manſerit; tanquam & Divus è ſuo veteri quietis loco transferri nollet, ſed, quod tertio ab hinc anno factum eſt, introductis aliis religioſis viris, cultum ſuum iſtic continuari; id quod paulò poſt narrabitur.

Wilhelmus Ep. animum ad reformandum Cœnobium Bodecenſe adjicit.

Corpus D. Menolphi Paderbornam transferre cogitat.

Litera Paderborn. Cellam & ædem ad Sanctam Ani-

Alium interim locum, duabus ab urbe Paderbornenſi leucis diſſitum, in montibus Teutonicis divino cultui conſecrari fecit Wilhelmus, quem *ad ſanctam animam* vulgus appellat. Ibi cùm Conradus quidam Eremita ſolitariam vitam delegiſſet, & in honorem S. Crucis ædem ſacram ſuis & Ludolphi nobilis de Elmeringhus impenſis con-

sis construendam obtulisset; Episcopus eò pronius factum approbavit, quòd jam antè cella istic solitarij viri stetisset (in qualem Conradus quoque serecludi voluit) & crucis effigies, miraculis clara, ab incolis coleretur; ob quæ hodiedum locus annua populi supplicatione, magnaque hominum ex urbe Paderbornensi & vicinis, Oppidis pagisque confluentium pietate celebris est. Literæ approbantis Episcopi sunt hæ. mam consecrari facit.

Wilhelmus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Paderbornensis Ecclesiæ electus et confirmatus. Dilecto nobis in Christo fratri Conrado Heremite to der Hilligen Sele, nostræ Paderbornensis diœcesis, salutem in Domino. Ad ea, quæ divini cultus augmentum, et salutem animarum respiciunt, libenter nos benignos et favorabiles exhibemus. Sanè petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu ad laudem divini Numinis, et honorem S. Crucis, quandam Capellam et altare ac incluſorium in loco, vulgariter nuncupato to der Hilligen Sele, ejusdem nostræ diœcesis, de consensu et beneplacito Rectoris parochialis Ecclesiæ in Dorenhaghen subscriptæ, infra cujus parochiæ limites idem locus consistit, ac strenuorum virorum Godscalci et Ludovvici, nec non Conradi et Ludolphi dictorum de Elmerinchusen, ac omnium suorum hæredum ad hoc requisito et obtento, ad quos proprietas fundi loci prædicti pertinere dinoscitur, erigere et construere proponis tuis propriis sumptibus et expensis, ac aliorum Christi fidelium elemosinarum largitionibus mediantibus temporibus affuturis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi fundandi, erigendi, et construendi capellam ipsam, et unum altare in eadem ac incluſorium licentiam concedere dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, tibi et successoribus tuis fundandi, erigendi, et construendi capellam ipsam, ut præfertur, sub conditionibus et modificationibus ac clausulis infra scriptis, liberam auctoritate ordinaria licentiam elargimur; ita quidem, quandocunque et quotiescunque dictum incluſorium post obitum tuum per mortem, aut resignationem, seu quamcunque dimissionem vacaverit, ex tunc jus conferendi ejusdem concluſorii personæ Ecclesiasticæ sive sæculari in perpetuum apud seniorem masculum de progenie Elmerinchusen prædictis, aut alios quoscunque dicti fundi possessores remanebit; quibus deficientibus, aut si fortè idem Senior vel possessores infra tres menses à tempore vacationis ipsius incluſorii personam habilem, et laudabilis vitæ, et honestæ conversationis non instituerint ad illud, ex tunc ejusdem incluſorii dispositio et collatio, ad Præpositum Ecclesiæ Paderbornensis, qui pro tempore fuerit, devolvetur. Et insuper, postquam hujusmodi capella et altare erecta fuerint et consecrata, et non prius, ex tunc, quotiescunque Rector parochialis Ecclesiæ in Dorenhaghen prædictæ, qui pro tempore fuerit, aut ejus Capellanus, ibidem missam celebraverit, omnes et singulas oblationes pœnitentiales infra Missarum solemnia, et die dedicationis eorundem Capellæ et altaris in eodem altari oblatas seu offerendas temporibus affuturis quibuscunque recipiet, tollet, et levabit, et in usus suos liberè convertet, omnibus vero aliis et singulis oblationibus, tam in Petina, cera, elenodiis ad eandem capellam et truncum ibidem ponendum apportatis, seu

apportan-

apportandis, oblatis, seu offerendis ad eundem Heremitam pro sui sustentatione, ac luminaria, et ad fabricam dictarum Capellæ, et altaris, ac inclusoriis remanentibus in futurum. Crux vero ibidem existens pro majori reverentia sibi exhibenda super dicto altari debet collocari, quæ etiam in dicto die dedicationis infra Missarum solemnia non debet nisi offertorio completo deponi.

Nos itaque tuam laudabilem intentionem, ac dictorum de Elmerinchusen et suorum hæredum quoad præmissa in domino commendantes, hujusmodi collationem, et dispositionem, seu ordinationem, prout superius enarrantur, prout et quemadmodum rite et ordinate factæ sunt, ratas habemus et gratas, et eadem auctoritate ordinaria confirmamus, harum testimonio literarum sigillo nostri officialatus majori, quo utimur ad præsens sigillatarum præsentibus appenso. Et nos Henricus de Buren Præpositus dictæ Ecclesiæ Paderbornensis, ac Johannes Toninges de Sassenhusen Rector dictæ Ecclesiæ in Dorenhagen, proprio sigillo carens, utens sigillo Domini Hermanni Felsenbergh ad præmissa, nec non Gotscalcus de Elmerinchusen pro me et aliis prædictis et nostris hæredibus in signum approbationis præmissorum et nostri consensus ad præmissa adhibiti præsentem literam pro nobis et successoribus nostris duximus roborandam. Datum anno Domini millesimo, quadringentesimo, sexto, in festo Conceptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ.

Sub exitum anni hujus, ab excessu Ottonis Comitis Ritbergensis Mindensis Episcopi, subrogatus in ejus locum Corbeiensis Abbas Willebrandus Comes de Hallermont, pugnacissimus Præsul, cui & bellum fuit cum Bernardo Lippiensi, & Nicolao Teclenburgico Comite; nam alteri armata manu castrum wedengensteinium, alteri Reinenbergam, tertium castrum Radenam Bockio nobili eripuit, Ecclesiæque suæ reddidit. Multis dein bellis præliisque interfuit: ex quibus tot vulneribus saucius rediit, ut post mortem, inspectis cicatricibus, corpus instar secti assique piscis deprehensum fuerit. Homo durus, qui clericum aliquando cippo inclusit, & culeo insutum projecit in Visurgim, haud alia ex culpa, quàm quòd Romæ sacerdotium suæ diœcesis impetrasset, cujus donationem sibi vendicabat. Ob id factum à Pontifice grandi ære mulctatus, invisusque, adlegit sibi adjutorem Episcopatus Albertum Comitem de Hoja. Ejusmodi hominem Roma venientem cum provisionis literis Simon Sternebergius Episcopus noster conjecit in carceres, in quo ad mortem usque ut supra diximus afflixit, visique sunt Episcopi illam Sacerdotiorum impetrandi libertatem castigare, quæ tum pravo usu invaluerat, sed crudeles hæ magis pœnæ ex crudo illo sæculo, quam promeritæ, dignæve Episcopo. Gessit interim Willebrandus per xxx annos, & tres menses Episcopatum: obiit post illa pridie Natalis Christi anno xxxvi, vel ut alter fastorum liber tradit, xxxvii hujus sæculi, postremus Comitum Hallermontiorum, quocum vetus Comitatus Hallermontius, qui intra jurisdictionem Mindensis & Ducatum Brunswicensem monstratur, extinctus cessit Brunswicensibus.

Chron. Mindense M. S. Chron. Mind. à Meibom. editum Mindense à Pistor. editum Crantz. lib. 11. Metrop. c. 42. Hamelm. in chron. Oldenb. p. 105. & lib. de famil. emort. pag. 114.

Annus

Annus Christi 1407.

Gregorij XII Pont. 1.
Ruperti Cæsar. 8.
Wilhelmi Ep. Pad. 7.

Vertente anno Wilhelmus Episcopus arma casu magis, ut Gobelinus tradit, quàm ex destinato consilio resumpsit; & Comitem de Spegelberg, Oppidanosque Hammelenses ad Visurgim, commissâ prospere pugnâ, festo D. Cæciliæ Virginis superavit. Nam, etsi sedecim tantùm ex hostibus cœsi, ingens tamen captivorum multitudo fuit, quos in vincula conjecit: cæteris fuga elapsis, & Hameliam sese retrahentibus. Paderbornensium eo prælio multi quidem saucii, nullos tamen morte sublatus; id quod ad numinis beneficium retulit Wilhelmus; ut victoriæ hujus diem quotannis D. Cæciliæ celebrem statuerit. *Gobelin. cap. 88. Pideritius in Chron. Lippiens. Meibom. in Chron. Brunsvv.* Wilhelmus Ep. Comitem Spegelbergicum & Hammelenses bello vincit.

Haud multò post validum Principum fœdus est contractum, auctore duce Lunenburgensi, & Bernardo Duce Brunswicensi, ad ulciscendos Comites Lippienses; in quod tum Otto Dux Geldriæ, Hermannus Landgravius Hassiæ, Adolphus Dux Montium, Comites Hojani, Schawenburgici, aliique convenêre. Huic & Wilhelmus Paderbornensis Episcopus noster nomen dedit, multum lacessitus à Lippiensibus; quòd feuda Paderbornensis Ecclesiæ, quæ tenebant, detrectarent recognoscere. Quare junctis ingentibus copiis, factaque festo D. Jacobi in Lippiensem Comitatum irruptione, primùm Hornam Oppidum obsidione incingunt. Id verò quia Lippienses munimentis, supra quàm persuasi erant, firmarant; soluta post aliquot hebdomadas obsidione, totum Comitatum deprædationibus, ferro, flamaque per reliquum anni tempus evastant, Simone patre & Bernardo filio se intra Blombergam castrum continentibus. Fœdus cum pluribus principibus init. Et Lippienses oppugnat.

Annus Christi 1408.

Gegorij XII Pont. 2.
Ruperti Imp. 9.
Wilhelmi Ep. Pad. 8.

Anno hoc Wilhelmus Episcopus noster bellum adversus Comites Lippienses prosecutus est. Id etsi Lunenburgensibus ac Brunswicensibus non, uti sperârant, ex voto procederet, nulloque Oppido & castro expugnato trans Visurgim, præda tantùm iram & vindictam explendo, se reciperent; ausus tamen Wilhelmus Episcopus noster contracto provinciali milite Lippiensem Comitatum armatus ingredi; stetitque ante urbem Lemgoviam cum quingentis lanceariis & reliquis copiis, extrema minitando, nisi Simon & Bernardus Comites imperata facerent, ac cum cæteris Ecclesiæ Paderbornensis vasallis juramentum fidei præstarent, Hornamque Oppidum, & castrum *Gobelinus Pideritius.* Wilhelmus Ep. Lippienses ad præstandum juramentum fidelitatis adigit.

strum Valckenberg, Lemgoviam & Detmoldiam, ac cætera, feudi nomine, & ritu majorum, à se & ab Ecclesia acciperent. Territi hac constantia Wilhelmi Episcopi Comites, veritique ne bona aut Lawenburgensibus, aut Brunswicensibus, alijvè potentiori Principi in feudum daret, juramentum fidei dixêre. Quæ postquam Wilhelmus Episcopus ad Rupertum Imperatorem avunculum suum retulit, collaudavit Imperator Wilhelmi constantiam, fidemque Ecclesiæ suæ præstitam; ac mox etiam insigni diplomate, secundùm Henrici sancti, à quo Comitatus ille Haholtinus Meinwerco Episcopo donatus est, & cæterorum Cæsarum diplomata, nobilissimum illud Ecclesiæ Paderbornensis feudum novis tabulis confirmavit; in iisque, ut Gobelinus refert, præter cætera loca complexus est Hotnam, Valckenbergam, Detmoldiam & Lemgoviam inter feuda Paderbornensi Ecclesiæ. Ex quo primùm constat non à Simone eo nomine III Comite Lippiensi, qui Wilhelmum & Theodoricum consequitur, sed vel à Simone I, vel Bernardo IV, vel Bernardo V Episcopis nostris ex familia Comitum Lippiensium, vel certè ab alio aliquo Episcopo Paderbornensi hæc in feudum esse data. Falli proinde necesse est Pideritium, quòd scribat, hos Lippienses Comites Simonem & Bernardum à Wilhelmo Episcopo armis adactos, ut has urbes & castra in feudum traderent Paderbornensi Ecclesiæ; cùm Wilhelmus Episcopus nihil aliud egerit, quàm ut has urbes & bona, quæ majores in feudum acceperant ab Ecclesia Paderbornensi, & illi dicto juramento fidei feuda recognoscerent. Qua in re prisca Ecclesiæ suæ jura asseruit. Poterat hoc Pideritius ex Gobelino, à quo hæc tam diserte asseruntur, discere; sed hunc ille auctorem vel non legit, vel more quorundam, veri non satis Studiosorum, dissimulavit. Sanè cùm nos in Meinwerco produxerimus diploma D. Henrici Imperatoris, quo Comitatum Haholti Comitis cum his urbibus & castris Paderbornensi Ecclesiæ dedit, neque inde ullis tabulis probari possit, aut venditione, aut commutatione, aut donatione ad Comites Lippienses transiisse, superest feudi titulo (quod & ipsi Comites hodiedum agnoscunt) ad Lippienses pervenisse; idque tanta prodigalitate aut consanguineorum, aut aliorum factum tradunt, ut tertiam Ecclesiæ nostræ partem his feudis abalienatam semper questi sint posteriores Episcopi. Majorque jactura fuit, postquam Comites à Catholica religione desciscentes, tot urbes, pagos, villas, incolas per amplum illum Teutonicorum montium tractum secum primùm ad Lutheri, post ad Calvini etiam hæresin detraxêre. Quæ mala serò etiam ex illa feudorum donatione consecuta sunt.

Lemgovienses coguntur evertere arcem Lagensem.

Lippiensibus Comitibus ad obsequium deductis, Wilhelmus Episcopus noster Lemgovienses aggressus est, quos ex intentatis armis adegit ad arcem Lage funditus evertendam; id quod datis in pervigilio natalis Joannis Baptistæ literis ad Episcopum extemplo se facturos,

cturos Magistratus & cives rescripsêre. Arx enim Lage cum Oppido in comitatu Lippiensi haud secus quàm Horne, Detmoldia, & cætera loca feudum erat Paderbornense, quo in castro suo nullum hostile præsidium pati voluit.

Tristi post hæc nuncio perculsus Wilhelmus Episcopus accepit, Wilhelmum patrem Montium Ducem & Comitem Ravensbergensem VII Calend. Julii excessisse è vita. Quare ad supremos defuncto honores, deferendos & funus deducendum profectus; patrem deinde honorifico sepulchro, in celebri veteris Montis Cœnobio à majoribus condito, intulit; Principem per omnem quidem vitam bellicosum, sed pietate & religione non minus illustrem. Ejus enim liberalitate Collegium Canonicorum Dusseldorpiense dotatum institutumque est; Turres S. Severini & SS. Apostolorum in urbe Coloniensi magnifico opere constructæ; & quæ præterea à Gobelino nostro in carmine funebri ab eo conscripto præclarè pièque gesta memorantur. Tum demum Adolphus Wilhelmi Episcopi frater plenam ducatus Montium & Comitatus Ravensbergensis possessionem adiit.

Gobelin. ætat. 6. c. 88. Teschemach part. 2. pag. 141.

Moritur Wilhelmus Dux Montium Wilhelmi Ep. Paderborn. Pater.

Et Wilhelmus Episcopus noster à funere patris in diœcesin reversus serio tandem Bodecense Cœnobium in alium statum formandum sumpsit, & quia nihil bonæ frugis à Virginibus Canonicis, quæ illud hactenus incoluerant, sperari poterat, collato cum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ consilio statuit evocare Swollis viros religiosos ex instituto D. Augustini, qui eâ tempestate florebant, & Collegium Canonicarum Virginum convertere in Cœnobium Canonicorum regularium; movebatque Episcopum antiqua loci sanctitas, & præsens in quam prolapsa erat vastitas. Nam & templum cum Cœnobio Virginum inter rudera jacebat exustum, solâ chori aliquâ parte superstite; & bona partim in spolium cesserant per bella, partim ære alieno obruta erant, eòque Virgines omnes, & Clerici deserta loci habitatione diffluxerant, solâ Abbatissâ in angusto tugurio relictâ; nec ullus sacrorum cultus à multis annis in celebri illo loco conspectus erat, nec Virginibus, quæ dissolutâ disciplinâ vagabantur, ulla cura reparandi pristinam habitationem, aut animus redeundi ad communem vitam erat. Igitur ne tam celebre Virginum Collegium à D. Meinulpho institutum, & tot sæculis à Carolo M. cultum, & tot miraculis illustratum prorsus exsolesceret, primum festo Joannis Baptistæ hujus anni Episcopus pertractavit cum evocato Swollis Priore Joanne Weilio viro religioso & sapienti, desertumque Bodecense Cœnobium familiæ D. Augustini auctoritate Pontificis excolendum obtulit; id cùm ille ad larga certaque subsidij promissa grato animo acceptaret, mense deinde Septembri tractatum est cum exauctoratâ Abbatissa Walburge de Walde super annuo censu pendendo, ex quo honestam exinde vitam aleret; dati in hanc rem à Wilhelmo Epi-

Wilhelmus Ep. Paderb. agit de Bodecensi Canonicarum Cœnobio convertendo in Monasterium Canonicorum Regularium.

mo Epiſcopo arbitri ex Canonicis Bertholdus Beſſelinus, Theſaurarius & Widekindus Spigel Cantor, è nobilitate verò ab ipſa Abbatiſſa delecti Ravenno Brencken, & Hermannus Herte, horum judicio certi annuique reditus Abbatiſſæ ſunt attributi, quibus rite confectis, & à Wilhelmo Epiſcopo approbatis Abbatiſſa ſe munere abdicavit, Monaſteriumque cum patrimonio & poſſeſſionibus in manus Epiſcopi tradidit. Hac ſuper re adſunt apud nos publicæ tabulæ honoratorum virorum teſtimonio Anno MCCCCVIII die prima Septembris conſignatæ.

Chron. Monaſt. Kerſenbr. in Epiſc. Monaſt. Ertvv. in Chron. Oſnab. Cleinſorg. in Chron. Weſtf. Otto Ep. Monaſt. devicto Henrico Solmenſi arcem Ottenſteinianam Diœceſi ſuæ adjungit.

Triumphavit hoc anno, quod præter faſtos Monaſterienſes ab Ertwino, & Cleinſorgio ſcriptum eſt, Otto Monaſterienſis Epiſcopus de Henrico Solmenſi Ottenſteinij Dynaſta poſtremo diœceſis turbatore, hoſteſque inter cæteros acerrimo. Bellum id jam ſupra ab aliquot annis magna diœceſis perturbatione cœptum exarſerat, atque ex levibus, ut fit, initiis in apertam flammam eruperat. Interfecerant nimirum duo nobiles viri Joannem Werſelium Solmenſis naturalem fratrem; ac licet Monaſterienſis urbis ſenatus capitali ſupplicio animadvertérat in nobiles, non tamen acquievit Solmenſis, vindictamque fraternæ cædis homo iræ impotens convertit tam in urbem quam Epiſcopum, prædiſque graſſando per diœceſin ingenia eidem damna intulit; auſuſque etiam famoſas literas ſpargere, quibus clariſſimum Ottonis nomen calumniis, & injuriis proſcindebatur; ac cùm nulli magis ſe læſos quærerentur, quàm Caſtrenſes in caſtro Nienburg ad Dinckelam nobiles, Ottonem Epiſcopum ſuum appellavére vindicem; & ille prædonum impatiens arma exacuit in Solmenſem, bellum palam indicit, arcemque Ottenſteinianam, quaſe incluſerat Solmenſis, obſidione incingere cœpit. Ardua erat arcis oppugnatio, quòd paludibus undique circumfuſis unico tantum per humentem aggerem acceſſu pateret. Solmenſis cum ſuis ſe viribus expedire non poſſet, vicinos Principes, & Comites implorat; quos inter primùm ſe obtulit Adolphus Clivenſis Comes; atque is minacibus literis denunciat Ottoni Epiſcopo, niſi Solmenſem clientem ſuum obſidione, & bello intactum relinqueret hoſtem ſe fore. Nihil his tertius Otto, Oſnabrugenſis Epiſcopi, urbis Monaſterienſis, cæterorumque auxilia ſollicitat; horum copiis adjutus arcem Ottenſteinianam arctius obſidione premere aggreſſus eſt. Tum verò Solmenſis ſollicitare Rupertum Imperatorem, Ducem Burgundiæ, Comitem Clivenſem, Morſanum, Heinsbergium, Seinenſem, alioſque Weſtfaliæ Dynaſtas. Multæ ab his intentatæ Ottoni minæ; nec tamen Otto ſe ab obſidione dimoveri paſſus, interrito ad omnes caſus animo perſtitit; jamque obſidione in biennium productâ, ad extrema deductus erat Solmenſis, cùm Adolphus Cliviæ Comes tracto in ſocietatem belli Marcano, cæteriſque ad Rhenum inferiorem Dynaſtis cum numeroſo exercitu advolat, Ottonem ab obſidione depulſurus.

surus. Quo cognito, Otto Episcopus militem omnem ex præsidiis ad castra evocat, hostique provocanti inter Attenvordiam, & Gescheram 12 Calend. Aprilis occurrit. Post leves velitationes tota mox acie pugnatum, cæsusque ingenti clade Clivensis ad Rhenum se recepit. Capti tres fratres Steckij nobiles, jurati Episcopi hostes, Wittenus, aliique cum centum & viginti equitibus, & magna nobilium turba; id quod hoc anno factum memorant Scriptores. Victor Otto Episcopus ad castra, & obsidionem rediit, multoque quàm antè pertinaciùs arcem expugnandam suscepit. Tum verò Solmensis acceptâ Clivensis, aliorumque clade abjicere animum, & quia longâ simul fame urgebatur, sese atque arcem munitissimam cum omnibus bonis in Episcopi manus dare.

Ac ne Solmensis tot annis diœcesi spoliis & damnis infestus, pro inquieto ingenio ad turbas rediret, jussus est è diœcesi emigrare, arcemque & bona in compensationem damnorum Ecclesiæ Monasteriensi relinquere. Quæ deinde Neomagi in publico Principum conventu à Sigismundo Imperatore Ottoni adjudicata sunt. Solmensis post illa Zutphaniam concessit, ubi ad annum 1422 vitam protraxit, fructu tamen bonorum, quoad vixit, donatus. Filia, quam reliquit unicam hæredem, denupta Guterswichio Dynastæ; quo connubio pòst cætera Solmensis bona ad Benthemenses Comites, & Steinfordienses pervenêre: debellato Solmensi, Otto Episcopus exinde diœcesin quietam habuit. Tantum nimirum terrorem vicinis Principibus injecit, ut nemo cum eo bellatore committi vellet, auctaque diœcesis hoc postremo ejus bello nobili peculio Ottensteniano. Nec facile Episcopus ea tempestate per Saxoniam, qui hostes suos omnes feliciùs ultus, spolia prædonum tanto lucro converterit in Ecclesiæ suæ emolumentum.

Annus Christi 1409.

Alexandri V Pont. 1.
Ruperti Cæsaris 10.
Wilhelmi Ep. Pad. 9.

Successit dehinc annus seculi nonus publicis Ecclesiæ malis longè calamitosior; increscente enim per dissidia Cardinalium schismate inter Gregorium XII, & Petrum de Luna, quem postremum Galli & Hispani fovebant, Cardinales tandem pacis & concordiæ causâ utrumque exauctorandum contendebant; urgebantque ad id Gregorium Pontificem, quòd in ipsa electione juramento adstrinxisse dicerent abiturum se Pontificatu, si publica Ecclesiæ utilitas posceret. Scriptis itaque ad omnes Reges, & Metropolitanos Germaniæ literis, Cardinales Concilium Pisanum indixêre. Quibus acceptis, Moguntinus Archiepiscopus misit exemplar ad omnes provinciales suos Episcopos, & Moguntiam post festum Epiphaniæ evocavit; &

Gobelin. ætat. 6. c. 88. Theodori. Niem. lib. 3. de schism. cap. 18. S. Anton. de Concil. Pisan. c. 5. Concil. Paris. Raynald. in hist. Eccles. Azorius p. 2. lib. 5. c. 17.

Indicitur Concilium Pisanum.

vitæ & quia ad Rupertum Cæsarem simul perscriptum erat, Cæsar quoque sub initium anni in octava Epiphaniæ Francofurti conventum Principum indixit, interque Imperii Principes quoque accessit Wilhelmus Episcopus noster. Multis primùm disceptatum est inter duos Cardinales, quorum alter nomine Gregorii Pontificis, alter nomine Collegij Cardinalium advenerat; assensitque major pars Archiepiscoporum Præsulum & Principum Collegii Cardinalium Legato. At Rupertus religiosissimus Cæsar, Archiepiscopus Trevirensis, Duces Bavariæ, cæterique in fide Gregorii Pontificis perstitêre. Quo in munere Wilhelmus quoque Episcopus noster refertur à Gobelino; nec enim à Cæsare avunculo suo discedere decorum habuit. Præclarum in his comitiis castimoniæ exemplum edidit Simon Wallensteinius urbis Francofurtensis à Cæsare impositus præfectus, qui probante Cæsare omnes, quotquot meretricibus operam dabant albis fasciis palam suspendi jussit.

In quo Alexander V renuntiatur Pontifex.

Cœptum pòst Concilium Pisanum xv Martii festo Annunciationis Virginis ingenti Patriarcharum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & Præsulum frequentiâ, multisque sessionibus productum; in quo Gregorio XII. & Petro de Luna, qui se Benedictum XIII appellabat, Pontificatus abrogatus est, delectusque Alexander V. gente Cretensis, professione primùm Monachus Franciscanus, pòst Cardinalis, homo nonagenarius. Quo facto hoc unum assecuti sunt, ut ad duos Pontifices tertium adderent, & schisma, quod tollere debebant, magna Ecclesiarum perturbatione augerent. Missi ad hoc Consilium Pisas à Ruperto Cæsare Legati Joannes Rigensis Archiepiscopus, Matthæus Wormatiensis, & Ulricus Ripensis Episcopi, quibus additus Conradus de Susato, gente Westfalus, Spirensis Canonicus, & professor Theologiæ, qui sub finem Aprilis in conessu Cardinalium nomine Ruperti Cæsaris eruditum scriptum & à Conrado Sultonio Verdensi Episcopo compositum libera voce obtulit; id quia multis quæstionibus, & rationum momentis plenum erat, ne in exauctorando Gregorio laborarent, magnopere fatigavit Cardinales. Facta postremùm provocatione à Pisano Concilio ad Gregorium Pontificem, nemine salutato eodem mense Aprili recessêre. Quemadmodum hæc acta Concilij à Raynaldo, & Dacherio viris eruditissimis relata multis exponunt. Nunquam enim Cæsar, iique, quos in Concilio suo habuit sapientissimos viros, exauctorationem Gregorii veri Pontificis probavêre. Sed his missis ad res gestas Wilhelmi Episcopi nostri redeamus. Is soluto Francofurtensi conventu, salutatoque Ruperto Cæsare avunculo suo, in diœcesin Paderbornensem regressus nihil impensiùs habuit, quàm ut cœptam Monasterij Bodecensis commutationem perficeret, exclusisque vagæ & pravæ vitæ Canonicis Virginibus, Canonicos regularis vitæ introduceret. Aggressus quidem id erat anno superiore Wilhelmus ex consilio, & assensu

Gobel. ætat. 6. c. 90. Cranz. lib. 11. Metrop. c. 16.

Wilhelmus Ep. Paderb. Monasterium Bodecense reformat.

aſſenſu Canonicorum Cathedralium, virorumque prudentum; verùm, ut Gobelinus & Crantzius retulêre, rem ſupra quàm crediderat, arduam implicatamque expertus eſt; quando non modò ſuperſtites ejus Monaſterii Virgines, ſed plerique è clero primario & ſecundario, Vaſalli, & nobiles ſe illi commutationi objecêre, ægreque cumprimis paſſa eſt nobilitas, id vetus à D. Meinulpho inſtitutum Collegium Virginum transferri ad ignobiles, & peregrinæ gentis homines, quod tot celebres è nobilitate Abbatiſſæ & filiæ ſuarum familiarum ſupra ſexcentos annos incoluerant; fateri ſe quidem ajebant, templum, ſtructuras Monaſterij omnes, & diſciplinam religioſæ vitæ collapſa eſſe, ſed ea oportere inſtaurare ſecundum priſcam inſtituti formam, & primam Conditoris mentem; non enim, ſi domus temporũ malo in ruinam conſederit, ideo excluſis hæredibus fundum & bona patrimonij danda eſſe alienis. Multis hujuſmodi querelis fatigabatur Epiſcopus, trahebaturque in odium multorum. Quibus contemptis, Epiſcopus pari, quâ cœperat, conſtantia inſtaurationem Monaſterij Bodecenſis hoc anno confecit. Ac ne importunè ac temere procedere argueretur, Abbatiſſam denuo cum quinque Virginibus, quæ ſupererant, & Clericis Neuhuſium citavit ad judicium, in quo tam Virgines, quam Clerici, ne quid ullius præjudicio aut injuria fieret, audiantur. Verùm cùm Virgines nominatim citatæ ſe non ſiſterent, Epiſcopus negotium dedit Gobelino Perſonæ, viro ſacrorum Canonum peritiſſimo, condemnandi Virgines contumaciæ: Inde ipſe menſe Julio pronunciata palam ſententia Monaſterium Bodecenſe transtulit in poſſeſſionem Canonicorum regularium. Qua ſuper re hæ mox etiam tabulæ confectæ ſunt, quas hoc loco integrius etiam, quàm ipſe Gobelinus in hiſtoria à ſe ſcripta fecit, ad poſteritatis memoriam, & plenioremrei notitiam proferre intererit.

Wilhelmus Electus Eccleſiæ Paderbornenſis et confirmatus ad perpetuam rei memoriam. Quamvis Domini eſt terra, et plenitudo ejus, certa tamen loca pro cultu frequentiori ſuæ Majeſtatis immenſæ ſingularibus ſignorum indiciis plerumque conſecrare conſuevit, quæ quanto majoris torporis negliguntur incuria, tanto majori negligentes ipſi rei Dei redduntur injuria, qui rurſum à Deo neglecti, et in deſideria cordis ſui traditi nonnunquam in vanitatibus ſuis evaneſcunt, quod loca et perſonæ, divinæ juſtitiæ diſpenſante ſecreto, contrectatione mutua tabeſcentes ipſa cum perſonis loca vileſcunt, et quia devijs à tramite veritatis veritas dicit: Regnum Dei auferetur à vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus, *ad honorem nominis divini plurimum cedere non ambigimus, ſi vepribus et ſpinis ab agro dominico funditus extirpatis, loca ſancta inhabitantium culpa in deſpectionem deducta novellis olivarum, quas in circuitu menſæ Domini conſtitutas propheta commemorat, ſtuduerimus reformare. Cum igitur Monaſterium in villa Bodiken noſtræ diœceſis quondam ab almo Chriſti Confeſſore ſancto Maynulfo Diacono juxta ſæculi faſtum viro nobili, quem inclytæ memoriæ Karolus Magnus tunc Rex Francorum et poſt Romanorum Imperator poſtquam gentem Weſt-*

falorum

falorum seu Saxonum Occidentalium fidei christiana jugo subegit, de sacro fonte levavit, pro congregatione fœminarum quæ Canonicæ sæculares appellantur, singulari quodam divino miraculo provento, quemadmodum literarum veterum testimonio didicimus fundatum, partim negligentia, partim casibus fortuitis, et malo statu patriæ intercurrentibus sic penitus desolatum esse conspicitur, quod ex omnibus ipsius ædificiis ipsa Ecclesia plus tum fimo et immunditia ejus testantibus pro receptaculo bestiarum, quam pro divini cultus exhibitione in parte reformari perdurat, et in Capellis eidem Ecclesiæ quondam annexis nunc vero dirutis, imo super ipsa altaria Capellarum, sicut in saltu virgulta succrescunt. Unde tam Canonicæ quam Rector parochialis curiæ, ac etiam Clerici cæteri, sola Abbatissa ibidem in tugurio rusticano degente, terram fructiferam tanquam eis versam in salsuginem abhorrentes locum ipsum dudum reliquerunt, Nos ad supradicti loci reformationem pro divini cultus restauratione, pietate curæ pastoralis allecti, intensis desideriis aspirantes, ne ficulnea infructuosa rursum terram perniciosius occupet, eundem locum malitia temporis, loci qualitate, et sexus fragilitate pensatis, non sub hujusmodi Canonicarum sæcularium statu, quem sedes Apostolica approbare non dignatur, sed sub certo per eandem sedem approbatæ religionis titulo, cujus professores sexu virili, non solum carne sed et mente, vigentes inter mundi pericula adversitatis turbo non terret, nec arrisus fortunæ fallacis dissolvit, decrevimus reformare. Hinc est quod Domina Walburgis de Walde Abbatissa Monasterii supradicti ad nostram propter prædicta vocata præsentiam de sua negligentia se plurimum excusans, et modo reformationis per nos, ut præmittitur, decreto consentiens, Abbatiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis in manus nostras sponte resignavit. Cumque deinde nobis fuisset expositum, quod nonnullæ personæ jus Canonicale, seu Ecclesiasticum, quamvis locum ipsum per annos decem, vinginti, vel triginta jam deseruerant in Monasterio prefato sibi vendicantes superessent, Nos ne in præjudicium juris cujusquam videremur ex abrupto procedere, personas easdem videlicet Belyen de Herre, Cunegindim de Welmede, Alheidim Schulten, Cunigindim Lebbinges et Elizabeth de Herre, prætensas Canonicas, Johannem Restick præsbyterum curatum et Hermannum Riteveege assertum rectorem Capellæ S. Martini desolatæ ibidem, omnesque alias, et singulas personas utriusque sexus jus Ecclesiasticum in prædictis Monasterio Capellis seu Beneficiis Ecclesiasticis ejusdem se habere prætendentes una cum Domina Walburge olim Abbatissa præfata ad certum terminum peremptorie citavimus, ut in eodem de titulo Canonico præbendarum, beneficiorum, et juris Canonicalis seu Ecclesiastici, quas et quæ se in privato Monasterio habere prætenderent, nos plenius informarent, et ad concordandum una nobiscum, quantum earum interesset, super reformatione Monasterii prædicti, et ejus translatione ad statum observantiæ regularis, quas ob divini cultus restaurationem et augmentum, ac totius Ecclesiastici status nostræ diœcesis supradictæ ædificationem digne duximus faciendas, vel ad dicendam vel allegandam coram nobis causas rationabiles, quare reformatio, et translatio hujusmodi fieri non deberent, alioquin

ipsa-

ipsarum contumacia seu contradictione frivola non obstante nos in reformationis et translationis negocio prædictarum essemus utique processuri, in quo quidem termino personis supradictis coram nobis legitime non comparentibus, et Domino Gobelino Persona procuratore nostro adhoc per nos deputato ipsarum contumaciam accusante, Nos easdem reputantes contumaces juxta modum prædictum circa præmissa duximus procedendum, Nos igitur resignationem per Dominam Walburgam supradictam factam, ut prædictum est, tunc per nos admissam et receptam, gratam et ratam habentes cum honorabilibus viris Dominis Præposito et Capitulo Ecclesiæ nostræ Paderburnensis prædictæ tractatu Capitulari, et matura deliberatione præhabitis, Abbatiam, Ecclesiam, et Monasterium prædicta cum omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, emunitatibus, bonis et rebus mobilibus et immobilibus, terris, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, viis et inviis, ac pertinentiis eorundem universis honorabili viro Johanni Wail Priori Monasteru Canonicorum regularium in Swollis Trajectensis diœcesis tradimus, concedimus, et assignamus per præsentes, ita quod ipsa Ecclesia et Monasterio in Bodeke supradictis, prout et facultas suppetit, reformatis, congregationem convenientem virorum Deo devotorum, Canonicorum videlicet regularium, religioni Monasterii sui in Swollis supradicti conformium, juxta ejusdem religionis exigentiam ibidem instituat, præsertim cum S. Maynulfus ejusdem Monasteru fundator supradictus religionis ejusdem creditur fuisse professor, quorum regimen et gubernatio, visitatio et inquisitio et correctio, atque totius Monasteru tam in spiritualibus quam temporalibus administratio, nec non Prælati sub nomine Prioris institutio, et destitutio apud ipsum, quamdiu advixerit, et quemadmodum ei visum fuerit, liberè permaneant. Ipseque de præsentatione beneficiorum Ecclesiasticorum, et bonis emphyteuticis, nec non officiis, rebus aliis quibuscunque, quæ alias ad Abbatissæ præsentationem, concessionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, eo modo, quo Abbatissa, de eis disponere solita fuit, liberam habeat potestatem præsentandi, et de bonis atque officiis, prout ipsorum bonorum et officiorum qualitas exegerit, disponendi, infeudatione bonorum purè feudalium duntaxat exceptâ, quorum infeudationem nobis, et successoribus nostris reservamus. Cum vero Domino permittente ipse de medio sublatus fuerit, beneficiorum ac bonorum et rerum dispositionem hujusmodi apud Priorem, qui ibidem pro tempore fuerit, volumus perpetuo remanere, qui Præposito Monasterii Canonicorum regularium prope Nussiam Colon. diœcesis pro tempore existenti et eorum Capitulo generali, quoad visitationem, inquisitionem, et correctionem, Prioris institutionem, et destitutionem secundum modum ordinis eorum ac statutorum subjectus existat, juribus Archidiaconi loci ipsius, et plebani ibidem, nec non ordinis ipsorum Canonicorum regularium in præmissis omnibus semper salvis. Nec tamen Prælatus, qui eidem Monasterio præfuerit, coram alio quam coram nobis et successoribus nostris Paderburnensibus Episcopis, aut illo, cui nos et successores nostri per patentes literas hoc specialiter duxerimus committendum, vel saltem sede vacante coram Capitulo Ecclesiæ nostræ prædictæ

dictæ quovis modo valeat conveniri, ſicque Monaſterium in Bodeken ſupra. dictum de ſtatu Canonicarum ſæcularium ad obſervantiam Canonicorum regularium de conſilio, conſenſu, et beneplacito honorabilium Dominorum Præpoſiti, et Capituli Eccleſiæ noſtræ prædictorum in Dei nomine transferimus per præſentes. Ut autem præmiſſa omnia et ſingula obtineant pleniorem roboris firmitatem præſentem paginam ſigilli noſtri munimine una cum ſigillo Capituli ſupradicti juſſimus roborari. Et nos Præpoſitus, et Capitulum Eccleſiæ Padeburnenſis in ſignum noſtri conſenſus omnium præmiſſorum præſentem literam noſtri ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nono, decima ſeptima die menſis Julii.

Introductis in Bodecenſe Monaſterium Sacerdotibus ac Canonicis regularibus, quos Swollis ſecum adduxerat Joannes Wailius moderator Swollenſis, omnem deinde curam vertit Wilhelmus Epiſcopus in recuperandis Monaſterii bonis, dotandiſque novis loci cultoribus; id quod denuo á Wilhelmo Epiſcopo noſtro hiſce publicæ auctoritatis literis commiſſum eſt Gobelino Perſonæ.

Wilhelmus electus Eccleſiæ Paderburnenſis. Diſcreto viro Domino Gobelino Perſoen Rectori Eccleſiæ S. Andreæ ſito in caſtro Warberch noſtro Capellano ſalutem in Domino. Cum Monaſterium Budicenſe noſtræ diœceſis jam pene deſolatum, ob ſui et divini cultus reformationem de ſtatu Canonicarum ſæcularium ad ſtatum Canonicorum regularium in perſonam honorabilis viri Domini Johannis Wail Prioris Monaſterii Swollenſis Trajectenſis diœceſis transtulimus, et adrecuperandas res et bona prædicti Monaſterii Budicenſis alienata ſeu diſtracta aliis negociis arduis prædicti vacare nequeamus, vobis tenore præſentium comittimus, et auctoritate plenaria concedimus ad producendum contra detentores, occupatores, debitores rerum et bonorum prædictorum, et impedientes, moleſtantes, aut perturbantes dictum Priorem, vel fratres ſeu familiam ipſius in negotio reformationis ſupradictæ, nec non omnes, et ſingulas cauſas idem Monaſterium Budicenſe ſeu bona, vel perſonas ipſius concernentes, audiendi, decidendi, et terminandi cum omnibus, et ſingulis emergentibus dependentiis et connexis; contradictores, et rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Datum in novo caſtro noſtræ diœceſis Anno Domini MCCCCIX *ipſo die beati Arnolphi Epiſcopi.*

Gobelinus Perſona celebris hiſtoriæ noſtræ per id tempus ſcriptor, etſi hiſce literis appelletur Rector Eccleſiæ in caſtro Warburg, ac Capellanus Epiſcopi, in aliis tamen literarum noſtrarum monumentis inſcribitur Officialis curiæ Paderbornenſis, Procurator Cameræ Apoſtolicæ, & Decanus Bilfeldienſis; quo poſtremo munere à Theodorico Adminiſtratore demum exornatus eſt, ut liquet ex Theodorici literis à Meibomio in præfatione operum ejus adductis; & quantum ex his omnibus æſtimes, auctor fuit Wilhelmo Epiſcopo transferendi Bodecenſis Monaſterij ad Canonicos regulares; idque facile Romæ impetravit, vir tot annis in curia Romana verſatus, magnæque apud Wilhelmum Epiſcopum, & Canonicos Cathedralis Eccleſiæ auctoritatis.

Cœptum

Cœptum igitur hoc anno instaurari desertum Bodecense Monasterium & reduci cultus divinus. Dura quidem per septem annos initia, quibus optimis viris religiosis cum multis ærumnis & hostibus, qui ægre hanc commutationem ferebant, conflictandum fuit; vicit hæc omnia longa malorum tolerantia, & labores quam invisi primùm tam grati postea omnibus, postquam omnium virtutum exemplo, & vitæ sanctimonia in notitiam, & amorem popularium venêre; brevique largitione piorum hominum instaurata Basilica, & florentissimum opibus & multitudine religiosorum doctorumque hominum stetit Cœnobium; uti hæc omnia florentem religiosæ vitæ disciplinam consequuntur, languentem deserunt. Compertumque in hac diœcesi, quod & in aliis memorabile fuit, Deum per religiosos Canonicos cleri populique collapsos mores instauraſſe.

Vix dum Bodecense Monasterium in meliorem ordinem composuerat Wilhelmus Episcopus, cùm novus illi, multoque implicatior labor objectus in Abdinghoviano ordinis D. Benedicti Cœnobio reformando. Duplici id malo dissidio laborabat inter Abbatem, & Priorem, quem Henricus Abbas munere suo dejecerat, alio in locum ejus reposito, ob quod ille ad Episcopum, ut judicem Abbatis appellabat. Huic alterum malum priori multo pejus accesserat, dissoluta videlicet religiosa Cœnobitarum disciplina non sine publica offensione populi. Quare statuit Episcopus mense Octobri Cœnobium intrare, & facta conquisitione pravos Monachorum mores emendare. Quæ postquam ab Abbate cognita fuêre, lautum ille instituit convivium, ad quod primores è clero, senatu, & civibus invitati adfuêre; plerique etiam muneribus corrupti; eo cumprimis consilio, ut horum favore se adversus Episcopum præmuniret. Nec multò post Episcopus cum multis Ecclesiæ præsulibus Cœnobium ingressus, convocatisq; Monachis cœpit cum ijs pertractare. De disciplina in melius formanda. Quo in opere dum versatur simul ingens turba civium cum Consulibus, tribunis plebis, & præfectis Cœnobium ex condicto intrat, seseque in locum concilij Ecclesiastici ingerit. Quos cum Episcopus exire juberet, moneretque juramento sibi præstito libertatis Ecclesiasticæ memores essent, illi protervis vocibus respondêre; non prius se loco excessuros, quàm ab Abbate imperium exeundi aciperent. Et Monachi, ut se correctioni per Episcopum cœptæ eximerent, concepta audacia ad superius tribunal appellavêre; ita re infecta Episcopo ob concitatam plebem discedendum fuit. Nec tamen ob id destitit Episcopus Abbatem & Monachos publicis privatisque monitis ad saniorem mentem revocare; quibus cum nihil proficeret, Abbatem & Monachos atque urbem interdicto sacrorum, & censuris Ecclesiasticis perstrinxit. Ad quæ cum Abbas ad Alexandrum recens in Concilio Pisano electum Pontificem appellaret, eique Clerus adhæreret, Episcopus à Capitulo rogavit, utrumne cum

Alexandro Pontifice faceret, quòd ipse Gregorio Pontifici hæreret, respondêre hac super re sibi prius consulendum Capitulum Hildesiense, & Halberstadiense, quibuscum fraternitatis societatem colerent. His frustra tentatis, Episcopus ex urbe recessit; ac vix cùm castrum novum ingressus erat, intelligit Capitulum convocato clero decrevisse stare cum Alexandro Pontifice, veritus inde Episcopus, ne controversiam inter duos Pontifices in se traheret, & de Episcopatu periclitaretur, si nimirum Clerus Alexandrum, ipse Gregorium sequeretur, litem cum Capitulo, & clero abrupit; rursumque Monachos aggressus Monasterium correctionis gratia intrat; verum cùm nec Abbas nec Monachi se sisterent, atque ad omnia monita multò quàm ante contumaciores deprehenderentur, anathematis sententia percutit, quam & publice per omnes Ecclesias promulgavit. Quo laqueo indutus Abbas ut se expediret, Romam profectus Alexandrum Pontificem adijt, ubi multis sumptibus & muneribus rem eo tandem deduxit, ut reclamationem ab anathematis vinculo & interdicto impetraret. Tantum publicum Ecclesiæ schisma etiam privatis locis nocuit, cùm in Italia duo Pontifices considerent; tantaque per id tempus Cleri & civium adversus Episcopum suum ex corruptis moribus erat insolentia, eaque temporum malitia, ut nec morbi medelam ferrent.

At non his turbis dejectus Wilhelmus Episcopus destitit monitis & minis urgere Abbatem & Monachos, ac nisi ad instituti formam, à qua abierant, redirent, extraque claustri septa mulieres repellerent, fore ut obstinati ad careeres raperentur; quod cùm illi ad clerum, & cives referrent, horum animi magis exacerbati in Episcopum, Monachorum defensionem multò concitatius susceperè; aiunt etiam jactare se ita fatigaturos Episcopum, ut ipsi prius, quam Abbati munere abeundum sit. Et plerosque è clero tum conspiratione facta cum Monachis Episcopo se objecisse haud mirum videri poterat, quòd Monachis in ordinem redactis, idem sibi ab Episcopo imminere timerent. Rebus in hunc modum conturbatis Episcopus ad Rupertum Cæsarem avunculum suum appellat; & huic cùm omnem controversiam per Legatos & literas expositisset, Cæsar Monachum quendam senem & gravem ordinis D. Benedicti, virum religione & auctoritate conspicuum, a quo jam quinque Monasteria superioris Germaniæ in meliorem formam redacta erant, Heidelbergam ad se evocavit, eumque cum alio sacerdote Monacho Paderbornam Wilhelmo Episcopo transmisit, experturus primùm leniora consilia quàm vi adversus rebelles Monachos & cives procederet, venit ergo nex ille Monachus Paderbornam; sed neque ab Abbate & Monachis neque à Clero, neque à primoribus ullo caritatis obsequio exceptus præter unum clericum, à quo paucis piris donatus. Atque is, ubi se nihil efficere conspexit, ad Episcopum, qui se in castro novo & conspectu

spectu urbis continebat, se contulit, á quo post quintum inanis laboris mensem ad diœcesis Eistadensis Monasterium, unde accersitus erat, remissus est. Inde omnis ira vindictaque Abbatis, Cleri, & civium conversa in Ecclesiasticum Episcopi judicem, tanquam primarium in hoc negotio Episcopi administrum; cujus vita postquam primùm veneno frustra tentata, tum tot injuriis & dolis est oppugnata, ut palam in synodo Cleri convocata edixerit, sibi ex urbe securitatis causa emigrandum esse; quod & anno sequenti fecit, translatoque secum judice Ecclesiastico Bilfeldiam, ea in urbe, quòd diœcesis Paderbornensis esset, frustra reclamante Capitulo, sedem fixit; ubi benignioribus, quam Paderbornæ incolis exceptus est. At quo minus Episcopus tantam injuriam, tantamque rebellionem in præsens ultus sit, fecit & mors Imperatoris, & grave bellum cum Colonienſi Archiepiscopo, quæ duo mala anno proximo consecuta sunt.

Annus Christi 1410.

Joannis XXIII Pont. 1.
Ruperti ultimus
Sigismundi 1.
Wilhelmi Ep. Pad. 10.

Sequitur nunc annus Christi millesimus quadringentesimus decimus, qui post decem mensium Pontificatum sustulit Bononiæ Alexandrum V Pontificem in Pisano Concilio electum. Solitus is referre se divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, & mendicum Pontificem; mirumque magis videri poterat virum ante professione Monachum, ætate jam nonagenarium, illo conturbato Ecclesiæ statu admisisse Pontificatum. Haud multò pòst favore Cardinalium Gallorum sublectus est tertio Maji Balthasar de Cossa Neopolitanus Cardinalis Bononiensis appellatusque Joannes XXIII. Hujus Pontificis electione, ut Gobelinus noster inquit, multi offensi, seu quod commendatione Ludowici Galliarum Regis, tum Siciliam affectantis, per Cardinales Gallos electus esset: seu quod vanitati deditus, multisque vitiis obnoxius palam compertus esset; ob quæ pòst etiam in Concilio Constantiensi Pontificatus illi abrogatus. Penetravit in ejus præsentiam & notitiam Gobelinus noster, qui per id tempus, ut de se refert, in Italia versabatur, haud dubio à Wilhelmo Episcopo missus ad expediendum negotium adversus Abdinghovianum Abbatem, Clerum, & cives Paderbornenses sibi adversantes; obtulitque huic Pontifici hymnum, quem de B. Virgine composuerat, quem & Pontifex hic probavit.

Gobelin. ætat. 6. Theodor. à Niem. in calce l. 2. S. Antonin. 3. p. tit. 22. Raynald. in hist. Eccles. Spangeb. Brouver. in annal. Trevir. Ursberg. Paralip. Calvisius Chron. M. Belgy.

Mortuo Alexandro V Pontifici sufficitur Joannes XXIII.

Ad Pontificis funus accessit Ruperti Imperatoris; ita enim Gobelinus, *post coronationem Joannis Pontificis, quæ VIII Calend. Junii peracta est, statim D. Rex Robertus defunctus est*, quem Trithemius XXI, alij XVIII Maji Oppenhemij ad Rhenum excessisse scribunt. Certè Heidel-

Trithem. in Chron. Spanh. Serrar. in Mogunt. histor.

Cuspinian. in Ruperto. Moritur Rupertus Imperator.

bergæ in Epitaphio ejus xv Calend. Junii dies mortis adscribitur. Cæsar fuit pietate in Deum, religione in Gregorium Pontificem & Ecclesiam, clementia in populos, justitia in omnes egregius. Funus Heidelbergam deductum; ubi in Basilicâ à se constructa sepultus fuit, hoc epitaphij elogio decoratus: *Rupertus Dux Bavariæ, Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, justus, religionis et pacis amator, dignus Deo visus, qui pro justitia pateretur: Hujus sacræ ædis et Collegii institutor, hic cum castissima conjuge Elizabetha Norici montis Burgravia quievit vitâ functus anno Christi* Mcccccx *Calend. Junii* xv. Bellicam quidam fortitudinem majorem ab eo desiderant; sed ejusmodi Imperium illatem. pestate erat, ut sanum caput languidum corpus erigere non posset.

Succedit Sigismundus.

Ejus morte tantum vulnus Wilhelmi Episcopi animo impressum, quantum in avunculo Ecclesiæ suæ familiæque patronum se amisisse sensit. Sed haud levius ejus excessu conturbatum Imperium, quòd Electores magnopere ancipites, & discordes in successore deligendo essent, aliis Jodocum Moraviæ Marchionem Wenceslai patruelem, virum nonagenarium, aliis Sigismundum Ungariæ Regem Wenceslai fratrem ad Imperium deposcentibus; rem cæteris exactius describit Gobelinus noster. Quare ejus verbis adscribam. *Eodem mense (scil. Septembri,) Principes Electores convenerunt apud Francfurdtam pro Rege eligendo, et Archiepiscopus Trevirensis, Ludovicus Dux Heidelbergensis Palatinus Rheni, et Burggravius Noribergensis, hinc procurator Marchionis Brandenburgensis, quantum ad eligendum, elegerunt Dominum Sigismundum Regem Ungariæ, fratrem Regis Bohemiæ, ad quem tunc spectabat Marchia Brandeburgensis, in Regem Romanorum. Archiepiscopis Colonienſi et Moguntinensi adhuc in deliberatione persistentibus. Sed Rex Bohemiæ, et Dux Saxoniæ ad electionem non venerunt, et hæc electio facta fuit* xx *die dicti mensis. Et statim Archiepiscopus Moguntinus mandavit Ecclesias Oppidi Francfort non aperiri, ne illi, qui elegerant, electionis suæ publicationem et solennitationem perficiendi haberent facultatem. Unde illis venientibus ad fores Ecclesiæ, nec ingressum habere valentibus, publicatio retro chorum ipsius Ecclesiæ facta est per eosdem; Et postea Maguntinensi Colonienſi Archiepiscopis iterum convenientibus Jodocus Marchio Moraviæ vir grandævus per ipsos in Regem est electus.* Ita vero ad schisma Ecclesiæ accessit dissidium Imperij ex discordi Regis electione.

Gobelin. ætat. 6. c. 91. Teschemach. Archiepiscopus Coloniensis & Comes Clivensis Diœcesin Paderbornensem infestat.

Hos inter publicos Imperij fluctus exarsit hoc anno privatum graveque bellum inter Fridericum Colonienſem Archiepiscopum, & Wilhelmum Paderbornensem Episcopum nostrum. Id licet multis denarret Gobelinus, nulla tamen dissidij bellive hujus causa indicata; nisi quod scribat Colonienſem Archiepiscopum traxisse in societatem armorum Adolphum Cliviæ & Marchiæ Comitem, unoque repentino impetu cum valido exercitu, multisque bellicis instrumentis irrupisse in diœcesin Paderbornensem.

Transito igitur ad Lipstadium Oppidum Luppia flumine per angu-

angustum viæ tramitem undique paludibus, & fossis incinctum, XVIII die Decembris Delbrugiam ingrediuntur; quorum adventu cognito, Delbrugenses, quos vicinus rumor ad arma conciverat, conglobatis turmis occurrunt, hostiumque ingressum ad aliquot horas interangusta viarum fortiter agrestibus telis, hastisque pugnando, retardant; donec hostium obruti multitudine inermes armatis cedere, & per paludum ambages se recipere in tutum necesse fuit. Inde hostis libere effusus in Delbrugiam ferro flammaque vicinas villas evastare. Neque Episcopo quicquam de irruptione cognitum fuit, priusquam è castro novo ac sede Niehusiana flagrantium villarum flammas & fumorum globos in aere conspiceret, emissisque exploratoribus disceret Archiepiscopum & Clivensem Comitem cum potentibus copiis intrasse diœcesin. Ille vero cum ad tam subitam irruptionem reprimendam nec provincialem militem haberet, nec consultum duceret hosti temere cum paucis obviam ire, distulit eo die Delbrugensibus subvenire, Archiepiscopus verò ac Comes licet constituerant Delbrugiæ Oppidum eo die exurere, & castra proferre in diœcesin; ea tamen nocte frigoris & hiemalium injuriarum impatientes Delbrugiæ permansêre, militeque per domos sparso noctem illam poculis & alto somno transegêre; donec balistæ, tela, ac cætera bellica instrumenta, quæ multis curribus sequebantur, castris adessent. Quo comperto, Delbrugenses ea nocte clam hostibus ad arma convolant, relictis domi uxoribus, quæ comessantibus omnia large subministrarent, tractarentque ad genium militarem hospites; viri interim aditum per paludes, per quem Archiepiscopus & Comes intrârant, armati occupant: plaustra, quæ militaribus instrumentis onusta jam advenerant, intercipiunt; aditum a tergo hosti recludunt, ac præmuniunt; quo cùm Archiepiscopus ac Comes cum equitatu & peditatu advolarent, reperêre Delbrugenses, & omnem illam ferocem agrestium turbam consistere in armis, transitumque inter paludes & fossas munimenti instar insidere. Diu multumque cœcâ nocte pugnatum; & Delbrugenses, postquam supra quatuor millia telorum suorum absumpsissent, balistas, tela, armaque paulò ante intercepta vertunt in Archiepiscopum & Comitem, hostemque suis armis repellunt & disjciunt. Quo inopinato casu consternatus Archiepiscopus & Comes, rati rem ex insidiis & composito agi, tanquam Delbrugenses tam diu impetum sustinerent, donec à tergo Episcopus Paderbornensis è castro novo armatus accederet, militem suum ab eo loco deducunt, aliumque per paludes reditum quærunt ad Luppiam. Verùm aliis hanc viam, aliis aliam frustra per paludes tentantibus, omnes panicus timor ea nocte fatigavit; confusosque huc illucque disjecit; quorum permulti a Delbrugensibus aut telis confossi aut trucidati fuêre.

Delbr. infestantes à Delbrugensibus cæsi repelluntur.

Postremùm illucescente die Wilhelmus Episcopus cum provinciali

ciali milite, cui multi Paderbornenses cives ultro se junxerant, Delbrugensibus laborantibus opportunè adfuit, armatusque se hosti in conspectum dedit. Hærebat ille partim paludibus penetrandis occupatus, partim in aperto campo explicatus. Quo priùs explorato, Paderbornensis demum signa intulit, congressusque prælio hostes cum magna clade in fugam abjecit. Capti trecenti sexaginta sex armati viri, quorum major pars è nobilitate, & civibus Susatensibus erat; cæsi complures: octingenti militares equi abducti: ingens pecunia ex prædis, captivisque conflata; Archiepiscopus & Adolphus Comes Clivensis, relictis signis militaribus, ægrè per paludes eluctati evasêre. Fugientibus inhæsêre Delbrugenses, & majori etiam strage, quàm antè inter paludes obtrivêre; visique sunt veteri Bructerorum fortitudine Delbrugenses pugnacissimos gentis animos resuscitasse; sicuti & ipsi illustrem hanc victoriam suâ virtute partam certis versibus posteritati consignarunt.

Milliabis duo CC.... Quinta Kalendas,
Decembris mensis nos undique terruit ensis,
Comes Clivensis, Præsul quoque Coloniensis,
Cives Susati, plures famuli, et bene nati,
In hac Parochia fregerunt horrea multa,
Ædes per illas combusserunt quoque villas,
Nulli parserant, Pastorem vulneraverunt,
Quorum prostrati sexenti sunt numerati,
Sunt captivati, Deo laus Baptista Joanne.

Bello hoc Fridericus Furstenbergius vir ab anno 1388 omnibus Westfaliæ bellis clarus, fidusque Colonienſi Ecclesiæ miles Friderico Archiepiscopo adstitit, quem etiam Archiepiscopus ob fidam operam, damnaque accepta largè remuneratus est.

Annus Christi 1411.

Joannis XXIII Pont. 2.
Sigismundi Imper. 2.
Wilhelmi Ep. Pad. 11.

Gobelin. Chron. M. Belgij Langius in chron. Citiz. Serrar. in Moguni. histor. Brouver. lib. 18. annal. Historia Boica.

Fluctuabat per hæc Respublica in alterum annum inter duos Reges electos, quos tamen motus brevi mors diremit. Quippe Jodocus Marchio Moraviæ designatus Rex, cum ad in eundum regnum iter Francofurtum susciperet XIII Calend. Aprilis absque liberis morte decessit, gesto tantùm per quinque menses inani regni titulo. Quare Imperii Electores ac Principes suffragiis in integrum redactis, mense Julio, nemine jam discrepante, Sigismundum Romanorum Regem dixêre. Ac memorabile, cum Sigismundus à Moguntino velut Elector Brandeburgicus vocatus accessisset, eòque ob regiam dignitatem primæ ferendi suffragij partes oblatæ essent, rogassentque cæteri, quem Regem nominaret. Me, inquit, ego novi, non perinde alios, cùm

Mortuo

cùm nesciam, an quisquam alius æquè idoneus sit capessendi orbis Imperij. Quo candore Sigismundi delectati Electores communi assensu Regem salutavere.

Jodoco Moraviæ Marchione à quibusdam in Regem Germanorum electo, solus renat Sigismundus jam unanimiter electus.

Princeps, sanè fuit, ut cùm Trithemius, aliique virum fortem, strenuum, sapientem, justum, & christianissimum appellent; ornabatque regiam majestatem corporis proceritas, religio in Deum, munificentia in omnes, eruditio & linguarum multarum peritia; quippe qui præter theutonicum idioma linguam latinam, italicam, Gallicam, Bohemicam, Sclavicam ità calleret, ut singulis congruè loqueretur; sed omnium operum ejus præstantissimum, sustulisse diuturnum tandem schisma Ecclesiæ, quo quantum laborârit facta postremorum annorum testabuntur. Quàm dissimilis Wenceslao fratri, tam ad patris Caroli IV Imperatoris indolem ex omnium virtutum lineamentis factus, creditusque passim divino munere obtigisse Imperator, qui turbatissimum Ecclesiæ statum restauraret, tam pacis artibus, quàm bellica virtute & felicitate clarus.

Bellum inter Archiepiscopum Coloniensem & Episcopum Paderb. redintegrâtur, at per arbitros componitur.

Bellum quod inter Coloniensem Archiepiscopum & Paderbornensem flagrasse diximus, hoc anno rursum fumare & scintillare cœpit. Nam cùm superioris anni ignominiosam fugam clademque in Delbrugiâ acceptam decoquere non posset Archiepiscopus, renovatâ cum Adolpho Clivensi, & Marcano Comite conspiratione, dissipatas copias instaurant, Briloniamque, Rudenam, Gesekenam, Lipstadium, aliasque finitimas civitates, ingenti præsidiariorum milite implent, & quia aperto bello non ausi sunt congredi, prædis & incursionibus vicinos agros infestavere. Nec segnior Wilhelmus Episcopus noster hîc conatibus hostium provincialem militem ad fines diœcesis tutandos objecit; inde mutuis incursionibus, prædis, & velitationibus actum; dum Episcopus noster fœdere se cum vicinis Ducibus, Comitibus, nobilibus, & Baronibus firmaret, quos supra viginti mox in armorum societatem traxit; horum confirmatus auxiliis Coloniensem diœcesin ingressus, ultusque prædis prædas, Oppidum Calenhartum expugnatum flammis absumpsit. Et quamvis hæc urerent Colonienses, & Marcanos, nunquam tamen Archiepiscopus, & Comes ausi Paderbornensem diœcesin armati intrare; ità priora terrebant vestigia. Celebris ac bellicosus per id tempus Joannes Bavarus Comes Palatinus, Leodiensium, electus Episcopus, Wilhelmi Comitis Hollandiæ, Frisiæ, & Zelandiæ frater, non tam suis quàm familiæ viribus potens; hunc Coloniensis Archiepiscopus implorat belli socium; & ille pronus ad auxilium, contracto milite, se Archiepiscopo, & Clivensi jungit, ac mox tanquam totius belli moderator Paderbornensi Episcopo per fecialem bellum denunciat, ratus famâ adventus sui ultro Paderbornensem arma positurum. Nihil his commotus Paderbornensis adventum se hostium præstolari renunciat. Igitur Coloniensis, Leodiensis & Clivensis cum ingenti exercitu

ercitu ad fines utriuſque diœceſis progreſſi, inter Briloniam, Rudenam, & Geſekenam in aperto conſtitêre; quibus & Paderbornenſis cum provinciali equitatu & peditatu obviam proceſſit, inſtructus cumprimis lanceariis, quorum ſupra mille à fœderatis ſubmiſſos produxerat in aciem, ſtabat in conſpectu uterque exercitus, neutro tamen prælij initium ſollicitante. Et verò quia Colonienſis non tam ad pugnam quàm terrorem aderat, tantumque exſpectare viſus, ut Paderbornenſis ultro ſe primum ad captivos laxandos offerret; id cùm Paderbornenſis non faceret, majorique etiam conſtantia Lancearios ſuos oſtentaret in campo ad prælium paratos, intervenêre utrimque amici & arbitri, multiſque inter partes pertractatis pacem ſanxêre, quæ ea lege inita, ut captivos ex Delbrugenſi clade quiſque ære ſuo redimeret; nec enim Paderbornenſis Epiſcopus ex injuſto ſibi bello illato quicquam remittere voluit; ex eo lytro decem millium florenorum ſumma conflata eſt, quam partim in redimenda caſtra, partim in res ſacras, partim in militum largitiones convertit. Itaque poſtquam novem magnis utriuſque diœceſis depopulationibus, & damnis decertatum fuerat, ſexto demum die Septembris ab armis diſceſſum eſt.

Eo bello tam celebre Epiſcopi Paderbornenſis nomen poſtea fuit, ut nec quiſquam vicinorum Principum Comitumve cum eo armis committi voluerit, nec diœceſin infeſtare auſus fuerit. Quemadmodum hæc Gobelinus præſens eorum temporum ſcriptor memorat, mirificéque dilaudat Wilhelmi Epiſcopi liberalitatem, qua omnium militum animos ad ſe attraxerit. Nam cum ex prædis omnia fere militibus relinqueret, tum ſupra ducentos equos fortiter pugnantibus dilargitus eſt; mirè præterea affabilis, quo conſecutus ut domeſtici extraneique ſe ad ejus militiam offerrent, pluraque ea anguſta diœceſi, quam ex ampla conficeret Colonienſis Archiepiſcopus; cui quòd arcta ad liberalitatem manus eſſet, arcta etiam fortuna ejus ſucceſſus complexa eſt.

Annus Chriſti 1412.

Joannis XXIII Pont. 3.
Sigismundi Imp. 3.
Wilhelmi Ep. Pad. 12.

Bellum quoque per id tempus fuit inter Hermannum Haſſiæ Landgravium & Joannem Naſſovium Moguntinum Archiepiſcopum Metropolitanum noſtrum; queſtuſque magnopere Moguntinus, Landgravium Mareſchallum & juratum vaſallum ſuum, cujus præterea tota provincia jurisdictioni ſacræ Moguntini Archiepiſcopi ſubjecta eſſet, arma ſumere adverſus Moguntinam Eccleſiam, eamque ſpoliis & incurſionibus prædonum devaſtare. Quæ eo etiam fœdiora erant in chriſtiano Principe, quòd majores ejus, & tota Haſſia Chriſti

Serrar. in Moguntin. hiſtor. Raynald. in hiſtor. Eccleſ. Nauclerus Aretinus in hiſtor. Ital. Brouver.

Chriſti religionem à Moguntinis Epiſcopis antiquitus edocta acceperit, ideo confidere Deum ſibi in tam ingrato hoſte repellendo adfuturum. Interim quia Archiepiſcopus non modò Alexandro Pontifici ex Piſano Concilio, ſed & Joanni XXIII hærebat ex ſchiſmate, Cregorius XII Pontifex Landgravij ad ſe appellantis, & contra Archiepiſcopum ſuum Catholicorum partes tuentis patrocinium ſuſcepit, eique ſicut cæteris per Saxoniam Principibus publico diplomate multa privilegia indulſit; interque alia Clericis per Haſſiam poteſtatem fecit, quemlibet Epiſcopum adeundi, à quo conſecrarentur; populo ſimiliter facultatem dedit, deligendi ſibi ſacerdotes, modò idonei ſint, à quibus Sacramenta ſibi adminiſtrarentur, per quos etiam ex ſchiſmate Eccleſiæ reconciliari poſſent; idemque Pontifex, ut Germanorum Præſules ſibi devinciret, Wernerum Trevirenſem Archiepiſcopum, Rabanum Spirenſem Epiſcopum, & Conradum de Suſato Wormatienſem Præpoſitum, gente ut diximus, Weſtfalum in Cardinalium numerum cooptavit; adeo commune per id tempus ſchiſma Germaniam & Saxoniam etiam conturbabat.

lib. 18. Chron. Citizenſe Calviſius. Diſſident inter ſe Archiepiſcopus Moguntinus & Landgravius Haſſiæ.

Tantò nunc ſollicitior Sigismundus Cæſar, omnes curas, omniaque conſilia ad publicam Eccleſiæ pacem reddendam convertit; quamvis hoc altero Imperij anno multum regni Ungariæ & Bohemiæ turbis præpeditus, belloque etiam ancipiti cum Venetis commiſſus, ea, quæ verſabat cum animo, aggredi nondum licuerit. Interim fœdere cum Uladislao Poloniæ Rege inito, Marchiáque Brandeburgicâ per Marchionem Olnozbacenſem in fidem acceptâ, á Joanne XXIII Pontifice, cui ſe addixerat, in Italiam ad inſignia Imperij capeſſenda evocatus fuit; eò pronior etiam ad imperata, quòd à Pontifice regnum Ungariæ poſteris hæreditarium obtinere confideret.

Sigismundi Imp. geſta.

Ea in Eccleſiæ perturbatione inter duos Romanos Pontifices mirum, quanta cleri populique diſſolutio & inſolentia adverſus ſacrorum Præſules; qua haud leviter jactatus Wilhelmus Epiſcopus noſter. Is quidem anno ſuperiori potentiſſimos hoſtes feliciter obtriverat, totamque diœceſin ab exteris quietam poſſidebat, nec tamen ab inteſtinis malis liber eſſe potuit. Provocârat ille cives ob conſpirationem cum Abbate Abdinghoviano ad tribunal Ruperti Cæſaris. Verùm Cæſare Epiſcopi avunculo mortuo, multò pertinaciùs cives in conſpiratione cum Abbate & turbulentis quibuſdam clericis perſiſtunt. Id cùm eò minùs ferendum eſſet Epiſcopo, quòd & judicium Eccleſiaſticum Bilfeldiam translatum Paderbornæ ſecutum non eſſet, & cæteri Clerici miniſtrique multis injuriis tractarentur à civibus, ipſe pacis & concordiæ cauſa appellavit ad arbitros, vicinos nimirum Epiſcopos, Principes, & Comites, paratus quidquid horum judicio decideretur, ſe acceptaturum; quod cùm & Capitulum & cives detrectarent, Epiſcopus cives evocavit ad tribunal extra urbem in aperto campo; atque ut extra metum res transigeretur,

Rebellio Capituli & civium Paderborn. contra Epiſcopum ſuum.

quingentos lancearios, quos adesse jussit, dimisit. Sed nec ullus civium ex urbe prodire dignatus. Quo Episcopi sui contemptu offensi ministeriales quidam cœpêre prædis & captivitate exagitare non modò cives, sed & Capituli ministros. His exacerbati cives, & plerique ê Capitulo, novâ factâ conspiratione Comitem Bernardum de Lippia sibi deligunt moderatorem diœcesis, abjuratoque Episcopo Comiti juramentum dicunt; quod ille tanto fœdius admisit, quòd & Episcopi vasallus esset juramento obstrictus, ac paulò ante Episcopus filium ejus è fonte baptismatis levasset. Accessêre in hanc conspirationem tria Oppida Warburgum, Brakelena, Borchentricum, cum quinque vasallis Episcopo perfidis. Cæteri ministeriales & Oppida fœdere cum Episcopo renovato in fide permansêre. Partibus in hunc modum collisis, flamma intestini belli erupit. Actum utrimque publicis literis & prædis, frustraque Episcopo etiam ad judicium regium, quod tum in Westfaliæ provinciis obtinuisse auctoritatem scribit Gobelinus, provocante, arma adversus rebelles corripuit, confisusque vicinorum Ducum, Comitum, Baronum, & nobilium suorum auxiliis, cum agmine mille & trecentorum Lanceariorum, magnoque peditatu in conspectum urbis progressus est; quos cùm ex altera urbis parte castra figere jussisset, ipse ex altera parte urbis tribunal erexit, civesque juxta ac Canonicos ad judicium vocavit. Horum quia nemo prodiit, Episcopus versis armis in conjurata Oppida Warburgum, Brakelenam, & Borgentricum, agros eorum pervastat, graviora etiam Paderbornensibus intentando. Id verò malum ne longiùs serperet, intervenit Bernardus Dux Brunswicensis cum proceribus Westfaliæ, urbemque & Episcopum in Oppido Luidneâ lege composuit, qua cives certam pecuniæ summam intra sex menses in pœnam rebellionis penderent, cætera jure disceptando æquarent. Ita quidem tum conventum, & ab armis discessum; verùm nihil horum præstitêre cives, regressique ad rebellionis cœpta Bernardum *Lippiensem* Comitem advocant, quocum interea novum fœdus *inierunt* contra Episcopum, in quod cætera quoque Oppida cum *Capitulo* conjuraverunt. Inde omnia rursum spoliis, & hostilibus armis per diœcesin misceri. Ea tum urbium passim per Saxoniam luxu, & opibus abundantium insolentia erat. Sed Episcopum quoque sua pœna ex rebellione civium consequi visa, quem nulla adhuc sacerdotali consecratione præditum in throno Episcopi conspexerant; compertumque, religione sacrorum multò sæpè potentiùs trahi populos ad obsequium & venerationem Episcoporum, quàm incusso armorum terrore.

Annus Christi 1413.

Joannis XXIII Pont. 4.
Sigismundi Cæsar. 4.
Wilhelmi Ep. Pad. 13.

At

At nihil interea Sigismundus Imperator, quem anno superiori à Joanne Pontifice in Italiam invitatum diximus, sollicitiùs habuit, quàm ut cum Pontifice de calamitoso schismate tollendo, quo jam per 30 annos lacerata Ecclesia, coram tractaret; id cùm antè Imperator per literas & legatos constanter egisset, tum non aliud præsentis hujus mali remedium habebat, quàm Generale Concilium á Pontifice sollicitatum; verùm cùm multa occurrerent de loco, tempore, ac modo, Pontifex duos Cardinales Legatos cum amplissima potestate misit ad Imperatorem, à quibus Constantia urbs Imperatoria locus Concilij est nominatus. Non illo satis habebat Imperator, sed ipse in Italiam itinere suscepto cum Pontifice coram agere volebat. Constituerat enim in Galliam, Hispaniam, Britanniam proficisci, & ut postea fecit, summa Christianæ Reipub. capita adire, ad concordiam Ecclesiæ tandem reddendam. Igitur Lautiæ in Gallia Cisalpina cum Pontifice congressus, permovit, ut anno sequenti Constantiæ Generale Concilium indiceret, ad quod etiam Pontifex scriptis ad omnium nationum Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ac Præsules Ecclesiarum literis singulos invitavit.

Gobelin. ætat. 6. Theodor. à Niem. Naucler. Chron. M. Belgij Raynald. in histor. Ecclesiast. Brouver. lib. 18. Trevir. Cuspinianus.

Sed & alia convocandi Concilij urgebat causa Imperatorem Hussitarum videlicet hæresis, quæ auctore & hæresiarcha Joanne Hus Bohemo Sacerdote primò scholas & urbem Pragensem corruperat. Inde jam per aliquot annos sub Wenceslao Rege mortalium ignavissimo impune magnoque populi & nobilium plausu grassabatur per totam Bohemiam; ac nihil ex hac peste propius erat, quam ut depravato morum sæculo vicinas provincias, totamque Saxoniam, & Germaniam inficeret.

Initia Hæresis Hussiticæ.

Enim vero hæc pestilentissima Hussitarum hæresis, ut id quoque hoc loco interseram, ex Anglia in Bohemiam delata, auctorque primus Joannes Wiclefus, homo sceleratus, qui hæreses suas ex Berengario, Waldensibus, aliisque damnatis fœdisque superiorum temporum sectis collegerat, odioque cumprimis in clerum, & Magistratus sacros politicosque in Anglia disseminare cœperat, nunc has, nunc illas hæreses addendo; sed eæ Pontificis jussu à Cantuariensi potissimum, & Eboracensi Archiepiscopis palam in synodis damnatæ, proscriptæ, itaque compressæ fuêre, ut caput efferre non liceret. Hujus tamen libri postquam ab Hieronymo Pragensi, aliisque qui in Angliam studiorum causa venerant, in Bohemiam deportati fuerunt, oblatique sunt Joanni Hussio Parocho in æde D. Matthiæ & Matthæi Pragæ, qui cum simulatione sanctitatis multos sibi in Bohemia devinxerat, virus illud Wiclefi Bohemico sermone populo propinavit, & qua erat eloquentia præstantior, quam doctrina totam urbem infecit, palampro concione laudando Wiclefum, doctrinæ ejus veritatem supra omnia SS. Patrum scripta, & Concilia extollendo; auditusque aliquando dicere, non alio se post mortem optare in loco esse, quam ubi

Acta Concilij Cochlæus Æneas Sylvius Naucler. Gobelinus Chron. M. Belgij fol. 329. Raynald. in histor. Ecclesiast.

anima Wiclefi sit, viri sancti, cœloque digniſſimi. Inde ingens excitatum desiderium inter studioſos & Clericos, legendi Wiclefi libros; sequebanturque Huſſium Clerici ferè omnes ære alieno gravati, flagitiis infames, & ad seditionem proni; qui postquam lautiora sacerdotia assequi non poterant, prorupêre maledictis in Præsules, calumniis in Catholicos, concitatione in populum. Hos inter Huſſio se adjunxit Hieronymus Pragensis artium liberalium Magister, doctrina etiam, quam in Anglia imbiberat, Huſſio præstantior, homo furioſus, & fax totius hæresis, qui etsi nullis sacris ordinibus esset initiatus, sacerdotalibus tamen vestibus indutus sacerdotis munia obibat, & docendo, peragrandoque Bohemiam, Poloniam, Moraviam, callidis artibus, & persuasionibus incautos in hanc novam sectam pertrahebat.

Jam verò quia Huſſius cum Hieronymo Pragensi ipsam Wiclefi iniquam doctrinam disseminando profitebatur, Sobinko Pragensi Archiepiscopus vir religione egregius, convocata præsulum & Sacerdotum synodo, quadraginta quinque Wiclefi hæreses damnavit; simul cuti hæ postea etiam à Patribus Concilij Constantiensis condemnatæ sunt, quanquam Gobelinus noster supra CCXL Wiclefi hæreses in Concilium productas referat. Per id tempus simul Archiepiscopus omnes Wiclefi libros, quorum supra ducenta volumina, pleraque auteis & argenteis involucris intecta erant, ad se deferri, & publicè concremari jussit. Inde Huſſio, ne virus latiùs spargeret, publicum docendi munus interdicit; is tamen licet Praga ejectus, in vicina urbis Parochia ex qua oriundus erat, non destitit patrocinante loci domino, & Wenceslao Rege dissimulante, hæreses suas libere docere, & calumniis debachari in Ecclesiarum præsules. Ad Wiclefi hæreses addidit Huſſius suas adjuvante Hieronymo Pragensi, sicuti earum supra triginta post in Concilio Constantiensi doctiſſimorum Patrum sententia palam damnatæ fuêre.

Dogmata hæresis Huſſiticæ.

Juvat nunc Huſſitarum hæreses, quas Huſſius ex Wiclefi *libris* conflavit, & à Cochlæo, Nauclero, Gobelino nostro, aliisque *proferuntur*, hìc aliquas proferre in medium, ut ex his pestifera semina recognoscantur, ex quibus postea Lutheri, Calvini, aliorumque nostro sæculo hæreses enatæ sunt. Dogmata proinde Huſſitarum erant: Ecclesiam solum prædestinatis constare: Pontificem Romanum cæteris Episcopis parem esse: abolendum omnem Ecclesiæ primatum & Hierarchiam: inter Sacerdotes nullum esse discrimen, presbyterum non dignitate, sed vitæ merito potiorem censendum; eum, qui mortiferi peccati reus sit, neque Ecclesiastico, neque sæculari magistratu defungi posse, quare nec ijs parendum esse; similiter Episcopum & sacerdotem peccato mortifero obnoxium, nec ordines veros impertiri, nec consecrare, nec ullum Sacramentum ne baptisma quidem conficere: Munus docendi cuilibet à Deo esse permissum: animas

corpore

corpore exutas aut in perpetuos ignes, aut cœlum migrare; proinde nullum purgatorij locum relinqui, vanum esse pro mortuis aut sacrificia, & preces, aut alia offerre; quòd ea Sacerdotum avaritiæ explendæ causa excogitata sint. Parem esse in cultu Sanctorum & imaginum vanitatem, eòque imagines omnes è templis eliminandas. Et quantum non vulnus omnibus Sacramentis intulêre? dogma enim præterea erat in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem manere substantiam panis & vini, neque in eâ verè præsens esse Christi corpus, quorum altero Lutheri hæresi, altero Calvini ostium cum Berengario aperuit. Nullum esse fundamentum in scriptura, quo sacrificium Missæ asseratur: confessionem peccatorum non nisi per nugacem doctrinam obtrudi, satis ad illa expianda esse dolorem, & confessionem in cubili factam: Confirmationem, extremamque unctionem è numero Sacramentorum, & usu Christianorum excludendam, nullam sacri olei permittendam unctionem vel in sacramentis, vel in aliis sacris ritibus. Cæteras deinde cæremonias in consecrandis vestibus sacerdotalibus, in altaribus, benedicenda aqua, palmis, cereis, aut Deo consecratis hominibus superstitione plenas esse. Ordines ipsos religiosorum hominum cumprimis Mendicantium Diaboli esse commenta, & qui illos primùm instituerunt, impios fuisse, & à dæmone delusos; proinde Cœnobia omnia extinguenda esse, nec inter christianos censeri debere, quotquot in ijs vitam Deo consecrent, quod inutiles reddantur ad mandatorum divinorum observationem, neque ijs ullam largitionem faciendam, aut possessiones permittendas; quòd Monachis non minus, quam sacerdotibus labore manuum vivendum sit. Similiter Academias, Collegia, gradus Doctorum, & Professorum ex gentilium ritibus à Diabolo esse introducta: Excommunicationes, censuras Ecclesiæ, indulgentias inter ludibria habendas; quòd quæstus causa repertæ sint. Nihil meriti esse in jejuniis: frustra teri tempus horis Canonicis legendis: cæteros festos dies præter diem Dominicum proscribendos; Constantinum M. Sylvestrum Pontificem, cæteroſque Reges & Principes, qui Ecclesias dotarunt tot bonis & possessionibus, à Diabolo seductos esse, D. Petrum Apostolum nunquam fuisse caput Ecclesiæ, eòque nec Pontifices esse vicarios Christi; imo Pontifices cum Episcopis & religiosis omnibus ad inferos cum hæreticis detrudendos esse, nec aliam esse in Pontifice & Episcopis potestatem, quam quæ á Cæsare cum illis communicata sit. Quidquid demum agant homines omnia de necessitate absoluta evenire; eò quòd nulla liberi arbitrij facultas homini relicta sit; & quæ hujusmodi multæ nefandæ, & execrabiles hæreses ex Wiclefi & Hussij secta producuntur à scriptoribus, ut horum impia doctrina non aliter censeri debeat, quam ovum, ex quo postea Lutheri & Calvini hæresis excusa sit; atque ut illi duo Hæresiarchæ Wiclefus & Hussius nulla in re magis furiosi fuêre, quàm in

Aposto-

Apostolica sede,& Hierarchia Ecclesiæ convellenda: ita omnium Hæresiarcharum nostri sæculi, omniumque hæreticorum non alius primùm labor, & insanus furor fuit, quàm in Romano Pontifice, Episcopis, & Monachis oppugnandis; quo orbi & posteritati constaret, uno omnes hæresis spiritu cum priscis hæreticis agitatos fuisse. Verùm qui omnium priscorum hæreticorum vertiginis spiritus fuit, hæresin suam in alias atque alias sectas dividere, & in nulla certa consistere; ad hunc modum Hussitæ se divisêre in tres principes sectas, quarum prima Pragensium, secunda Orphanorum, tertia Thaboritarum fuit, primi tolerabiles, postremi pessimi; omnes tamen hi Evangelicorum nomen, sibi ausi sunt sumere; ac quantumvis inter se sectis diversi, alteraque secta alteram, ut schismaticam & hæreticam insectaretur; ubi tamen a Catholicis oppugnari cœptæ, in unam hæresin, armorumque concordiam redière.

Accessit postremùm Petrus Dresdensis novæ hæresis auctor, patria Misnienſis, in qua primum apud suos, deinde Chemnicenses, & Zwiccavienses, uti Fabritius refert, scholas rexerat. Is patria pulsus, Pragam asylum hæreticorum repetijt, & Jacobellum Misnien. sem in æde S. Michaelis concionatorem adijt, mirari se, inquiens, doctos viros nondum errorem Eucharistiæ sub una specie hactenus præbitæ advertisse, qui tam clarè ex Evangelio S. Joannis revinci possit. His permotus cœpit palam in æde D. Martini populum concitare, persuadereque, nemini salutem & cœlestem vitam promissam esse, nisi & in calice sub altera specie Eucharistiam perciperet. Ea nova doctrina cum tanto mox plausu ab omnibus Hussitis est excepta, ut per omnia templa suorum conventuum communionem sub utraque instituerent, quam & post cœnam passim, non jejunis, neque ulla confessione expiatis vesperi visi sunt dare, & per plateas triumphi in modum ab una Ecclesia in aliam deferre; fuêreque multi sacerdotes eorum, qui Missam & novam illam cœnam sine altari & indumentis sacris celebrarent. Hunc in modum Pragæ & per Bohemiam omnia sacra profanaque miscebantur, hæresi impune ob desidiam Wenceslai Regis debacchante. Pragensis Archiepiscopus, ubi nullum à Wenceslao Rege subsidium remediumque impetrare potuit, ad Sigismundum fratrem Regis appellat. Verùm cùm & ille publicis implicatus tardaret, moritur interea Archiepiscopus, cui Albicus Regis medicus successor datus, extremæ, ut Nauclerus ait, barathrum avaritiæ. Inde Husitarum hæresis multò liberius per urbem & regnum grassari visa est.

His tandem malis ut occurreret Sigismundus Cæsar, quòd ea pro singulari prudentia & religione altiùs complecteretur tum animo quàm ceteri per Germaniam Principes, maturandum hoc anno censuit Concilium Constantiense, quo communi ope & manu incendium hæresis extingueretur. Multumque simul his publicis Rei-

pub.

pub. curis distinguebatur, quo minus cætera per Imperium Principum dissidia turbasque componeret.

Wilhelmus Ep. Paderb. cives Paderb. alios que rebelles apud summum Pontificem accusat.

Hic conturbatus rerum status, quo parum subsidij à Sigismundo Cæsare exspectari poterat, audaciores quoque fecit Paderbornenses cives, & factiosos Canonicos; nihilque veriti Wilhelmum Episcopum suum, Comiti Lippiensi tradidêre imperium armorum suorum, ejusque præsidio insultare Principi suo, turbare omnia jura sacra profanaque in urbe, diœcesin novo bello implicare. Wilhelmus antistes, qui hactenus contra potentiores hostes armis triumphârat, etsi nec Comitem, nec urbem Paderbornensem formidaret, atque armis etiam suis, auxiliisque vicinorum Principum, ac Comitum facile urbem subigere se posse ediceret; maluit tamen via cœpta juris & compositionis progredi. Quapropter omnem controversiam cum civibus ad Sedem Apostolicam, & tribunal Joannis XXIII Pontificis detulit. Missus in hanc rem Procurator Romam cum hujusmodi libello supplice, quem hic uti ex tabulario Ravensbergensi accepimus, juvabit referre.

Beatissime Pater, exponitur B. V. proparte devotæ creaturæ VC. Wilhelmi nati quondam Ducis de monte, electi Paderbornensis, et Nepotis divæ memoriæ quondam Domini Ruperti Romanorum Regis, et dicitur quod Consules, Proconsul, et cives Paderbornenses, postquam sibi de Ecclesia Paderbornensi per Sedem Apostolicam provisum extitit, eidem electo fidelitatis et Homagii, quemadmodum suis prædecessoribus fuit consuetum, præstiterunt juramentum, nonnulli tamen, Consul, et cives Paderbornenses, nescitur quo spiritu ducti, in reprobum sensum dati, post hujusmodi præstitum juramentum tam contra libertatem Ecclesiasticam, quam etiam contra statum dicti Domini Electi multipliciter machinantes, certum ediderunt seu fecerunt edictum, videlicet quod exequiæ defunctorum non debeant in dicta civitate Paderbornensi de cætero peragi nisi tantum diebus dominicis nec campanæ pro exequiis hujusmodi peragendis nisi diebus Sabbathinis pulsari, per quæ oblationes et offertoria Clero detrahuntur, et divinus cultus non mediocriter una cum devotionibus Christi fidelium innovatur. Insuper ipsi cives contra prohibitionem Apostolicam die Jovis sancta pronuntiari, et singulis annis renovari consuetam, qua extantur novas gabellas, seu dacias imponentes quandam novam gabellam sive datiam in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis circa venditionem potus illius communis patriæ cerevisiæ nuncupatæ, nec non etiam alias res vendibiles videlicet frumenta et blada imponere præsumpserunt, ipsi causam interea statuerunt, quod nullus sive clericus sive laicus in civitate prædicta moram trahens forensi extra civitatem hujusmodi res vendibiles vendere debeant, nisi solum incolis ad effectum, ut præsint, quod ipsi cives hujusmodi res, quas venditiones pro earum usu forensibus melius vendere possent, pro suo libito, et ad eorum beneplacitum pro majori pretio valeant extorquere. Item portas communitatis Ecclesiæ Paderbornensis pro libertate consueta conservanda et reliquarum Ecclesiarum, et personarum Ecclesiasticarum

rum in immunitate, consistorii securitate singulis noctibus claudi solitas vi ruperunt, et aperuerunt, mandantes, quod hujusmodi portæ de cætero claudi non debent, immunitatem hujusmodi temere violando, nec non transitum dictarum portarum in usum Laicorum, et in stratam publicam redigendo. Ceterum de agris arabilibus in campis fructiferis ad mensam Episcopi spectantibus temeritate propria fossata pro fortificatione civitatis ad effectum ut præsumitur, quod cum majori temeritate eorum Episcopo et Domino resistere, et sibi injuriari possent ad suæ libitum voluntatis. Item ipsi cives, Consules et Proconsules contra juramentum fidelitatis prædicto Domino Electo, ut præfatum præstitum tamen venientes cum certis Canonicis Ecclesiæ Paderbornensis præsertim cum Ottone Spegel, Hinrico Westphael, et Hilbrando de Usler in civitate Paderbornensi domicilia habentibus, et eis ut creditur non amore, sed timore in præmissis adhærentibus, nec non certis dicti Domini Episcopi subditis, et præsertim cum nobili Domino Domicello de Lippia, nec non certis aliis eorum in hac parte complicibus contra dictum Dominum electum ligam et conspirationem inierunt publice sine causa rationabili conspirantes et sibi multipliciter injuriantes. Item ut ipsorum malum propositum possent continuare, etiam hujusmodi rebellione et pertinacia perdurare, coram quocunque judice ordinario vel delegato extra civitatem Padeburnensem deputato stare juri, et coram eis de jure respondere, recusant. Item à septem annis citra Decano Padeburnensi injuriantes in juribus ad decanatum spectantibus ausu sacrilego violenter spoliarunt, et in quendam ipsius Ecclesiæ Canonicum pro defensione dictorum jurium se opponentium manus violentas injecerunt, et certos alios Canonicos ipsius Ecclesiæ in hujusmodi defensione contravenientes etiam armis offensibilibus in fugam converterunt. Et his non contenti, sed mala malis continue cumulantes, dum idem Dominus Electus vocatis nonnullis prælatis, et aliquibus dictæ Ecclesiæ Canonicis Monasterium SS. Petri et Pauli Padeburn. ac ejus Abbatem et Monachos nunc minime exemptos, sed sibi immediate subjectos visitare vellet, prout ex debito pastoralis officii poterat et debebat, nonnulli ex civibus et Consulibus hujusmodi ipsis Abbati et Monachis faventes præfatum Dominum electum in exercitio visitationis hujusmodi adeo impediverunt, et fecerunt, quod eadem visitatione non sortita effectum, Abbas et Monachi pro eorum excessibus non correcti in eorum obstinatione et pertinacia remanserunt, et sub colore ejusdem prætensæ appellationis se à præmissis extraxerunt. Beatissime Pater diversas alias injurias et molestias ipsi cives dicto Domino Electo, et Clero conjunctim et divisim diversis vicibus intulerunt, et cotidie hora captata inferre non formidant, quibus idem Dominus Electus assistentia Regum, Ducum, Comitum, Baronum, aliorumque nobilium, et suorum consanguineorum posset resistere manu forti, et tam ipsos cives, quam ipsam civitatem ad notabilem, et detestabilem desolationem producere, sed attento, quod Ecclesia Cathedralis, et certa alia loca Ecclesiastica, et religiosa sunt in ipsa civitate situata, invitus vellet esse occasio tanti mali, unde tam Ecclesia, quam hujusmodi loca, quia totus clerus ibidem ruinam quodammodo irreeuperabilem paterentur. Quare idem Electus cupiens in præmissis

missis potius viâ juridicâ incedere, quam potentiâ laicali, recurrit ad pedes V. B. pro remedio oportuno humiliter supplicando, quatenus alicui ex Reverendissimis in Christo Patribus et Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus committere dignemini, et mandare, qui se de præmissis summariè, simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figurâ judicii informet, et singulos superius nominatos, cum cæteris rebellibus in pœnas et censuras Ecclesiasticas à jure, vel ab homine inflictas incidisse declaret. Et quæ hujusmodi multis expetuntur, additis etiam, accusatisque quibusdam ex presbyteris, & Clericis Paderbornensibus, qui in eandem conspirationem venerant. His Episcopi querelis acceptis Joannes Pontifex, causæ cognitionem, judicationemque commisit Francisco Cardinali Venetiarum judici. Et ille expensis accusationum momentis, Paderbornenses Romam ad dicendam causam citat, literis in diœcesin transmissis, & publicè Hervordiæ, ac Bilfeldiæ intra diœcesin Paderbornensem promulgatis; sicuti hæc Cardinalis auctoritate Pontificis anno à nativitate Domini 1413, Indictione sextâ, die mensis Maji duodecimâ, á se acta testatur.

Annus Christi 1414.

Joannis XXIII Pont. 5.
Sigismundi Imp. 5.
Wilhelmi Ep. Pad. 14.

Succedit annus decimus quartus, supra millesimum, quadringentesimum, qui cœpto Concilio Constantiensi non modò Reipublicæ Christianæ, sed & Ecclesiæ Paderbornensi magnam mutationem attulit obitu Friderici Sawerdani Colonensis Archiepiscopi, viri, qui inter varios bellorum casus, turbasque Westfaliæ, magnis animis in quadragesimum annum administrârat Archiepiscopatum, is postquam VIII Idus Aprilis excesserat è vita, haud leve inter Canonicos dissidium est exortum ob duos Candidatos Archiepiscopatum prensantes, Wilhelmum videlicet Paderbornensem Episcopum nostrum, & Theodoricum Mörsanum Bonnensem Præpositum. Sollicitabat pro Wilhelmo, Adolphus frater Dux Montium & Comes Ravensbergensis, Reinaldus Dux Juliæ, & Gelriæ, aliique Principes, quos ex Palatina familia sibi consanguineos habebat; accedebat nobilitas, quæ Wilhelmum expetebat. Quare plerique ex Canonicis suffragia illi addixisse ferebantur. Theodoricum Mörsanum commendabat grata avunculi memoria; quippe qui ex sorore Friderici Archiepiscopi natus erat, eoque plures sibi ex Canonicis adjunxerat. Igitur Canonicis in partes distractis, alij Bonnam commigrârunt, alij in urbe remansêre; à quibus cum Wilhelmus Episcopus noster deligeretur, ij qui Bonnæ erant offensi, 8 Kalend. Maji elegerunt Theodoricum Mörsanum; auctorque est Gobelinus, ex his magnam partem corruptos fuisse muneribus. Id quoque & in aula Pontificis factum fuisse scribit Gobelinus & Theodoricus à Niem, ex ea-

Gobelinus Chron. Colon. Gelenius in Sacrario. Mersæus Chron. M. Belgii.

Coloniæ 2 Archiepiscopi eliguntur Theodoric⁹ Mörsanus, & Wilhelm⁹ Montensis, Episcop⁹ Paderb.

que pecunia, inquit, Pontificem apparatum feciſſe, accedendi ad Concilium; id quod facilè illi fuit; eò quòd poſt exceſſum Friderici Archiepiſcopi maximam partem theſauri à Theodorico relictam ad ſe traxerit, ex quo largitiones illas fecerit. Acceſſit haud multò pòſt Sigismundi Regis, & Joannis Moguntini Archiepiſcopi commendatio apud Joannem Pontificem pro Theodorico ſollicitantium, qua Pontifex permotus Theodoricum dixit Archiepiſcopum. Jam & Canonici eò proniores acceſsêre ad Theodorici partes, quòd is plera-que Oppida & caſtra poſt exceſſum Friderici Archiepiſcopi occupaſſet, ex quibus vim & arma intentabat. Contra Wilhelmus Epiſcopus noſter, non modò ad Sedem Apoſtolicam, atque ad unicum, verum, & indubitatum Pontificem Gregorium XII, ſed & ad Generale Concilium, quod hoc anno Conſtantiæ cœptum erat, appellabat, criminique dabat, Theodorico Mörſano, quod auro eligentium ſuffragia occupârat, & per arma intentata ſe obtruſiſſet Epiſcopum. Hanc appellationem ſuam Wilhelmus palam Coloniæ ad valvas Eccleſiæ præfigi juſſit. Quemadmodum hæc Gobelinus noſter retulit, qua in re diſpares ex partium ſtudio, duo celebres Paderbornenſes noſtri ſcriptores Gobelinus & Theodoricus Niemius, uterque curia-rus Romæ in curia. Quem enim Gregorium XII Gobelinus vocat verum & indubitatum Pontificem, hunc Niemius appellat errorium Pontificem, & quem Niemius vocat Joannem Pontificem, hunc Gobelinus Joannem Bonnonienſem ſcribit, nullo veri Pontificis titulo dignatus. Id Gobelini noſtri judicium probat Raynaldus in hiſtoria Eccleſiaſtica, cæterique meliores ſcriptores, à quibus Gregorius in faſtis, & cenſu ligitimorum Pontificum retinetur.

Turbatur Diœceſis Paderborn. ob rejectum Wilhelmum à ſede Colonienſi.

Acriter ſimul Wilhelmi fratris ſui cauſam defenſionemque ſuſcepit Adolphus Dux Montium, Ravensbergenſis Comes; miſſisque Romam cum magno ſplendore ad Gregorium XII Pontificem Legatis, Wilhelmi electionem adverſus Theodoricum confirmari petijt, atque ut tum ſtudia Pontificum ſibi adverſabantur in demerendis Germanorum Principum animis, facilè patrocinium Gregorij Pontificis impetravit, multoque æquius res agebatur in aula Gregorij, quam Joannis Pontificis. Nam ut ex alio Joannis Pontificis decreto conſtat, aula illius Abbatis Abdinghoviani & Monachorum adverſus Epiſcopum patrocinium ſuſcepit, cenſuris etiam Epiſcopum perſtringendo; qui tamen diſſolutam Cœnobij diſciplinam, ut ſupra retulimus, inſtaurandam ſuſceperat; adeo quia Romæ omnia ex ſchiſmate perturbata erant, multa etiam in Germania turbari neceſſe fuit. Interim dum hæc Romæ diſceptantur, inter utrumque electum Archiepiſcopum, domi armis pugnatur, alijs per diœceſin Colonienſem pro Theodorico, aliis pro Wilhelmo Epiſcopo noſtro arma ſuſcipientibus, ſed acerbior belli motus in ipſa Paderbornenſi diœceſi. Nam poſtquam Roma à Joanne Pontifice literæ advenerunt, quibus

Theo-

Theodorico Mörsano Archiepiscopatus deferebatur, idque Paderbornæ cognitum fuit, cives & factiosi Canonici palam in partes Theodorici transiêre, fœdereque cum Theodorico inito rebellionem adversus Wilhelmum Episcopum cœptavêre. Constituerat Wilhelmus antequam Coloniam ad electionem iret, Vicarium Generalem in sacris, & judicem Ecclesiasticum; Duci deinde Bernardo Brunswicensi tradito castro Dringenbergico superioris diœcesis, & Bernardo de Horde ex castro novo inferioris diœcesis vicariam gubernationem commiserat; Lichtenoviæ præterea; & Cleinenbergæ Fridericus Driburgensis, Steinhemio Reinerus de Lippia equestris ordinis vir impositus erat. Hos omnes Wilhelmi Ministros, Capitulum & cives Paderbornenses per absentiam antistitis exauctoratos ejiciunt, totiusque diœcesis civilem administrationem detulêre Bernardo Comiti Lippiensi, quem jam antè tutorem diœcesis adlegerant, omniaque tanquam ex sede vacante suo sibi imperio vendicârunt Canonici; inde vasalli à juramento Wilhelmi absoluti, ministeriales à fide abstracti, nobilium alij minis, alij promissis, in partem conspirationis traducti; Castrum Beverungenum ad Visurgim astu Dringenbergensium Oppidanorum interceptum, exturbato Brunswicensi Duce, utrique præfectus suarum impositus. Hunc in modum cætera oppida ad rebellionem concitata; ardebatque diœcesis intestinis turbis, deprædationibus, & castrorum oppugnationibus calamitosius, quàm ab ullo extero hoste divexari posset, Pejora per hæc consilia agitata. De ipso Episcopo exauctorando, & in locum ejus Theodorico Mörsano subrogando. Tam ingrati & immemores omnium beneficiorum, quæ à Wilhelmo Episcopo acceperant. Reperio literas quibus Paderborna urbs. Præpositus, Decanus, & Capitulum Cathedrale. Bernardus nobilis de Lippia, Henricus Spiegel, ejus filius Joannes, & Joannes Westfal equites, Bernardus de Ascheburg, Joannes ejus filius, Albertus ab Haxthusen, Henricus Stapel, Oppidaque Warburgum, & Brakelena, ipso die Julianæ Virginis fœdus contra Wilhelmum Episcopum suum iniêre. Contra, pro Wilhelmo Episcopo tuendo fœdus pepegêre, Wilhelmus nobilis de Buren, Hermannus ab Horde, aliique è nobilitate viri, id quod festo Matthiæ juratum.

Observavit Gobelinus, quo die ex allato cognitoque decreto Joannis Pontificis Paderbornensis se Theodorico Mörsano per fœdus junxêre, conspirando adversus antistitem suum, altera nocte, quæ in ultimum Augusti diem ibat, Paderbornam horribili tempestate concussam, interq; continua tonitrua, incidens in turrim validissimo impetu fulmen duos grandes Basilicæ lapides ex angulis oppositos dejeciisse ac in minuta fruſtra comminuisse, tantò fragore, quo sonitus campanarum abruptus, & qui pulsando funes trahebant, in terram prostrati sint; haud dissimilem tempestatem, fulminumque horrisonos jactus observârunt ad Theodorici Mörsani ingressum

Atrox tempestas Paderbornæ.

in urbem Paderbornenſem, & ad poſtremum diem, quo è vita exijt; tanquam ad fatales civiliū ſeditionum turbines & bellorum tempeſtates natus expeditusq; fuerit Epiſcopus, quæ tempori memorabuntur.

Petrus à Beka in Aquis. c. 7. Gobelin. etat. 6. c. 94 Chron. Colon. Pontan. l. 8. Geldr. Chron. M. Belgii. Raynald. in hiſtor. Eccleſiaſt.

Sigiſmundo Aquisgrani coronatur.

Finc dehinc anni Sigismundus Rex, una cum Barbara conjuge ſeptus numeroſo procerum comitatu ad Rhenum deſcendit, ac IV Novembris die Aquiſgranum ingreſſus ad auguſtalem coronam ritu majorum accipiendam; quod eo potiſſimum conſilio à Rege maturatum, ut majori auctoritate ac ſplendore Concilio Conſtantienſi intereſſe poſſet. Deduxêre Regem ſeptem Epiſcopi, Principes octo, decem ac centum Comites, ſexcenti amplius equeſtres viri, ſex millia ſelectorum militum; interque ſacrorum præſules adfuêre Wernerus Trevirenſis & Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopi, Gregorius Patavienſis, Joannes Herbipolenſis, Rabanus Spirenſis, Joannes electus Leodienſis Epiſcopi. Multi præterea Principes, Rudolphus Dux Saxoniæ, Carolus Lotharingiæ Dux, Reinaldus Juliacenſis & Geldriæ Dux, Fridericus Burgravius Norimbergenſis, Adolphus Cliviæ, Guntherus Schwartzenburgi, Adolphus Naſſoviæ, Emicho Leiningæ, Joannes Catzenelebochi, aliique quam plures Comites, in quorum corona, Sigiſmundo die VIII Novembris Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, ſolemnibus cæremoniis Imperiale diadema impoſuit. Tradit Gobelinus noſter, Theodoricum Colonienſem Archiepiſcopum, quum hæc perageret, nondum Epiſcopum conſecratum fuiſſe, verùm cùm auctor Chronici Belgii ſcribat Theodoricum in ea celebritate primum Miſſæ ſacrificium obtuliſſe, conſtat ſacerdotio nimirum initiatum fuiſſe.

Sigismundus Aquiſgrano Coloniam digreſſus magnificentiſſimè à Clero populoque XVI Calend. Decembris excipitur. Perſtitit eâ in urbe per octiduum jus publicè dicendo, jura imperialia elargiendo controverſias decidendo; multumque laboravit, ut Wilhelmum Epiſcopum noſtrum cum Theodorico Colonienſi Archiepiſcopo componeret; ſed ea cauſa jam ad Pontificis tribunal delata erat. Cæſar V. Calend. Decembris Coloniâ diſcedens, Conſtantiam ad Concilium properavit.

Acta & hiſtor. Concilii Conſtant. Naucler. Generat. 48. Æneas Sylvius. Trithem. in Chron.

Initium Concilii Conſtantienſis.

Inchoatum per hæc erat Concilium Conſtantienſe, ad quod Wilhelmus antiſtes provocaverat. Menſe Auguſto primus Conſtantiam acceſſit ad muniendam Concilio viam Jordanus Cardinalis Oſtienſis. Deinde Joannes Pontifex, cum maximo Cardinalium & Præſulum comitatu per Veronenſem & Tridentinum agrum transmiſſis Alpibus ſecutus, in pervigilio Simonis & Judæ Conſtantiam acceſſit, eoque die in vicino Cœnobio pernoctavit, ex quo mane à Clero totius urbis, & effusâ obviam civium multitudine honorificentiſſimè in urbem, & Epiſcopi palatium eſt introductus, multisque honorariis muneribus á Magiſtratu donatus. Monitus quidem à quibuſdam, ne ipſe ad Concilium accederet, fore enim, ut qui Pontifex

accede-

accederet, privatus rediret. His ille spretis, fatisque suis actus, Dominicâ ante festum D. Martini convocando, qui præsentes erant, Patriarchas, Archiepiscopos, Cardinales, & Episcopos, Concilij initium fecit.

Accessit subinde Sigismundus in pervigilio Nativitatis Christi secundo Rheno Uberlingâ delatus, & magno Principum & procerum comitatu cinctus, Pontificique adventum suum denuncians, petiit ut sacrificium Missæ, quod nocte Natalis Christi apparabat Pontifex, ad suum accessum deferret; quòd fecit, ut Pontifex præsente Cæsare Missam decantârit; in qua Sigismundus Diaconi habitu indutus Evangelium, cujus exordium, *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, ipse cantu pronunciavit, Pontifice deinde cætera duo sacrificia cantante, solemnique ritu peragente.

Annus Christi 1415.

Sigismundi Cæsar. 6.
Wilhelmi Ep. Pad. 15.

Ad Pontificis ac Cæsaris præsentiam accessêre sub exordia novi anni Ludovicus Comes Palatinus & Dux Bavariæ, Ludovicus Dux Silesiæ; quos ingens exinde Principum, Episcoporum, Abbatum, Præsulum & Oratorum, quos Reges & Principes miserant, multitudo secuta est. Cochlæus Patriarchas quatuor, Cardinales XXIX, Archiepiscopos XLVII, Episcopos CLX. Concilio interfuisse scribit; alii ducentorum quinquaginta Episcoporum numerum censent, quorum alij post alios accessêre. Auctor est Gobelinus noster post adventum Sigismundi Cæsaris, & plurimos tractatus, Concilium in quatuor nationes fuisse divisum, quarum singulæ ex suis prælatum elegerint, quem præsidem Concilij dixerunt. Id licet Cardinalibus & Joanni Pontifici non adeo placuerit, optimum tamen fuit temperamentum concordiæ. Prima Patrum cura laborque fuit in Schismate extinguendo; quâ tamen in re nunquam à Patribus laboratum, ut expenderent, cui ex tribus Pontificibus jus potissimum deberetur, aut quis reliquis præferendus esset; id enim implicatissimum intelligebant negotium, quod vix exitum esset habiturum. Quapropter Patres in unum convertêre curas, ut tres illi Pontifices Gregorius XII. Joannes XXIII. & Benedictus XIII, quisque jure suo decederet, aliusque verus Pontifex, de quo nulla dubitatio esse posset, deligeretur. Ac licet Joannes Pontifex synodum congregasset, seque Pontificatu cessurum promisisset, si idem facerent Gregorius & Benedictus, mutato tamen consilio, 20 die Martij clam Constantiâ discessit, conscensâque navi, ad oppidum Schaffhusium pervenit, ubi Friderici Austriæ Ducis, ut convenerat, patrocinio receptus est. Indignè id tulit Cæsar cum Concilii Patribus, eoque Austrium minis, armisque aggressus Pontificem Concilio reddi imperat. Quo comperto, ponti-

Acta & historia Concilii Naucler. Æneas Sylvius. Gobelin. Raynald. in hist. Eccles. Acta Concilii Constantiensis.

Pontifex sub exitum Quadragesimæ Schaffhusio, Loffenbergam, atque inde Friburgum profugit. Dux Austriæ post hæc Cæsari & Concilio reconciliatus Joannem Pontificem reduxit. Captus mox Pontifex, & in Insulâ S. Marci prope Constantiam abreptus in custodiam, multisque criminibus accusatus, publicâ Concilij sententiâ à Pontificatus munere remotus. Moderate hæc tulit Pontifex, ac se ipsum posteâ, comprobatâ Concilij sententiâ, Pontificatu abdicavit. Inde Ludovico Comiti Palatino Bavariæ Duci traditus, à quo Manhemij reclusus triennium intra claustri parietes latuit.

Advenit interea Gregorij XII Legatus in Concilium, cujus Princeps Carolus Malatesta Provinciæ Romaniolæ gubernator; per hunc Pontifex, decreta Concilij probare, ultroque pacis causâ se Pontificatu abire denunciavit. Quæ lætis Sigismundi aliorumque animis accepta, quod jam unus Benedictus XIII in Hispaniâ delitescens pontifex expugnandus restaret.

Damnati Joannes Hus & Hieronymus Pragensis.

Per id tempus Wenceslaus Rex sollicitatus à Concilij Patribus misit Joannem Hus Constantiam, publicâ Sigismundi fide impetratâ, commissaque est ejus causa doctissimis viris examinanda. Quod cùm ille animadverteret, metu perculsus fugam tentavit, consceptoque rusticano curru, in quo stramine tectus latebat, è porta penetravit. Re detectâ, Magistratus hominem è fuga retraxit, magnoque populi concursu produxit in forum; & cùm denuo è media turba latibulum quæreret, raptus est in custodiam, Cœnobioque P.P. Prædicatorum inclusus. Is deinde productus in Concilium, atque, ut convictus erat, jussus est quadraginta Wiclefi & triginta suæ hæresis capita abjurare; id cùm pertinax detrectaret, condemnatus Patrum judicio, honoreque sacerdotij spoliatus, ferialibus flammis exurendus traditur.

Postulatus etiam á Concilio Hieronymus Pragensis Hussij socius, alter hæresis propugnator; & cùm ille prius fidem publicam peteret, Concilium dedit, *salvâ tamen justitiâ*, quæ synodi sunt verba. Ergo Constantiam profectus, primò quidem palam hæreses abjuravit, & Catholicam fidem est professus; sed non multò pòst ad hæreses relapsus, damnatusque à Concilio, eodem, quo Hussius, altero anno ignis supplicio est affectus; uti hæc multis denarrant eorum temporum scriptores. Queruntur heterodoxi, Hussio & Hieronymo fidem ab Imperatore datam violasse Patres; sed immemores illi, Concilium esse supra Cæsarem, ac Hussium profugiendo excidisse jure, & Cæsaris privilegio; Hieronymus verò non nisi salvâ justitiâ admissus; quamvis ille aliquoties fugam tentârit, homo omnibus sceleribus coopertus; qui cum Laicus esset, ausus tamen sacerdotali habitu indutus sacrilegè administrare divina, & Bohemiam, Poloniam, Moraviam, & Germaniam peragrando Wiclefi hæreses spargere, quas juvenis in Anglia hauserat.

Interea

Interea cœptæ Paderbornensium turbæ, majori, quàm antè, seditione prorumpunt, Capitulo cum civibus ad Joannem Pontificem, Wilhelmo antistite ad Concilium provocante. Ac licet Bernardus Comes Lippiensis, quem factionis suæ ducem delegerant, ultimo die Januarij morte subtraheretur; nihilo tamen inde remissior civilis seditio; quòd in ejus locum Capitulum, ac cives Paderbornenses delegerint sibi Theodoricum Mörsanum Colonienſem Archiepiscopum, prius æmulum in Colonienſi Archiepiscopatu, modò tutorem & diœcesis Administratorem, exauctorato Wilhelmo Episcopo suo. Hactenus Wilhelmus & Theodoricus æmuli pro Colonienſi Archiepiscopatu, modò etiam pro Paderbornenſi. Et Theodoricus, ut Paderbornensium factionē aleret, submisit è ducatu Westfaliæ auxilia militaria; cóque animosiùs civium Paderbornensium causam sibi sumpsit, quòd missa à Capitulo Paderbornenſi, ad Joannem pontificem legatione, Ecclesiam Paderbornenſem Administratoris titulo hisce literis Friburgi ex fuga datis impetrasset.

Joannes Pont. Episcopatum Paderb. confert Theodorico Archiepiscopo Colonienſi.

Joannes Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili fratri Theodorico Archiepiscopo Colonienſi salutem. Romani Pontificis providentia circumspecta universis orbis Ecclesiis, quæ vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur præsidio, prospicit diligenter, et venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, et cæterarum Ecclesiarum Prælatis, ut expensarum onera, quæ pro ipsorum statu, juxta cujuslibet dignitatem tenendo decentius, oportet assidue de necessitate subire facilius supportare valeant, libenter prout decet, et congruum est, de subventionis auxilio providet oportuno. Dudum siquidem Wilhelmo de Monte olim electo Paderburnenſi regimini Paderburn. Ecclesiæ præsidente nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum vacaret per Apostolicæ sedis providentiam, utilem et ydoneam præsidere personam, provisionem ipsius Ecclesiæ ordinationi et dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hys per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta Ecclesia ex eo vacante, quod Angelus Corario olim Gregorius XII in sua obedientia nominatus, eundem Wilhelmum de ipsa Ecclesia Padeburnenſi ad Ecclesiam Colonienſem, tunc, ut dicebat, vacantem de facto transtulit, ipsumque eidem Ecclesiæ Colonien. præfecit in Archiepiscopum, et pastorem, similiter de facto eodem Wilhelmo translationem et præfectionem hujusmodi ratificante, et etiam approbante. Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ, de qua nullus præter nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Ecclesia Padeburn. longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ Padeburn. personam utilem, et etiam fructuosam intra nos habuimus diligentem, demum ad te consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout fide dignorum testimoniis accepimus, illarum largitor dominus multi-

fariam

fariam insignivit, et quod tu, qui Ecclesiæ Colonien. tuæ curæ commissæ hactenus laudabiliter præfuisti, prout præsides de præsenti eidem Ecclesiæ Padeburn. esse poteris multipliciter fructuosus, convertimus oculos nostræ mentis, Intendentes igitur tam ipsi Ecclesiæ Padeburnensi de administratione secundum cor nostrum utili et ydoneo, per quem circumspectè regi et salubriter gubernari valeat, quod etiam tibi, ut hujusmodi expensarum onera, quæ te jugiter subire oportet, supportare valeas, de alicujus subventionis auxilio providere, et præfatæ Ecclesiæ Padeburnensi, quam diu vitam duxeris in humanis, auctoritate Apostolica, in Administratorem præficimus et pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiæ Padeburnensis tibi in spiritualibus, et temporalibus plenariè committendo, liberamq; tibi tribuendo licentiã, possessionem ejusdem Ecclesiæ Padeburnensis capiendi. Ita quod liceat tibi hujusmodi administratione durante fructus, redditus, et proventus ejusdem Ecclesiæ liberè percipere et habere, illosq; in tuos, ac ejusdem Ecclesiæ Padeburnensis usus, et utilitatem convertere, et alias de illis disponere et ordinare, sicut veri Episcopi Padeburnenses, qui eidem Ecclesiæ Padburnensi pro tempore præfuerunt, de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, et preciosorum mobilium ejusdem Ecclesiæ Padeburn. tibi penitus interdictâ, firmâ spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Ecclesia Padeburn. per tuæ industriæ, et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter, et prosperè dirigetur, gratataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tuis humeris onus curæ, et administrationis ejusdem Ecclesiæ Padeburnensis promptâ devotione suscipiens curam, et administrationem prædictas, sic ex tunc studeas sollicitè, fideliter, et prudenter, quod præfata Ecclesia Padeburn. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque præter æternæ retributionis præmium nostram, et dictæ sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mereare. Datum Friburgi Constantiensis Diœcesis Id. Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

Ac quamvis haud multò pòst Joannes Pontifex à Concilio exauctoratus in custodiam abriperetur, Mörsanus tamen ac factiosi, castâ ejus auctoritate fulti, omnia armis persequebantur; ausique etiam inter hæc cives Paderbornenses noctu erumpere ex urbe, & castrum Neuhusanum, Episcopi sedem, armatâ manu aggredi, vallâ perrumpere, & castri expugnationem tentare. Id licet non succederet, Hordio fortiter audaciam civium repellente, ipsi tamen post xxvi Junij multò, quàm antè, furiosiùs eruptione factâ, castri Neuhusani expugnationem aggressi; verùm ut cœcus erat, civium more, impetus, cum clade repulsi sunt, cœsi octo civium occubuêre, sauciati supra quadraginta; quâ suorum jactura mulctati cum ignominia ad urbem redière, neque ultra hostium arma experiri animus fuit.

Ad hos flagrantes rebellionis motus comprimendos, ulciscendosque, Wilhelmus antistes regressus à Rheno, imploratáque Adolphi

phi fratris Montium Ducis, & ceterorum consanguineorum, fœderatorumque principum ope, certus erat diœcesin armata manu mense Septembri intrare, urbemque Paderbornensem subigere. Verùm cùm Brunswicenses Duces Bernardus & Henricus, prætereaque Hassiæ Landgravius copias suas ex fœdere promissisque non adducerent, expeditionem intermisit. Hinc quantùm antè famâ adventantis exercitus consternati Paderbornenses, tantum rebellionis animos erexère. Quapropter missis ad Theodoricum Mörsanum Legatis, in diœcesin invitant, progressique obviam Administratorem Paderbornensem, uti id à Joanne Pontifice impetrasse diximus, recipiunt; quem deinde secundo Octobris die solemni inaugurationis ritu plausuque in urbem introducunt, unaque cives cum Capitulo jutamentum fidei dicunt; vicissim Theodoricus Mörsanus juramento se Paderbornensi Ecclesiæ in has leges obligavit.

Theodoricus Mörsanus solenniter in urbem & Diœcesin Paderborn. admittitur, exauctorato Wilhelmo.

Redditus Episcopi Paderbornensis et Episcopalis mensæ non alienabo, sed integraliter conservabo, alienatos pro posse recuperabo, nec recuperatos alienabo. Item Præpositum, Decanum, et Capitulum, ac singulos de Capitulo et Ecclesiam Padeburnensem in jure suo, libertatibus et consuetudinibus licitis et honestis conservabo, et universa bona ad Capitulum et singulos Canonicos pertinentia sicuti mea conservabo et defensabo.

Item advocatiam Ecclesiæ non infeudabo, nec alienabo, sed liberam Ecclesiæ conservabo, quam advocatiam Capitulum thesauro Ecclesiæ comparavit.

Item castra, munitiones et Oppida, et omnes possessiones Ecclesiæ meæ Padeburn. non alienabo, sed integraliter conservabo, et alienata pro posse recuperabo. Omnia et singula supradicta ego Theodoricus Archiepiscopus Colon. Administrator et Pastor Ecclesiæ Padeburnensis libenter servabo, et Capitulo meo Padeburnensi servare promitto. Sic me Deus adjuvet et sancta Dei Evangelia. Datum sub sigillo meo secreto, Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinto decimo, crastino Beati Remigii Episcopi.

Indignum ingratumque facinus exauctorati Episcopi & Principis sui, quem Gregorij Pontificis & Ruperti consanguinei Cæsaris auctoritate confirmatum noverant quique tam fortiter in decimum quintum annum diœcesin suam propugnârat: nec alia hujus mali origo & causâ, quàm quod Monachos & Clerum reformandum susciperet. Ea nimirum erant corrupti sæculi tempora, ut nec vitia cleri correctionem ab Episcopo, nec civium insolentia emendationem ferret amplius á Principe suo.

Et Mörsanus postquam abjecto Wilhelmi antistitis imperio plenam diœcesis administrationem adijt, castra & oppida superioris diœcesis in suam potestatem redegit, postremumque etiam Bernardus Hördius castrum Neuhusanum sedem Episcopi, & cum eo inferiorem diœcesin Morsano in manus tradidit; jamque toto principatu excluſus erat Wilhelmus, neque alius quàm per arma & publicum

Westfaliæ bellum reditus patebat. Non destitit interim Adolphus Montium Dux Wilhelmi frater Colonienſem diœceſin Weſtfaliæq; ducatum continuis incurſionibus bellisque fatigare. At quo malo ſuo Paderbornenſes Mörſanum pro Epiſcopo ſuo delegerint, calamitoſa Mörſani hujus tempora enarranda docebunt. Nec prodigia denuo defuêre, quæ hæc præmonerent. Nam quo tempore hæc rebellionis conſilia agitabantur Paderbornæ inter factioſos, menſe Julio rurſum inſolita & horribilis tempeſtas urbem Paderbornenſem agroſque circumpoſitos concuſſit; turbine enim ventorum turris & Baſilica templumque forenſe tectis ſuis nudata ſunt, disjectæque tegulæ & trabes ad milliaris ſpatium per aëra: civium in urbe domus aliæ laceratæ, aliæ funditus everſæ; nulla ſine pernicie ſua fuit. Grandine præterea, quæ alibi fruſta glaciei ad pedis longitudinem excuſſit, omnes circum fruges in agris obtritæ. Haud diſſimilis tempeſtas altam templi turrim Warburgi fulmine incendit, & disjecit, Oppidumque conſpirationi obnoxium magnis ædium damnis affecit. Quæ etſi alij naturalibus elementorum cauſis adſcripſerint, non tamen defuêre, qui cum Gobelino ad irati numinis indicia & fatalis hujus Adminiſtratoris præſagia retulerunt.

Horrenda tempeſtas Paderbornæ & Warburgi.

Per id tempus nova hæreſis, quæ Flagellantium ſectam reſuſcitare profitebatur, per Miſniam ſpargi cœpit, ſedemq; fixit in Oppido Sangerhuſano, duce ſibi delecto Conrado Fabro, homine plebeio & ſcelerato. Horum impia & nefanda doctrina erat, abrogatum jam eſſe à Deo ſacerdotium Evangelicum; in Sacramento altaris nec verum corpus Chriſti, nec verum Deum eſſe: nullam eſſe peccatorum remiſſionem à Sacerdotibus factam, quæ ſola flagellatione impetretur: vana eſſe, quæ de jejuniis, purgatorio, indulgentiis, cultu Sanctorum, & imaginum hactenus credita ſint: præter Natalem Chriſti & diem Dominicam nullos alios feſtos dies colendos; & quæ hujusmodi multa fanatici illi homines diſſeminabant. Quare inſtituta accuſatione comprehenſi, & in Oppido Sangerhuſano in rogum conjecti ſunt.

Nova Secta in Miſnia exorta damnatur. *Gobelin. æat. 6. c. 93. Chron. M. Belgii.*

Annus Chriſti 1416.

Sigiſmundi Cæſar. 7.
Wilhelmi Ep. Pad. 16. & ultimus.
Theodorici Mörſ. 1.

Procedebat jam in tertium annum felici ſucceſſu, magnáque omnium Epiſcoporum concordiâ, Concilium Conſtantienſe; exauctoratisque Joanne & Gregorio Pontificibus, reſtabat ad pacem Eccleſiæ expugnandus Benedictus XIII in Hiſpania Pontifex. Is licet multùm ſollicitatus per Legatos à Concilio in Hiſpaniam miſſos, pertinaciſſimè tamen perſtabat in Pontificatu ſuo retinendo, favore Ferdinandi Aragonum Regis, & procerum quorundam Hiſpa-

Acta & hiſtor. Concil. Conſtant. aliique auctores ſupra adducti. Sigiſmundi Imp.

Hispanorum innixus. Quare rogatu Concilii Sigismundus Imperator, apud quem tum summa auctoritas, iter in Hispaniam suscepit, legationeque simul ad ceteros Reges perfunctus, Franciam, Angliam & magnam totius Europæ partem peragravit ad Principes cum Ecclesia reconciliandos: à Patribus interim Constantiæ in Concilio gnaviter constanterque per congressus sessionesque pertractata sunt ea, quæ ex bono Ecclesiæ poscebantur. acta pro pace Ecclesiæ conciliandæ.

Tandem Sigismundo fine Autumni regressus ex Francia in Germaniam rediit, Leodiumque perlatus, Leodiensibus privilegia reddidit. Inde Aquisgranum digressus; ubi aliquamdiu moratus, lites & bella, quibus Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus cum Adolpho Montium Duce, & Wilhelmo fratre ac ceteris fœderatis commissus erat, non sine magno labore diremit; atque inde, ut hæc auctor Chronici Belgii retulit, Constantiam ad Concilium profectus rediit.

Fecit hæc Sigismundi Cæsaris auctoritas, ut post ejus discessum ex integro se Theodoricus Mörsanus, & Wilhelmus antistes noster inter se componerent, cederetque non modo Wilhelmus de jure, quod electione obtendebat in Archiepiscopatum Colonienſem, sed & Paderbornensem Episcopatum, quem Theodoricus Administratoris titulo a Capitulo & Joanne Pontifice obtinuerat, æmulo relinqueret. Quo enim se verteret Wilhelmus in has necessitatis angustias conjectus? qui Capituli & urbis conspiratione, atque æmuli potentia castris Oppidisque exutus, ejectusque erat extra diœcesin, nec nisi per incerta bellorum reditum sperare poterat. Cæsarem præterea sibi habebat adversum, ordines ab æmulo occupatos, Principes, qui magna polliciti erant, fluctuantes, pendentesque à Sigismundi Cæsaris auctoritate, pacem pro bello ubique ex voluntate Principum sollicitantis. Sed magnam hujus mali causam culpamque sibi dederat Wilhelmus, quòd Episcopus consecratus non esset, consecrationemque in hunc annum distulerat, qui illi extremus à Pontifice præfinitus erat, aliàs aut in Episcopatu relinquendus, aut hic in alium ordinis veneratione & Apostolicæ Sedis provisu transferendus; ita verò qui nondum sacerdos affectabat Colonienſem, simul Paderbornensi Episcopatu excidit. Igitur ad alia consilia, quia nondum majoribus ordinibus initiatus erat, se vertit, Theodorici cumprimis Colonienſis Archiepiscopi hortatu callidaque persuasione. Is quia Wilhelmo sponsam Paderbornensem Ecclesiam præripuerat, neptem illi suam Alheidem, Nicolai Teclenburgensis Comitis filiam, natam ex sorore sua elegantem puellam offert sponsam, multaque præter dotem spondet; quibus captus Wilhelmus sponsam hanc commutat cum sponsa Ecclesiæ suæ. Nuptiæ XIX die Mensis Februarij Arensbergæ, præsente & procurante Archiepiscopo, celebratæ. Ita amici intimi, qui tam infesti hactenus æmuli fuerant. Hunc in modum biennio pòst Joannes de Wilhelmus Ep. Paderborn. sponte Episcopatu abit, & sponsam ducit Theodorici neptem.

Bavaria, postquam supra xx annos Leodiensem Episcopatum gessisset, renunciato Episcopatu, ex Pontificis dispensatione cum Antonij Limburgensis Ducis filia matrimonium iniit. Hæc tum tempora, hi mores erant, seculi nimirum sensim in hæresis libertatem inclinantis, quæ ex Episcopis fecit maritos. Wilhelmus exinde, ut Ertwinus scribit, Comitatum Ravensbergensem paternæ hæreditatis partem sortitus, Ravensbergæ Paderbornensibus vicinæ consedit.

Ceterum Wilhelmus connubio quàm Episcopatu felicior. Nam ex Teclenburgica suscepit Gerhardum filium, qui Adolpho patruo pòst anno 1434 sine liberis extincto successit heres, præterque Montium Ducatum & Comitatum Ravensbergensem, adiit Ducatum Juliacensem & Geldriam, tenuitque deinde per Wilhelmum filium; cui quia unica tantùm filia nata Maria heres fuit, ea Joanni III Clivensi Duci denupta, omnes provincias in Clivensem familiam transtulit.

Bellum & deinde Pax inter Duces Brunswicenses, Comitem Eberstenium & Abbatem Corbeiensem.

Bellum præterea hoc anno ad Visurgim fuit, quo Bernardus & Henricus, Duces Brunswicenses & Lunenburgenses, commissi cum Eberstenio Comite, cujus castrum junctis popularium armis adorti; id verò cum juri & libertati Corbejensium derogaret, spopondére publicis tabulis uterque Ducum cum Ottone & Wilhelmo filio Theodorico Corbejensium Abbati, & S. Vito, se non modò Beverungam Oppidum, castrumque Sulbecam, Leuteringam, Saltum Sollinganum, ceteraque bona & jura relicturos intacta, sed & patrocinium defensionemque Corbeiensium Huxtariæque Oppidi adversus Consanguineos Duces Brunswicenses susceptúros. Tabulæ hæ anno Mccccxvi, 23 Julij pòst festum D. Margaretæ, Virginis & Martyris diem consignatæ. Utrumne castrum expugnatum, Comitesque è veteri possessione depulsi sint ex annalibus incompertum habeo. Superstes interim clareq; familia Ebersteniorum Comitum ad nostram usq; memoriam conspecta, modò cum Hojanorum, Sternebergensium, Swalenbergensium, Pirmontanorum, Oldenburgicorum Comitum ad Visurgim familiis extincta jacet.

ANNALIUM

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XVI.

THEODORICUS

Comes Mörsanus Archiepiscopus Colonienſis Et XXXVI, titulo Adminiſtratoris EPISCOP. PADERBORN.

POſteaquam ijs, quibus diximus artibus, Theodoricus Mörsanus, Colonienſis Archiepiſcopus, Wilhelmum Antiſtitem noſtrum ab Epiſcopatu Paderbornenſi removiſſet; ſine omni deinceps contentione in eas, quas juraverat leges, ſupra à nobis relatas, Epiſcopatum Paderbornenſem anno ſuperiori Adminiſtratoris titulo adiit. Primus ille, qui in hac celebri & vetuſta à Caroli M. ævo Epiſcoporum ſede proprium excluſit Epiſcopum, & præter Colonienſem, quam gerebat, ampliſſimam diœceſin, ſe huic quoque, ex diſſidio Capituli & urbis, obtruſit Adminiſtratorem & Epiſcopum: novo prorſus, qui poſthæc frequentiſſimus invaluit, per Saxoniam titulo, & per id tempus fere tantùm ab Ottone Monaſterienſi Epiſcopo, eodemque Adminiſtratore Oſnabrugenſis Ec-

cleſiæ

clesiæ usurpato. Nam cùm duos Episcopatus gerere jura prohibe. ant, repertus est hic Administratoris titulus à Bonifacio VIII; sicut Coadjutoris titulus ab aliis Pontificibus approbatus: quo ob Eccle. siarum necessitatem, urgentesque causas, uni plures sunt permissi gu. bernandi Episcopatus. Quanquam multa hujusmodi vel temporum iniquitas, vel hæresis potentia (cui validiore præsidio obstruendum erat) vel Pontificum indulgentiæ expresserint. Si non sæpe etiam do. minandi ambitio, & familiæ amplificandæ stabiliendæque cupiditas intervenerit; cum vel unus Episcopatus per Saxoniam & Germani. am in illa diœcesium amplitudine angelicis etiam humeris formi. dandus sit. Sed hæc aliena ab hoc instituto scriptionis nostræ. Sanè quo successu, quâ Capituli & ordinum pœnitentiâ, Administrator hic expeditus fuerit, satis ex iis, quæ relaturi sumus, constabit. Nam post. quam diœcesin debitis gravare, castra & Oppida oppignorare, atque hunc ipsum Episcopatum in unum Ecclesiæ corpus cum Colonien. si Archiepiscopatu conjungere cœpit: tum primùm didicêre Pader. bornenses, quo malo consilio Episcopum suum rejecissent, & hunc Administratorem subrogassent. Interea ille ingentibus animis utri. usque Episcopatûs gubernationem exorsus. Præsul literis apprimè excultus, animo excelsus, liberalitate profusus, aulæ magnificentia supra ceteros sacri ordinis Archiepiscopos splendidus, magnæ auctoritatis apud Principes ac Cæsarem: ortus ex illustri Comitum Mörsensium familia; quorum Comitatus haud procul à Rheno situs, ex celebri castro, & Oppido Mœrs inter Reinberckam & Ordingam veterem Comitum sedem monstrat.

Annus Christi 1417.

Sed. vac. 3.
Sigismundi Imp. 8.
Theodorici Administratoris 2.

Sub exordia Episcopatûs sui Theodoricus collisus cum urbe Colonienſi, refrictâ veteri cicatrice vulnerum de jure vectigalium, tutela Judæorum cæterisque controversiis, quæ Archiepiscopis cum urbe fuerant; cœptumque à dissidiis procedi ad publicas hostilesq; incursiones & agrorum damna. Id armatum dissidium in aliquot abhinc annos protractum, non sine alienis etiam gravibusque hujus Diœcesis impensis. Quam in rem Theodoricus multa cœpit oppignorare castra hujus diœcesis; interque alia hoc anno castrum Kalenbergam prope Warburgum Ravoni Pappenheimio, acceptâ certa pecuniæ summâ, in pignus & feudum dedit. Qua super re literæ adsunt, Arensbergæ in arce ab ipso Theodorico Archiepiscopo & Capitulo post festum D. Ægidij consignatæ. Bonam prætereà amicitiam cœpit Archiepiscopus colere cum Theodorico Corbeiensium Abbate; lustratáque eâ parte diœcesis, in congressu mutuo Archiepiscopus

Annal. Colonien. dissidium Theodorici Archiepisc. cum urbe Coloniensi.

Litera Kalenb. Archiv. Paderborn.

Litera Corbeienses.

scopus & Abbas incolis Beverunganis potestatem fecêre pagum sum firmare in Oppidum. Quam in rem civium jura & privilegia concessa exemptioque à tributis in decimum annum; quòd interesset locum illum præmunire ad Visurgim; tametsi jam celebre illic castrum consisteret, Paderbornensium Episcoporum & Abbatum impensis, ut supra retulimus, constructum. Beverunganis jura civitatis concedduntur.

Extrahebatur interea concilium Constantiense per frequentes & operosos Patrum congressus, multasque salutares constitutiones, in hunc quartum annum, qui seculi hujus numerabatur decimus septimus. Interque cetera Abbates, Priores, & viri ex ordine D. Benedicti præstantissimi, qui cumprimis ex Moguntina Metropoli ad concilium accesserant (uti Gobelinus noster hæc perhibet) egêre apud Episcopos & Patres de collapsa ordinis sui disciplina restauranda; idque eò constantiùs ab illis agitatum, quòd scirent, Sigismundo Cæsari id cumprimis gratum fore, mallentque sui ordinis exemplo communem Ecclesiæ statum instaurare, & quæ de Cleri populique moribus agitabantur, prævertere. Quare inter Abbates ex Episcoporum assensu convenit, omnia Cœnobia Moguntinæ Metropolis reducere ad normam vigoremque disciplinæ, quæ à D. Benedicto antiquitus instituta esset. Eam in rem viri religione & doctrina præstantes constituti sunt, qui cum plena potestate per provincias missi, munus illud exequerentur; sicuti & anno proximo Paderbornam accessisse referemus, á quibus Abdinghovianum Monasterium tandem in pristinam formam compositum est. Hinc mirari subit Calvisium ex Langio scribere, Patres concilij Constantiensis, cùm præ otio non haberent, quæ tractarent, inquisivisse, quantus per Europam Cœnobiorum Benedictinorum esset numerus, repertaque esse supra quindecim millia ac centum Cœnobia, in quibus plus quàm centena & vicena millia Monachorum viverent; ex eoque ordine plus quam triginta millia Divorum fastis adscripta esse. Quæ sanè investigatio, si quidem facta, non otiosorum Patrum occupatio fuit, sed hortamentum, ut sanctissimum & fulgentissimum hunc ordinem ad primum florem revocarent. Patres Benedictini in Concilio Constantiensi urgent Ordinis reformationem.

Vergente jam in Autumni exitum anno, postquam Benedicto XIII Pontificatus à concilio abrogatus, Cæsar cum Germanica natione prius urgebat Ecclesiæ ordines formari in melius: id cùm cæteræ nationes abnuerent, vellentque prius Pontificem eligi, cujus auctoritate reformatio robur haberet; Cæsare assentiente, inclinatisque omnium animis ad Pontificem eligendum, Cardinales cum triginta spectatissimis viris, ex universis nationibus delectis, conclave sunt ingressi; latisque suffragiis, Odonem columnam Cardinalem S. Georgij concordibus animis Pontificem dixêre; qui Martini V. nomen, quòd festo D. Martini die electus esset, assumpsit. Qua super re inter cæteros Baptista Fulgosus, *cùm diuturno schismate*, inquit; *discissa esset Christi tunica, in Constantiensi Concilio, ubi* Cardi- Unanimi omnium consensu in Pontificem eligitur Odo de Columna Martinus V. dictus.

Cardinalium numerus duos et triginta superabat, abdicatis Pontificatu Joanne, Gregorio, atque Benedicto, miro omnium consensu Pontifex creatus fuit, atque ex Ottone, qui gente Columna ortus erat, Martinus quintus appellatus est, Unum namque illum ob singularem virtutem, bonitatem, atque doctrinam tanto honore dignum duxerant, neque ipsorum suffragiis, sed Deo electum deferebant. Quippe qui in Concilio Constantiensi inter omnes Cardinales maximè aspectabilis, cùm multis inter partes altercationibus ageretur, ipse medias semper partes singulari prudentia amplexus est, id unum semper dicere solitus: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Electione hujus Pontificis vulgatâ, omnia Europæ regna, ac postremò etiam Hispania, abjurato Benedicto XIII, quem hactenus coluerat, in concordiam sub capite venit: redditaque est Christianæ Reipub. post fœdum tandem schisma pax, & tranquillitas; unâ peninsulâ exceptâ, in quam se Benedictus obstinatissimo in retinendo Pontificatu animo cœpit. Nec multò pòst accessêre Græcorum Imperatoris Legati ad Pontificem, ultro se ad concordiam cum Latina Ecclesia offerendo. Sanè verò quantum omnes hæreses antiquæ & recentes, quæ cum Wicleffistis, Hussitis, cæterisque invaluêre, laborârunt in Monarchia & Hierarchia Ecclesiæ convellenda: tantum semper Catholici contenderunt, ut sub uno rectore & capite Ecclesiam & Christi instituta, Petro ejusque Successoribus tradita, conservarent; quod in suprema illa auctoritate firmissimum præsidium, & divinum sit vinculum, quo tot diversæ per orbem Christianum nationes in una religione continentur.

Nauclerus Trithem. ad an. 1415. Teschemach part. 2. fol. 256. Histor. Brandenb.

Cæterum dum hoc anno Sigismundus Imperator in Concilio versatetur, Amadæum Sabaudiæ, & Adolphum Cliviæ Comites, 28 Aprilis, festo nimirum Vitalis M. die, amplioribus honoribus extulit, & Duces Imperij solemni ritu creavit: sicuti jam antè, 18 Aprilis hujus anni, Friderico Norimbergensi Burggravio Marchionatum Brandeburgensem, acceptis quatuor centenis aureorum millibus, vendidit, collata simul Electoris dignitate; ea tamen lege, ut si filius Imperatori nasceretur, eâdem pecuniæ summâ utramque dignitatem redimi sineret. Erat is Friderici V Burggravij filius, nepos verò Friderici IV, quem Rudolphus Cæsar Noricis Burggravium primò dederat; abeo deinceps Electoris dignitas in hanc Brandeburgensium familiam est invecta.

Sigismundus Imp. Comites, Clivensem & Sabaudum. Duces creat; & Fridericum Norimberg. Burggravium Electorem & Marchionem Brandenburg. dicit.

Annus Christi 1418.

Martini V. Pont. 1.
Sigismundi Imp. 9.
Theodorici Administratoris 3.

Finis Concilio Constantiensi imponitur.

Anno hoc prænominato Constantiense Concilium, omnibus denique agitatis absolutisque, feliciter 22 Aprilis ad metam pervenit, Id, licet in numerum Generalium Conciliorum veniat, non prius tamen

tamen plenam auctoritatem obtinuit, quàm Martinus pontifex legeretur. Quapropter, quæ sessionibus ultimis sunt comprehensa, quæq; Martinus postea rata legitimaque scivit, ea demum omnia sancta veneratur amplectiturque Ecclesia. Hinc & iis, quæ superioribus congressibus Pontificis dignitatem oppugnant, post in Florentino & Lateranensi Concilio derogatum est. Pontifex exinde in Italiam discessit. Imperator postquam ob supplicium Joannis Husi & Hieronymi Pragensis Bohemos in furorem agi, & in omnia sacra desævire didicit, Wenceslao fratre ac Rege nihil per ignaviam obmovente; literis ad Ordines Bohemiæ datis, ad saniorem eos mentem revocare studuit. Sed levibus his lenisque remediis hæresi armandi se spatium animosque dedit; quando jam in locum Husi novus hæresis incentor ac Dux Joannes quidam sacerdos, Præmonstratensis ordinis desertor, homo ad omne scelus audax, se obtulerat, concitando populum concionibus, Eucharistiam per plateas ab una æde sacra in aliam deportando, alias atque alias impensius à Wenceslao Rege Ecclesias postulando. Jamque per Moraviam adeo se diffuderant, ut publicis literis, à proceribus ac nobilibus subsignatis, libertatem suæ sectæ à Sigismundo Imperatore peterent. Ac nihil propius erat, quàm ut virus per Thuringiam, Misniam, & Saxoniam eadem contagione proferrent. Tanta erat in Clero & populo ubique morum corruptio. Invalescit Hæresis Hussitarum.

Interim quæ supra in Concilio constituta diximus de Monasterijs D. Benedicti in meliorem disciplinæ ordinem redigendis, ea hoc anno initium habuêre. Convenêre enim Moguntiæ Abbas Fuldensis, Campidonensis, Augustanus, aliique, qui à Concilio Præsides hujus salutaris operis nominati erant. Habuit is labor apud alios fructum, apud allos magna impedimenta: Paderbornæ certè feliciter successit.

Nam postquam quarto die Februarij accessêre Paderbornam duo viri religione & doctrina præstantes, Monachi è Cluniacensi Monasterio, ex quo olim à Meinwerco evocati traductique erant primi Abdinghoviani Monasterii coloni, secumq; deferrent literas Apostolicas, Sigismundi Cæsaris, & Abbatis Cluniacensis, eas Abbati & Monachis exhibuêre, simul indicando, qua auctoritate adessent, & qua mente Monasterium ad normam à D. Benedicto præscriptam, & à Cluniacensibus in hunc diem servatam, formare sibi in mandatis esset. Quæ si minus admittere vellent, scirent se Ecclesiæ pœnis & censuris perstringendos. Ad quæ cùm se Abbas & Monachi obsequentes ostenderent, in hasce leges adstrinxêre: *Vitam cumprimis ad tria ordinis solemnia vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ quàm sanctissime conforment, neque ulli fas sit quicquam proprii habere; omnes in uno triclinio cibum capiant: nulli permissum sit carnibus vesci, præterquam infirmis; silentio singuli vacent; cellæ fenestras vimineis cratibus intextas habeant, et vestitus sine lineâ tela sit; nulla deinceps mulier intra septa claustri admittatur.* Reformatur Cœnobium Abdinckhovianum.

Hæc, quantumvis sibi displicere ostenderent, postquam tamen auctoritate Pontificis, & Cæsaris fuêre proposita, Abbas & Monachi recepêre. Ac mirum, inquit Gobelinus, nullum vel è Clero, vel civibus, vel militaribus repertum esse, qui vel nutu se duobus istis extraneis Monachis opponeret. Et quanta tamen ante rebellione totus prope clerus, urbs, & nobilitas se Wilhelmo Antistiti suo objecerat, ne dissolutum illud Monasterium in ordinem redigeret? seu nunc illi dissimulanter hæc ad tempus admiserint, seu ad Priorem postea lætitatem redierint. Sanè ut diximus, Abbas, omnium harum turbarum auctor, quarto abhinc mense, undecima videlicet Junij, acerbis colicæ & calculi doloribus absumptus, sine perceptis sacramentis excessit è vita.

Chron. Colon. Brouver. lib. 18. annal. Bellum Theodorici Archiep. cum urbe Coloniensi.

Tumultuantibus per hæc Colonienſibus, Theodorico Archiepiscopo, Administratori nostro, gravius bellum fuit; ad quod Joannes Moguntinus, & Wernerus Trevirensis, Archiepiscopi, alijque Principes armati convenêre: offensi nimirum immodica Agrippinensium civium libertate, quâ præterfluentem urbi Rhenum, decussis in altum palis, commeantibus navibus ultro citroque intercluserant. Scripto igitur exercitu, copiæ navibus impositæ sunt; revulsisque palis, primùm navigandi libertas reddita est: urbs deindein alterum annum fatigata agrorum incursionibus & civium spoliis; donec Otto Trevirorum Archiepiscopus, Werneri Successor, Coloniam ingressus, cives cum Archiepiscopo suo pace, licet haud diuturna, componeret.

Gobelinus, Mala Diœcesis Paderb. administratio.

Id verò civile bellum dum Theodoricum Administratorem nostrum absentem distrinxit ad Rhenum, non defuêre ex vicinis tumultuarij homines, qui diœcesin quotidianis rapinis & incursionibus devexarent. Quæ tanto etiam acerbius ab ordinibus sunt accepta, quòd Mörsanum secundis tantùm curis hanc diœcesin cernerent suscepisse regendam, & tanquam in supplementum, ubi opus esset, Colonienſibus sepositisse. Hinc sensim pœnitentia subijt multorum animos, ac tum primùm advertere cœperunt, quàm pravo consilio Wilhelmum proprium suum Episcopum abjecissent; eòque redacti sunt, ut ejus patrocinium adversus prædones implorare necesse habuerint. Quæ mala cùm quot annis invalescerent, Gobelinus etiam, tædio rerum tam perturbatè succedentium, calamum se historiæ pertexendæ hoc anno posuisse scribit. Hic verò nobilis ille scriptor, quem non tam ab eruditione & multo scriptionis labore, quàm à religione & ferventi studio in reducendis Cleri & Monachorum moribus ad veterem disciplinam, vita factaque commendant. Natus fuit Gobelinus (ut hæc compendio hic repetam) in Westfalia anno Christi 1358, quamvis natalis locus incompertus. A primis annis literis operam dedit inter suos; inde in Italiam profectus, ætatem politioris literaturæ, tum juris Canonici studiis præclarè excoluit; versatusque

Gobelini brevis vitæ epitome.

post

posthæc est cum Theodorico Niemio populari suo multos annos in curia Romana, Pontificibus, Cardinalibus & Episcopis familiaris; quorum beneficio aditum habuit ad Sacerdotium, quo anno Christi 1386 initiatus fuit. Perlustrata Italia, regressus in patriam, primùm Rector Capellæ Ss. Trinitatis Paderbornensi in urbe fuit; deinde concionem in templo forensi dixit: quo in munere, cum iniqua adversus libertatem Ecclesiasticam plebiscita perstringeret, & à Wilhelmo Episcopo judex rerum Ecclesiasticarum delectus, Cleri & Cœnobij Abdinghoviani emendationem urgeret, communem cum Episcopo invidiam contraxit; multisque injuriis tractatus, Bilfeldiam secessit, translato secum Bilfeldiam judicio. Ea simul in urbe Decanus Collegij factus, vixit cum Wilhelmo adhuc anno 1416 Decanus, ætate prope sexagenarius. Tandem negotiorum publicorum & humanarum rerum pertæsus, ut Meibomius perhibet (quod ab hoc anno factum fuisse necesse est) ad Bodecense Cœnobium secessit; in quo reliquam vitæ partem inter religiosos sanctæque vitæ sacerdotes exegit. Pertexuit historiam ab orbe condito per VI ætates divisam, & ad hunc annum Christi MCCCCXVIII deductam. Quod opus Cosmodromium inscripsit, à multis viris eruditis dilaudatum; nec immerito. Quippe qui res Westfaliæ ab aliis prætermissas diligenter in literas retulit. Cœpit Boni facio IX Pontifice opus, absolvitque Martino V Pontifice, anno ejus primo, qui Christi erat 1418.

Vixit ad id tempus unà cum Gobelino Theodoricus à Niem, alter Paderbornensis scriptor; uti ex ijs constat, quæ de Concilij Constantiensis exordiis tradit. Patria illi Oppidum Niehemium fuit in diœcesi Paderbornensi haud incelebre, ubi honestis parentibus genitus; uti præter Meibomium ipsi Paderbornenses scripto suo ad Martinum Pontificem eum inter illustres suæ diœcesis viros numerant, Oppido Niehemio oriundum; falliturque Fabritius, qui Magdenburgensem scribit; aut qui equestri Niemiorum familia apud Osnabrugenses ortum volunt. Literis domi excultus, in Italiam profectus est, supra quadraginta septem annos in curia Romana sub quinque Pontificibus, Gregorio XI, Urbano VI, Bonifacio IX, Innocentio VII & Gregorio XII versatus, sicuti id de se scribit. Ac primùm ob doctrinæ præstantiam in Collegium Abbreviatorum, qui & scribæ & Secretarij Pontificis appellantur, receptus, Legatisque additus, Græciam aliquando etiam perlustravit, quod ex scriptis quoque ejus colligi volunt. Ex privato isto munere, & Lucensis Ecclesiæ sacerdote, ob sacræ scripturæ & legum peritiam, à Bonifacio IX, ut Crantzius tradit, Verdensis Ecclesiæ Episcopus subrogatus est in locum Ottonis Brunswicensis, postquam ille ad Archiepiscopatum Bremensem transierat. Verùm diœcesin ingressus, reperit eam Theodoricus multis bonis spoliatam, arcemque adeo Rodenburgam ab Ottone antecessore retineri; quàm cùm ille, lite in Romano judi-

Libro de vita. Joannis Pontificis. Gerhardus Vossius de Histor. latin. Meibom. in præfat. ad vitam Joannis Pontificis à Niemio scriptam.

Compendium vitæ Theodorici à Niem, Scriptoris Diœcesis Paderb. *Fabritius lib. 1. Orig. Saxon. Crantz. lib. 10. Metrop. c. 42.*

cio intenta, repeteret, multosque simul agendi importunitate offenderet; rogatu Verdensium, à Bonifacio ad Cameracensem Episcopatum translatus est; eique in Verdensi Episcopatu successit Conradus de Vechta, Westfalus itidem, & sacrorum canonum Doctor, is qui post ad Pragensem Archiepiscopatum provectus, in Hussitarum partes hæresinque transiit. Hæc Crantzius & Bruschius de Theodorico perscripsêre; ac tametsi ab his ordine in fastis Episcoporum Verdensium collocetur; inter electos tamen potius Episcopos, quàm confirmatos possessoresque diœcesis numerandus est. In scripto verò Paderbornensium ad Martinum Pontificem inter claros quidem hujus diœcesis viros prædicatur, nullâ tamen Episcopatus ejus factâ mentione; & nos tabulas producemus, quibus inter privatos etiam subscripsit; minus certò ad Cameracensem Episcopatum pervenerit, quod in fastis eorum Episcoporum nullibi proditus reperiatur. Quarè Romæ inter eruditos ejus sæculi viros privatam semper vitam coluisse dixerim, ubi historiam annorum xxxviii libris quatuor complexus est; quorum tres priores sunt de schismate eorum temporum: quartus Nemius unionis inscribitur: his quintus accessit de vita Jo. annis xxiii Pontificis. Acerbus scriptor in Pontificem, & Romanorum moribus exagitandis; quales plerumque esse solent, qui velcum Platina læsi, vel speratis honoribus potiti non sunt.

Crantz. l. 10 Metrop. c. 42. Bruschio in catal. Episcop. Verden. Litera Paderborn.

Sub anni hujus tempus, quo Concilium Constantiense finitum est, haud levi procella agitati Regulares Clerici, qui secundum D. Augustini institutum vitam in communi societate viventium amplexi erant, & jam ab aliquot annis magno Germaniæ bono florere cœperant. Ausus quippe Matthæus Grabbo Razeburgensis, è Prædicatorum familia Theologiæ professor, librum à se conscriptum spargere in vulgus, quo contendebat fas non esse ulli extra Mendicantium ordines amplecti aliquod vitæ institutum, in quo palam secundum Evangelica consilia paupertatem, castitatem, & obedientiam profiterentur. Is liber, tanquam classico inflato, multos adversarios concivit Clericis hisce ex Medicantium familiis, à quibus traductioppugnatique. At postquam ea ad Theodoricum Colonienſem Archiepiscopum delati fuêre; convocavit ille in Concilium ex omnium facultatum Collegijs viros eruditos; quorum judicio cum institutum Clericorum magnopere probaretur, Archiepiscopus publicis etiam tabulis confirmavit. Hac Colonienſium sententia munitus Joannes Wallius Windeschemensis, Joannes Vossius Swollensis, & Henricus Ahusius Monasterienſis ad fontem salientem Collegij moderator, ad Concilium Constantiense profecti, Concilij Patribus Grabbonis aliorumque insectationes exposuêre; à quibus tres illi præstantes viri honorificè excepti, & publico etiam honore ad hospitium deducti sunt. Ubi verò Wallius causam suam publicè peroravit in senatu Patrum, una omnium voce Clericorum institutum mirificè

Gelenius. l. 3 Sacr. ar. Syntag. 39. Chron. Widesch. l. 1, c. 41.

Exagitantur Clerici in communi viventes.

rificè dilaudatum comprobatumque fuit; id quod à Martino Pontifice publico etiam diplomate privilegiorum, qualia cæteræ religiosorum familiæ habent, mirificè exornatum confirmatumque est. Famosus ille libellus postea Florentiæ publicè coram Pontifice exustus, auctorque in carceres detrusus. Inde Canonici illi Regulares, qui jam á Wilhelmo Episcopo nostro etiam in Bodecense Cœnobium traducti erant, multò latius se diffudêre, & passim ab Episcopis ad formandum Clerum expeti cœpêre.

Annus Christi 1419.

Martini V Pont. 2.
Sigismundi Imper. 10.
Theodorici Admin. Pad. 4.

Subit annus procurrentis sæculi decimus nonus, qui Wenceslaum tandem, inertissimum & flagitiosissimum Bohemiæ Regem, die XVI Augusti sustulit è vita, ætatis quinquagesimo septimo, Regni Bohemici quinquagesimo quinto. Fatalem morbum contraxit ex Hussitarum dominatu & sævitia; nam cùm videret eos jam armatos prorumpere, Ecclesias vi occupare, & Cœnobia spoliare, nec sibi Pragæ tutam esse vitam; in vicinam urbi arcem se recepit, opem Sigismundi fratris, amicorumque assiduè implorans expectansque. Ita verò postquam capitis & regni periculum adijt, evigilare cœpit, totiesque antè monitus, frustraque rogatus, ut religioni consuleret, & hæresin in fomite extingueret. At serò hæc agebantur, quòd jam adulta hæresis dominatu prævaleret. Ac licet Rex minas & necem seditiosis intentaret; illi tamen ausi in curiam prorumpere, & septem senatores cum urbis judice è fenestris præcipites dare, quos lanceis exceptos dirum in modum trucidavêre, cæteris consulibus civibusque fuga salutem quærentibus. Ad quod spectaculum stabat in foro Joannes Præmonstratensis sacerdos, sceleratus ordinis desertor, & tuba seditiosorum; populoque sacrum Christi corpus, quod confecerat, calicemque inter nefandum facinus sanguinariis ministrabat. Audita hac Hussitarum crudelitate, Wenceslaus Rex ira incandescens, correptusque paralysi, intra decem & octo dies exspiravit, frustra Sigismundi fratris & amicorum auxilia exspectando. Miserat quidem Sigismundus Imperator Rudolphum Saxoniæ Ducem in Bohemiam Legatum, qui seditiosos componeret ad concordiam; at hunc cùm ferro nondum aggredi auderent, clam veneno sustulerunt; Ipse deinde Imperator, dum omissa in Bohemiam expeditione, arma in Turcam movet, Bohemiam & Ungariam simul amisit. Ea cunctatione furiosius Hussitæ debacchari in Catholicos, suppliciis sævire in sacerdotes & Monachos, Monasteria religiosorum ordinum sine discrimine spoliare, templa & arces occupare cæperunt. Furorem accenderat supplicium Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis; quos quàm

Æneas Sylvius. Histor. Bohem. Cochlæus lib. 4. Nauclerus Raynald. in histor. Eccleſiaſt. Dubravius lib. 23. Crispinianus.

Obitus Wenceslai Bohemiæ Reg. & furor Hussitarum.

quàm cæco Martyrum honore celebrabant, tam insana vindictæ & hæresis conspiratione ruebant in arma.

Crantzius Lib. Saxon. c. 8. & 9. & lib. 10. Metrop. c. 46. Meibom. in histor. Brunsvvic. annal. Mss. Hildesh. Dresser. in Saxon. Leiznerus in mss. Reusnerus in Stem. Hoja. Spangeberg. in Chron. Mansfeld.

Atrox hoc anno bellum exarsit inter Bernardum Ducem Brunswicensem, & Joannem Hojanum Hildesiensem Episcopum, quem ex Paderbornensi Ecclesia ad Hildesiensem transiisse diximus. Crebra inter hos & hereditaria dissidia, ob præreptas præstructasque ad confinia arces. Brunswicensi se in societatem armorum junxêre Wilhelmus Dux Lunenburgensis, Joannes Episcopus Halberstadiensis, Henricus Dux Sleswicensis, ejusque frater Adolphus Marchio Brandeburgensis: Hildesiensi Episcopo subsidio venêre Otto Episcopus Monasterienses cum Hojanis fratribus, Comes Holsteinius & Spiegelbergius, alijque proceres, quos magno numero è Westfalia adduxit Monasterienses Episcopus. Lite (quæ tamen non proditur) sæpe in cassum per arbitros tentata, res ad arma processit, & post alternas agrorum vastationes, bis acri prælio, semel ad Osterwicum; iterum ad Gronam seu Grondam conflictum. Victus Episcopus Hildesiensis: capti ultra centum militaris ordinis viri; quos inter junior Dux Saxoniæ, Erici filius, Hildesiensis Canonicus. Nec incruenta Brunswicensibus fuit pugna. Bellum hoc tandem Theodoricus Archiepiscopus, Administratorque noster, interpellatus arbiter, in eas, quas Crantzius indicat, leges feliciter composuit.

Bellum Ducis Brunswicensis cum Joanne Hojano Episcop. Hildesiensi.

Et hoc anno etiam Theodoricus Archiepiscopus Paderbornam accessit; in eaque urbe, rogatu Wilhelmi de Monte, Comitis Ravensbergensis, Canonicis Regularibus Monasterij Bodecensis prisca ejus loci privilegia bonaque, quæ Imadus olim Episcopus dederat, eâ quâ Virgines olim Monasterium illud incolentes libertate obtinuerant, festo Conceptionis B. Virginis instauravit. Id Wilhelmus eò impensius sollicitabat apud Archiepiscopum, magnus ejus Monasterij patronus; quòd ejus auctoritate & salutari opera Monasterium illud, remotis dissolutæ vitæ Virginibus, ad religiosos viros traduxisset, videretque magno Ecclesiæ Paderbornensis fructu, & illustri omnium virtutum exemplo præ ceteris efflorescere. *Juvabit* nunc ipsas Archiepiscopi tabulas, & cum his simul inclusas Imadi Episcopi nostri literas producere, ad priscam Episcoporum frugalitatem recognoscendam.

Prisca Monasterii Bodecensis privilegia & bona, jam ad Canonicos Regulares traducta, confirmantur à Theodorico Paderbornam invisente.

Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis, et ſacri imperii per Italiam Archicancellarius, et Administrator Ecclesiæ Paderbornensis, Universis præsentia visuris salutem in Domino sempiternam. Quoniam petitio illustris Wilhelmi de Monte, Comitis de Ravensberg, affinis nostri carissimi, nobis exhibita continebat, qualiter ipse olim Electus Paderbornensis Ecclesiam in villa Bodeken Paderbornensis diœcesis tunc sæcularem et desolatam causa reformationis ipsius et divini cultus restaurationis in eadem ad Canonicos Regulares in statum sui ordinis transformandam cum omnibus juribus, emunitatibus, libertatibus, privilegiis et pertinentiis suis universis Capituli Paderborn.

bornensis Ecclesiæ cum consensu transtulit, qui quidem Canonici Regulares dictam Ecclesiam Budicensem jam pro statu sui ordinis ex eleemosynis Christi fidelium magnis laboribus et expensis in magna parte reformarunt. Et ne eosdem Canonicos et Successores eorum prærogativa libertatis, qua ipsa Ecclesia fuerat ab antiquo decorata, inposterum fraudari contingat, eadem petitio subjungebat, ut nos auctoritate nostra ordinaria, qua in Ecclesia Paderbornensi prædicta fungimur, quoddam privilegium nobis exhibitum, impresso sigillo Episcopi Paderbornensis, ut apparebat, sigillatum, et ab ipso Episcopo Paderbornensi Abbatissæ et Ecclesiæ Budicensi prædictæ quondam concessum cum supplemento defectus, si quis forsan in sigilli diminutione, vel simili negligentia, seu simplicitate posset deprehendi, dignaremur confirmare, cujus quidem privilegii tenor sequitur in hæc verba. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, qualiter Abbatissa de Bodiken ava cum consensu et laude totius Ecclesiæ et universæ familiæ per advocatum suum Henricum Comitem duas curtes, Quorsuithibusun et Luidvvardeshusun in pago Hassi sitas sanctæ Patherburnensi Ecclesiæ in proprium tradidit, legavit, concessit scilicet cum omnibus jure sibi pertinentibus terris, territoriis, agris cultis et incultis ædificiis, pratis, pascuis, molis, molendinis, mancipiis, nuptis et innuptis, silvis, viis et inviis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis. Unde Immadus Episcopus memor ejus servitii et devotionis, quid quid ei de ipsa Ecclesia singulis, annis erat dandum, eidem Abbatissæ suisque successoribus remisit in perpetuum, præter duo mare, quæ Erpo Comes habet in beneficium, confirmata super hac re hujusmodi constitutione, ut quotiens idem Episcopus, vel Successor ejus, ad præfatum venerit locum, nullum ibi exigant servitium, præter quod Heresen Ecclesiæ more tres scilicet scutellæ cum ferculo et tres propinationes apportentur pro honore debito. Quodsi ipse Episcopus, vel alius Successor ejus, hanc traditionem voluerit infringere, decem libras auri eidem persolvat Ecclesiæ; Abbatissa vero liberam habeat potestatem sua recipiendi, et quod voluerit inde faciendi. Hæc sunt mancipia ad præfatas curtes pertinentia, Meynza, Besecke, Luizo, Thiadburg, Meinza, Helmvvard, Rurhard, Werenburg, Eperstein. Nos igitur dignum arbitrantes, ut libertatis et prærogativæ singularis testimonia locis divino cultui deditis concessa temporis diuturnitate non vilescant, et pius desiderii ipsius Comitis affinis nostri diœcesana quidem potestate progressus inviolabiliter perseveret effectus, privilegium supradictum pro Monasterio et Canonicis Regularibus antedictis auctoritate nostra ordinaria, qua in Ecclesia Paderbornensi fungimur, supradicta cum suis clausulis præsentibus confirmamus, omnem, quæ ex sigilli diminutione et stili, et circa datum ejus, simplicitate vel negligentia potest deprehendi, supplendo defectum. In cujus rei testimonium præsens scriptum sigilli nostri jussimus appensione muniri. Datum Paderbornæ. Anno Domini MCCCCXIX, ipso die Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Sustulit & hic annus, XXII Septembris, Joannem Nassovium, Moguntinum Archiepiscopum ac Metropolitanum nostrum, subrogato

Obitus Joannis Nassovij

Archiep. Moguntini. *Serrar. lib. 5. hist. Mogunt. Trithem. in Chron. Spanheim. Bruschius in Metrop. Browerus lib. 19. Annal. Trevir. Chron. Cititense.*

rogaro in ejus locum Conrado Reingravio Comite, viro priscæ religionis; perinde ut anno superiori in locum Werneri Trevirensis Archiepiscopi sublectus erat Otto Comes à Ziegenheim, integerrimus præsul, qui inter lacrymas ex præposito ad hanc dignitatem protractus erat. Magnum hi duo Archiepiscopi Germaniæ decus, & vacillantis religionis præsidium; quorum unicum geminumque studium fuit, prolapsam Cleri & Monachorum disciplinam ad priscam severitatis formam revocare.

Annus Christi 1420.

Martini V Pont. 3.
Sigismundi Imp. 11.
Theodorici Administ. Pad 5.

Hæresis Hussitarum, promovente Joanne Ziska, in Bohemia invalescit. *Æneas Sylvius in Hist. Bohem. Cochlæus lib. 4. Dubrav. lib. 23. Naucl. gener. 48. Raynald. in hist. Eccles.*

Interquiescente per hæc Germania, omnem belli furorem Hussitarum Hæresis contraxit in Bohemiam. Quippe Wenceslao Rege extincto, Hussitæ sibi impietatis scelerumque ducem delegêre Joannem Ziscam, hominem non modò nobili genere ortum, & à puero in aula Regis enutritum, sed & bellicis artibus præliisque exercitatum; qui collecta seditiosorum hominum multitudine (quam brevi ad quadraginta armatorum millia numeravit) regni dominatum arripuit, & ferro deinde flammaque per totam latè Bohemiam grassatus fuit. Uti verò truculenta Hussitarum hæresi infectus erat, ita in sacras cùm res tum personas furor ejus præcipuè desævijt; nam postquam sacerdotes Catholicos ex templis Parochiarum, Monachos ex Cœnobiis, sacras Deo Virgines ex claustris ejecisset: templa Parochiatum Hussitarum præconibus tradidit; Cœnobia verò partim flammis absumpsit, partim vasta reliquit.

Sigismundus Catholicis succursurus in Bohemiam tendit. Rex Bohemiæ à Conrado Westfalo Archiep. Pragensi coronatur. *Crantz. lib. Metrop. c. 42.*

Occurrere quidem his malis potuisset Sigismundus, si vel bellicis in expeditionibus felicior, vel in ferendis laboranti Bohemiæ suppetijs promptior fuisset. Sanè quòd vocatus non statim pragam, ut sperabatur, sed Vratislaviam diverterit; & desperantes de salute fecit Christianos, & obstinatos in malo schismaticos. Movit interea tandem ex Silesia in Bohemiam, hostili Græcium & Cuthnam exercitu aggressus. Auctusque deinde copiis Marchionis Misnicnsis & Brandeburgensis, quibus & suas submisère Dux Saxoniæ & Austriæ prægam obsedit. Quo tempore à Conrado Pragensi Archiepiscopo, post festum D. Jacobi, xxx videlicet Julij, in æde Metropolitica, quæ in arce sita erat, coronam regni Bohemiæ accepit. Erat verò hic Conradus, à quo Sigismundus Rex coronatus, gente Westfalus, ortus in oppido Vechta, juris Doctor, & Catholicè adhuc eo tempore sentiens; postea verò ad Hussitarum hæreses prolapsus, novæque calixtinorum sectæ, quæ calicem sub altera specie urgebat, propugnator non infimus. Theodorico Niemio in Episcopatu Verdensi subrogatum tradit Crantzius & Bruschius. Verdensi relictâ, adeptus est Cathe-

dram

dram Olomucensem; atque ab hac demum translatus fertur ad Archiepiscopatum Pragensem; eò certè indignior hoc honore, quò, ob emptam à Prædecessore suo Alberico hanc dignitatem, perditosque mores, ineptior. Probrum enimvero gentis Westfalicæ; homo vanus, stolidus, rerum sacrarum prodigus, & necromanticis etiam artibus infamis; at non diu superstes, sed tertio ab hinc anno infelici morte extinctus. Bruschius nobili genere, præfectoque Vechtensi ortum tradit; cui successerit Conradus Sultovius Lunenburgensis, sacrarum literarum Doctor, vir egregius, & Orator postea apud Pontificem Alberti Cæsaris, de quo tempore memorabitur. Quanquam, ut suspicor, multum hîc vacillent fasti Verdenses, quos inter Saxonicos maximè jejunos turbatosque accepimus. Sed ad Sigismundum revertamur. *Bruschi. in Catal. Episc. Verd.*

Is postquam per sex hebdomadas Pragam obsedisset, soluta obsidione, rebusque improspere gestis, è Bohemia discessit. Culpæque datum, quòd D. Wenceslai tumbam, ex puro auro conflatam, gazamq; sacram in stipendium militum converterit, pollicitus se refecto ærario omnia redditurum. Tum verò Zisca, Brodam, Nymburgum, Cuthnam, Coloniam, cæterasq; urbes subigere: Ecclesiasticos viros, qui sceleri suo adversabantur, per supplicia è medio tollere: thesauros Ecclesiarum rapere: militem prædis inflammare, & regnum sui juris facere, hæresique in spolium dare. Sigismundus obsidionem Pragæ solvit. Zisca sacra profanaque vastat.

Quæ postquam ad Martinum Pontificem relata sunt, sacrum ille bellum hoc anno indixit, invitando sub signo crucis ad militiam. Ejus rei gratia missus in Germaniam Henricus Vinconiensis è regia Anglorum stirpe Cardinalis. Cujus hortatu Theodoricus Coloniensis, Conradus Moguntinus, Otto Trevirensis, Guntherus Magdenburgensis, Archiepiscopi, Joannes Heinsbergius Leodiensis Episcopus, alijque præsules & Principes unâ cum Ludovico Palatino nomen sacræ militiæ dedêre; quibus se multæ Imperatoris urbes junxêre; ultroque Sigismundo militem ære suo scriptum obtulêre. Martinus Pont. Germaniæ proceres ad bellum sacrum invitat.

Inter hæc Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis, pro Administratoris & Episcopi munere, transgressus hoc anno è Westfaliæ Ducatu in Paderbornensem diœcesin, multa utiliter ordinavit. Interque cætera sacerdotium, quod pia liberalitate patronorum conditum erat in civitate Brackelensi; erecto ad id altari, in honorem SS. Trinitatis & D. Thomæ in pervigilio Ascensionis Pontificali auctoritate ratum habuit. Qua super re tabulæ extant, quibus magnopere dilaudat eorum pietatem, qui ejusmodi dotationes faciunt ad sacrificia & preces pro defunctis parentum, & majorum animis sublevandis. Ac nescio an ullum diœcesis nostræ Oppidum sit ejusmodi sacerdotiis largius dotatum: aut ullum etiam postea Lutheri hæresi pertinacius inhæserit, omniaque inverterit. Tam citò degenerâvêre per hæresin piorum parentum improbi filij. Theodoricus Ep. sacerdotium in oppido Brakelensi fundatum approbat.

Annus Christi 1421.

Martini V Pont. 4.
Sigismundi Cæsaris 12.
Theodorici Administrat. Pad. 6.

*Chron. M. Belgii Raynald. in hist. Eccles. * al. Blandonem. Æneas Sylvius Cochlæus Naucler. gener. 48.*

Bohemia diversis hæresium sectis affligitur & turbatur.

Bohemiâ dehinc in extremum exitium vergente, non destitit Martinus Pontifex Germanos hortari ad expeditionem sacram maturandam. Quam in rem consequente hoc anno alterum Legatum, Cardinalem * Brandam, misit ad Germaniæ Principes, qui cruce signatorum exercitus ad signa Sigismundi Cæsaris colligeret. Quippe Bohemia non modò armis Ziscæ furentis Ducis, sed etiam diversis sectis lacerata pessum ibat. Harum princeps erat Thaboritarum, sic dicta ab arce, quam Zisca in alto & prærupto monte extruxerat, ac Thabor appellabat; tanquam cum tribus Apostolis illic legem novam à Christo accepisset propagandam. Altera Hussitarum secta erat Orebitarum, quæ sibi Moysis instar legem in monte Oreb datam gloriabatur. Ea secta auctore Moravo quodam Sacerdote conflata, Græcenses vicinasque regiones multis cladibus afficiebat, crudelitate Thaboritarum detestabilior; quòd Catholicos Sacerdotes aut flammis cremaret, aut nudos rigente hyeme sub glacie præfocaret, aut ex sectis virilibus projiceret in cœnum. Tertia Adamitarum erat, á Picardo Gallo, homine flagitiosissimo, introducta in Bohemiam; qui postquam brevi magnam virorum & mulierum turbam contraxerat; prostrato omni pudore, nudos & promiscua libidine viventes produxit in publicum. Hanc sectam, quòd ipsos Hussitas puderet, Zisca impetu facto delevit.

Emersit per hæc quarta secta Calixtinorum, quæ inter Catholicos & Hussitas mediam quandam viam ingressa, Eucharistiam non modò sub specie panis, sed & vini ex calice populo præbendam contendebat; eòque sequaces Calixtini & Pragenses appellati; quòd Pragæ in pseudo synodo hæc hæresis VII Junij à Conrado Westfalo approbata esset. De cætero hi sectatores præsentem Christum in Eucharistia, sex alia cum Catholicis Sacramenta, vetus & novum testamentum, Apostolicum symbolum, Nicænum concilium, & cætera primæ Ecclesiæ dogmata se recipere asserebant. Quam plausibilis hæc secta apud populum & proceres, tam composita erat ad fallendos Catholicos, tanquam in nullo præter communionem sub utraque specie dissiderent, cùm tamen multa alia simul Hussitarum dogmata profiterentur. Re autem ipsa Bohemia in multas discrepantes fœdasque sectas divisa erat: ut in omni hæresi compertum, postquam semel á Catholica Ecclesia desciscit est.

Raynaldus in histor. Eccles. Monstrelet.

Magno interea apparatu contrahebatur exercitus tam è superiori, quàm inferiori Germania, Belgio, Hollandia, Hannonia, multæque Imperiales urbes submittebant suas cohortes; quas inter Tremonia

ære suo scriptum militem expedijt. Præverterunt hanc expeditionem Fridericus & Wilhelmus, Misniæ Marchiones, qui cum valido exercitu Bohemiam ingressi, factâ ad Bruxiam congressione, duo millia Hussitarum trucidavêre, captâque Bruxia, nullo sexus discrimine, sævierunt in Hussitas. Nihil his dejectus Ziscа, Cuthnam expugnat; unde ad Rabi obsidionem digressus; ad quam sagittæ ictu alterum quoque oculum amisit. Nec tamen Castrenses ob id labores deseruit; sed licet exinde utroque oculo captus, in prælia tamen se duci jussit, ex quibus multas etiam victorias retulit. Tanta hæresis erat pertinacia, & rabies; quæ & fœminas armavit, furiarumque instar in prœlia rapuit, quarum multa cadavera inter cœsos reperta.

Chron. M. Belgij Chron. Tremon. Æneas Sylvius Langius in Chron. Citizensi Histor. Thuring. Spangeberg. Hussitarum cædes: Ziscæ labores bellici.

Per id tempus cùm Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis, Administratorque diœcesis nostræ, occupatus esset in conscribendo milite, impensisque militiæ cogendis; sub initium hujus anni arcem Kruckenbergam & Oppidum Helmwardeshusen Abbati Imperialis Cœnobij Helmwardeshusani, accepta certa pecuniæ summa oppignoravit. Ad hunc modum castrum & oppidum Steinhemium à Theodorico pignori datum diversis diœcesis nobilibus, à quibus magna pecuniæ summa collecta. Multa hujusmodi ab Administratore per diœcesin oppignorata, interversaque, magno diœcesis Paderbornensis onere ac damno. Quæ etsi tunc ad impensas belli sacri postulârit; pòst tamen ex his causam obtendit apud Pontificem, obæratam diœcesin cum Colonienſi in unum Ecclesiæ corpus conjungendi.

Theodoricus Varia Diœcesis Paderb. loca diversis oppignorat. *Ex MS. Bibliotb. P. Mauritij Büren.*

Clausit hoc anno, morte abreptus, Lubertus Steinfurdensis familiam suam, ex qua Balduinum Episcopum habuit Paderborna. Filia, quam reliquit unicam, Mechtildis denupta Ewerwino Comiti Benthemensi. Steinfurdensem Dynastiam conjunxit Comitatui Benthemensi. Ea mortua, Ewerwinus duxit Gisbertam Bronchorstianam, Henrici Solmensis ex filia neptem, hæredemque; quo conjugio exinde Benthemenses & Steinfurdenses Comites procreati. Ewerwinus, qui ex Gulterswichijs Dynastis Comitatum Benthemensem connubio adeptus, vir procero fuit & eleganti corporis habitu; nec pietate minus & religione in Deum commendatus. Quippe qui in Cœnobio Frenswegensi chorum non minus quàm Canonici Regulares frequentare & Psalmos decantare in more habuit.

Luberto Steinfurdensi Comite extincto, transit Comitatus ad Ewerwinum, ex dynastis Gutterswichiis Comitem Benthemensem.

Annus Christi 1422.

Martini V Pont. 5.
Sigismundi Imper. 13.
Theodorici Admin. Pad. 7.

Tandem sub exitum Autumni, mense Augusto & Octobri, collegêre se exercitus sub vexillo crucis adversus Bohemos Hussitas; auspiciisq; Sigismundi Cæsaris progressi in campum Episcopi, Prin-

Æneas Sylvius Cochlæus Dubravius Naucl.

Langius in Chron. Citizenf. Chron. M. Belgij Histor. Thuring. Chron. Colon. Trithem. in Chron. Cuspmianus.

Infelix Sigismundi & procerum Imperij contra Hussitas expeditio.

cipes & Comites, cæterique Germaniæ proceres Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, quem Emundus cæterorum anteſignanum dilaudat Otto Trevirenſis, Guntherus Magdenburgenſis, Archiepiſcopi: Joannes Leodienſis Epiſcopus, aliique ſacrorum præſules; Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Ludovicus Comes Palatinus, Albertus Dux Saxoniæ, Ludovicus Lantgravius Haſſiæ, Fridericus & Wilhelmus Marchiones Miſniæ, Georgius & Adolphus Principes Anhaltini, Fridericus Landgravius Thuringiæ, Joannes Dux Bergenſis, Henricus Comes de Schwartzenburg, Volradus & Gevchardus Comites de Mansfelt, Bedo Comes de Stalenberg; quibus ingens procerum & nobilium voluntariorum multitudo ſe junxit. Hi tripartito exercitu proceſſêre in Bohemiam; quorum primum conflârunt Duces Saxoniæ. Alter ex Francorum populis collectus, Duce Friderico Brandeburgenſi Marchione & Norimbergæ Burgravio. Tertium duxêre Theodoricus Colonienſis & Otto Trevirenſis Archiepiſcopi; quos Rhenani, Weſtfali, Boji & Svevorum nonnullæ urbes ſequebantur. Ingentes copiæ, quæ ſe in ſaltu *Bohemico* conjunxêre: at poſtquam ad Saltz Oppidum conſedêre, hæretici ſubitario milite, quem in agris contraxerant, tantum fortiſſimo Chriſtianorum exercitui terrorem injecêre, ut omnibus relictis impedimentis, viſo necdum hoſte, in turpiſſimam fugam trepida agmina ſe averterent, fruſtra occurſante Cardinale Legato, retrahenteque ad ſigna; cui non aliud quoque laboris pretium fuit, quàm ut turpis fugæ ſe comitem daret. Inſecuti fugientium terga Huſſitæ, magnam edidêre ſtragem. Culpam infelicis ſucceſſus referunt ad diſſidia inter Cæſarem & Principes; quod dum illi peterent retinere, quæ armis quisque occupaturus eſſet: Cæſar regnum Bohæmiæ diſtractum noluerit. Adeo de exuviis urſi, antequam captus eſſet, inane certamen. Ea clades 7 Januarij ſub initium anni 1422 accepta proditur.

Conventus Norimbergenſis in qua altera in Huſſitas expeditio decreta.

Sigiſmundi filia nubit Alberto Auſtriæ duci.

Ad quam reſarciendam Sigismundus Imperator Norimbergam ordines imperij evocat. Interfuit præter cæteros huic conventui Julianus Cardinalis, vir morum & literarum præſtantia egregius, à Pontifice in Germaniam miſſus. Decreta tum ibi altera ad VIII Calend. Junij in Bohemos expeditio. Et Sigismundus, quo ſe potentiſſimi Ducis Auſtriæ præſidio firmaret, filiam quam habebat unicam Elizabetham Alberto Auſtriæ Duci, quem poſt Germania Imperatorem habuit, conjugem dedit. Nuptiæ magna pompa Viennæ celebratæ. Eo connubio, quia Auſtrius hæreditatem Bohemiæ & Ungariæ adierat; pòſt & Moraviam, quòd veneno Huſſitarum infecta eſſet, & proceres in eâ rebellionem cœptarent, Alberto genero Sigiſmundus dedit in catholica religione continendam.

Adulta jam æſtate, ſecunda expeditio, ut Norimbergæ inter ordines convenerat, facta in Bohemiam. Bello huic Fridericus Marchio Brandeburgicus, & Julianus Cæſarinus dati Duces; quos ſequebantur

bantur Albertus & Christophorus Bavariæ Duces, Fridericus Misniæ Marchio, Joannes & Albertus Brandeburgenses Principes, Herbipolensis, Bambergensis, Eistadensis, Episcopi; quibus Colonensis, Moguntinus, & Trevirensis Archiepiscopi suas copias adjunxêre: præter eas, quas Albertus Dux Austriæ submisit. Ex his exercitus quadraginta millium peditum conflatus; equitum paulò minor erat numerus. Felici aliquamdiu successu actum; capta oppida: spoliati incolæ; profligati hostes: trucidati, nullo ætatis sexusve habita ratione obvij. Qua insolentia exacerbati Bohemi, expeditas legiones coëgêre; ad quarum adventum, seu proditione, seu prædæ interceptæ cupiditate, seu vindicta crudelitatis exercitæ, rursum pavore Catholicorum exercitus perculsus, hoste nondum viso, in fugam se abjecit. Hærebat attonitus Julianus Cardinalis ad hanc Germanorum inconstantiam & timiditatem, tentabatque fugitivum Christianorum exercitum sistere, alios hortando, alios retrahendo, alios obsecrando, aliis exprobando, ne famam Germanici nominis tam fœda apud posteros fuga macularent: agi de vita, inclamabat, quæ in ipsa fuga magis periculosa esset: agi de christiana religione adversus hæreticos: agi de gentis gloria, & salute totius regni Bohemici & Imperij. Quæ omnia cassa erant; dum & ipse invitus raperetur in fugam. Ita bellum hoc, quantumvis justum & sacrum, improspere successit; haud secus quàm in Palæstinæ bellis toties memoratum: barbaris & impiissimis etiam hostibus irato numine victoriam permittente, seu in scelerum vindictam, seu aliis ex abditis causis, quas vereri quàm scutari mortalibus magis fas erit. Questus & Landhusanus Dux Boius hæc ipsa: *Quinquies Bohemiam sumus ingressi: toties copiis, impedimentis, et omni bellico apparatu exuti, ac nescio, quo fato hæc per turpem fugam agantur.*

Iteratus, sed denuo infaustus, Catholicorum cum Hussitis congressus.

Exinde Bohemi Lituanorum & Polonorum viribus adjuti; non modò sese regnumque Bohemiæ tutari; sed & crebris incursionibus Thuringiam, Misniam, Saxoniam, Franconiam, Bojariam infestare, & cuncta rapinis, flammis, & cœdibus miscere cœperunt.

Per id bellum Bohemiæ quieta aliquamdiu Westfalia fuit, quòd magna pars inquietorum hominum in hanc expeditionem traducta. Quare Theodorico Archiepiscopo otium fuit in perlustranda utraque diœcesi, ordinandisque sacris & civilibus rebus. Interque cætera præclarè consuluit devotis Deo virginibus, quæ vel Coloniæ, vel in aliis urbibus & Oppidis, se in unam domum & communem habitationem collegerant. Eæ cùm ab invidis quibusdam infestarentur, Theodoricus earum patrocinium suscepit; consultisque Colonensis Academiæ viris, publico decreto liberum illis fecit commune domicilium, in quo pudicitiam tutius custodirent, & mutuo sibi hortamento essent ad pietatem ac labores. Quam in rem publicæ tabulæ confectæ, quibus per Theodoricum Archiepiscopum primarij Colo-

Theodoricus Ep. Socialem Virginum Deo devotarum vitam approbat. *Ex Archivo Cœnobij Bodecensis.*

Colonienſium Doctores, Theodoricus de Monaſterio ſacræ Theologiæ profeſſor ac Regens, Henricus de Gorcheim Theologiæ profeſſor, Joannes de Werborch Decretorum Doctor, Simon Dopenheim Theologiæ profeſſor ordinis Prædicatorum, Godefridus Sluſul de Moguntia ordinis Prædicatorum Theologiæ profeſſor, Rotgerus de Tremonia Theologiæ profeſſor, Chriſtianus de Erpo legum Doctor, hanc devotarum Virginum ſocialem vitam approbavêre, ſat gnari, ejuſmodi Virginum Collegia jam ab ævo Apoſtolorum viguiſſe, ſalutarique in epiſtola ab Ignatio Martyre, Chriſti diſcipulo.

Annus Chriſti 1423.

Martini V Pont. 6.
Sigismundi Cæſar. 14.
Theodorici Adminiſt. Pad 8.

Synodi Colonien. Synodi Oſnabr. à Franc. Wilhelmo Epiſc. edita Tom. XII Concilio Pariſien. recent edit. Cleinſorg. in Chron. Synodus Colonienſis, ejuſque acta.

At multò ſalubriori conſilio atque opere Theodoricus Archiepiſcopus, Adminiſtratorque Paderbornenſis Eccleſiæ, anno hoc ſequenti, Chriſti videlicet MCCCCXXIII, die XX menſis Martij, celebrem habuit ſynodum; ad quam provinciales Epiſcopi, Leodienſis, Trajectenſis, Monaſterienſis, Mindenſis, Oſnabrugenſis invitati, aut per ſe, aut per Legatos ac nuncios ſuos, unâ cum cœtu præſulum & Clero, Colonienſis diœceſis, copioſa, ut acta referunt, multitudine, convenêre. Ea verò in ſynodo, præſide Archiepiſcopo, multis decretis diſciplina Eccleſiaſtica redintegrata; cumprimis Clericorum libido quòd id vitium, ſæculo illo latè pateret, refrenata: ſeverisque pœnis ſancitum, ne quis Clericus aut Parochus domi concubinam aut ſuſpectam fœminam aleret. Libertas quoque Eccleſiaſtica rurſus vindicata adverſus iniqua jura, aut ſecularium hominum ſtatuta, quibus vetitum erat, ne quis prælatis Eccleſiæ aut Clericis quicquam venderet, aut ab eis frumentum, vinum aliaque emeret: ne in exequiis anniverſariis defunctorum oblationes à populo fierent; quod plebiſcitum, uti à Paderbornenſibus obtruſum aliquando diximus; ita Colonienſes quoque auſi ſunt pertentare, & clero velle leges præſcribere.

Multa præterea in hac celebri ſynodo laudabiliter ſtatuta ſunt, eoque dignam cenſuêre, quam inter acta, publica conciliorum referrent Pariſienſes. Demum, quòd hîc minimè prætermittendum eſt, damnata eſt in hac ſynodo Patrum & præſulum ſententiâ Huſſitarum hæreſis; vetitumque ſeverè, ne quis ejus ſectæ homines, aut hoſpites ſuſciperet, aut eorum libros diſtraheret legeretve. Quam in rem publica etiam jejunia ac preces populo indictæ fuêre.

Brouwer. lib. 19. Annal. Trevir. Serrar. in

Ejuſmodi ſynodus per id tempus Moguntiæ à Conrado, & Treviris ab Ottone Archiepiſcopo celebratæ; tum ad Cleri populique mores inſtaurandos, tum ad Huſſitarum hæreſes præſtruendas, ne ex vicina Bohemia in Germaniam proſeminarentur. De Trevirenſi luculenter

culenter *Browerus*: de Moguntina Serrarius egit, in quibus severis hujusmodi pœnis animadversum in eos, quotquot Husitarum hæresin aut patrocinio susciperent, aut per commercia tractarent. Jam antè synodus in hanc rem à Salisburgensi Archiepiscopo celebrata erat, in qua severis pœnis actum in eos, qui Husitarum sectas fovere rent; eòque Ratisbonæ Sacerdos, qui in eandem hæresin relapsus fuerat, palam exsecratus & feralibus flammis exustus. Tanta tum severitate proserpens hæresis ab Episcopis proculcata, ne qua labe Germaniam inficeret. Idque potissimum Martini Pontificis vigilantia & studio factum, à quo ejusmodi synodi in hanc rem Archiepiscopis per Germaniam imperatæ; quòd præclarè intelligeret sapientissimus Pontifex, nullum virus peste & hæresi per contagia populorum nocentius incautiusque diffundi.

Mogunt. Raynald. in Histor. Eccles. Aliæ Diœcesanæ Synodi hoc tempore celebratæ.

Sacras hasce Theodorici Archiepiscopi curas excepêre civiles ex morte Raynaldi Juliæ & Geldriæ Ducis. Nam postquam hic XXIII Junij excesserat è vita, Geldrenses sibi delegêre Arnoldum Egmundanum Comitem, jure etiam in posteros translato. At Juliæ Ducatum Adolphus Montium Dux pro Ruperto filio suo impetravit (idque studio & opera Theodorici Archiepiscopi factum tradit Trithemius) quem & Sigismundus Cæsar publico diplomate *Budæ* consignato Juliæ & Geldriæ Ducem confirmavit. Ac Theodoricus Archiepiscopus, quo sibi arctius Montium Ducem beneficiis devinciret, egit, ut Ruperto Adolphi filio vidua Rainaldi Geldriæ Ducis in matrimonium collocaretur; quemad modum jam antè neptem suam Wilhelmo Comiti Ravensbergensi, Adolphi Ducis fratri, ut diximus, conjugem dederat.

Trithem. in chron. Spanheim. Chron. M. Belgic. Teschemach Obitus Rainaldi Juliæ & Geldriæ Ducis, cui sufficitur Rupertus Adolphi Montium Ducis filius.

Aliis mox curis involutus Theodoricus, ex morte Friderici Ultrajectensis provincialis sui Episcopi, VII Idus Octobris sublati. Vacuâ sede, mirum quot eum prensârint Episcopatum. Inter hos Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus sollicitavit pro Walramo fratre: egit pro Aquensi Præposito ex familia *Burana* Leodiensis Episcopus; obtulit Otto Monasterienſis Episcopus Albertum fratrem suum Hojanum Comitem, quem post habuit Mindensis Ecclesia Episcopum: contendit Adolphus Dux Montium pro Gerhardo Clivensi, Dux Clivensis pro Rudolpho Diepholdio Præposito Osnabrugensi & Canonico Colonienſi. Postquam ad suffragia itum, alii Rudolphum Diepholdium, alii Suederum Culenbergium, Trajectensem Præpositum elegêre. *At* cùm postea Martinus Pontifex, rejecta utriusque electione, Spirensi Episcopo Ultrajectensem Ecclesiam deferret, & ille Suedero Culenbergio jus suum cederet, scissa est Ecclesia factione Diepholdij & Culenbergij, prævalentè demum Culenbergio. Excidit tum magna spe Theodoricus Archiepiscopus extollendi familiam; quem haud multò post benignior fortuna amplexa: utrumque enim fratrem, Henricum & Walramum, ordine ad Monasterienſem Episcopatum provexit.

Wilhelm. Heida in Histor. Ultraject. Variorum sollicitationes pro Episcopatu Ultrajectensi.

per

Crantz. lib. 11. Saxo. c. 10. Trithem. in Chron. Spanheim. Spangeb. in Chron. Mansfeld. Chron. Saxon. Langius in Chron. Citizenſi Cuſpin. in Sigism.

Per hæc Sigismundus Cæſar, poſtquam Albertum Ducem Auſtriæ generum fecerat, & Fridericum Burgravium Norimbergenſem, ob præclara merita, Marchionem Brandeburgicum ac ſeptemvirum Imperij creârat, hoc deinde anno poſt mortem Rudolphi & Alberti Ducum Saxoniæ, Fridericum Miſniæ & Thuringiæ Marchionem Saxoniæ Ducem & ſeptemvirum dixit: fruſtra obnitente Erico Lawenburgico, inferioris Saxoniæ, Angariæ & Weſtfaliæ Duce; quòd eam dignitatem hæreditario jure ſucceſſionis ſibi deberi contenderet; quippe quæ poſt exutum Henricum Leonem hactenus in ſua familia conſtiterat. Ita verò utraque ſeptemviralis dignitas à Sigismundo Cæſare ad hanc Saxonum & Brandeburgicorum familiam translata eſt.

Sigismundus Fridericum Miſniæ & Thuringiæ Marchionem Saxoniæ Ducem & ſeptemvirum creat.

Annus Chriſti 1424.

Martini V Pont. 7.
Sigiſmundi Cæſar. 15.
Theodorici Admin. Pad. 9.

Æneas Sylvius Naucleri Theobald. in hiſtor. Huſſitar. c. 56. Raynald. in hiſt. Eccleſ.

At Cæſar, licet Alberti generi & utriuſque Electoris à ſe creati potentia confirmatus eſſet, multique etiam Principes auxilia offerrent, & Epiſcopi populum ad ſacrum bellum invitarent; prætereaque Pontifex Regem Poloniæ, Sveciæ, & Daniæ hortatus eſſet ad arma contra Bohemos repetenda; Ziſcam tamen Bohemorum Ducem bello aggredi auſus non fuit. Adeo, cœcus licet, Ziſca formidabilem ſe fecerat: Igitur tanquam ex deſperatis ad alia conſilia converſus, ut Ziſcam in ſuas partes traduceret, totius regni gubernationem illi nomine ſuo obtulit; id quod Cæſari & Germanico nomini indecorum erat. Sed & illa Ziſca aſpernatus, qui Sigismundo Lituaniæ Principi Bohemiæ regnum detulerat, ejuſque oblatis præſidiis multò inſolentior erat.

Sigismundus gubernationem regni Bohemici Ziſcæ offert.

Per id tempus Adolphus Dux Montium, vir eâ tempeſtate inter Weſtfalos bellicoſus, terram Ducis Barrenſis, ſollicitatus à *Jolanta* conjuge, filia *Barrenſis* Comitis, hoſtilibus armis ingreſſus, multa feliciter geſſit, ipſumque penè totum Barri Ducatum ſubegit. At dum nocte quadam intromiſſus in Cœnobium cum ſacratis Deo Virginibus inter ſaltus amplexuſque tranſigit, obrutus captuſque à Duce Lotharingiæ, Nanceum in cuſtodiam abripitur; in qua per annum detentus, liberatur tandem inſigni Ruperti filij caritate. Is Nanceum profectus, lytro perſoluto, patrem è carcere eduxit, ſimul omne jus in Ducatum Barri abjurando. Tanti unius noctis voluptas ſtetit, dignuſque hac pœna, cenſeri Adolphus potuit, qui Wilhelmum patrem captivum quondam traxerat.

Adolphus dux Montium ducatum Barrenſem hoſtiliter ingreſſus capitur.

Chron. Colon.

Sed & grave bellum hoc anno inter Adolphum Clivenſem Ducem & Gerhardum fratrem exardere cœpit. Poſcebat nimirum Gerhardus Marchiam ab Adolpho fratre; quam cùm negaret Adolphus, quòd

quòd communi ordinum consensu anno 1418 Marchiæ & Cliviæ conjunctio facta esset sub unius Ducis Cliviæ imperio, Gerhardus ad Theodorici Archiepiscopi patrocinium confugit, fœdusque cum illo init; & quo proniorem haberet, Cæsaris insulam cum castro & telonio 100000 aureorum millibus Theodorico Archiepiscopo vendit: parte ejus summæ præsenti pecunia numerata; pro altera parte Zonsio, Linna & Ordinga Oppidis ex Capituli assensu Gerhardo oppigneratis. Iniquissimè id tulit Adolphus Dux, eòque ad Sigismundum Cæsarem appellavit; à quo Ludovicus Palatinus Elector arbiter litis componendæ datus. Ac multa quidem ille transegit; quæ tamen omnia mox interversa fuêre, lite quotannis ad arma resuscitata. *Teschemach. par. 2. p. 258. c. 259.* Bellum Adolphum Clivensem Ducem inter & Gerardum fratrem ejus ob Comitatum Marchiæ.

Et Colonienſis Archiepiscopus, quo partes suas firmiores redderet, fœdus hoc anno contraxit cum Tremonienſibus adversus Adolphum Cliviæ Ducem (quod multis exponit chronici Tremonienſis scriptor) quibus & Susatenses se accommodare jussit Archiepiscopus. Jam antè privata simultas inter Colonienſem & Adolphum Clivenſem intercesserat (quibus provocatus Gerhardi partes susceptit) Berckam nimirum & alia quædam Oppida oppignerârat Adolpho Clivenſi; interque pacta erat, ut Colonienſis veteris monetæ aureos redderet Clivenſi, quos cùm ex ea moneta Archiepiscopus repræsentare non posset, æqualis pretij aureos obtulit, recusante Clivenſi. Igitur ad Clivenſem opprimendum consilia bellique apparatum convertit; sollicitatique in fœdus multi Episcopi, Principes & Comites, qui in societatem armorum venêre, ut anno proximo referetur. *Chron. Tremon. Chron. Colon. Teschemach.* Causa dissidij inter Theodoricum Archiep. Colon. & Adolphum Ducem Clivenſem.

Eodem hoc tempore, tanquam ex provisa Westfaliæ procella, Simon Comes Lippienſis Wilhelmum de Monte Comitem Ravensbergenſem, antehac Antistitem nostrum, delegit tutorem ac defensorem sui Comitatûs: potestatemque illi fecit nominandi è nobilitate sua præfectum, cujus opera & consilio, sicuti res poscat, uteretur in tuendo Comitatu suo adversus incursantium hostium injurias; quæ literæ festo D. Thomæ Apostoli ab ipso Simone Comite sunt consignatæ. Tantæ tum potentiæ & auctoritatis erat Montium Ducum familia ex fœdere cum Colonienſi Archiepiscopo & Paderbornenſi Administratore, cæteriſque fœderatis, penes quos tum totius Westfaliæ dominatus erat. Simon Comes Lippienſis Wilhelmum de Monte tutorem sui Comitatûs deligit.

Auctor est Kersenbrochius in fastis Episcoporum nostrorum, hoc anno demum Theodoricum Archiepiscopum pro Administratoris dignitate ac munere Paderbornam solemni inaugurationis ritu ingressum esse, & pro more magna omnium ordinum gratulatione splendoreque exceptum; sed eo die tantam aëris tempestatem inter continua fulgura, collisarum nubium tonitrua, & fulminum ictus exortam, quæ & summa templi culmina dejecerit, & urbem totam maximo omnium terrore concusserit; qualia jam antè prodigia su-

Inauguratio Theodorici Administratoris Paderborn.

pra à nobis commemorata ſunt ad hujus Adminiſtratoris facta acceſſusque in diœceſin; tanquam hæc cœleſtia ſigna eſſent & prodigia bellorum, quibus Weſtfalia eo Archiepiſcopo poſtea concuſſa fuit. Certò hoc anno Theodoricum Paderbornam veniſſe docent publicæ tabulæ, feſto D. Elizabethæ obſignatæ, quibus ex conſilio conſenſuque Præpoſiti, Decani, ceterorumque Canonicorum Delbrugenſibus antiqua privilegia juraque inſtaurat. Quanquam hæc ad antiqua ſimul onera & obſequia adſtringantur; qualia ſunt, ut quilibet Delbrugenſis Satrapiæ villicus Epiſcopo Paderbornenſi Majalem & Autumnalem pecuniam, annuum frumentum, ſaginatum porcum duo plauſtra ligni, & tres gallinas quot annis pendat (quæ media ex parte à partiariis colonis exiguntur) & quæ hujusmodi ex funere villici, aut in ingreſſu ad villam antiquitus ex Weſtfalico agricolarum ſervitio præſcripta fuêre. Demum obligatur quilibet villicus Epiſcopi militiam caſtraque ſequi. Mulctæ verò, quæ exigitur, pars Epiſcopo, pars communitati cedat. Onera hæc, quæ ab illis inter privilegia reputantur, quòd à præfectis ultro intendi nollent, quorum avaritia & imperandi licentia miſeri ex uno onere ſæpe trahuntur in aliud, & quæ precario ſemel iterumque à voluntariis obtinent, ea mox perpetua ſervantur lege, contraque jus fasque præſcribunt; quibus artibus nihil nobilitati frequentius, ut ex ingenuis colonis mancipia faciant.

Theodoricus privilegia Delbrugenſia confirmat.

Illuſtrius eſt diploma Martini V. Pontificis, quo vetera Corbeienſium privilegia renovat, cùm neſcio, quid Theodoricus Archiepiſcopus, noſterque Adminiſtrator, libertati atque exemptioni eorum derogare tentaret; videturque Pontifex hoc in diplomate tam aſſertis verbis Cœnobij illius ſupremam gubernationem ad Romanam Eccleſiam referre, ut omne de ipſius ſubjectione dubium eximi poſſit: tametſi Martinus IV diplomate ſupra relato ad annum 1283 profiteatur, Corbeienſe Monaſterium Paderbornenſis diœceſis nullo modo ad Romanam Eccleſiam pertinere. Quippe Pontifices ut informabantur, aut res poſcebant, nunc ſibi ſupremam curam ſumebant, nunc Epiſcopo Paderbornenſi intra ejus diœceſin permittebant. Diploma verò Martini V hoc eſt.

Et Martinus Pontifex Corbeienſia.

Martinus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Dilectis filiis Abbati et conventui Monaſterii Corbeienſis Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecti, ordinis S. Benedicti, Paderbornenſis Diœceſis, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod juſtum eſt et honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino filii, veſtris juſtis precibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates et immunitates, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alias indulgentias vobis et Monaſterio veſtro prædicto conceſſas, nec non libertates et exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus, Principibus, vel aliis

Chriſti

Christi fidelibus rationabiliter vobis et eidem Monasterio indultas, sicut eas juste et pacifice obtinetis, vobis et per vos præfato Monasterio authoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, 8. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno septimo.

Abbas vero Corbeiensium per id tempus erat Mauritius Spiegelbergius, quem ab anno Mccccxix Theodorico subrogatum docent multa exinde Corbeiensium scriptorum monumenta.

Annus hic præterea fatalis fuit Ottoni Hojano, Monasterienſi Episcopo, Administratorique Osnabrugensis Ecclesiæ; quem quarto Nonas Octobris, festo D. Francisci Bevergernæ in arce è vita abijsse fasti eorum tradunt, gesto in xxxiii Monasterienſi Episcopatu, Osnabrugensi in xx annum. Viscera Bevergernæ in æde sacra condita sunt: corpus inde Monasterium transvectum, & à Clero honorificè in Basilica ad aram D. Pauli humatum. Crantzius optimum, & multis victoriis celebrem Pontificem appellat. Nam quæ bella gesserit, jam supra magnam partem narrata sunt. Cætera quæ per otium pacis gesſit, haud minus admiranda in dissolvendis Ecclesiæ debitis; quippe qui officium in Bucholtz mille & octingentis marcis, judicium Gograviatus in Sandivelle mille florenis, Embslandiam duobus millibus & quadringentis florenis, officium in Reynæ Oppido mille marcis, arcem Sassenbergam quinque millibus & ducentis florenis, judicium Oppidi Bechemij ducentis florenis, judicium in Alenæ Oppido trecentis aureis, judicium Gograviatus in Sendehorst ducentis marcis, Arcem Dulmanienſem mille & quadringentis florenis redemit. Longum cetera ex œconomiæ ejus studio prosequi, Horstmaburgum ædificiis & munimentis magnificè exornavit. Hunc in modum diœcesis Osnabrugensis omni ære liberata, arcesque Vörda, Witlagia, Groneberga, ceteraque magnis impensis pristino splendori munitionique reddita. Haud facilè visus Episcopus, qui augendo exornandoque patrimonio Ecclesiæ omnes opes impensasque insumpserit, aut diœcesin acquisitis possessionibus, castris, & Satrapiis locupletius auxerit, sicuti hæc supra relata sunt. Capax ingenio Princeps, qui utrique Episcopatui regendo par fuit. Unum vitio datum à quibusdam, quòd in solemnioribus per annum festis diebus rarò in Basilica visus sit pontificali habitu. Hinc & Crantzius bellis gerendis, quàm Ecclesiasticis rebus tractandis, aptiorem censuit: sed enim ejusmodi tum Episcopum divina dicendum providentia obtigisse, qui bellica manu diœcesin servaret; cùm in ea incidisset tempora, quibus, sine sago apparentibus Episcopis, ne ullum quidem prædium

Chron. Monast. Ertvvin. in Chron. Osnabrug. Kersenbroch. Cranz. in Metrop. lib. 11. c. 30.

Mors Ottonis Hojani, Monast. & Osnabrug. Episcopi, ejusdemque gesta.

Ecclesiis superfuturum fuisset. Et mirari subit, qnando ejusmodi syn-
cerissimos Episcopos in Ecclesiarum suarum patrimoniis conservan-
dis augendisque, plus quàm ullum politicum Principem in familia
sua amplianda, intentos occupatosque aspicio; quæ tam prodigè po-
stea hæresis, aut qui hæresi se permisêre, Episcopi absumpserunt. Primi
Episcopi liberalitate & donatione piorum hominum, medij tempo-
ris frugalitate & industria, postremi armis & hostium spoliis in tantas
opes & potentiam patrimonia Ecclesiarum suarum extulêre; ex quo-
rum numero Monasterienſis cumprimis nobilissimus Saxoniæ Epi-
scopatus eminet. Venerat paulò ante obitum in suspicionem Otto,
tanquam magnos thesauros reconditos haberet. Quo cognito, jussit
tres è Capitulo & consilio ad se venire, scrutarique arcas omnes: ni-
hilque præter bis mille & sexentæ marcæ sunt repertæ, quas ad altare
Bevergernæ in Oppido dotandum, & annuam sui memoriam in Ca-
thedrali Ecclesia peragendam ex testamento sepositerat.

Agitur de Successore in Episcopatu Monaster. eligendo.

Consepulto Ottone, Canonici eodem mense Octobri comitia
acceleravêre, diemque subrogandi Episcopi indixêre in pervigilio
omnium Sanctorum. Quæ ubi ad Theodoricum Mörsanum Co-
lonienſem Archiepiscopum relata fuêre, nihil ille sollicitiùs habuit,
quám ut Henricum fratrem suum ad Episcopatum Monasterienſem
proveheret; hunc Canonicorum suffragiis commendare, pro hoc
omne subsidium & patrocinium Monasterienſi diœcesi offerre, mul-
ta ex Metropolitani gratia spondere singulis; quæ tanto proniùs au-
diebantur à Monasterienſibus Canonicis, quo Theodoricus majori
erat auctoritate apud Cæsarem & Electores, quoque potentius ex
Archiepiscopatu Colonienſi, Ducatu Westfæliæ, & Paderbornenſi
diœcesi immineret, hostis aut amicus futurus, contra Magistratus ci-
vesque urbis Monasterienſis sollicitârunt apud Canonicos pro Hen-
rico Comite Nassovio Præposito Cathedralis Ecclesiæ deligendo, cui
jam perfectionis studia fidem addixerant. Postquam igitur constituto
die itum in suffragia, quatuor tantummodo Canonicorum suffraga-
tionibus delectus est Nassovius: Cæteri una consensione Henricum
Mörsanum Archiepiscopi fratrem dixêre Episcopum, virum in Clero
Colonienſi probatum, magnæque prudentiæ, & à Crantzio majori
etiam dignitatis gradu dignum æstimatum bellica adhæc fortitudine
Ottoni Hojano (quod tum maximè quærebatur in Successore) haud
imparem futurum, si modò tam benigna fortuna uti licuisset. Ac ne
ipsa electio, quæ ex conspiratione urbis cum Nassovio adhuc turba-
batur, in publicum dissidium abiret, uterque ad Martinum Pontifi-
cem appellavit.

Canonicis quibusdam eligentibus Henricum Nassovium, quibusdam Henricum Mörsanum, civitas turbas ciet.

Joannes Diepholdi deligitur Episcopus Osnabr.

Osnabrugenses, mortuo Ottone, v Calend. Novembris delegê-
re concordibus suffragiis Joannem Diepholdium Conradi Comitis
filium ætate quidem juvenem, sed corpore & morum elegantia præ-
clarum, multisque naturæ dotibus supra claritudinem generis exor-
natum

natum. Hunc Osnabrugensium Episcopum Crantzius in Metropoli, uti & proximos ab illo, Ottonem & Henricum, prætermisit, facto ad Conradum Diepholdium, qui hos secutus, transitu. Insolens in creatione hujus Episcopi factum intervenit Osnabrugensium; nam dum peractâ electione Canonici Episcopum deducunt ad aram chori, hymnumque Ambrosianum decantant, proconsul Mollius, facta civium concitatione, armatus Basilicam obsidet; clausisque omnibus circum ostiis, denunciat electo Episcopo, multa ab antecessoribus urbis privilegia esse interversa, interque hæc bona intestatorum, & eorum, qui inconcesso toro nati sunt, rapta esse ad Fiscum Episcopi; quare non prius quenquam è templo dimittendum, quàm hæc stipulata manu spondeant reddituros. Episcopus in has angustias conjectus, inito cum Conrado patre, qui aderat, & Canonicis consilio, postulatis annuit. Quibus delinitus populus, vicissim urbis telonium, tot litium scopulum, permisit Episcopo. At his non acquievit Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, loci Metropolitanus, sed cognito facinore, urbem sacrorum interdicto subjecit; quam tamen pœnam Joannes Episcopus, postquam à Martino Pontifice confirmationem impetravit, ultro secundum Pontificis voluntatem urbi remisit, civesque in gratiam recepit, ratus satius esse pacem colere, quàm insolentem urbem irritare.

Annus Christi 1425.

Martini V Pont. 8.
Sigismundi Cæsar. 16.
Theodorici Administ. Pad 10.

Anno dehinc proximo, postquam cum urbe Monasterienſi compositum est; eaque, quæ importunè ab Electo petebantur, transacta sunt, solemni tandem inaugurationis ritu pompaque Henricus in urbem introducitur: fuit hæc inauguratio, ingressusque in urbem, ad civium motus & insolentiam continendam, longè quàm superiorum Episcoporum celebrior, majorique quàm unquam antè apparatu illustrior. Deduxêre enim Episcopum Theodoricus Colonienſis, Trevirensis, & Bremensis Archiepiscopi; multi præterea Episcopi, Duces, Comites, ac Westfaliæ proceres, quibus se patriæ nobilitas ordoque equestris cum præeunte Clero conjunxit. Qua majestate perstricta territaque urbs ad Episcopi sui obsequium se prona submisit.

Kerſenbrochius in chron. Chron. Colon. Crantzius Henrici Mörſani Ep. ſolennis in urbem Monaſter. ingreſſus. NB. Alij ad ſequentem annum hæc referunt.

Extulit hæc fratris electa possessioque nobilissimi Episcopatus magnopere potentiam Theodorici Colonienſis Archiepiscopi; visusque is sensim dominatum totius Westfaliæ complecti; quippe qui præter Colonienſem Archiepiscopatum Ducatumque Westfaliæ Paderbornensem diœcesin ex Administratoris munere, Monasterienſem verò ex fraterno auxilio sibi conjunxerat, inde majora semper spirare ausus.

Bellum

Cliven. Motif. Chron. Tremon. Kersen. Broch. Strangefol. ex Kerckhorte.

Bellum & irruptio in Marchiam, agente Theodorico, promovetur.

Bellum proinde, quod supra affectum diximus, inter duos fratres, Adolphum Cliviæ Ducem, & Gerhardum, id hoc anno plena flamma erupit. Fax & tuba Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, eo nimirum consilio, ut Gerhardum Clivensem Marchiæ Comitem imponeret, abstractaque Marchia, Adolphi Clivensis potentiam infringeret. Ejus igitur auctoritate auspiciisque in societatem armorum attracti Moguntinus, Trevirensis, Herpipolensis, Leodiensis Episcopi: Dux Saxoniæ, Lotharingiæ, Lunenburgi & Montium: Comes Nassovius, Catzenelenbocus, Sawerdanus, Lichtenbergensis, Werdensis, Lichtenburgicus, Virneburgicus, Volmensteinius, Heinsbergensis, Schauenburgensis, Ravensbergensis, aut suas copias submisere, aut militando præsentes ingentem conflavêre exercitum, quem Colonienſis & Gerhardus Clivensis in Marchiam introduxêre. Ex adverso Marchiæ latere accessit Henricus Monasterienſis Episcopus Theodorici frater, Comes Teclenburgicus, Joannes & Otto Hojani Comites; quibuscum Monasterienſis Luppiam transgressus, territorium Dinslacense spoliis & incendiis exhausit. Nec aliud ceteris negotium fuit, quàm partitis agminibus totam Marchiam percurrere, omniaq; latè prædis flammisq; vastare. Ea hostili incursatione, quam ad hunc annum referre libet, supra viginti sex Oppida & pagi Marcanorum, qui nominatim à Kerchordio recensentur, uno incendiorum furore in fumos abiêre, prædis singuli expleti in provincias suas rediêre. Ea tum adhuc tumultuariorum bellorum, Sigismundo Cæsare, libertas erat. His territi Tremonienses, neglecto, quod priùs cum Adolphô Clivensi Duce percusserant, fœdus multis conditionibus cum Gerhardo fratre ejus iniêre, quòd hunc jam omnes Comitem Marcanum salutarent. Impar tot hostibus Clivensis, postquam per Ludovicum Palatinum, quem Sigismundus Cæsar arbitrum dederat, nihil transigi potuit, ad Martinum Pontificem appellavit, à quo Cameracensis Episcopus datus est arbiter, sed nec illo arbitro res confici potuit, lite & bello in decimum ab hinc annum protracto, Gerhardoque interim Marchiam obruente.

Annus Christi 1426.

Martini V Pont. 9.
Sigismundi Cæsar. 17.
Theodorici Admin. Pad. 11.

Bellum Frisicum, ab Archiep. Bremensi cæterisque confœderatis infeliciter susceptum.

Bellum exinde adversus Frisones anno hoc sequenti successit, quod multorum Episcoporum & Comitum conspiratione Scriptores nostri celebre fecêre. Incentor belli hujus Focco, homo, ut Hamelmannus scribit, obscuto loco natus, quippe æditui filius, sed ingenio manuque ad omnia expedito; ideo ab Occone Frisonum Capitaneo primùm scriba, deinde præfectus omnium possessionum constitutus, ut oppida, castra, bonaque viduæ heredibusque servaret; quæ

ille,

ille, extincto Occone, contra juratam fidem occupavit: indeque popularibus studiis exceptus, dominatum Auricæ in Frisia Orientali arripuit. Quo tam felici rerum successu elatus, multis injuriis, sacra profanaque turbando, affecit Bremensem diœcesin, easque Frisiæ regiones, per quas latè se exporrigit jurisdictio Episcopi Monasterienſis. Igitur ad Focconis Frisonumque insolentiam comprimendam induêre arma Nicolaus Bremensis Archiepiscopus, & Henricus Monasterienſis Episcopus: tractique ab his in societatem belli Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, Osnabrugensis & Hildesienſis Episcopi, Conradus Comes Diepholdius, Joannes Comes Ritbergenſis, Theodoricus Oldenburgicus, Otto Comes Teclenburgicus, duo Hojani Comites Otto & Joannes, multique proceres & nobiles. Ab his ingens equitum peditumque multitudo conflata, qua Frisiam ingressi, Duce Bremensium Archiepiscopo, delatique ad Dexteram vicum. Ibi Focco cum Frisonum copiis hostes in angusto inter paludes & fossas transitu adortus, turbatis ordinibus, disjecit in fugam; cùmque nec acies deinde explicari, nec medij postremique primis subvenire possent, audacius instare Focco, & magnam stragem edere cœpit. Cœsi Ritbergenſis & Diepholdius Comites, captus Archiepiscopus Nicolaus, & cum eo Hojani Comites: Oldenburgicus, Teclenburgicus, cæterique per paludes fuga elapsi. Clades hæc à Scriptoribus nostris ex vulgi, ut fit, fama immensum augetur, tanquam septem terrarum domini istic perierint. Vbbo Emmius quinque millium cœsorum numerum, captivorum verò ter millium facit, sed is auctor, uti omnia ad scribendi elegantiam, ita pleraque ad gentis suæ gloriam retulit. Nihil verò Crantzius, ceterique de numero cæsorum. Episcopus certè, præter Bremensem, pugnæ nullus interfuit; copias tamen suas submisisse Theodoricum Archiepiscopum fratri suo Henrico tradit auctor Chronici Tremonienſis: quales ab Osnabrugenſi & Hildesienſi Episcopis submissas fuisse tradit Ertwinus. Focco hac victoria Frisiæ Capitanium se fecit; quocum & Monasterienſis Episcopus reconciliatus, sociale belli fœdus contraxit. Multis ejus gentis primoribus confirmatum; adeoque opibus & potentia est auctus Focco, ut filia ejus in matrimonium sit expetita ab Ulrico, Orientalis Frisiæ Dynasta.

Ertwin. in Chron. Osnabr. Chron. Monast. Kerssenbroch. in Episc. Monast. Crantz. l. 11. Metrop. c. 31. Chron. Selavicum. Hamelman. in chron. Oldenburg. p. 2. Vbbo Emmin. lib. 20.

Nihil interea omisit Martinus Pontifex, ut Bohemiam ad veterem religionis regnique statum revocaret. Quapropter literis superiori anno scriptis Moguntinum, Colonienſem & Trevirenſem Archiepiscopos ad bellum resumendum est cohortatus. Addidit alias hoc anno ad Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Saltzburgenſem, Magdenburgenſem, Bremenſem, Strigonienſem, & Gesnenſem Archiepiscopos: ad Frisingenſem, Bambergenſem, Patavienſem, Olmucenſem, Cracovienſem Episcopos; demum ad Sigismundum Cæsarem, ceterosque Germaniæ Electores, ac Principes, quibus significat se

Raynald. in hist. Eccles. Pontifex laborat pro Bohemia in pristinum statum & religionem restituenda.

Conradum Westfalum Archiep. Pragensem excommunicat.

se in Conradum Westfalum Pragensem Archiepiscopum ob hæreses quasdam Hussitarum, quas palam in pseudosynodo professus fuerat, anathematis sententia animadvertisse, omnique dignitatis gradu bonisque exuisse. Quare ex Apostolicæ sedis sententia palam id denunciari, Archiepiscopum verò hæreticum capi & in custodiam trahi imperat. Hujus verò Conradi Archiepiscopi hæresis, qua Bohemiam conturbârat, hæc potissimum erat; Eucharistiam sub utraque specie populo necessitate salutis præbendam esse, quam post cœnam vesperi confici debere docebat, omnibusque etiam non jejunis liberam faciebat. Aliis mox Pontifex literis ad eosdem Archiepiscopos datis hanc eandem hæresin in Concilio Constantiensi à se quoque damnatam significat, adductis in hanc rem, quæ in concilio à Patribus decreta fuêre.

Cochlæus lib. 5. Histor. Hussit. Æneas Sylvius Cochlæus lib. 5. Fabritius Spangeberg.

Ac ne hæresis illa, auctoritate Conradi Episcopi, & specie sua multum plausibilis, Saxoniæ Germaniæque populum in errorem traheret, jubet literas suas cum omnibus provincialibus Episcopis communicari, populumque in veteri percipiendæ Eucharistiæ consuetudine continere. Primæ hæ Pontificis literæ IV Nonas Januarij, alteræ Calend. Julij Romæ fuerunt datæ. Quanquam haud multum superstes Conradus Archiepiscopus, miserabili morte, ut Cochlæus scribit, vitam clauserit.

Infelix Saxonum cum Bohemis pugna: Bohemorum hæreticorum furor & sævitia.

Acri interim bello cum Hussitis ad Anscham decertatum; quam urbem ad Albis ripam cùm Bohemi arcta obsidione premerent, ceteris Germaniæ Principibus quiescentibus, Fridericus Dux Saxoniæ, contracto è Misnia & Saxonia XXX millium bellatorum exercitu, ad solvendam obsidionem advolat. Nec intrepidi occurrunt Bohemi. Pugnatum 14 Calend. Junij ab ortu solis in vesperam, tanto ardore, & tam ancipiti fortuna, ut neutra acies loco cederet. Ad ultimum opportunitate loci Bohemi profligant Saxonem. Novem eo prælio Catholicorum millia cecidêre; tantusque hæreticorum furor erat, ut ne his quidem, qui abjectis armis supplices vitam peterent, parcitum sit. Capta Anscha, trucidatisque incolis, urbs flammis funditus subversa.

In Lusatia, quod Crantzius retulit, urbs Lubana ab Hussitis astu intercepta, in eaque cives omnes contrucidati: Parochus, qui cives ad constantiam hortabatur, quatuor equis in diversum actis alligatus, membratimque discerptus: Clerus omnis, qui ad templum profugerat, inter hymnum, quem Virgini matri decantabat, interemptus; Monasteria omnia trucidatis Monachis eversa: senes, pueri, adultæque fœminæ mactatæ, puellis & junioribus ad libidinem reservatis. Capta exinde Goltberga, ac decem hac æstate in Moravia urbes expugnatæ, in quibus pari crudelitate sævitum ab Hussitis. Non Ariana, non alia unquam hæresis immaniora patrare visa, postquam ad insitam gentis ferociam hæresis furor accessit.

Annus

Annus Christi 1427.

Martini V Pont. 10.
Sigismundi Cæsar. 18.
Theodorici Admin. Pad. 12.

Hanc prolabentis Bohemiæ ruinam, extremumque religionis discrimen cùm Martinus Pontifex majori quàm Cæsar & Germaniæ Principes doloris sensu acciperet, misit è regia Anglorum stirpe Henricum Wintonienſem Episcopum Cardinalem in Germaniam cum amplissima Legati potestate ad Cæsarem ac Principes. Multo ille labore & industria, provincias peragrando, ad bellum sacrum adversus Bohemos hæreticos est cohortatus, brevique multos Principes & populos promptos sub vexillo crucis collegit. Quam in rem à Pontifice amplæ noxarum condonationes sunt indultæ, & decimæ Clero imperatæ; ipse verò Pontifex ex ærario Apostolico quintam vectigalium partem adjecit. Ac tantus hujus expeditionis ardor erat, ut à viris, fœminis, famulis, omnibusque, qui XV ætatis annum explessent, XIII Hallenses nummi exacti sint. Verùm cùm multi Germaniæ Principes querelas deferrent ad Pontificem de nonnullorum sacrorum inter se præsulum clerique corruptis moribus, quibus prosperos expeditionis sacræ successus multum ab irato Numine impediri sibi persuadebant; Pontifex aliis ad Cardinalem Legatum literis, II Calend. Octobris Romæ datis in hæc verba rescribit: *Volumus ut tua circumspectio præsertim Archiepiscopum Colonienſem, et Episcopum Herbipolenſem, de quibus nonnulla indigna pietatis audimus, moneas ex parte nostra, et horteris in caritate Dei, ut ita se gerant, ita vivant, tum propter salutem animæ, tum propter præsens scandalum, quod maxime debet earum mentes movere, ut ex vita eorum cæteri bonum exemplum sumant, neque habeant causam murmurandi. Colonienſi autem et Moguntino Archiepiscopis mandes et præcipias, ut cessent à bellis, et vires, quos ponunt ad effundendum Christianum sanguinem, vertant ad hæreticos oppugnandos. Quia nimium ipsorum error nocuit causæ fidei. Nam si cum reliquis se ad Bohemiam, prout debebant, et statutum erat, contulissent, nunquam profecto exercitus ille tanta cum verecundia recessisset.* Indignè nimirum ferebat Pontifex, intestinis armis Germaniam à Colonienſi & Moguntino conturbari, quæ in Bohemiam converti mallebat. Interim hoc anno celebrem illam expeditionem factam volunt (quamvis aliqui scriptores cum Trithemio ad sequentem annum referant) quo triplici exercitu processum in Bohemiam; quorum primus à Saxoniæ Duce ex Saxonia & Anseaticarum urbium copiis: alter, Brandeburgico Duce, ex Franconibus, Thuringis, & Misnienſibus collectus: tertius Ottone Trevirenſi Archiepiscopo Duce productus, cui Rhenani, Boji, Suevi, & Imperiales urbes se junxêre. Hoc tam numeroso exercitu per saltus Bohemicos penetratum, & Misni urbs obsidione tentata. At postquam Bohemos adven-

Raynald. in histor. Eccles. Æneas Sylvius. Histor. Hussitar. Henricus Wintonienſis Cardinalis à Pontifice missus Germanos ad inferendum Bohemis bellum denuo instigat.

Raynald. in histor. Eccl. Æneas Sylvius in hist. Bohem. c 48 Trithem. in chron. Fabritius. Spangeberg. Calvisius. Theobald. in histor. Hussitar.

Infaustè rursus Germani cum Bohemis congrediuntur. Obitus Ziscæ Hussitarum Ducis.

adventare compertum, soluta obsidione, Tachoviam properant; ubi dum inopinato in armatos Bohemos incurrunt, rursum terrore consternati, in fugam dissolvuntur: Cardinale Legato primùm quidem attonito, multumq; obnixo; at turpis deinde fugæ comite effecto.

Extinctus demum hoc anno peste per castra Bohemorum grassante Ziscа Hussitarum Dux; quamvis alij mortem ad annum 24 sæculi referant. Morti vicinum, rogatumq; de bello prosequendo præcepisse tradunt, pellem mortuo detraherent, eaque tympanum obducerent; fore enim, ut audito ejus pellis sono, tanquam fulminis ictu omnes Bohemorum hostes in fugam solverentur. Homo impius, & mortalium sceleratissimus; cui hoc epitaphium sepulchro inscripsêre Hussitæ hæretici.

Joannes Ziska nulli Imperatorum Ducumque militari peritia inferior. superbiæ et avaritiæ Clericorum severus ultor hic jacet. Fortunæ belli nunquam defui, nec illa mihi. Omnem opportunitatem rei gerendæ etiam cæcus prævidi. Signis collatis undecies semper victor depugnavi adversus pingues et saginatos Sacerdotes. Ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam in salutato Papa invitoque. Diis manibus sacrum.

In locum Ziscæ delectus Procopius, imperiumque Pragensium penes Despotas & proceres fuit.

Hoc præterea anno Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus Administratorque noster intestinum bellum cum Gerhardo Clivensi & Marcano Comite adversus Adolphum Cliviæ Ducem trahebat, magno totius Westfaliæ & Rheni inferioris turbamento; ut Legato cæterisque Principibus justa accusationis causa apud Pontificem data fuerit; quanta enim auctoritate & potentia cæteris Archiepiscopis Electoribusque Ecclesiasticis antestabat; tantùm communis subsidij pro Reipubl. bono ab eo & Moguntino Archiepiscopo postulabatur.

Annus Christi 1428.

Martini V. Pont. 11.
Sigismundi Cæsar. 19.
Theodorici Adminiſt. Pad. 13.

Raynald. in hist. Eccles. Litera Pontificis. Comitia Francofurtensia.

Vertente dehinc anno, Sigismundus Cæsar, tam ad cladem infamiamque cladis resarciendam, quàm ad ferociam Bohemorum coërcendam, Francofurti comitia Principum indixit. Multa in his salubriter de resumendis armis, delendisque ad internecionem Hussitis convenêre inter Electores ac Principes. Quæ postquam Martino Pontifici per Henricum Cardinalem Legatum & septemviros renunciata sunt, scriptis ille ad Ludovicum Palatinum Bavariæ Ducem, Fridericum Marchionem Brandeburgicum, ceterosq; Principes literis vehementer cohortatur omnes ad ea, quæ Francofurti convenerant in comitiis, maturanda, ne arma inter consilia relinquantur; delerent tandem

tandem maculam Germanici nominis, à tot cladibus, & tam turpi fuga toties inustam; hærere ante oculos in visceribus Imperij hæresin flagitiosissimam; toties improspere cum perfida gente pugnari, quæ nec militari virtute, nec multitudine bellatorum conferri possit cum Alemannis; nunquam id nationis dedecus expungendum, nisi quæ consiliis inter ipsos agitata sint, conspiratione armorum expediantur. Sed neque hoc anno, neque proximo ulla communibus armis expeditio suscepta est. Interim Bohemi crebris victoriis inflati, regnum in servitutem hæresis subigere, reliquas urbes & oppida expugnare, barbarorum in modum sævire in Sacerdotes, Monachos & Catholicos. Et jam adeo viribus increverat audacia, ut prædatorio exercitu sese in Misniam, Thuringiam, & Saxoniam effunderent, ulturi harum regionum Duces & populos, à quibus hactenus præ cæteris oppugnati fuerant. Itaque Pirna repulsi, Dresdam veterem capiunt; Misniaque etiam frustra tentatâ, Wittenbergam progressi, omnes ad Albim regiones spoliis & cœdibus pervastant (quem in modum Moraviam, Franconiam, Bojariam, Austriam, vicinasque regiones annuis ferè irruptionibus & depredationibus afflixere) Inde prædis saturi per Silesiam in Bohemiam regrediuntur. Illis verò tantus terror injectus, ut Magdenburgum & Brunswicum, cæterasque inter Albim & Visurgim urbes Magistratus & Principes præmunire cœperint. Tres per id tempus in Bohemia, ut diximus, Hussitarum sectæ erant. Thaboritæ, Orphani, & Pragenses, intestinis religionis dissidiis inter se digladiantes; quarum tamen una semper conspiratio erat, more omnium hæreticorum adversus Catholicos, vulpium instar caudis colligatarum, capitibus licet aliò atque aliò distractis.

Bohemi plurimas circum regiones vastant.

Westfali, aliiq; ad Rhenum populi, quanto ab his malis remotiores, tanto securiùs agebant. Fervebat tamen adhuc intestinum bellum inter Adolphum Clivensem Ducem, & Theodoricum Colonienſem Archiepiscopum, omni ope contendentem, ut Gerhardo, Adolphi fratri, Marchiam assereret Dux Cliviæ. Cùm per arbitros à Cæsare datos nihil obtineret, gravissimè per literas & Legatos questus apud Cæsarem & Principes, Colonienſem Archiepiscopum, Henricum Monasterienſem Episcopum, Adolphum & Rubertum Montium Duces, Arnoldum Geldrium, Engelbertum & Joannem Nassoviæ Comites, Fridericum Mörsanum, Robertum Virneburgicum, Ottonem Tecleburgicum, Simonem Lippienſem, cæterosque hujus factionis Comites accusavit. At illo publicis Imperij negotiis armisque Bohemicis distento, hæsit inter civiles turbas Westfalia.

Teschemach part. 2. p. 259

Intestinum inter Adolphū Clivensem & Theodoricum Archiep. Colon. nondum Sopitum.

Hanc quia dominatu suo complexus erat Theodoricus Mörsanus Colonienſis Archiepiscopus, omnia pro fortunæ, cursu arbitrioque agebat. Cæteris Marchiæ oppidis arcibusque subjectis, expugnatum quoque castrum Hordense, ope cumprimis Tremonienſium. Tum verò coacta nobilitas Marcana Gerhardo Clivensi fidem

jurare. Qua opportunitate quoque usus Adolphus Dux Montium, confirmatusque Archiepiscopi viribus, Clivensem in campo Duisburgensi conserto prælio cecidit; castrumque Angetrodanum, quod Clivensis munire voluerat, Montium Duci assertum permansit. Omnia hujus Archiepiscopi consilia versebantur in distrahenda imminuendaque Ducis Clivensis potentia, quem unicum habebat ad Rhenum inferiorem & per Westfaliam formidabilem, sat memor, quantum hactenus Episcopos afflixerant Cliviæ Juliæque Duces.

Annus Christi 1429.

Martini V Pont. 12.
Sigismundi Imper. 20.
Theodorici Administ. Pad 14.

Mors Ottonis Archiep. Trevir. cujus operâ cœnobia D. Benedicti reformata.

Inierat jam annus sæculi hujus vigesimus nonus, quo Otto Trevirensis Archiepiscopus XIII Februarij humanis subtractus. Nova ex hoc dissidij flamma inter rivales accensa; eóque gratior defuncti Ottonis Archiepiscopi memoria. Nec facilè fuit eo sæculo Episcopus, quem perinde à liberalitate in egenos, justitia, & pacis studio, cultuque religionis commendant scriptores: eique potissimum reparatam per Cœnobia disciplinam adscribunt. Nam postquam ejus consilio hortatuque Treviris in Cœnobio S. Maximini celebratus fuisset quinquaginta septem & amplius Abbatum conventus, in eoque ad veterem D. Benedicti formam Cœnobia redacta essent; tum postea ex eo deducta est congregatio Bursfeldiensis; traxitque initium ex Cœnobio S. Matthiæ apud Treviros, cui Otto Archiepiscopus ex consensu Pontificis imposuerat Abbatem Joannem de Rodeé Carthusia extractum, virum eruditione & sanctimonia vitæ celebrem. Is excultæ à se disciplinæ Monachos ad Bursfeldiense Cœnobium, quod inter Werrhæ & Fuldæ confluentes ad confinia Corbeiensium celebre fuit, misit, Abbatemque dedit Joannem, virum doctrina & religione egregium. Hic, quam Treviri acceperat disciplinæ sacræ formam, per Saxoniam introduxit; eoque præside, annui conventus instituti, & congregatio, quam Bursfeldicam unionem dixêre, cœpta. Brevique supra Lxxv Cœnobia sunt numerata, quæ huic florenti societati nomen dedêre; interque ea recensuit etiam Trithemius Monasterium nostræ diœcesis Abdinghovianum & Mariæmunsterium; quibus postea ipsa quoque Corbeia accessit.

Dalheimense Virginum Cœnobium mutatur in Monasterium Ca-

Atque ut ex hoc domestica propius contingam, Theodoricus Archiepiscopus Administratorque Paderbornensis diœcesis, præclaro religionis instaurandæ opere, Dalheimensis Monasterij exordia fecit, convertendo dirutum dissolutumque Cœnobium Virginum in Monasterium Ordinis Canonicorum Regularium; haud secus quàm Wilhelmus antecessor dissolutum Bodecense Canonicarum Virginum Collegium commutârat in ejusdem Ordinis Canonicorum Regularium

rium Monaſterium. Rem altius paulò repetam. Fuerat ante ducentos annos in pago Dalheim Virginum Cœnobium Ordinis D. Auguſtini inſtitutum (cujus tamen fundationis conditorisque nulla apud nos monumenta literarum extant) id lapſu temporum per bella ſuperiorum annorum primò ſpoliis exhauſtum, deinde tertiò exuſtum erat, ſemel à nobilibus de Levenſtein, iterum per Lippoldum de Ettelen, tertiò per Lippienſes. Qua calamitate Virgines cùm & clauſtrum & templum & bona omnia amiſiſſent, ad vicina ordinis Cœnobia diſceſsêre, locumque per ſexaginta annos vaſtum reliquêre. Ægre interea tres nobiles, Badbergenſis, Brobekianus & Harhuſanus, tulêre hoc Virginum Cœnobium, à majoribus ſuis aut conditum aut dotatum, ex hac vaſtatione relinqui extinctum. Hi igitur adiêre præſidem Cœnobij Bodecenſis, ultroque locum reparandum obtulêre, ſimul pollicendo ſe pro viribus omnes antiquos ejus Cœnobij agros, cenſus, & decimas repetituros. Id cùm grato animo accepiſſet Præſul Bodecenſis poſtulata nobilium detulit ad Theodoricum Archiepiſcopum, uti ejus auctoritate & conſenſu omnia confierent; is deinde hoc laudabili diplomate locum ſacrum Bodecenſibus tranſcripſit excolendum,

nonicorum Regularium *Literæ Dalheimenſis Cœnobii.*

Theodoricus Dei et Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Colonienſis, Archicancellarius per Italiam, Angariæ Dux et Weſtfaliæ, ac Adminiſtrator Eccleſiæ Paderbornenſis, ad perpetuam rei memoriam. Juſtis et honeſtis ſupplicum votis, potiſſime quæ divini cultus augmentum, ſalutem animarum, et commodum perſonarum reſpiciunt, libenter annuimus, illaque, quantum ex debito officii paſtoralis tenemur, favoribus proſequimur oportunis. Cum igitur Monaſterium in villa Dailheim, noſtræ Paderbornenſis diœceſis, pro certis Monialibus vitam religioſam ſub regula S. Auguſtini ducentibus olim fuerat per Chriſti fideles competenter dotatum, et per Prioriſſam per plures annos gubernatum, hodie vero cauſante malitia hominum ac malo ſtatu patriæ ſic in ædificiis ſuis collapſum habitationibus penitus deſolatum præterquam modico veſtigio quatuor in locis Monaſterii relicto pro receptaculo beſtiarum magis quam hominum congruo. Agrique dicti Monaſterii, imo totius villæ absque cultoribus per plures annos devaſtati jacuerint ſpinas et vepres producentes, nihilominus religioſi viri, et nobis in Chriſto Dilecti Prior, et conventus Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterii S. Meinolphi in Bodeken zelo devotionis accenſi dictum locum nunc multipliciter deſolatum, et habitatoribus Chriſto famulantium deſtitutum dolentes, adjutorio altiſſimi, et Chriſti fidelium pia largitione et devotorum hominum ſuffragio pro divini cultus reſtauratione reformare, atque terram dicti loci incultam, et quaſi in ſaltuginem verſam extirpando vepres et ſpinas fructuoſam, quantum ab alto conſenſum fuerit, Domino ad honorem reddere intenſis deſideriis aſpirant, ſubjungentes omnia et ſingula bona, agros, decimas, prata, paſcua, ſilvas, grangias, ortos, piſcinas, molendinum, judicia ad dictam villam, et locum ſpectantia et pertinentia, ipſis ad uſum eorum ob dicti cultus in

eodem

eodem loco restaurationem liberaliter donata donatione inter vivos fore ac intelligenter à possessoribus et Dominis dictorum bonorum resignata. Quare nobis dicti Prior, et conventus humiliter supplicarunt, ut donationes et resignationes supradictas approbare et confirmare, nec non dictum desolatum Monasterium et locum videlicet villam Dailheim cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, juribus, obventionibus, judiciis et aliis pertinentiis suis præfato Monasterio in Bodeken etiam nobis subjecto incorporare, annectere, et unire in perpetuum dignaremur. Nos igitur Theodoricus Archiepiscopus, et Administrator antedictus attendentes petitionem hujusmodi fore justam et consonam rationi, desolationem, loci prædicti detestantes; nec non ad reformationem ejusdem, pro divini cultus restauratione, pietate jure pastoralis multipliciter inclinati, donationes, largitiones, et resignationes supradictas, et bona hujusmodi, quæcunque etiam si permutata aut per resignationem quarumcunque personarum ad ipsos Dominos Priorem, et conventum redacta sint, de consensu Dominorum Præpositi, Decani, et Capituli Ecclesiæ nostræ Paderbornensis admittentes et approbantes dictum locum desertum, sive Monasterium cum villa prædicta cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, decimis, juribus, emunitatibus, judiciis, libertatibus privilegiis, gratiis, bonis et rebus suis mobilibus et immobilibus, terris cultis et incultis, silvis, nemoribus, piscinis, pratis, pascuis aquis aquarumque decursibus, molendinis, viis et inviis prædicto Monasterio S. Mainulphi in Bodeken incorporamus, annectimus, et unimus in perpetuum per præsentes, Et eundem locum dicto Monasterio in Bodeken auctoritate ordinaria quantum nobis ex officio nostro incumbit, concedimus, et assignamus, ita quod liceat ipsis in dicto loco reformato indoneos sui ordinis, aut alios cujuscunque status viros Deo in humilitatis spiritu servire volentes instituere et destituere, juxta ipsorum beneplacitum, et dicti loci facultatem et exigentiam, prout ipsi salutiani marum prospexerint, felicius expedire volentes, et auctoritate ordinaria decernentes, quia villa Dailheim ac Monasterium, et habitantes ibidem eisdem gratiis, privilegiis, indulgentiis libertatibus, emunitatibus deinceps gaudeat quibus dictum Monasterium in Bodeken gaudet. Ut autem præmissa omnia et singula obtineant plenioris roboris firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri munimine una cum sigillo Capituli supradicti jussimus roborari. Et nos Alradus de Busche Præpositus, Henricus Decanus, cæterique Canonici Ecclesiæ Paderbornensis supradictæ in signum nostri consensus omnium præmissorum præsentem terram nostri sigilli jussimus appensione communiri. Datum Anno Domini Millesimo Quadringentesimo vicessimo nono, vicesima quinta die mensis Maji.

Hac auctoritate præmunitus Bodecensis Præses misit duos Sacerdotes sui Monasterij, additis Laicis fratribus; à quibus magno labore & sudore vetus Dalhemensis Cœnobij locus intra Montem Martis & Lichtenaviam in campo Sintfeldiensi excoli cœpit, implerique numerus sacerdotum & sacrorum operariorum. Nec defuit ad conspectum paupertatis & religiosæ vitæ exemplum, quo primi illi

illi coloni mirificè se commendabant, promissa fides & largitas nobilium, cumprimisque Brobekiani, qui alter Dalheimensium conditor est habitus; cujus patrocinio & industria haud multò post etiam Otto Comes Waldecensis persuasus, omnia bona patrimonij, quæ à Buranis empta possidebat in pago Dalheim, aut quæ feudi titulo habebat à Corbeiensibus in campo Sintfeldico, liberali donatione transcripsit Dalheimensibus Sacerdotibus; quæ & post rata habuit Arnoldus Corbeiensium Abbas. Et jam brevi adeo opibus & numero sacrorum operariorum aucti erant, ut novi Monasterij cultura appareret; cùm inter ipsos cultores loci & Bodecenses lis oritur, seperatumne istic Monasterium Canonicorum Regularium instituendum? an verò per modum acquisiti prædij & domicilij religiosi locus Bodecensibus, quod illi ex impensis à se factis poscebant, adjiciendus esset? res illa post à Winsheimensi congregatione decisa est; urgentibusque Brobekianis nobilibus, novum Dalheimense Monasterium erigendum decretum. Eo post majori religiosorum fervore, & piorum hominum donationibus, celebre istic Monasterium, opibus & religiosa disciplina Bodecensi haud impar, exsurgere visum; fabricâ etiam clausti & Basilicæ, in qua ab anno 1460 ad 1470 laboratum, ceteris per diœcesin Cœnobiis multò illustrius.

Theodoricus molitur Episcopatum Paderbornensem conjungere cum Archidiœcesi Coloniensi.

Quàm laudabile Theodorici Mörsani Administratoris nostri opus fuit instauratio Dalheimensis Cœnobij, tam pravum consilium fœdumque factum commemorare nunc necesse habeo. Machinatus est enim Paderbornensem Episcopatum conjungere cum Colonienſi Archiepiscopatu, & in unum Ecclesiæ corpus contrahere. Id ut conficeret, speciosas scripsit ad Martinum Pontificem literas, quibus prætexuit, Episcopatum Paderbornensem esse perquam exiguum, tenuem, & in eas angustias per bella redactum, ut nec suis se armis tueri amplius possit, nec Episcopum alere; quippe cui non amplius quàm quingentorum florenorum census annuus suppetat. Præterea Oppida castraque ejus omnia ita esse vel debitis gravata, vel oppignerata, ut nisi à Colonienſi Archiepiscopo aliove potentiori Principe sublevetur, nunquam in pristinum statum erigi possit; quod cum omnium in ea diœcesi ordinum sit judicium, tum nihil ab his magis sollicitari apud se, quàm ut Colonienſi conjungatur. Multa hujusmodi callide Theodoricus Mörsanus ad Pontificem; qui, quibus artibus Episcopatum Paderbornensem ingressus fuerat, isdem subvertere & extinguere omni contentione laborabat, nunc hos, nunc illos in aula Pontificis corrumpendo. A quibus inductus Pontifex, transmisso ad Theodoricum diplomate, Paderbornensem Episcopatum Colonienſi conjungendum decernit.

Consentit in conjunctionem Martinus V Pont.

Martinus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, quo universis orbis Ecclesiis obligamur, assidue nos impellit, ut de Ecclesiarum, præsertim Cathedralium, omnium, ab illis

pro

pro tempore subjectarum personarum statu solliciti, prospere regantur et salubriter dirigantur, nec non in pacis et tranquillitatis amœnitate floreant, juxta indultam nobis desuper potestatis plenitudinem operosis studiis intendamus. Cum itaque, sicut accepimus, Ecclesie Paderbornensis pro illius et Ecclesie Colonienſis ac ejus subjectarum terrarum statu et commoditatibus conservandis venerabilis frater noster Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis per sedem Apostolicam in spiritualibus et temporalibus perpetuus Administrator deputatus existat, Nos ex certis causis animum nostrum ad hoc inducentibus, spemque nobis indubiam pollicentibus quod prefate Colonienſis et Paderborn. Ecclesie ex hoc prosperiores consequerentur successus, ac eo validius et commodius se valeant ab adversariis tueri et noxiis preservari, quo vires utriusque simul conjuncte fuerint fortiores, ejusdem Archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, ipsam Ecclesiam Paderburnenſem, cujus mense Episcopalis fructus, redditus, et proventus, qui in Camera Apostolica ad centum florenos auri de eadem camera duntaxat taxate reperiuntur, quadringentorum florenorum auri similium secundum communem taxationem valorem annuum, ut ipse Archiepiscopus asserit, non excedant, cum civitate, territorio, districtu, Opidis, terris, dominiis, castris, villis, et fortalitiis, aliisque juribus et pertinentiis suis universis venerabili fratre nostro Conrado Archiepiscopo Moguntin, cui prefata Ecclesia Paderburnenſis metropolitico jure subesse dinoscitur, suum expressum ad id per suas literas adhibente consensum, eidem Ecclesie Colonienſi, cujus verum annuum valorem presentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, auctoritate Apostolica tenore presentium ex certa scientia in perpetuum incorporamus, annectimus, et unimus, ita quod licet Theodorico prefato et suis successoribus pro tempore existentibus Archiepiscopis Colonienſibus auctoritate proprio possessionem, et administrationem bonorum dicte Ecclesie Paderburnenſis apprehendere, et retinere, ac perpetuo ipsam Ecclesiam Paderbornenſem regere et gubernare, ejusque fructus, redditus, ac proventus jura, obventiones, et emolumenta exigere, percipere, et levare, nec non in suos ac dictarum Colonienſ. et Paderborn. Ecclesiarum usus convertere, alicujus licentia super hoc minime requisita; quodque dilecti filii, Capitulum, nec non vasalli, feudatarii, censuales, et alii subditi ac homines dicte Ecclesie Paderbornenſis Theodorico Archiepiscopo et successoribus prædictis obedientiam et reverentiam prestare, ac pertinentia recipere et jura debita exhibere, nec non ab eis feuda, omagia, et bona alia ad eandem Ecclesiam Paderbornenſem pertinentia recipere et recognoscere teneantur et debeant, et in omnibus et per omnia sicuti consueverunt Episcopis Paderbornenſibus, qui pro tempore existiterunt, jure tamen metropolitico Ecclesie Mogunt. alias in omnibus semper salvo, non obstantibus 4 Apostolicis, ac Colonienſis, Moguntinenſis, et Paderbornenſis Ecclesiarum predictarum constitutionibus, ordinationibus, et statutis juramento, confirmatione apostolica, et quacunque firmitate alia roboratis, consuetudinibus quoque, nec non privilegiis et indulgentiis, ac literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat, quomo-

quomodolibet aut differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscunque, proviso quod Ecclesia Paderbornensis predicta debitis propterea non fraudetur obsegiis, ac solitus dignitatum, Canonicorum, Sacerdotum ac Ministrorum numerus in illa nullatenus minuatur, sed eis debita et consueta, ac alia incumbentia onera oportuna debite supportentur. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hys, à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, incorporationis, annexionis, unionis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctos Apostolos, VIII Calend. Decembris, Pontificatus nostri anno tredecimo.

Annus Christi 1430.

Martini V Pont. 13.
Sigismundi Imp. 21.
Theodorici Admin. Pad. 15.

Vix dum annus præcedens se verterat, cùm hæ callidæ simul machinationes Archiepiscopi Colonienſis deteguntur Collegij Cathedralis præsulibus & Canonicis. Ij tametsi primùm ad ea, quæ privatorum literis significabantur, suspensi dubijque hærerent, nec tantam sibi Administratoris sui perfidiam persuadere possent; post tamen, ubi Pontificis diploma allatum fuit, certi non minus quàm turbati indignatique, rem secum expendere cœperunt; nihilque insolentiùs occurrit, quàm hæc ab Archiepiscopo tam fraudulenter tentari, qui receptus in Administratorem Capitulo & Ordinibus juraverat, nihil se contra jura Ecclesiæ & libertatem diœcesis unquam acturum, quemadmodum hæc supra à nobis relata sunt. Mirati deinde rem tanti momenti, in qua salus & jactura simul totius Episcopatûs versabatur, quæque totam Westfaliam in turbas excitura esset, non citato auditoque Capitulo, non rogatis ordinibus, non prolato Moguntini ac Metropolitani Paderbornensis Ecclesiæ consensu, tam abruptè à Pontifice decerni, secus quàm Romæ in ordinatissimo judicio fieri consvevit. Quare plerique in eam persuasionem venêre, totum illud diploma aut subreptitium esse & per fraudes obtentum, aut Pontificem non satis edoctum, præcipitantiùs quàm causæ gravitas exigebat, pronunciasse; aut certè tantam, ut esse debuit, Archiepiscopi fidem fuisse in aula Pontificis, quæ nullum fallere posse crederetur, cùm falleret omnes. Hunc in modum cùm se Romæ à Colonienſi Archiepiscopo Administratore suo circumventos viderent, Præsules & Canonici Paderbornenses, indictis comitiis, consultavêre in medium; nihilque consultiùs habuêre, quàm appellare ad sedem Apo-

stolicam & Collegium Cardinalium, extremaque subire; ne antiquissimus & nobilissimus Westfaliæ à Carolo M. conditus Episcopatus, ad unius hominis dominandi libidinem, amisso perpetuùm jure eligendi Episcopum suum, extingueretur. Quapropter conceptis literis appellatum ad Pontificem, missusque Romam Legatus cum literis appellationis; quas hoc loco ad posteritatis fidem recitare visum est.

In nomine Domini amen.

Capitulum Cathedrale & ordines Diœcesis Paderb. appellant ad summum Pontificem.

Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis ipsum intuentibus pateat evidenter, eodem anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo tricesimo, indictione octava, die vero decima septima mensis Septembris, hora primarum, vel quasi de mane, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Martini providentia Papæ quinti anno ejus tredecimo, venerabilibus et circumspectis viris Dominis Alrado Præposito, Henrico Decano, Ottone Speghel seniore, Rodolfo de Wintringerode Camerario, Alberto de Haxthus Præposito Ecclesiæ sanctorum Petri et Andreæ, Henrico de Driborgh, Diderico Lappen Archidiacono sedis Huxariensis, Hermanno de Oyenhusen Thesaurario, Lodewico de Rostorp Cantore, Stephano de Malsborgh Archidiacono sedis Horhus: Wernhero Krevet, Hermanno de Rekelinghus, Tyderico de Engelsen Scholastico, Ravenone de Papenhem, Henrico de Wolsten, Johanne de Imadishus Canonicis, in loco Capitulari Ecclesiæ Paderbornensis more solito vocatis et capitulariter propter hoc, videlicet animo appellandi, congregatis, et Capitulum ejusdem Ecclesiæ hac vice representantibus ad subsequentem appellationis notam interponendam unitis, in nostrorum notariorum et testium infra scriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum præsentia provocarunt et appellarunt. Atque apostolos petierunt et protestati fuerunt quam quidem appellationem prefati Domini alta et intelligibili voce legi fecerunt et appellarunt, ac apostolos petierunt, aliaque dixerunt, et fecerunt, prout hæc in subsequenti appellationis nota continentur, cujus appellationis tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Nos Alradus Præpositus, Henricus Decanus, Canonici, totumque Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis nostri, nec non civitatis et diœcesis, totiusque Cleri, Laicorum, et subditorum Ecclesiæ ejusdem nominibus ante omnia protestamur, quod per infra scriptam appellationem nostram non intendimus nec volumus ab obedientia sanctissimi Patris et Domini nostri D. Martini divina providentia Papæ et sanctæ sedis Apostolicæ recedere quoquo modo, vel resilire, sed ei in singulis licitis et honestis parere, intendere, et obedire, nec non eundem Dominum nostrum Papam, ejusque sanctam sedem Apostolicam pro posse et nosse cum omni humilitate et devotione honorare, et revereri merito prout tenemur, nec cuiquam in dignitate, honore, et statu quibusvis derogare, sed infrata pro conservatione juris et libertatis omnium prædictorum, ac causæ, et negotii infra scripti defensione duntaxat dicere, proponere, et allegare. Qua protestatione præmissa, animo et intentione provocandi et appellandi, ac apostolos petendi, et recipiendi, dicimus, proponimus, conquerimur, allega-

mus,

mus, quod à trecentis ac à sexcentis proxime præteritis, et continue citra et supra ac longe ultra viventium ac eorum progenitorum memoriam inter alias solemnes Cathedrales Ecclesias jure metropolitico sanctæ Moguntinensi Ecclesiæ subjectas, Paderbornensis Ecclesia semper fuit, et hodie sit una de solemnioribus Ecclesiis, fuitque et sit antiquissima per divæ et sanctæ memoriæ Carolum Magnum Pipini filium, et alios christianissimos Principes Romanos Imperatores congrue et opulenter diversis bonis, etiam partem pheodalibus sacri Romani Imperii fundata, erecta, dotata, et in dote comitatibus et dominiis diversis aucmentata, tenuitque semper per tantum tempus, et à tanto tempore, cujus initii memoria hominum non exstat, ac hodie teneat, et possideat tam in spiritualibus quam temporalibus civitatem Paderburnensem respectu aliarum civitatum Alemaniæ satis notabilem et potentem, et quam plurima Opida, quorum aliqua ex iis pro Cathedra Episcopali ibidem constituenda habunde sufficerent, ac etiam quam plura in numero fortissima fortalitia, villas, terras, et possessiones, ac diœcesim amplam plurium dictarum, in qua ultra quam ducentæ parochiales Ecclesiæ solemnes sunt situatæ, collegiatas Ecclesias civitatis et diœcesis, ac Monasteria regularia tam virorum quam mulierum diversorum ordinum, quæ omnia designare et specifice exprimere legentibus fastidium generaret, et quia notoria sunt, res de se loquatur, et si expediat, in processu singula describentur. Habuit etiam ipsa Paderburnensis Ecclesia in prædictis castris, terris, opidis, et aliis locis solempnissimis dominium pacificum et quietum per tempora prædicta, consuevitque ab eisdem temporibus, et per ipsa tempora, et continue citra per pastores, utique de ducum, Comitum, et Baronum, et alias illustrium ac nobilium genere procreatos regi ac gubernari, qui ab antiquissimis temporibus sacri Romani imperii Principum et ejusdem Imperii illustrissimorum Imperatorum Cappellani extiterant speciales, quodque nobilitas, potentia, et integritas hujusmodi ibidem Pastorum pro tempore residentium, nedum ipsius Ecclesiæ subditorum et vasallorum, sed omnium partium vicinarum fuit singulare præsidium, et conservatio; Consueverunt-que etiam propter nobilitatem dictæ Ecclesiæ in eadem duntaxat nobiles, et de militari genere, ac legitimo procreati matrimonio, in altera jurium doctores vel licentiati, seu in theologia magistri, ac alias diversis virtutum titulis decorati viri ante plurima tempora in Canonicos, et hodie recipiuntur pro defensione Ecclesiæ jurium et pertmentiarum ejusdem: habueritque à sæpe dictis temporibus, ac continue citra dicta Ecclesia Padeburnensis, et pro tempore ipsius Ecclesiæ Episcopus ratione fundationis ejusdem, et hodie habet sub se Duces, Lantgravios, Comites, et Barones, et alios illustres nobiles, et militares subditos præfatæ Ecclesiæ fidelitati astrictos, quorum etiam aliqui ex eis non alium, quam pro tempore dominum Episcopum Padeburnensem in eorum dominum recognoscunt temporalem: fueritque etiam ab eisdem temporibus et continue citra et hodie sit, cessantibus alienationibus et invasionibus infra describendis, dicta Ecclesia Padeburnensis in decimis fructibus, redditibus, et pensionibus tot introitibus dotata, quod ex illis Episcopus pro tempore existens decentem et honestum statum gravitati et modestiæ pontificalis dignitatis conveniencon-

venientem absque alicujus gravamine tenere potuerit et habere. Quinymmo pro tempore Episcopus Padeburnensis, licet ejus civitas, et diœcesis in finibus et à propinquo habeat quamplures Principes, Comites, et Barones, et militares ad invadendum ipsius civitatem et diœcesim, ut est notorium, promptissimos cottidie, de bonis tamen dictæ Ecclesiæ, et de potentia suorum subditorum potuit semper et hodie posset, si quis ibidem esset, ipsam Ecclesiam et ejus jura à quorumcunque etiam Principum et aliorum dominorum spiritualium et temporalium circumvicinorum incursibus defensare, ac vim vi repellendo hostiliter resistere ascendentibus ex adverso, prout inquam pluribus triumphis et victoriis satis notabilibus temporibus nunc viventium per prædictos Episcopos pro tempore existentes gloriose consecutis evidenter emicuit quorum unum relatione dignum dicatur. Ubi piæ memoriæ quondam Fredericus Archiepiscopus Colonienſis reverendissimi in Christo patris Domini Theodorici Archiepiscopi moderni prædecessor immediatus, ipso cum suo et aliorum Principum ingenti exercitu dictam diœcesim Padeburnensem incendiis et rapinis hostiliter intrante, et invadente, mille quadringentis equis et sexcentis equitibus pro majori parte nobilibus armatis, vel citra dicti exercitus per solius tunc electi Padeburnensis et suorum subditorum potentia ac resistentia viriliter debellatis atque captis, solus cum paucis fugam capiendo vix evasit. Esto enim in tanti redditus, pensiones et introitus dictæ Ecclesiæ Padeburnensis ex cujuscunque culpa vel negligentia, seu qualibet alia causa, per sustentationem status Episcopalis, ut præfertur, quod tamen nunc admittitur ad præsens, non subesset, aut reperirentur. Veritas tamen est, quod tot, et tanta opida, castra et prædia cum eorundem mero imperio et dominio ipsi Ecclesiæ post ejus primariam fundationem ex Episcoporum pro parte industria, et pia legantium, et acquirentium devotorum affectu largiter accreverunt, adeo quod licet ipsi paucos redditus Episcopali mensæ tribuat, si tamen ipsorum aliquorum, ymmo paucorum imperium et dominium vendicationi, si liceret, exponerentur, reperirentur emptores ex Principibus, et dominis circumjacentibus, qui tamen thesaurum eisdem darent, et exponerent, cum quo universi redditus, et introitus primariæ fundationis ipsius Ecclesiæ pro sustentatione Episcopalis dignitatis possent recuperari et redimi, ymmo alii tot et tanti de novo constitui et haberi ejusdem Ecclesiæ Paderburnensis etiam districtus quam plures clarissimos et illuminatos viros, tam in Romana curia quàm extra, videlicet protonotarios sedis Apostolicæ, Episcopos, auditores, et doctores enutrivit. Et licet alias reverendissimus pater Dominus Theodericus Archiepiscopus Colonienſis prædictus ex nonnullis compositis persvasionibus ipsam Ecclesiam Padeburnensem à tunc sanctissimo Domino D. Johanne Papa XXIII per quasdam suas literas sub data Idib. Aprilis Pontificatus sui anno quinto in Opido Friburgi Constantiensis diœcesis post ipsius de constantia occultum recessum obtinuerit sibi ad dies vitæ suæ taliter qualiter concedi ad commendam, fuitque ad eandem Ecclesiam, in finem tamen ut ipsam salubriter citra alicujus rei immobilis vel preciosi mobilis alienationem, fructus ipsius Ecclesiæ in ejusdem utilitatem convertendo juxta ipsarum literarum decretum et interdictum, certa

id in

id in se continentium tenorem, certo etiam juramento per eum ad id præstito sub certis literis ejus sigillo appendenti desuper sigillatis regeret, ac fideliter conservaret, nec non defenderet et admissus; horum tamen immemor, ejus reverentia semper salva, certa solempnia castra prædia, ac bona immobilia dictæ diœcesis in processu causa specificanda sine consensu Capituli Ecclesiæ Padeburnensis alienaverit, nec non ab officiatis suis castrorum et fortalitiorum ipsius diœcesis, quod eadem ad utilitatem Ecclesiæ Coloniensis conservent, ut sic perpetue à præfata Ecclesia Padeburnensi alienentur, juramenta certa exegerit et exigat, ac quam plures notabiles summas pecuniarum fructuum dictæ Ecclesiæ Padeburnensis similiter specificandas in usus Coloniensis Ecclesiæ converterit, ipsis literis, ac tali quali commenda per eum, ut præfertur, impetratis, multifarie abutendo, et continuam residentiam in locis circumvicinis civitatis Colonienſis, quæ ultra tres dietas à civitate et diœcesi Paderbornensi, notorie distat. Faciens autem homines vita et conversatione et moribus subditis Ecclesiæ Padeburnensi omnino contrarios, ad easdem civitatem et diœcesin Padeburnensem per biennium proxime præteritum et ultra nunc declinaverit, ac alias ad ipsarum civitatis et diœcesis Padeburnensis conservationem, gubernationem et defensionem hucusque satis modicam diligentiam duxit adhibendam, adeo et totaliter, quod bona subditorum Ecclesiæ Padeburnensis prædictæ cottidie hostiliter invaduntur, et in prædam abducuntur, pauca ymmo nulla per eum adhibita resistentia aut remedio oportuno, sic quod hujusmodi prætensæ commendæ durante tempore fructus et introitus ipsius Ecclesiæ dicti Domini Archiepiscopi culpa et negligentia causantibus sunt plus quam mediate dissipati et diminuti. Cumque hæc sunt detestabilia, ymmo absque mœrore referri non possunt, ac satis tendant in suppressionem et destructionem dictæ Ecclesiæ Padeburnensis, præsumaturque verisimiliter à quam pluribus, quod in vindictam casus et ruinæ exercitus ipsius Domini Archiepiscopi quondam prædecessoris prætacti, ac quod ipsa Padeburnensis Ecclesia sic suppressa ab Ecclesia Colonienſi, quæ ei in pluri obligata jus suum petere non valeat, nec omnino, ut præmittitur, contra ipsam se defendant, fuerint et sint facta et ordinata. Nichilominus tamen idem Archiepiscopus his destabilius, ut noviter ad notitiam nostram Alradi Præpositi, Henrici Decani, Canonicorum, ac totius Capituli Ecclesiæ Padeburnensis devent, propositum suum omnino detestabilius hucusque tectum ad lucem deducens prædictis verbis et veritati subjectis subdolè tacitis, et expressis falsitatibus de valore annuo fructuum, reddituum, et proventuum mensæ Episcopalis dictæ Ecclesiæ Padeburnensis, quem adhuc introitus unius duntaxat castri, quorum plura sunt ipsius diœcesis, excedunt, et aliis quam pluribus falsè suggestis et suppressis, quærens quæ sua sunt, non quæ Christi, in finem ut Principem circumveniret, et ut ipsa Ecclesia Padeburnensis funditus supprimeretur, ac re, nomine et honore pontificalis dignitas extingueretur, à sanctissimo Domino nostro D. Martino divina providentia Papa V. sæpedictam Ecclesiam Padeburnensem sibi, et Ecclesiæ Colonienſi subreptitie et obreptitie perpetue fama publica referente uniri et incorporari obtinuit ac incorporavit in destructionem, vituperium, et

perpetuum obloquium Ecclesiæ Padeburn. nostrum, ipsius civitatis, et diœcesis, ac omnium subditorum eorundem, et maxime tamen Apostolicæ sacri Romani imperii, et Ecclesiæ Moguntinæ valde notabile detrimentum, præjudicium, dampnum, et gravamen. O insatiabilis dominandi libido! o sacra auri fames! quærere et instare Ecclesiæ Colonien. cujus fructus, redditus, et proventus, et quando discreto ordine, secundum Deum, ut deceret, gubernata foret, pro decem Episcopis habunde sufficerent. Cogitne ulla necessitas admare congeri aquarum guttulas, ut plus tumescat et habundet? Capitne contra antiquorum vulgatam sententiam plenitudo? et ridiculosius esset, cùm sacrorum Canonum documenta dignitatum, et beneficiorum numerum augendum declarant non extinguendum. In hoc enim sancti Patres honorem suum crescere fatebantur, quando alios in honore conservabant. Quomodo igitur tam levis, et prompta surgit audacia, nulla obsistente causa legitima, ut tentetur, quod sancta sedes Apostolica imminuta servitiis, Romanum imperium in Principe imperat Capellano speciali, et Ecclesia Moguntina in suffraganeo suis defraudentur, orbentur et priventur? ac tam misere de matre constituatur filia? de libera tam scandalose efficiatur tributaria et ancilla? quinymmo de viva fiat mortua et exstincta? Certe indecens et inhonestum foret, piam intentionem dictorum christianissimorum Imperatorum prætactæ Ecclesiæ frustrari effectu et fructu, quem iidem ac pastores Ecclesiæ, nec non alii Christi fideles et devoti homines illius patriæ gravibus sumptibus sacrarunt et dedicaverunt, ad aliena horreatam in discreto judicio transportari, quod ut timendum est non absque detestabili sanguinis effusione perficeretur, et ex hoc sine dubio infinitæ guerræ, homicidia, et animarum perditiones, ac lites immortales, partialitatesque inextinguibiles in illis partibus orirentur. Et cum nulli sub alterius jactura consulendum sit, ac quilibet terminis suis debeat contentari, satis habet respicere et gubernare Dominus Archiepiscopus Colonienſis pro tempore existens, et utinam manus Dei sit ei propitia, ut omnia debite gubernentur, et testantibus dictis sanctorum Patrum quilibet in jure suo et honore debet conservari, ne subtractis columpnis corruat ædificium. ymmo si dicta incorporatio haberet vigorem, et esset sortita effectum, merito propter præmissa, cum utraque ipsarum pro se sufficiat, et quia de una earundem ad aliam nisi per territoria duorum magnorum Principum Ducis Montensis et Clevensis absque gravi periculo per viatores quoslibet, ymmo per Dominum Colonienſem in ejus propria persona, nisi cum magno comitatu perveniri minime potest, dissolvi potius deberet et disjungi. Unde nos, Præpositus, Decanus, Canonici, et Capitulum prædicti, nostrorum, et Ecclesiæ Padeburnensis, totius civitatis, et diœcesis, Cleri, Laicorum, et omnium subditorum eorundem nominibus non modicum ex præmissis tanquam fideles matris suæ sui filii dolore compuncti, quem enim fidelem matris suæ filium contumelia tanta non læderet, et confusio tam scandalosa non moveret? Et quia res ipsa Deo ingrata, mundo odibilis scandalosa parit, honorem lædit, perpetuum præjudicium rerum, bonorum, honorum producit, ac cum crudele sit famam suam negligere, volentes prædictis incorporationi et unioni, si quæ fuit, ne ad illum detestabilem inordinatum

effectum

effectum deducatur, quantum in nobis est, salvis tamen protestationibus nostris præmissis, occurrere, et prædicta ad sanctissimi Domini nostri Domini Martini Papæ V prædicti, et ejus Soc. Collegii reverendissimorum Dominorum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium notitiam deducere à prædictis incorporatione et unione ac literis desuper forsan confectis, si quæ sunt, cum non vocatis, neque auditis illis, de quorum præjudicio perpetuo agitur, et sine consensu eorundem, ac non justificatis expositis in ipsis prætensis literis, sicuti nec unquam, quia mendosa, justificari poterunt, ac aliis solemnitatibus, et stilo in talibus gravioribus negotiis merito servandis, minime servatis, sint subreptitie et obreptitie extortæ et impetratæ, ac à quibuscunque processibus desuper fulminatis forsitan et fulminandis, ac ab omnibus gravaminibus et periculis, quæ expres. seu eorum quolibet, ac ab ipsis literis et processibus prætensis, quas et quos hic pro justificatione præsentis appellationis inserimus, et pro insertis haberi volumus, et non alias colliguntur, seu colligi poterunt, pro nobis omnibus communiter et divisim, et singulos, quos tangit negotium hujusmodi, et in futurum tangere poterit, ac omnibus adhærentibus nobis, et adhærere volentibus, ac contra Dominum D. Theodericum Archiepiscopum in hujusmodi causa et negotio ad sanctissimum in Christo Patrem Dominum nostrum Dominum Martinum divina providentia Papam V. prædictum sinistre informatum melius circa præmissa informandum, et sanctam sedem Apostolicam in his scriptis appellamus, et apostolos petimus primo, secundo, tertio, instanter, instantius, instantissime, si quis sit qui eos dare velit, et possit, subjicimus nos, Ecclesiam Padeburnensem, ac civitatem, et diœcesin prætactas, nec non Clerum, et Laicos, ac omnes subditos eorundem, et omnes, quorum interest, ac nobis adhærentes, et adhæsuros, ac nostrorum omnium statum et honorem, nec non beneficia et bona quæcunque tuitioni, et defensioni sedis Apostolicæ antedictæ, et protestamur de hujusmodi appellatione prosequenda, ac insinuanda et intimanda ipsi reverendissimo Patri Domino Archiepiscopo Colonienſi, et aliis quibuscunque, quorum interest, suis loco et tempore oportunis, jure addendi, corrigendi, mutandi, et augmentandi, nec non de novo appellandi, ac aliis juris beneficiis nobis semper salvis. Super quibus omnibus et singulis iidem Domini suprascripti requisierunt nos notarios infra scriptos, ut ipsis super præmissis unum vel plura publicum seu publica in meliori forma ad dictamen cujuslibet sapientis conficeremus instrumenta. Lecta et interposita fuit hæc suprascripta appellatio modo et forma præmissis sub anno, indictione, die, mense, hora, Pontifice, loco, supradictis, præsentibus ibidem discretis viris Johanne Louff, et Helmico Helmici, alias Nygevvegh Clericis Padeburnensibus testibus ad præmissa vocatis et requisitis.

Non his satis habuêre Paderbornenses ad tam audax & perfidum Theodorici Administratoris sui facinus impediendum; sed & vicinorum per Saxoniam Cathedralium patrocinium opemque imploravêre; Moguntinorum cumprimis, quòd à Caroli M. ævo Paderbornensis Ecclesia Moguntinæ Metropoli hactenus subjecta constitisset, multumque interesset, ne pro veteri jure & dignitate nobile

illud

illud membrum à corpore Metropolitanæ Ecclesiæ divelleretur. Et Moguntini accepta rei iniquitate, hisce literis scripsêre ad Martinum Pontificem.

Moguntini scriptis ad Pontificem literis impedire conantur conjunctionem Episcopatûs Pad. cum Archiepiscopatu Colon.

Beatissime Pater, cum humillima nostrum recommendatione et pedum osculo Beatorum, ad sanctitatis vestræ recurrimus clementiam, devote exponentes, quod noviter ad nostram notitiam devenit, quod, quamquam Ecclesia Padeburn. per divæ memoriæ Imperatores Romanorum decenter et copiose dotata fuerit, quatenus ad ipsius Episcopi, et aliorum prælatorum et menbrorum suorum pro tempore existentium sustentationem suis propriis facultatibus restantibus laudabiliter sufficere reperiatur: tamen reverendissimus Pater, Dominus Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis quasdam literas, ut dicitur, Apostolicas, prætextu, quod ipsam Ecclesiam Paterburn. cum pertinentiis et juribus suis nititur Ecclesiæ Colonienſi fore perpetuo incorporatam, annecsam, sive unitam, extorsisse refertur, quorum occasione Ecclesia, civitas, et diœcesis Padeburn. Pastore Cath. solatio et dignitate privatæ, plurimum gravatæ et desolatæ remanerent, et cum hoc dictæ Ecclesiæ Padeburn. Capitulo non consentiente, ipso etiam ad hoc non vocato, similiter nobis de Capitulo Ecclesiæ Mogunt. cui dicta Ecclesia Padeburn. jure metropolitico subjecta semper fuit, et est, in his non vocatis, auditis, neque consentientibus agitata sint, præterea non solum in ipsius Ecclesia Padeburn. et status ejusdem suppressionem et perpetuam extinctionem, verum etiam in nostræ Ecclesiæ Moguntin. provinciæ et honoris diminutionem præmissa cedere viderentur. Supplicamus igitur sanctitati vestræ humiliter et devote, quatenus de benignitate Apostolica Ecclesiæ Padeburn. præfate paterne consulentes, ipsam in statu suo antiquitus solemniter solidato conservare, et ne scandala ex præmissis ----- etiam cum grandi sanguinis effusione perveniant; Præpositum, Decanum, et Capitulum memoratæ Ecclesiæ Padeburn. in prosecutione prioris status, præeminentiarum, honoris, dignitatum, et causæ movendæ seu motæ in præmissis oculo clementiæ etiam respicere dignemini, ejusdem Ecclesiæ destructionem irrecuperabilem revelantes, quinimo præfatæ Ecclesiæ nostræ Moguntin. et ejus provinciæ præeminentiam eadem sanctitas vestra per hoc etiam illæsam et indismembratam ad omnipotentis gloriam conservabit, qui sanctitatem vestram, ad ipsius Ecclesiæ gubernationem dirigere et conservare dignetur longæve. Datum nostro sub sigillo ad causas Anno Domini Mcccc *trigesimo, die* XI *mensis Octobris.*

Humiles et devoti Oratores Petrus Echter Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Moguntinensis.

Pontifex melius edoctus causam cognoscendi dat Geminiano de Prato, causarum Auditori.

At Martinus Pontifex, postquam appellationis literas à Paderbornensi Collegio accepit (quibus & urbs Paderbornensis ordinesque diœcesis suas conjunxêre) intellexitque, quibus artibus à Colonienſi Archiepiscopo circumventus, & quas turbas hæc Episcopatûs conjunctio invectura esset; negotium cognoscendi dedit Geminiano de Prato, sacri palatij causarumque Auditori. Et is discussis rerum momentis, quæ à Paderbornensibus poscebantur, scriptis ad

Theo-

Theodoricum Colonienſem Archiepiſcopum literis, Romam ad dicendam cauſam citavit, juſſitque & ipſum & miniſtros ejus continere ſe ab omni machinatione conjungendi Epiſcopatus. Quemadmodum & hujus literæ hoc anno XXIV Novembris conſignatæ apud nos retvantur. Ita verò primò frenum Colonienſi Archiepiſcopo injectum; retentusque is eſt ab impetu inſiliendi in Epiſcopatum Paderbornenſem.

Annus Chriſti 1431.

Eugenij IV Pont. 1.
Sigismundi Imper. 22.
Theodorici Adminiſt. Pad 16.

Quæ dum magna partium contentione cœpta ſunt agi Romæ in judicio Apoſtolicæ ſedis, moritur hoc anno inſequenti, XX Februarij, Martinus Pontifex, Succeſſorem nactus V Nonas Martij Eugenium Pontificem, gente Venetum. Et Martinus Pontifex paulò antequam diſcederet, operâ Juliani Cardinalis Legati ſui, per Germaniam Synodum Baſileæ inchoârat; quam & Eugenius Pontifex promovendam ſuſcepit, facto ad XXIII Julij initio. Ejus quoque Pontificis ſtudio Imperator Norimbergæ XXIII Aprilis Principum comitia indixit, in quibus bellum adverſus Bohemos decretum, reſumptumque magno apparatu magnoque cruce ſignatorum concurſu; numerata enim quadraginta millia equitum: haud minor peditum multitudo fuit. Quocum florentiſſimo exercitu, cui Moguntinus, Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopus ſuas quoque copias junxêre, æſtate proceſſum eſt in Bohemiam. Duces ſe obtulere, Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Fridericus Dux Saxoniæ. Acceſſêre Albertus & Chriſtophorus Palatini, Herbipolenſis & Eiſtadenſis Epiſcopi; aderant & Imperialium urbium auxilia. Spangebergius etiam huic expeditioni præſentem ſiſtit Colonienſem Archiepiſcopum cum Juliano Cardinale; ejusque cumprimis Cardinalis Juliani auctoritate alij hanc tertiam expeditionem provectam tradunt. At improſpera rurſum expeditio. Quippe vaſtatis crudeliter Bohemorum agris, incenſisque Oppidis, ad famam adventantis hoſtis totis caſtris trepidatum; nec exſpectato Ducum imperio, in fugam ſoluti, confœderati amiſſisque impedimentis, rediêre ad lares ſuos. Fortiùs feliciúſque rem egit Albertus Auſtriæ Dux, Sigismundi Cæſaris generis poſt auditam Germanorum fugam Moraviam ingreſſus, ſupra quingentas villas ferro & igne delevit, Oppida complura Huſſitarum expugnâvit, cæſosque Moravos ad obſequium reduxit, Principes cùm tot improſperis bellis nihil ſe efficere viderent, Bohemos ad Concilium Baſileenſe invitârunt, in quo Patrum judicio omnis regni & religionis controverſia decideretur; id quod à Bohemis quoque acceptatum. Sigismundus interea in Italiam profectus, Mediolani in Baſilica D. Ambroſij ferrea pro ritu majorum corona inſignitur.

Raynald. in in hiſt Eccleſ. Æneas Sylvius. Trithem.

Moritur Martinus V. Pont. ſuccedente Eugenio IV.

Indicitur Synodus Baſileenſis, & Comitia Norimberg.

Bellum adverſus Bohemos reſumitur, at infelici rurſum exitu.

Felicior adverſus Moravos Alberti Auſtriaci expeditio

Sigismundus accipit Mediolani ferream coronam.

Cæterum controversia, quam inter Paderbornenses & Theodoricum administratorem suum agitatam diximus, consequenti hoc anno multò contentiùs suscepta est, delataque ad judicium Eugenij Pontificis. Quam in rem convenêre rursus Collegii Cathedralis Canonici, Magistratus, & cives urbis Paderbornensis, vasalli, Ministeriales, nobiles, omnesque diœcesis ordines; quorum una animorum consensio & conspiratio fuit, malle se omnium bonorum jacturam facere, quàm perfidè hactenus tentatam à Theodorico conjunctionem Ecclesiæ suæ permittere, quod his tabulis palam convenit.

In nomine Domini Amen.

Rursum convenit inter Paderbornenses non permittere extinctionem Episcopatûs Paderb.

Anno à Nativitate ejusdem millesimo, quadringentesimo, trigesimo primo, indictione nona, die vero decima tertia mensis Aprilis, hora primarum de mane vel quasi; Pontificatus sanctissimi Domini in Christo Patris et Domini nostri Eugenii divina providentia Papæ quarti anno ejus primo, in nostrorum Arnoldi Brandis et Bertoldi Gossentorp Notariorum, testiumque infrascriptorum adhoc vocatorum et habitorum, nec non in præsentia venerabilium, et circumspectorum virorum, Dominorum Alradi Præpositi, Henrici de Haxthusen Decani, Ottonis Spegill senioris, Alberti de Haxthusen Præpositi Ecclesiæ Ss. Petri et Andreæ, Henrici de Driborgh Archidiaconi Sedis Steinhem Priorum: Johannis de Driborgh, Lodevvici de Rostorp Cantoris, Wernheri Crevet, Tiderici Lappen Archidiaconi sedis Huxariensis Hermanni de Oyenhusen Thesaurarii, Stephani de Malsborch Archidiaconi sedis Horhusen, Tiderici de Engelsen Scholastici, Ravenonis de Pappenhem et Conradi de Elmeringhusen Canonicorum Ecclesiæ Paderbornensis capitulariter congregatorum, personaliter constituti, Illustris nobilis Bernardus de Buren, strenuus Dominus Joannes de Valkenberch miles, nec non Hermannus Spegel, Henricus de Oyenhusen Senior, Joannes van Haxthusen, Conradus de Elmeringhusen, Dydericus de Herse, Wichartus de Enze, Heidenrycus et Reynekus de Calenbergh, Borchardus de Papenhem, Tydericus de Nyhusen, Henricus Klinghe, et Joannes de Sunnerke, famuli diœcesis Paderbornensis et Ministeriales Ecclesiæ præfatæ: nec non providi et discreti viri Henricus Ruvvelin, Bado Bruckemans, Detmarus Person, et Rudolfus Snaerman Proconsules, et Detmarus Rozen Camerarius civitatis Paderbornensis nomine sui consulatus, et universitatis civitatis Paderbornensis, matura deliberatione præhabita conjunctim et divisim retulerunt expresse, non vi, aut metu, aut machinatione sinistra circumventi aut inducti; sed potius honoris, libertatis, et privilegiorum, quibus ipsi et eorum antecessores hactenus usi fuerunt, et utuntur, conservantes, quod nunquam de ipsorum, aut alicujus ipsorum scitu, consensu, et voluntate tacita, vel expressa, prætensa incorporatio, unio, sive adnexio Ecclesiæ Paderbornensis ad Ecclesiam Colonien sem, quam Reverendissimus in Christo Pater et Dominus Theodoricus Archiepiscopus asserit à bonæ memoriæ Domino Martino PP. Quinto impetrasse, emanavit: et si quid in præmissis actum, factum, seu impetratum fuerit, ipsis ignorantibus, imo dissentientibus factum extitit. Etenim si aliquibus literis de præfata incorpora-

tione

tione mentionantibus alicujus expræfatis Dominis, vasallis, et civibus reciperetur impensum, quod hujusmodi sigilla sunt adulterina, et præter ipsorum requisitum, consensum, et voluntatem adhibitam furtive appensa: et reclamaverint audito rumore de præmissis, et ex nunc reclamant, et dissentiunt, eligentes potius corporum et rerum dispendia subire, quam perversæ incorporationi assensum præbere. Et ut Ecclesia Paderbornensis in juribus, privilegiis, libertatibus, et honoribus suis, quibus per sexcentos annos usa fuit, se exhibeat, quæcunque defensionum subsidia, ut tenentur, exhibere, et se tanquam muros in resistendo pro domo Dei laborare, et melius ut dicta Ecclesia in juribus suis illæsa conservetur. Præfati vero Domini Decanus et Capitulum circa revocationem infra scriptorum, et aliorum quorumcunque syndicorum et procuratorum hactenus per Capitulum constitutorum, nec non Vasalli, Proconsules et Consules, et cives prifati fecerunt, constituerunt, creaverunt, et solemniter ordinaverunt suos veros Syndicos, et Procuratores, Actores, Factores, negotiorumque suorum gestores, ac Nuntios speciales et generales, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra, videlicet venerabiles et circumspectos viros, Dominos et Magistros, Joannem Wallingh, Domini nostri Papæ prædicti Capellanum, et ejus sacri Palatii causarum Auditorem, Xanctum de Vinianis Advocatum Consistorialem, Joannem Engelhardi, Nicolaum Homborch, Thomam Rode, Petrum Quentin de Ortebergh, Blasium de Roma Hartlevum Bonekamp, Hermannum Reckelinghusen, Hermannum Vosseken, Sanderum Marteshusen, Joannem Scollen, Joannem Rickersen, Didericum Alfhusen, et Hermannum Cremer in curia Romana causarum et audientia contradictorum Procuratores absentes tanquam præsentes, et quemlibet eorum in solidum, sic quod occupantis conditio melior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter eorundem prosequi valeat, mediare, terminare, et finire, in causis et negotiis quibuscunque, et præsertim statum, honorem, immunitatem, libertatem, proprietatem, laudabiles consuetudines, jus, jura, privilegia et bona, quæcunque ad subsistentiam et conservationem eorundem constituentium et Ecclesiam præfatam ac ipsius subditos quomodolibet concernentes, et concernentia, quibus ipsi et ipsa jam (in) præsenti in toto vel in parte per quoscunque Dominos spirituales et temporales, etiam communitates, aut quos vis alios cujuscunque status gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existant, quibuscunque nominibus censeantur, seu quæcunque præfulgeant dignitate, impedita, oppressa, destituta, alienata privataque forent, seu in futurum impediri, opprimi, destitui, alienari, privari, interest, aut contingeret etiam tolli consensum, prout superius est expressum: quorum etiam nomina, cognomina, statum, et dignitatem præsentium volueritis habere pro expressatis. Et præsertim in causa, et causis appellationis seu appellationum per dictos Dominos Præpositum, Decanum, et Capitulum nomine Ecclesiæ Paderbornensis, Cleri, civitatis, vasallorum, et subditorum diœcesis Paderbornensis ad quondam sanctissimum in Christo Patrem et Dominum Dominum Martinum divina providentia PP. Quintum, et sanctam sedem Apostolicam à nonnullis incorporatione, unione, perversis Ecclesiæ Paderbornensis Ecclesiæ Colonienſi

factis

factis (ut dicitur per ipsum quondam dictum Martinum Papam, ac literis et processibus desuper forsitan confectis et fulminatis, seu conficiendis et fulminandis) contra Reverendum Patrem et Dominum D. Theodoricum Archiepiscopum Colonienſem interponentem, seu interpositurum causam, seu causas appellationis et appellationum hujus modi cum toto negotio principali, ac omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, et connexis ad præfati quondam sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Martini Papæ, ac ipsius sacri Collegii Reverendissimorum Patrum Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium notitiam deducendam, et coram ipsis proponendam ac prosequendam, nec non deduci, persequi, et proponi faciendum, et desuper coram quibuscunque, judicibus Commissariis, auditoribus datis vel dandis, deputatis seu deputandis, impetratis seu impetrandis surrogatis aut surrogandis in curia Romana, etiam extra eam agendi et defendendi, terminosque omnes et singulos solitos et consuetos, maximè stilum sacri Palatii Apostolici, etiam qualicumque modo servandum, nec non nomine dictorum constituentium comparendi, libellandi, litem seu lites contestandi, libellis respondendi, de calumnia jurandi, et quodlibet alterius generis licitum juramentum in animas dictorum constituentium procurandi, ponendi, et articulandi, ipsisque respondendi, testes, litteras, privilegia, jura, instrumenta, munimenta, et quæcunque probationum genera producendi, productis ex adverso contradicendi, excipiendi, amplicandi, dupliandi, triplicandi, quadruplicandi - - - - - - - - - - judices et loca eligendum, et recusandum, protestandum, allegandum, declarandum, terminandum, concludendum, sententiam seu sententias tam interlocutorias quam diffinitivas et quascunque alias ferri petendum, et audiendum ab ipsis, et eorum quolibet à quocunque alio gravamine illato vel inferendo quoties visum fuerit appellandum: Apostolos petendi, et appellationem hujusmodi prosequendi, etiam ab ea seu eis, si videbitur expediens, replicandi: expensas, damna, et interesse petendi, ac taxata recipiendi, emonendi, et quitandi, et super præmissis juris ordine procedendi, cautiones quascunque necessarias, et præsertim ad producendum mandatum speciale, et si quomodolibet opus fuerit, procurandi, et de ratihabendo, et facta per constitutionem promittendi, beneficium absolutionis simpliciter vel ad cautelam impetrandi, implorandi, obtinendi, literasque etiam tam supplices quam legendas, gratiam seu justitiam in se continentes impetrandi seu impetrandis: contra prædictam Ecclesiam, et etiam ejus statum, honorem, immunitatem, libertatem, proprietatem, laudabiles consuetudines, res, jura, privilegia, et bona quæcunque in audientia literarum contradictarum Domini nostri Papæ, seu in Cancellaria, Bullaria, Camera Apostolica, seu alibi, ut visum fuerit, contradicendi ipsasque impediendi, arrestandi, et quarumcunque contra præfatam Ecclesiam forsitan attentatarum in ejus præjudicium, damnum, gravamen, et detrimentum fuerint, præsertim in dictarum incorporationis, unionis, prætensionum, causis et negotiis retractari, revocari, et reclamari, petendi, et obtinendi unum vel plures Syndicos et Procuratores, seu Syndicum et Procuratorem loco sui, seu alterius eorundem, qui consimilem in præmissis in toto vel in par-

habeat

habeat potestatem substituendi semel, aut plures ac substitutum seu substitutos hujusmodi revocandi, et procurationem hujusmodi in se reassumendi toties, quoties ipsis, vel alteri eorundem visum fuerit expedire: Et generaliter omnia et singula alia faciendi, gerendi, dicendi, extendendi, procurandi, quæ vere vel legitimi syndici et procuratores facere possunt, et quæ ipsis à lege seu canone facere sunt concessa, et quæ ipsi constituentes met facere possent; si præmissis præsentes et personaliter interessent, etiamsi mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus est expressum. Promiserunt insuper dicti Domini, Præpositus et Decanus nomine sui, dictarum personarum Ecclesiæ præfatæ, nec non nobilis Bernardus de Buren, et strenus Dominus Joannes de Valckenbergh miles nomine sui, et vasallorum prædictæ Ecclesiæ: etiam Henricus et Bado proconsules nomine sui ac Consulum, et civium civitatis Paderbornensis, nobis Notariis supra et infra dictis solemniter stipulantes et recipientes vice et auctoritate omnium et singulorum, quorum interest, seu interesse poterit, aut intererit quomodolibet in futurum, se ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros, quidquid per dictos suos syndicos et procuratores ac substitutum seu substituendos ab iisdem, vel alteri eorundem actum, factum, dictum, gestum procuratumve fuerit in præmissis, seu aliquo præmissorum, relevando etiam, et relevari volendo dictos suos Syndicos, et procuratores, et substitutum, et substituendos ab iisdem, seu eorum aliquo, ab omni onere satis dando, judicio sisti, et judicatum solvi, cum omnibus suis clausulis necessariis, et operativis sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum præsentium et futurorum, super quibus omnibus et singulis sæpedicti constituentes nomine sui et aliorum suprascriptorum petierunt eis à nobis Notariis supra et infrascriptis unum vel plura publicum seu publica in meliori modo; et forma ad dictamen cujuslibet sapienter confici instrumentum, seu instrumenta. Acta sunt hæc in civitate Paderbornensi in loco supradicto, anno, indictione, die, mense, hora, et Pontificatu, quibus supra. Præsentibus ibidem discretis viris Henrico Allenhusen, et Wilhelmo Lippespringe Clericis Paderbornensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis et rogatis.

Et ego Arnaldus Brandis Clericus Paderbornensis publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis omnibus et singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, una cum discreto viro Bertoldo Gossentorpe Clerico Paderbornensis diœcesis supradictæ ad hujusmodi actum convocato, testibusque prænotatis præsens fui, atque omnia sic fieri vidi et audivi, ideoque præsens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, quod signo, nomine et agnomine meis solitis et consuetis signavi in omnium et singulorum præmissorum fidem et testimonium requisitis.

Et ego Bertoldus Gossentorpes Clericus Padeburnensis diœcesis publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis omnibus et singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, una cum discreto viro Arnoldo Brandis Clerico Paderbornensi supradicto ad hunc actum convocato testibusque prænominatis præsens interfui, ac omnia et singula sic fieri vidi et audivi. Quare præsens publicum instrumentum, manu alterius, ut præmittitur, fideliter scriptum,

et exinde confectum signo, nomine et cognomine meis solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum rogatus et requisitus.

His inter se juratis, constituunt causam in Romano judicio apud Collegium Cardinalium omnibus legum viribus & modis defendendam esse; nominantque in hanc rem syndicos & procuratores, quibus plena tractandi potestas his ijsdem literis facta est.

Et Paderbornenses, postquam domi communi omnium ordinum conjuratione res suas firmârant, missis prætereà ad vicina per Westfaliam & Saxoniam Collegia Cathedralia literis ac Legatis, eorum patrocinia apud Pontificem opemque, sicuti à Moguntinis jam implorârant, sollicitavêre; ad quæ eò se proniùs obtulêre ex fraterno fœdere, quòd & communis eorum causa ageretur, & rei iniquitas sponte moveret, ne quis ex simili Mörsani dominatu suos quoque Episcopatus, & jura electionis ejusmodi machinationibus extingueret. Quapropter post Moguntinos scripsêre hoc anno Hildesienses ad Eugenium Pontificem, quarum literarum illud exemplar est.

Literæ Capituli Hildesiensis, sollicitantis apud summum Pontificem, ut conjunctionem Episcopatûs Paderb. cum Colon. impediat.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Eugenio Papæ Quarto, universalis Ecclesiæ summo Pontifici, nostro Dño Clementissimo. Oscula devotissima pedum beatorum. Beatissime Pater vestræ beatitudinis devoti oratores, Præpositus, Decanus et Capitulum Ecclesiæ Padeburnensis, nostri amici singulares, Nobis per certos suos Secretarios et eorum scripta specialia significarunt, qualiter Reverendissimus in Christo Pater et Dominus D. Theodericus Archiepiscopus Colonensis sibi et Ecclesiæ suæ Colonienſi Ecclesiam Padeburnensem, quam ut dictæ Ecclesiæ Administrator ex Sedis Apostolicæ commissione ad regendum et gubernandum sub manibus suis tenuit et possedit, sine eorum consensu et voluntate perpetuo futuris temporibus obtinuit uniri et incorporari, prætendens præfatam Ecclesiam in redditibus et fructibus fore ita exilem; et hostium incursibus taliter esse devastatam et suppressam, sic quod proprium Episcopum, qui antedictæ Ecclesiæ præesse posset, tenere et nutrire non valeret, eamque ad hæc nequaquam sufficere, taliaque coram sanctissimo piæ recordationis Domino nostro Domino Martino divina providentia Papa Quinto vestræ Beatitudinis immediate prædecessore diversimode fore ex hoc loco exponendum pro convesturali Es werden *vel* Es wird also geschehen seyn *per certos ad hoc inductos ejus sanctitati fore scripta et relata. Ut igitur tali modo veritas non occultetur, sed magis eluceſſat, prælibati devoti vestræ Beatitudinis nobis attente supplicaverunt, Vestræ Beatitudini nostris scripturis præmissa per veritatem nobis notam manifestari; Et cum præmissa Ecclesia Padeburnensis in confinibus nostræ Ecclesiæ sit constituta, et una inter solemniores Cathedrales Ecclesias Alemanniæ hucusque fuerit tenta, et reputata, ac fuerit per longa retroacta tempora per Duces, nobiles et Comites recta et gubernata, nec non fuerit plurimorum oppressorum circumvicinorum singulare præsidium et defensio, civitate notabili Padeburnensi, Oppidis et castris pluribus insignis fulcita, per nos non noscitur taliter exilis et devastata et suppressa,*

pressa, quin bene sufficiat pro propria notabili persona, Episcopo et Pastore, et Episcopum adhuc de Ducum aut nobilium prosapia valeat nutrire et sustentare, et bene pro tali sufficiat; sic quod potius, videri nostro, si alteri Ecclesiæ unita existeret, deberet ab illa disjungi, quam per incorporationem et unionem conjungi. Quæ omnia, beatissime Pater, nos devotorum oratores ex desiderio præfatorum Dominorum Vestræ Beatitudini notificamus per præsentes, supplicantes humiliter et devote, quatenus vestra Beatitudo de Apostolica benignitate dictam Padeburnensem Ecclesiam velit illæsam sine unione ad alteram, ut à primæva sua fundatione fuerat, bene, ut creditur, per sexingentos annos et ultra, conservare, quæ alias lædetur, et re et nomine deperiret. Pro quo nos fideles vestri oratores una cum dictis Dominis, Præposito, Decano, et Capitulo Ecclesiæ Padeburnensis vestræ Beatitudini, quam Deus longæve prospere conservare dignetur, ultra obedientiæ debita perpetue manebimus obligati. Scriptum Hildeshem, die sexta mensis Junii, nostro sub secreto, Anno Domini Mcccccxxxi. Præpositus, Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Hildesemensis.

In hunc modum cetera Collegia Canonicorum implorata, Halberstadiense, Osnabrugense, Mindense, Bilveldiense, Huxtariense, Bustorfianum, & ipsum etiam Paderbornense scripsêre ad Eugenium Romanum Pontificem; quorum omnium literæ in tabulario Collegij extant; & longum foret referre. Monasterienses haud consultum fuit advocare in patrocinium, quòd eorum Episcopus per id tempus esset Henricus Mörsanus, Theodorici Colonensis Archiepiscopi frater.

His permotus Eugenius Pontifex communem hoc ipso anno dedit constitutionem, legemque, qua omnes ejusmodi conjunctiones Parochiarum & Ecclesiarum rescindit; quemadmodum id sese ad justa Paderbornensium postulata fecisse hoc diplomate profitetur.

Constitutio Eugenij PP. qua uniones Parochiarum & Ecclesiarum rescinduntur.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut per apostolicæ dispositionis arbitrium proviae gesta literarum nostrarum merita attestatione pandamus, ne quisquam, sui juris defensione latente, indebitis affici valeat molestiis, gravaminibus, seu damnis. Dudum siquidem cum nostræ innotuisset providentia, quod quamplures eatenus de diversis Ecclesiis tam Cathedralibus quam Metropolitanis, nec non Monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, ac etiam ipsarum Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum præbendis, parrochialibus Ecclesiis, et aliis beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, et sine cura, tam sæcularibus quam regularibus, exemptis et non exemptis, per prædecessores nostros factæ fuerant uniones, annexiones, et incorporationes, propter quas, si effectum consequerentur, dissensiones et scandala succrescerent, animarum cura in illis, quibus illa immineret, negligeretur, cultus divinus, et multis posset præjudicium generari. His et aliis rationabilibus suadentibus causis, videlicet IIII *Idus Martii, Pontificatus nostri anno primo, per quandam constitutionem nostram omnes uniones, annexiones, et*

nes, et incorporationes de Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, præbendis, parrochialibus Ecclesiis, et aliis beneficus supradictis, quocunque nomine censerentur invicem, seu Ecclesiis Cathedralibus, et Metropolitanis, Monasteriis, mensis Archiepiscopalibus, Episcopalibus, Abbatialibus, Capitularibus, et conventualibus, nec non dignitatibus, personatibus, officiis, seu beneficiis Ecclesiasticis quibuscunque, Apostolica, vel ordinaria auctoritate sub quibusvis colore, modo, et forma, vel expressione verborum usque ad diem assumptionis nostræ ad summum Apostolatus apicem per quosvis prædecessores nostros factas, quæ nondum sortitæ fuerunt effectum, et ex quibus hic, in quorum commodum uniones, annexiones, et incorporationes hujusmodi emanarunt, Ecclesiarum, Monasteriorum, prioratuum, dignitatum, personatuum, et officiorum, præbendarum, parrochialium Ecclesiarum, et aliorum beneficiorum, hujusmodi pacificam possessionem assecuti non fuerunt; nec non quæcunque concessiones et mandata de hujusmodi unionibus, annexionibus, et incorporationibus faciendis, usque ad diem assumptionis prædictæ facta cassavimus, revocavimus, et annullavimus, nullusque roboris fore volumus vel momenti, omnesque et singulas causas occasione unionum, incorporationum, et annexionum seu super illis et earum effectu coram quibuscunque judicibus, seu Commissariis, tam in Romana curia quam extra eam, ex commissione seu delegatione Apostolica ac delegatorum hujusmodi subdelegatione introductas seu pendentes advocavimus, litemque illorum occasione et super illis quoscunque contingentes penitus extinximus, irritumque decrevimus, et inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contingeret attemptari. Cum autem super constitutione hujusmodi litteræ Apostolocæ confectæ non fuerint, sicut nuper pro parte dilectorum filiorum, Præpositi, Decani, et Capituli Ecclesiæ Paderburnensis nobis exhibita petitio continebat, ipsi pro sui juris conservatione docere habeant de constitutione supradicta. Nos ne ipsi in hujusmodi per eos de dicta constitutione facienda probatione deficiant, et propterea in hujusmodi suo jure lædantur, providere volentes, volumus et auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, quod præsentes literæ ad probandum plene constitutionem prædictam, pro ut superius, ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur; quinimo eisdem præsentibus litteris in judicio et extra, ubique exhibitæ fuerint, vel ostensæ, quoad hujusmodi probationem stetur, et secundum eos judicetur, ac si super constitutione prædicta hujusmodi Apostolicæ litteræ confectæ forent, illisque staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, tricesimo primo, XVI Calend. Julii, Pontificatus nostri anno primo.

Hac Pontificis constitutione sententiaque perculsus Theodocus Administrator, cùm in Romano judicio causam suam desperatam videret,

videret, qua erat mentis pertinacia, ad Basileense Concilium appellavit; sed eò provocatorem Paderbornenses consecuti sunt, ut tertio ab hinc anno referetur.

Annus Christi 1432.

Eugenij IV Pont. 2.
Sigismundi Imper. 23.
Theodorici Adminiſt. Pad 17.

Acta Concilii Basileensis. Raynaldus in historia Eccles.

Procedebat interea cæptum anno superiori Basileense Concilium; in quo cùm Patres decernerent Concilium Generale esse supra Pontificem, cui & ipse Pontifex subjectus sit, multaque alia, quibus Apostolicæ sedis auctoritas convellebatur, præscriberentur; haud immeritò offensus indignatusque Pontifex primùm laboravit in Concilio dissolvendo; quod & publico diplomate edixit. Deinde mutata sententia decernit Concilium Basilea Bononiam transferendum, ubi & ipse præsidere velit. Contra Patres obnixi, Basileæ persistendum contendunt; nec sine ingentibus Reipublicæ christianæ malis ac turbis mutationem illam fieri posse, cumprimisque, quòd Hussitæ Basileam invitati sint ad concordiam cum Ecclesia ineundam. Hanc verò sententiam ante omnes acerrimè tuebantur Julianus Cardinalis & Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, cujus maxima tum erat auctoritas in Germania. Quare Pontifex tam ad Imperatorem quàm Theodoricum Colonienſem Archiepiscopum perscripsit, hortando ne impedimento esse velint, quo minus Concilium Basilea Bononiam transferatur. Sed & Julianus Cardinalis & Theodoricus pertinacissimè in omnibus restitêre Pontifici; auctorque magnam partem postea etiam fuit Theodoricus fœdi schismatis, quo Eugenio Pontificatus abrogatus, sublecto in ejus locum Amadæo Pseudopontifice, quem Felicem V. dixêre. Id quo suo etiam malo & justa Numinis pœna fecerit, docebunt turbæ civiles & intestina bella, quibus infeliciter jactatus est.

Pontifex Concilium Basileense vult transferri Bononiam: obsistunt Julianus Card. & Theodoricus Arch. Colon.

Bello deinde Trevirensi Theodoricus Archiepiscopus remisit contentionem cum Paderbornensibus, quòd destinata ad concilium appellatione feliciora pro se exspectaret, quàm Romæ meditatus erat. Distrahebatque Theodoricum simul negotium ex dissidio Trevirensi; quòd tres adhuc æmuli de Archiepiscopatu Trevirensi decertarent armati, Sickius, Mandershedius, & Rabanus Spirensis Episcopus; quos inter potentium conspiratione validior Mandersched ius traxit in partes Conradum Moguntinum & Theodoricum Colonienſem Archiepiscopos, Stephanum Bavariæ Ducem, Adolphum Juliæ & Montium Ducem, aliosque Comites; quorum copiis confirmatus, quàm audacter Treviros aggressus tam fortiter civium defensione repulsus est. Postremum, ut Trithemius inquit, Conradi Moguntini, Theodorici Colonienſis, & Friderici Wormatiensis Episcopi collata in

Theodoricus bello Trevirico implicitus non urget Romæ conjunctionem Ecclesiæ Paderb. cum coloni.

ta in pacem opera, lis composita, & Rabano, quem Pontifex imposuerat, Archiepiscopi dignitas confirmata est.

Ecclesia Ultrajectensis, mortuo Suedero Culenburgico, diversis factionibus sit ob. noxia. *Beka in hist. Ultraj. Cranz. lib. 6. Saxon. c. 23.*

Excessit & hoc anno Suederus Culenburgicus Ultrajectensis Episcopus, quocum de Episcopatu hactenus decertârat Rudolphus Diepholdius. Atque is licet Martini V. Pontificis sententia dejectus esset, quia tamen armis & studio popularium majorem Episcopatûs partem invaserat, à morte Culenburgij omnem Episcopatus possessionem ad se traxit. Interim Canonici non pauci, quibus exosus erat Diepholdius, progressi in comitia, studio Theodorici Colonienſis Archiepiscopi, & Henrici Monasterienſis Episcopi, elegêre denuo Walramum Theodorici & Henrici fratrem, ætate quidem juniorem, sed integerrimæ vitæ, præstantisque doctrinæ Canonicum Agrippinensem, quem & Sigismundus Cæsar regalibus exornavit, Felix postea Pseudopontifex cum Concilio Basileensi approbavit, & Geldria, Hollandiaque Episcopum suum recepit. At Diepholdius nihil veritus arma & potentiam utriusque Episcopi, & factionis hujus, se auctoritate Eugenij Pontificis in possessione Episcopatûs constanter defendit, coëgitque Walramum se Coloniam recipere. Monitus etiam Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus à Pontifice, ne quæ suæ essent potestatis in constituendis Ecclesiarum Episcopis sibi præriperet, aut Concilio ac Pseudopontifici deferret.

Utili per hæc cura diœcesin quoque Paderbornensem complexus est Theodoricus Administrator Valckenhagense Cœnobium in meliorem formam redigendo. Id enim Cœnobium postquam à Volcquino Swalenbergensi Comite in suo comitatu conditum, dotatumque erat à filiis ejus Adolpho & Alberto, introductæ sunt Virgines ordinis Cistertienſis; quemadmodum supra à nobis ad annum MCCXLVI relatum est. Incoluêre per multos annos Virgines Cœnobium; post ubi per bella & spolia ad extremam paupertatem ruinamque venêre, ultro Cœnobium detulêre Episcopo suo, à quo ordinis Wilhelmitarum religiosi viri Moguntia evocati impositique; quos cùm temporum iniquitas, & rerum inopia premeret, & hi ultro cessêre, Cœnobiumque obtulêre Theodorico Archiepiscopo Paderbornensis diœcesis Administratori; à quo hoc anno postulati Colonia ex ordine Crucigerorum viri religiosi, quibus Valckenhagense Cœnobium excolendum traditur; id, quod hoc Archiepiscopi diplomate, in quo tota rei series exponitur, confirmatum est.

Valckenhagense Cœnobium Crucigeris à Theodorico traditur.

Theodoricus Dei et Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Colonienſis ac Administrator Paderbornensis Ecclesiarum ad perpetuam rei memoriam. Etsi ex debito Pastoralis officii, humeris meis incumbente, quibuslibet Ecclesiasticis, et præsertim religiosis personis, pia humanitatis suffragia impendere teneamur; Nos tamen potissime obnoxios Deo devotis et religiosis, et his præcipuè, qui spreta mundigloria, ac terrenorum oblectationibus contemptis, subrigore Ecclesiastico ac Monastico virtutum Domino jugiter famulantur, quo-

que

que libentius favore prosequimur ampliori, ut per illorum merita et pietatis opera, quæ per illos fiunt, crescat multipliciter nostra salus, et divinus cultus per amplius et salubrius nostris temporibus augeatur. Et licet etiam non solum nova erigere, sed etiam vetera Monasteria reficere, et reparare valde sit laudabile, ut ibi priora innoventur beneficia, ubi priora fuerunt repetita obsequia. Sane igitur pro parte Deo devotorum religiosorum virorum, Batholdi Wulff presbyteri, et Joannis Lunen conversi ordinis S. Crucis sub regula S. Augustini degentium, et domo conventuali Cruciferorum civitatis Colonienſis existentium exhibita petitio continebat. Quod cum ipsi zelo Dei, et devotionis accensi Monasterium in Valle liliorum, alias Valkenhagen, nostræ Paderbornensis diœcesis per bonæ memoriæ quondam Volquinum Comitem in Schwalenbergh, prout et quemadmodum veterum testimonio dicimus, in honorem Domini nostri JESU Christi atque intemeratæ B Mariæ Virginis ejus Matris gloriosæ de bonis et rebus suis à Deo sibi collatis fundatum, atque pro religiosis puellis et Sanctimonialibus Ordinis Cistertiensium ad Deo serviendum ibidem in ordine Monastico institutum collatum et assignatum tunc habitabile, nunc vero, quod dolenter referimus, casibus fortuitis et malo statu patriæ ac incursu hostili intervenientibus, penitus desolatum et dirutum existat, reficere et reparare: Nec non inibi sub regulari habitu, signo vivificæ crucis assumpto, juxta regulam et instituta vivere sui ordinis, Creatori omnium et suæ Matri gloriosissimæ toto posse, divina opitulante gratia, famulari proponant; Cum itaque sic accepimus ipsum Monasterium quondam per liberam resignationem Sororum et Monialium ipsius Monasterii, et de consensu illorum, quorum tunc intererat, derelictum et resignatum, ac deinde per nos religiosis viris Conrado Molitorum, Rolando, Henrico Bischoppeshusen, Conrado Holleman ac Henrico Vresen Laico converso Ordinis S. Wilhelmi de domo Conventuali in Witgenhusen Moguntinæ diœcesis tunc existentibus, et inibi Deo famulari procedentibus sub habitu et regula eorundem Conventuum collatum, traditum et assignatum, qui quidem Fratres, utpote per prius ipsæ sorores, terram eam fructiferam, in qua dictum Monasterium existit situatum, tanquam eis versam in salsuginem perhorrescentes, atque perpendentes animis anxiis et dolorosis, sæpe dictum Monasterium in Valkenhagen ad tantam egestatem et inopiam ultimate pervenisse per facultates et reditus ipsius pro sustentatione et necessariorum administratione, tam quarundam sororum per prius, et fratrum per posterius, minime sufficere possunt, propter quæ ipsæ quondam sorores dudum, et ex post nunc proximi ipsi fratres pie moti ad alia Monasteria sui ordinis, ubi quietius et devotius Omnipotenti Deo obsequium præstare valeant jam ingressi, sæpe dictum Monasterium cum suis juribus, fructibus, redditibus, proventibus, et obventionibus, non vi aut metu repulsi quovis modo, non circumventi seu subornati, quocunque etiam pacto illicito seclusо, matura deliberatione inter se præhabita, ne divinus cultus in eodem Monasterio penitus exstinctus, et ipse locus sacratus permaneat desolatus, pure et simpliciter in manus nostras coram Notario, et testibus ad hoc vocatis resignarunt, et quilibet eorum resignavit. Unde nos ad

supra

supradicti Monasterii et loci reformationem, pro dicti divini cultus restaura-
tione, pietate curæ pastoralis, ut præfatum, allecti, et attentis desideriis ad id
aspirantibus, ne siculnea infructuosa deinceps terram perniciosius occupet. Nos
igitur diligenti inquisitione de et super præmissis præhabita, et de veritate ipso-
rum nobis per devotum Bernardum Schullenkromen Officialem curiæ nostræ
Paderbornensis ac Capellanum nostrum, ac alias personas fide dignas debita
relatione facta invenimus fore vera; Ideo hodie resignationem per dictos fra-
tres Conradum Rolandum et Henricum Comisum, maximeque Priorem et
conventum prædicti Monasterii in Wetzenhusen factam, ut præmittitur, per
nos receptam et admissam, ratam et gratam habentes, cum venerabilibus vi-
ris Præposito, Decano, et Capitulo dictæ nostræ Ecclesiæ Paderbornensis tra-
ctatu Capitulari ac matura deliberatione præhabita, ac pleno consensu omnium
illorum, quorum consensus merito ad id fuerat requirendus, accedente, uti di-
gna relatione præsens factum per se quantum didicimus Monasterium sepedi-
ctum per hodiernam liberam resignationem vacans, cum omnibus juribus,
prærogativis, privilegiis, libertatibus, emunitatibus, bonis ac rebus mobilibus,
terris, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decur-
sibus, viis et inviis, ac pertinentiis suis universis, quibus hactenus dictum Mo-
nasterium gaudebat prænominatum, religiosis viris apud nos de vita et mo-
rum honestate aliisque laudabilibus probitatis et virtutum meritis per reli-
giosum fratrem Joannem de Gorch Priorem domus Cruciferorum Colonien-
sis ordinis prædicti, totumque conventum ibidem, ac à nonnullis aliis personis
fide dignis multipliciter recommendatorum petita et obtenta dicti Prioris li-
centia, favore etiam, et pleno consensu venerabilis Patris Wilhelmi Genera-
lis totius ordinis prædicti, prout nobis de omnibus et singulis præmissis plenaria
fides facta exstitit, tradidimus, concedimus, assignamus, et offerimus, atque
dictos fratres per libri traditionem, quem tunc in manibus tenebamus, inves-
vimus, et investimus de eodem; ita quod ipsi dicto Monasterio, prout eis fa-
cultas suppetit, reformato egregiam, congruentem, et convenientem virorum
Deo devotorum fratrum sui Ordinis conformatum, et maxime ejusdem reli-
gionis exigentiam ibidem institutam vel alter eorum, cui hoc virtute sui status
competit, instituat. Cujus quidem Monasterii regimen et gubernatio, ipso-
rumque fratrum visitatio, inquisitio, et correctio, atque totius Monasterii
tam in spiritualibus, quam temporalibus administratio, nec non ibidem prælati
sub nomine Priorum institutio, et destitutio apud eosdem fratres, et eorum Suc-
cessores libere permaneant. Qui Prior Priori dictæ domus in hodie pro tem-
pore existenti ac eorum Capitulo Generali quoad visitationem, inquisitionem,
et correctionem, secundum modum et formam ordinis eorum ac statutorum,
subjectus existat; juribus tamen dictæ nostræ Ecclesiæ Paderbornensis, et no-
stris, ac Archidiaconi loci ipsius, atque ordinis ipsorum fratrum in præmissis
omnibus semper salvis. Nec tamen prælatus, qui cum Monasterio præfuerit
coram aliis, quam etiam nobis, et Successoribus nostris Paderbornensibus Epi
scopis, aut illo, cui nos seu Successores nostri Episcopi Padebornenses per nostras
præsentes litteras hoc speciale duxerimus committendum, vel saltem, sede va-

cante,

cante, Capitulo Ecclesiæ nostræ Paderbornensis prædicto quovis modo valeat trahi, aut convenire. Sicque Monasterium in Valkenhagen supra dictum de statu fratrum Ordinis S. Wilhelmi prædicti ad obedientiam fratrum Regularium dicti ordinis S. Crucis de consilio, consensu, et beneplacito Præpositi, Decani, et Capituli Ecclesiæ nostræ Paderbornensis prædictorum in Dei nomine duximus transferendam, et transferimus per præsentes. Ut autem omnia præmissa et singula obtineant robur, firmitatem, et in convulsa permaneant perpetuo, præsentem paginam sigillo majori officialatus curiæ nostræ Paderbornensis, quoad præsens utimur munimine, unâ cum sigillo Capituli prædicti, quo utuntur ad causas; jussimus roborare. Et nos Præpositus, Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis prædictæ in signum nostri consensus omnium præmissorum præsentem literam nostri sigilli, quo utimur ad causas, fecimus appressione muniri. Datum Anno Domini Mccccxxxii, Crastino B. Valentini Martyris.

Annus Christi 1433.

Eugenij IV Pont. 3.
Sigismundi Cæsar. 24.
Theodorici Adminis. Pad. 18.

Sigismundus ritu Majorum à Pontifice Imperator Romæ coronatur. *S. Anton. p. 7. Chron. M. Belg. Raynald. in hist. Eccles.*

Anno dehinc consequente xxxiii Sigismundus Cæsar denuo Italiam ingreditur, ab Eugenio Pontifice Romam invitatus ad augustalia Imperij insignia ritu majorum accipienda, submissi obviam Cardinales, qui Viterbio splendido comitatu, effusaque ingenti populi occurrentis multitudine, xxi Maji in urbem introduxêre. Ac postquam in gradibus Basilicæ S. Petri ad osculum pedis & Pontificis amplexum est admissus, ultimo Maji, die Pentecostes sacro, augustalibus ornamentis decoratur; peractaque coronatione, cùm Pontifex equum conscenderet, stratoris etiam obsequio functus, Pontificem ad Vaticanum palatium deduxit, optimus pro majorum pietate & religione erga Apostolicam Sedem Imperator; id quod alio mox illustri facto commonstravit. Nam cùm in Italia intellexisset, uti Nauclerus scribit, Patres Basileæ exauctorationem Eugenij Pontificis moliri, podagra licet conflictatus, itineri, dissidium compositurus, se commisit; tantaque celeritate advectus fuit, ut antè in Concilio sit visus, quàm eò venturus audiretur.

Bellum inter Henricum Ep. Monast. & Adolphum Com. Clivens.

Per hanc Imperatoris absentiam Saxonia Westfaliaque tumultuariis bellis jactari non desiit. Nam Henricus Monasterienſis Episcopus & Adolphus Clivensis, bello inter se commisso, mutuis incursionibus & deprædationibus agrorum sese exagitabant; & quia Marcani nobilitas arma pro Clivensi sumpserat, ad Luppiam cumprimis fluvium, qui fines utriusque Principis dividit, decertatum est alternis populationibus; quas inter Werne, diœcesis Monasterienſis Oppidum, flammis ab Henrico Holtio injectis magnam partem deflagravit.

Trithem. in Chron. Sponh. Dilich. in chron. Hass. Serrar. in Mogunt. Chron. Mogunt. Brouver. in Antiq. Fulden. l. 4.

Et inter Conradum Archiep. Mogunt. & Ludovicum Landgravium Hassiæ

Arsit & bellum in vicina nobis Hassia inter Conradum Moguntinum Archiepiscopum & Ludovicum Hassiæ Landgravium, ex pristinis dissidiis & recenti Hassorum insolentia resuscitatum. Adlegerat Joannes Fuldensis Abbas Hermannum Buchenavium Cœnobitam Adjutorem. Is postquam muneri admotus, cœpit Abbatem extrudere ex castris & imperio, seque Dominum ante fata Abbatis ferre. Ob hæc questus Abbas, cum Moguntino Archiepiscopo, justum ejus patrocinium impetrârat; à quo & Fulda obsessa. Buchenavius quo se firmaret, implorat Thuringiæ & Hassiæ Landgravios; & hi, tanquam sua causa ageretur, Archiepiscopum aggressi in campo Munsterfelt prælio vincunt, & magna clade illata in fugam compellunt. Bellum id quoque mutuis deprædationibus, & concitatione Westfaliæ, ad Frislariam, veterem Archiepiscopi in meditullio Hassiæ urbem, protractum, sopitumque Cardinalis Legati Apostolici auctoritate, & partium compositione.

Annus Christi 1434.

Eugenij IV Pont. 4.
Sigismundi Imp. 25.
Theodorici Admin. Pad. 19.

Kerchovius in Chron. Tremon. Westhovius in chron. Tremon. Stangefol. l. 3. circ. Westfal.

Theodoricus urget conjunctionē utriusque Ecclesiæ Paderb. & Colon. primùm hostiliter Diœcesin Pad. invadendo.

Deinde causam ad concilium Basileense deferendo.

At pertinaciter anno proximo Colonienſis Archiepiscopus Paderbornenses aggressus; & primò quidem armis. Nam per id tempus, ut Seilerus in Chronico Pyrmontano ex aliis auctoribus tradit, Theodoricus Archiepiscopus unâ cum Lippiensi Comite implorātus à Joanne Comite Spiegelbergio adversus Duces Brunswicenses; prælioque ad Rintelam commisso, omnia ad Visurgim conturbata fecêre. Qua armorum opportunitate, ut Tremoniensis quidam scriptor in annalibus suis retulit, concitatâ totius Ducatûs Westfaliæ nobilitate, tractâque in societatem belli Colonienſi urbe, armatus Theodoricus Paderbornensem Diœcesin intravit: expugnatâque Lippringâ, oppido & castro Capituli Paderbornensis, complures alias arces hostiliter occupavit; tanquam minis & vi adacturus ordines in consensum conjunctionis, quam cum utraque Ecclesia meditabatur. Verùm cùm immoti adhuc starent Paderbornenses, satisque adverteret Archiepiscopus, vicinos principes & Collegia Cathedralia armatum pro Paderbornensibus patrocinium suscepisse, ac Romæ sibi apud Eugenium Pontificem omnia præclusa esse; aliam consiliorum viam ingressus, omnem deinde causam ad Patres Concilij Basileensis detulit, multis argumentis fictè speciosèque in medium productis, quibus conjunctionem Paderbornensis Ecclesiæ cum Colonienſi Patribus se persuasurum credebat. Juvat nunc ipsas Archiepiscopi literas, quas posteritas à nobis, & rei, quæ controvertitur gravitas desiderat, hîc ad certiorem fidem proferre in medium.

Reverēn.

Reverendissimis, Reverendisque Patribus, et venerabilibus Dominis, in sacrosancta Basileensi Synodo congregatis, Dominis et amicis percarissimis Sacrosanctæ Basileensi Synodo in Spiritu sancto legitimè congregatæ, universalem Ecclesiam representanti, Theodoricus Dei gratia Archiepiscopus Colonienſis, sacri Romani Imperii Princeps Elector, et per Italiam Vicecancellarius, Westphaliæ et Angariæ Dux, Apostolicæ Sedis Legatus, reverentiam debitam et devotam. Rmi Rdi Patres, propter diuturnas guerrarum turbines, quos intestina clade obice à longa ætate Ecclesia Paderbornensis pertulerat, cùm desperatis rebus illi undique præsidia defecissent, ac crudeli congressu decertaret cum antistite clerus, Laici verò vulgus voto diviso dispersam partibus hinc indefaveret; pernicioſa adeo terræ et diœcesi illi plaga accrevit, quod invasa seditione intranea, tellus etiam ab cæteris pro libito vastaretur. Unde mutuis jaculis membrorum et capitis universa corporis armonia tabescens adeo sterneretur, ut pene careret incolis patria, et incendiorum voragine domiciliis destituta ea tempestate non solum civilibus et suburbanis, sed nec sacris ædibus parceretur; nihil enim, Rmi Rdi Patres, contuentibus patriam occurrebat, quam desert. et ---- ruinarum vestigia, vepres et arva latissima cultura omni orbata; videbantur enim se primo --- quandam vastissimam Trojam, aut Babylonis reliquias in ipsis - - - - - - - - - - Cum verò Capitulum prædictum Padebornense longo certamine contra Præsulem fessum fortunam meliorem timeret illius, qui magnificum Ducem Montensem fratrem et inclitos multos favoribus attraxerat opportunis, quamvis pœnitudine serâ finale sibi et patriæ excidium metuens, crescente illi dietim calamitatum procella, ad me et Colonienſem Ecclesiam veluti prout tunc proficiebatur ad fiduciam anchoram suppliciter recurrebat, patriæ me tutorem contra domesticos hostes instantissime postularet. Verum licet eo tempore gravibus æmulis et guerris Colonienſis Ecclesia vexaretur, nec commode rebus propriis intentus alienis poteram otiari, diuturna repulsa ipsorum instantiam repellebam, ut tandem cum nihil inviolatum rapinis adesset, quod raptoribus et hostibus exteris et intraneis in spolium occurrere posset, coacti penuria et fame armati et proceres loca meæ diœcesis eis vicina rap. - - - - incursibus molestabantur, unde ratus fore utilius vicinam patriam protegere, quietam et pacificam facere, quam inimicam sufferre, aut exterminio dare, et metuens, ne favore guerræ lassati in magnificum ducem Montensem fratrem electi eorum mihi tunc et Colonienſi Ecclesiæ adversantem intenderent, sic quod juncta illi Padeburnensis patria me et Ecclesiam meam fortius perturbaret, indefessis Capituli et patriæ instantiis inclinatus tutoris officium sumpsi, rebus illius Ecclesiæ et patriæ publicis et privatis sinceritate amica intendens, adversum enim eis Ducem Wylhelmum, ut præfertur, eorum electum exferocissimo hoste placatum faciens, pacem cum eo illis emi viginti trium millium precio florenorum de ære Colonienſis Ecclesiæ exhausto, vicinosque Principes et Dominos Ecclesiæ et patriæ Paderbornensis molestos, qui fines eorum depopulabantur jugiter, muneribus et donis permaximis, ac fœderibus, sanctionibus adeo mihi devinxi, quod ab eo tempore

optima

optima et secura pace fruatur, nisi quod ipsi sæpe pact. infractis etiam sponte infringant, quam semper laboribus et impensis per me et meos reintegrare oportet. Interea priusquam ingenio et solertia mea adversantia singula pactata fuissent, videns Capitulum prælibatum multo proficere, quod me tutore pace optima potiretur, dubitans ne per novi provisionem antistitis ab illa rebus mutatis discederet, per multa temporis intervalla me simul cum Opidanis et militaribus accuratissime profligavit, ut darem consensum, quod per Pontificem maximum tunc Johannem XXIII illa mihi Ecclesia ex tutore administrationis titulo traderetur ad vitam. Cumque per spectabiles nuncios suos Capitulum prædictum assentiente patria impetrasset mihi non roganti, non satagenti, non operam danti, administrationis prædictæ bullas allatas per suos alacriter tradiderunt, et exercitui pro patria eorum tuenda præsidentem deductum obviis crucibus et sacris reliquiis cum juramento obire, et fidelitatem præstantes, à quibus militia et patria nullo modo discederet, tanquam patrem patriæ in Pastorem et Dominum receperunt. Tanta quoque voluptate unusquisque status refectus est, propter habundantiam pacis, quæ eis cotidie concrescebat, quod unionem illam, quam cum Colonienſi Ecclesia ad vitam meam contraxerat, brevi spatio vitæ hominis deficere ambigens, firmum tractatum facerent, et consensum darent per literas Capituli sigillo munitas manendi apud Ecclesiam Colonienſem uniri, et - - - - - - ab obitu meo annis centum complendis absque Episcopo proprio optantes hac Apostolica et Concilii Constantienſis auctoritate firmari; dicebant enim à certo - - - - eis impossibile fore proprium sustentare Episcopum, allodiis destructis, et munimentis Episcopalis mensæ aut deperditis aut pignoribus permaximis obligatis, quæ si redimerentur in integrum, non manerent Episcopo pro sumptibus ad numerum sex florenorum annuatim, unde oporteret cum egestate fore mendicum, nisi vellet subditorum et vicinorum rapinis insistere, unde tam fructuosa pax facile posset infringi, et hæc omnia ipsi Johanni tunc Romano Pontifici ac sacro demum Constantienſi Concilio ac invictissimo Principi Domino meo gratiosissimo Imperatori moderno, tunc Romanorum Regi, per Capituli literas apertissime profitentes per suos instanter orarunt, quatenus me administratore, ut supra scribitur, potirentur. Neque quidem tempore mei introitus ad administrationem prædictam castrum erat, aut municipium aliquod Episcopalis mensæ, quod non foret super denario uno in quindecim denariis pignoribus obligatum. Ulterius ut mea ad eos pietas magis clarescceret, octo millia florenorum de Camera Archiepiscopali tradita exposita manualiter tradidi Capitulo memorato, antiquum debitum quitando, quo olim mea illi tenebantur Ecclesia, pollicentibus eis literis et sigillis sub jurejurando dictam summam solum ad redemptionem bonorum Episcopalis mensæ, vel partis ipsorum exponere, licet demum juramenti immemores in proprios illos usus vertissent; nec hoc tacentibus, quod pro reiss et expeditionibus multiplicibus, et armatorum stipendiis, sine quorum potentia patriam tutari non poteram, summam ultra triginta millium florenorum præmissis exceptis de Camera Ecclesiæ Coloniensis ad Capituli instantias expendidi voventis literis et sigillis se summam prædictam Ecclesiæ meæ fi-

lita

liter et integraliter soluturos. Ejus promissi gratiâ, quia ego castrorum Capitaneis et custodibus juramento eis dari sueto juxta consuetudinem Padebornensis Ecclesiæ de non resignando fortalitiis de manu Ecclesiæ Coloniensis, nisi debito illi prius soluto, addidi, accusor veluti illicitorum et insuetorum juramentorum prædictis officialibus adinventor. Ad hoc Rdi Patres me fides Ecclesiæ meæ promissa coëgit, ne ipsius retento thesauro conspiratores me à patria propulsissent. Impingunt mihi Rmi Patres prætensis querelis, quod Padebornensem Ecclesiam incorporari perpetuo Coloniensi Ecclesiæ impetraverim, quod est potius ad ipsorum acta præterita retorquendum; felicis enim memoriæ Martinus Papa quintus examinato diligentius Ecclesiæ statu, et viso, quod non solum possent ammodo cum honestate sustentare Episcopum, ac quod debitis Coloniensis Ecclesiæ difficilius satisfaceret, et intellecto Capituli et patriæ voto de stando apud Coloniensem Ecclesiam annis centum, providit prudenter et decrevit sagaciter melius fore dictam Ecclesiam Padebornensem Coloniensi uniri et incorporari, quam centum annorum curriculo ministrari; tollebat enim inde statum ambiguum Ecclesiæ memoratæ, et illam fortiori capiti adjungebat, ut sic paci ejusdem perpetuo provideret, incorporationem illam, Rmi Patres, digeste et mature summus Pontifex declaravit. Militia et Opida et Barones, Prælati et de Clero pars senior Padebornensis Ecclesiæ per suas literas acceptarunt, Serenissimus Dominus meus Imperator illi adhæsit, et regalia mihi et Ecclesiæ Coloniensi concessit; per veram et realem possessionem dicta incorporatio suum est sortita effectum, nec sub clausula generali revocatoria per Dominum Eugenium Papam facta intelligitur annullata; quod si quorundam præsumptio, qui nomine Capituli Padebornensis callide pacem illius Ecclesiæ perturbare nituntur, incorporationem prædictam moleste sufferant, nihil, Patres amplissimi, profecto quam justitia, quam pax, quam honestas Reipub. illos ad iracundiam concitarunt, priscos enim antistites, quos captivare, maximisque dare convitiis assuebant, potentia debiles nulla obedientia venerantes, quorum similes habere affectant ad illicita, ut communis foret Clerico et Laico galea et rapina et homicidio pollutam gestare coronam liceret. Quæ quia detestatus ad religionis illas metas conabar abducere coram vestro sanctissimo cœtu virtutem et mei famam honoris deturpare procurant. Idcirco vestram sanctissimam concionem deploro humiliter, filialiter et devote, quorum super præmissis et omnibus statum meum et Ecclesiæ meæ concernentibus honor. Albertum Varentrap Official. Coloniens. decretorum, Henricum de Erpell, S. Severini Coloniens. Legum, Tilmannum de Lins S Florini Confluentiæ Præpositos decretorum Doctores, et strenuos ac nobiles viros, Rolmannum de Dadenberg militem, ac Johannem de Gunenberg Dominum in Landtscron Ambassiatores et Consiliarios meos Basileæ existentes benigne et favorabiliter audire dignemini, scriptis et actis sanctam synodum informaturos suppliciter deprecando, quatenus dignetur synodus sancta me et Coloniensem Ecclesiam nostris conservare in juribus, et auditis et examinatis per eos Præpositis litigiorum occlusis ambagibus adversariis silentium imp. - - - - - - - - - - ac ad obediendum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ institutis, et mihi inducere; difficile enim nobiles et militia Coloniensis Ecclesiæ,

qui pro reformando Padeborn. Ecclesiam vitam exposuêre et bona, jam rebus integris ære exposito et jure Ecclesiæ privaretur, unde possent acerbiora scandala et discordiæ eminere. Valeat justa sanctissima congregatio, cui me et Ecclesiam meam filialem recommendo. Datum in castro meo Poppelstorp, mensis Maji die quinta, sub sigillo, Anno Domini MCCCCXXXIIII.

His Archiepiscopi literis ad Patres Concilij perlatis, expensisque diligenter, ne quid in re tanti momenti præcipitarent, aut in aula Pontificis incautè sibi quicquam obtrudi sinerent, scripsêre Concilij Patres ad Paderbornensis Collegij Canonicos atque ordines; transmissoque literarum exemplari, quas Archiepiscopus ad Concilium dederat, mentem eorum responsumque expetiêre. Paderbornenses etsi haud parum perculsi causam hanc ad Concilium deferri, in quo magnopere patronorum animos Archiepiscopum occupasse verebantur; læti tamen erant, se audiri prius, ac tempus spatiumque dari, quo rationes reddere & Concilio satisfacere possent. Quapropter hasce literas ad Concilij Patres reddidêre; quibus ita ad singula modestè respondent, ut simul Archiepiscopi artes fraudesque egregiè detegant.

Literæ Paderbornensium ad Concilium Basileense, quibus ostendunt, æquum non esse, ut Ecclesia Paderb. Colonienſi uniatur.

Reverendissimi Patres et Domini, pro brevi et summaria informatione vestrarum Reverendissimarum Paternitatum, qui in materia cujusdam assertæ unionis et incorporationis de Ecclesia Padebornensi Ecclesiæ Colonienſi, ut dicitur, factæ, mandastis causas assignari, quare hujusmodi asserta unio sive incorporatio fieri seu effectum sortiri non debeat, cum omni humilitate damus et exhibemus infrascripta, quibus visis et attentis V. R. Paternitatibus clare constabit, et luculenter apparebit, dictam prætensam unionem et incorporationem, si qua sit, merito revocandam, cassandam, annullandam et irritandam fore, ac revocari, cassari, annullari et irritari cum omnibus inde secutis et attentatis debêre. Et primo dicimus, proponimus et protestamur, quod per præsentem, et quamcunque aliam comparitionem, sive actum, per nos factam, seu factum, vel in antea quomodolibet faciendam, seu faciendum, non intendimus, neque volumus ab appellatione pro parte Dominorum Præpositi, Decani, et Capituli atque personarum Ecclesiæ Padebornensis, ac aliorum ipsis adhærentium, ab ipsa prætensa unione et incorporatione ad sanctissimum Dominum nostrum Papam male informatum, sed melius informandum interposita resilire - - - - Primo ista unio prætensa, si qua est, expedita est cameraliter, et non in Consistorio Sanctissimi Domini nostri, in quo tales causæ consueverunt tractari, parte vocata et audita, et quod pejus est, nondum potuit haberi copia ipsius unionis de registr. Est autem hæc prætensa unio facta, Capitulo Ecclesiæ Padebornensis, et aliis, quorum intererat, ad hoc non vocatis, nec consentientibus, imo penitus ignorantibus. Item cum Ecclesia Padeburnensis sit provinciæ Mogunt. debebat vocari etiam Capitulum Moguntin. nec sufficit assensus Domini Archiepiscopi Moguntin. sine assensu sui Capituli.

Prætereaper sexingentos annos, et ultra, Ecclesia Cathedralis, prout hodie est, bene et sufficienter dotata ad sustentandum Episcopum, et Pastorem suum proprium habuit, prout habet proprium suum territorium, propriam dioce-

cesin. Opida murata multa, atque castra, fortalitia diversa, et pluralitatem villarum munitarum, et etiam militiam, et diversa dominia, atque quam plures Comites et Barones, ac plures milites et multos militares, et alios nobiles sub se, et etiam plura loca murata, et munita popularia, et adeo fortia, quod hodie si non esset constituta sedes Episcopalis in civitate Padebornensi, merito deberet hodie, si non esset sedes Episcopalis ibidem, constitui, erigi, et collocari. Non ergo debet supprimi tam solemnis Cathedralis Ecclesia contra mentem et intentionem Regum, Imperatorum, et Reginarum, qui eam fundarunt et dotarunt. Insuper ex antiquis statutis ejusdem Ecclesiæ Padebornensis et privilegiis à centum annis, et ultra, in ea nullus receptus fuit, aut etiam admittitur in Canonicum Capitularem ejusdem Ecclesiæ, vel ad aliquam dignitatem in eadem, nisi fuerit, aut sit de Baronum, aut nobili, aut saltem de militari genere procreatus ex utroque parente, aut alias vir maturus, Doctor, vel Licentiatus in jure Canonico, vel civili, seu magister in sacra Theologia.

Est præterea Ecclesia Padeburnensis in civitate Padeburnensi constituta in loco bene solemni et populoso, forti, murato et bene munito, nec subest aliqua rationabilis causa quare debeat supprimi, et Ecclesiæ Coloniensi uniri; non enim propter paupertatem Ecclesiæ Coloniensis, quæ valet annuatim Cmillia, nec propter paupertatem Ecclesiæ Paderbornensis, cum sit sufficienter dotata, et multos habuit Episcopos nobiles et illustres, quos notabiliter et solemniter sustentavit. Est etiam absurdum quid, quod tam notabilis Ecclesia, prout fuit et est præsens Padeburnensis Ecclesia, ad preces unius duntaxat, et ex assumpta occasione, scilicet de consensu alterius, deberet sic supprimi et extingui, et in Collegiatam redigi, sedesque Cathedralis ita deleri, seu cassari, et ejusdem Ecclesiæ honor alteri Ecclesiæ sine maxima necessitate applicari, et illud cum dissimulatione sic transiri, utique nullatenus apud rationabiles et mansuetos quovismodo debet admitti, neque per quempiam rationabiliter tolerari.

Et deinde, quia in eadem bulla, seu ejus impetratione asseritur, suggestum fuisse Ecclesiam Padebornensem fore in reditibus et proventibus annuis adeo destitutam et depauperatam, quod ejus redditus et proventus annui ultra quadringentos florenos auri de Camera annuatim se non extendant, quod veritate caret, quinymo ejus redditus et proventus annui prædictam taxam in duplo, et ultra, annuatim excedunt, salva alienatione et impignoratione, quorundam castrorum, locorum, et reddituum annuorum, quam reverendus Pater Dominus Theodericus modernus Archiepiscopus Coloniensis tanquam Administrator et Commendatarius Ecclesiæ Padebornensis, prætextu cujusdam prætensæ commendæ, per quondam Dominum Johannem Papam XXIII post occultum ejus à Concilio Constantiens. recessum taliter qualiter sibi concessæ et factæ, fecit et alienavit seu impignoravit absque requisitione et consensu Capituli Ecclesiæ Padebornensis, imo ut præsumitur contra ejus juramentum per eum Ecclesiæ et Capitulo Padebornensi in sua admissione administrationis ratione commendæ prædictæ præstitum, ejus reverentia tamen semper salva, et sic utique ex falsa suggestione de annuo valore ipsius Ecclesiæ Padebornensis, et ultra dimidium justi et veri, et imo ad duplum ejus. Quare

merito

merito hujusmodi unio prætensa, si qua sit, rescindi, seu tolli et annullari, aut revocari jure et æquitate suadente debet.

Insuper descendendo ad speciem, idem Dominus Theodericus Archiepiscopus, postquam fuit præfectus Administrator Ecclesiæ Paderbornensi, insigne castrum cum Opido Dringhenberg murato et munito inter alia opida et castra ejusdem Ecclesiæ, et in quo pro tempore Episcopi Paderbornenses pro majori parte temporis consueverunt facere veram personalem residentiam, pro et ex eo, cum fuerit et sit cum pleno dominio, et proprietate Ecclesiæ Padebornensis, et pro tempore Episcopi Padebornensis ipsius in spiritualibus et temporalibus, præfatus vero Dominus Theodericus Archiepiscopus idem castrum cum Opido et ejus districtu, etiam absque requisitione, Capituli, et eo non consentiente, impignoravit pro magna pecuniarum quantitate jam ante plures annos, et fortassis, nisi super hoc per Dominum nostrum Papam provideatur consulte etiam in perpetua alienatione castrum et Opidum prædicta remanebunt, fertur enim in publico, quod ipse Dominus Archiepiscopus armigerum, in quem transtulit hujusmodi castrum cum opido, strinxerit ad insolitum juramentum, ut puta, jurare fidelitatem Ecclesiæ Colonienſi, et ejus pro tempore Archiepiscopo, nihil enim penitus exprimens in hoc de fidelitate Ecclesiæ Padebornensis, aut illius pro tempore Episcopo et Capitulo.

Item est aliud castrum notabile muratum, munitum et forte, appellatum castrum to den Nyghenhuse, sive ad novam domum, in quo etiam idem Dominus pro tempore Episcopus Pad. suam consuevit facere personalem residentiam propter vicinitatem ejus cum civitate et Ecclesia Pad. quod etiam castrum irrequisito Capitulo et eo inconsulto impignoravit seu alienavit, etiam cum simili constrictione juramenti, ut fertur. Considerent modò R. P. V. si idem Dominus Theodoricus Archiepiscopus servaverit bene contenta in bulla Commendæ suæ, aut ultimæ videlicet unionis prætensæ de non alienando ab Ecclesia Pad. immobilia et stabilia, aut etiam mobilia preciosa, ut ipse Dominus Theodoricus Archiepiscopus ponderaverit verba juramenti sui solemniter præstiti, fidelis esse Ecclesiæ Padeb. ubi per ultimam bullam videtur intendere, quod Domina supprimatur, et ex eâ constituatur ancilla___. Patet ergo etiam per præmissa, quod culpa ipsius Domini Archiepiscopi Ecclesia Pad. est in fructibus diminuta. Placeat ergo, Reverendissimi Patres, super præmissis recipere informationes, et illis receptis, fideliter, sicuti firmiter speramus, referre Sanctissimo Domino nostro, ut Ecclesia Pad. maneat, in statu suo, et compellatur Dominus Archiepiscopus, ut castra et opida per eum sine consu Capitul impignorata redimat et Ecclesiæ restituat.

Item dicitur contineri in dicta prætensa bulla assertæ unionis et suppressionis Cathedræ et Ecclesiæ Padeborn. eandem esse taxatam in Apostolica Camera ad centum florenos auri de Camera, et ejus redditus mensæ Episcopalis ascendere ad quadringentos similes florenos ad mulcendum Principem, ut annueret unioni et suppressioni, et dolose tacuit ille, qui non habuit ignorare, ex quo præfuit Administrator Ecclesiæ Padebornensis quindecim annis et ultra, quod ipsa Ecclesia Padebornensis abundabat tot et tantis castris et opidis muratis atq

atque munitionibus et villis, et etiam habundavit, et habundat multitudine nobilium et armatorum vasallorum ejusdem Ecclesiæ, et sub qua etiam revera plures magni nobiles, ymo Duces, Lantgravius Hassiæ, et quamplures Comites et Barones eidem Ecclesiæ Padebornensi juramento fidelitatis astricti sunt jure vasallano, ratione castrorum et bonorum, quæ possidet intra et extra diœcesin Padebornensem.

Et ut de his tangatur exemplum, nam immediatus prædecessor ipsius Domini moderni Archiepiscopi Colonienſis quondam Fredericus tunc Archiepiscopus Colonienſis causante temporis malitia, aut suadentibus adversis eventibus, odioque et rancore per eum contra Ecclesiam Padebornensem præconceptis, captata sibi temporis oportunitate, prout putabat, animo invadendi Ecclesiam Padebornensem, ac subditos ejusdem Ecclesiæ damnificandi, idem quondam Dominus Archiepiscopus congregavit sibi validum exercitum armatorum forte in numero M et V. c. equitum, et etiam cccc Balistariorum cum alia Comitiva eis hostiliter intravit diœcesin Paderbornensem, quærens subditos Ecclesiæ Padebornensis et eorum bona invadere, et eorum Opida, castra et villas incendio concremare, et spolia atque captivos abducere, quæ subito percipiens tunc electus Ecclesiæ Padebornensis cum ejus vasallis et subditis in continenti se aggregarunt, quærentes modum resistendi, et cum adjutorio Dei resistendo adversariis dictam multitudinem armatorum dicti quondam Archiepiscopi quasi totam seu majorem partem in sua diœcesi Paderbornense detinuerunt captivam, ita quod ipse tunc quondam Dominus Fredericus Archiepiscopus cum paucis personaliter vix evasit, de quibus etiam debet recordari ipse Dominus Theodericus modernus Archiepiscopus Colonienſis, si saltem tunc fuit in patria, cum hæc res gesta sit circa spacium viginti annorum, vel modicum ultra, et plures adhuc superstites sunt in humanis, qui eidem conflictui interfuerunt. Non ergo debuit impetrans in prætensa unione suggerere Romano Pontifici Ecclesiam Padebornensem fore ita exilem, cum revera diœcesis Paderbornensis in fructibus superhabundet, prout notum est omnibus de patria ejusdem diœcesis, et quam pluribus aliis de partibus circumvicinis existentibus.

Et forte quærens hujusmodi unionem et suppressionem Cathedralis Ecclesiæ voluit bona, castra et Opida ejus distrahere seu impignorare, ut posset eam exilem dicere, et citius suppressionem Ecclesiæ Cathedralis obtinere.

Item et ex eo merito revocanda, cassanda, irritanda et annullanda est eadem unio seu incorporatio prætensa, quia facta est citra et præter consensum et assensum Dominorum, Præpositi, Decani, et Capituli ipsius Ecclesiæ Padebornensis, imo eis nescientibus et ignorantibus, et ad hoc minime requisitis, et simili modo præter consensum Dominorum Decani et Capituli ipsius Ecclesiæ Moguntinensis, cui Ecclesia Padeb. jure metropolitico est subjecta, ymo eisdem etiam ignorantibus, nescientibus, et irrequisitis fuit et est obtenta, de quorum tamen omnium et singulorum per eandem prætensam unionem agitur præjudicio, detrimento, gravamine, et destitutione, et depressione perpetuis Ecclesiæ Padebornensis.

Item nec etiam ea de causa prætensa incorporatio sive unio locum sibi vendicare habet, quod ipsa Ecclesia Padebornensis ad tantam devenerit depressionem et inopiam, quod ipsa pro Pastoris et Episcopi sustentatione ipsius etiam decenti et competenti non sufficiat, Absit hoc dicere, cum ipsa Ecclesia Padebornensis habeat solemnem civitatem, et in se ipsa etiam à primæva ejus fundatione sit Ecclesia solemnissima adinstar aliarum Ecclesiarum Cathedralium per partes Alamanniæ non solum in structura et fabrica, sed ymo etiam copiosa multitudine beneficiatorum in eadem et cum congruentibus redditibus, habet enim Ecclesia Padebornensis post principalem dignitatem videlicet pastoralem omnes alias in ordine dignitates et Prælatos inferiores adinstar aliarum Ecclesiarum Cathedralium, et ymo VIII Archidiaconos, et totidem sedes archidiaconales per diœcesin, et XXIIII Canonicos majoribus præbendis præbendatos, qui omnes sunt nobiles vel militares ex utroque parente, vel ad majus Doctores, vel Licentiati in jure vel sacra pagina, et maturi viri, et copiosum numerum perpetuorum Vicariorum et beneficiatorum ultra XL, nec non alios ministros quam plures in eadem Ecclesia divinis officiis interessentes, ipsique Ecclesiæ servientes.

Est etiam ipsa civitas Padeburnensis adeo insignis, quod in ea ultra dictam Ecclesiam Cathedralem fuit et est quædam alia solemnis Collegiata Ecclesia sæcularis habens etiam Prælatos suos et Canonicos et perpetuos vicarios in numero condecenti et congruo et congrua sustentatione annuorum reddituum beneficialiter expeditos, et ultra in eadem civitate Padeburnensi sunt plures Ecclesiæ parochiales curatæ, et solemnia Monasteria atque conventus diversorum ordinum etiam intra muros ejusdem civitatis, ac fuit et est eadem civitas Padebornensis tam magna et populosa, potens et fortis, quod una de solemnioribus civitatibus et Opidis totius Alamanniæ reputatur, quam Ecclesia Padebornensis et Episcopus ratione ipsius cum mero, et mixto imperio in spiritualibus et temporalibus possidet et habet pleno jure.

Habet etiam sæpedicta Ecclesia Padebornensis et Episcopus ejus pro tempore existens nomine ipsius plurima solemnia et insignia opida, castra, et fortalitia in numero ultra XXX, et quam plures alias munitiones, villas et villagia, quod fastidium audientibus, si singulariter nominarentur, procul dubio generaret, in quibus, vel majori parte Ecclesia Padebornens. et Episcopus nomine ipsius habet merum et mixtum imperium, et nomine Ecclesiæ ea omnia, et singula seu omnes, et singulas vel majorem partem eorundem tenet, et possidet cum jurisdictione spirituali et temporali pleno jure, nec alium recognoscunt etiam Dominum temporalem, quam Episcopum Paderbornens. pro tempore existentem.

Item sunt etiam inter hæc Opida plura tam solemnia et insignia ad Ecclesiam Padebornensem spectantia in numero ultra tria vel quatuor, qui congruenter, et optime sufficerent pro Cathedrali Ecclesia in eisdem de novo fundanda et erigenda, imo plures civitates, in quibus jam sedes Cathedralis fundata est, eis æquiparare non possent. Nam si licitum esset, ac necessitas causa rationabilis hoc exigerent, quod Ecclesia Padebornensis sive Episcopus

cum consensu Capituli aliquod ipsorum vendere et alienare vellent et possent alicui alteri Archiepiscopo, Episcopo, vel alteri Principi seu Domino temporali circumvicino, tantam pro eo possent habere pecuniæ summam, quod cum eisdem pecuniis novi redditus et proventus annui sine dubio possent emi et comparari, qui pro unius Episcopi, vel etiam Archiepiscopi sustentatione congruenti et competenti sufficerent habunde.

Item ultra præfatas Ecclesias, scilicet Cathedralem et Collegiatam in civitate Padebornensi, in diœcesi fuerunt et sunt aliæ solemnes collegiatæ Ecclesiæ ad minus in numero tres vel quatuor habentes salvis vacationum temporibus aliquæ ex eis Præpositos, præposituras, dignitates principales in eisdem existentes, Decanos et decanatus Scholasticos et Scholastrias, et alias dignitates inferiores et officia in eisdem, et in qualibet earum, etiam quam plures Canonicos Capitulares, et totidem præbendas Canonicales, et vicarias perpetuas, et beneficia perpetua in magno numero, quarum una est in Opido Hervordensi, una in Opido Huxariensi, et alia in Bilveldensi.

Item sunt etiam in dicta civitate et diœcesi Padebornensi quam plura Monasteria regularia et sæcularia virorum et mulierum diversorum ordinum, ut puta S. Benedicti, Cistercienss. Canonicorum Regularium, Canonicorum sæcularium, ordinis Mendicantium, etiam Monialium, quorum aliqua etiam sunt regularia ac solemniter et opulente per Romanorum Imperatores fundata, erecta, et dotata, quæ etiam in recitando tædium generaret et fastidium in specie nominari.

Item habet eadem Ecclesia et Episcopus pro tempore existens sub se et ejus dominio quam plures Comites, Nobiles, Barones, et innumerabiles militares eundem Episcopum pro Domino spirituali et temporali duntaxat recognoscentes, et ab eo tenentes bona feudalia ac empheteotica, et sibi propterea astricti juramento fidelitatis.

Item habet Ecclesia Padebornensis pro tempore quam plures potentes Principes, Comites, Barones, et terrarum Dominos feudum ab eo tenentes et recipientes, et eum etiam recognoscunt pro Domino temporali.

Item habet Ecclesia Padebornensis largam et latissimam diœcesin extensam per proprium ipsius Ecclesiæ patrimonium ac dominium seu territorium temporale superius expressum, nec non per territoria quam plurimorum Principum, Comitum, Nobilium, et Dominorum temporalium, videlicet Ducum Brunsvicensium et Luneburgensium, Comitum de Waldeg, Comitum de Ravensberg, ac Comitum de Svvalenberg, Comitatum de Sterneberg, Comitatum de Redberg, et Comitatum de Pirmunt, nec non territoria Dominorum Baronum de Lippia, Baronum de Buren, Baronum de Schonenberg, in quibus etiam Comitatibus et territoriis sunt quam plura solemnissima, populosa, murata, fortia et insignia Opida, diœcesis Paderbornensis existentia, quorum quodlibet habundanter et peroportune sufficeret pro Cathedrali Ecclesia et Episcopali sede, imo etiam Archiepiscopali de novo ibidem fundanda et erigenda.

Est etiam prædicta Ecclesia Padebornensis in omnibus dominiis, bonis tempo-

temporalibus, redditibus, proventibus et territoriis, nec non potestate temporali solemnior, amplior, uberior, et magis excellens, seclusis Archiepiscopalibus Ecclesiis, quam aliqua Cathedralium Ecclesiarum et diœces. circumvicinarum et antiquarum, videlicet Hildesemensis, Osnabrugensis, Mindensis et Verdensis, quæ omnes tamen habent et tenent suos proprios Prælatos Episcopos et Pastores. Quare merito et sæpedicta Ecclesia Padebornensis manebit in suo statu, libertate, honore, consuetudine, ac jure, et privilegiis, quas jam ultra septingentos annos salvo vacationis tempore habuit, tenuit, et pacifice præscripsit, et possedit.

Concluditur ergo tam adscripta Capitulorum Moguntinensium et Paderbornensium Ecclesiarum, et etiam æquitate et ratione suadente, et etiam ut obvietur scandalis, periculis, et discordiis atque guerris, et ne incendia, homicidia multifarie, et multimode sequantur, post quam V. P. R. receperunt summariam informationem de veritate eorum, quæ superius dicta sunt, saltem summariam et pro summaria informatione per paucos, qui in curia Romana poterint haberi, et etiam per copiosam multitudinem testium in partibus, si expedit, ubi veritas habundat, et est in luce, de habundantia Ecclesiæ Padebornensis tam in vasallis quam in nobilibus et armatis, atque aliis subditis, et reditibus, ac opulentia Opidorum notabilium, atque castrorum et villarum multitudine, et amplitudine districtus in hujusmodi diœcesi, tunc utique his habitis Sanctissimo Domino nostro est summe persuadendum, ut casset et irritet, seu revocet ipsam prætensam unionem et applicationem ac suppressionem Cathedralis Ecclesiæ Padebornensis, ex quo nondum sortita est effectum, neque aliquo modo poterit effectum consequi, nisi cum maximo dispendio, pro eo quod à maximo usque ad minimum et nullo medio quodammodo prætermisso reclamant, et se opponunt, expresse dicentes, Vivat Ecclesia Padebornensis in libertatibus suis ab antiquo adductis et introductis illæsa, et gaudeat amodo suo proprio Prælato, pro ut à septingentis annis citra gaudere consuevit. Et sic pariformiter etiam tollatur commenda prædicta ab ipsa Ecclesia Padebornensi, quæ satis diu duravit, et ipsi Ecclesiæ per alienationem satis onerosa fuit, et amplius ipsius Ecclesiæ Padebornensis esset destructio. Et quæ Commenda, si ipsius data bene inspicitur, quæ est data Friburgi Constantiensis diœcesis, 3d. Aprilis, anno quinto, ubi tunc ipse Dominus Johannes XXIII fuerat in motu et fuga de Concilio Constantiensi, et sic illa litera et plures aliæ etiam exorbitantissimæ transiverunt absque deliberatione et sine consilio, ymo præter scitum Dominorum Cardinalium, et fortasse prædicta commenda etiam sine deliberatione ipsius olim Domini Johannis, prout constat adhuc antiquis multis curialibus, qualiter literæ Friburgi et in aliis locis, tempore, quo fuit in motu et fuga ipse Dominus Johannes, transiverunt, etiam ipsa commenda transivit. Et maxime tollatur ipsa commenda, cum ipse Archiepiscopus Coloniensis potens et habundans sit, et sic astringi non posset amplius ad fidelitatem Ecclesiæ Padebornensis tanquam Administrator nisi cum juramento suo, contra quod videtur vovisse in prioribus alienationibus, et in suppressione ejusdem Ecclesiæ ultimo quæsitæ. Ergo tollatur et detur Capitulo Ecclesiæ Padebornen-

ammodo licentia et potestas eligendi de ejus gremio concorditer proprium Prælatum et Dominum, Ecclesiæ, Civitati, Capitulo et diœcesi utilem et ydoneum. qui multo melius cognoscitur in gremio Ecclesiæ quam extra, cum ipsa Ecclesia de gratia Dei habundat nobilibus, et literatis intra se, et eo concorditer electo, requirat hac vice confirmationem à sede Apostolica; Cum revera eorum Metropolitanus ex inordinato consensu per eum, ut dicitur, dato, si eum dedit, videatur se reddidisse indignum ad dandam confirmationem electioni, et præmissa fiant cum mandato pœnali Apostolico ad ipsum Dominum Archiepiscopum Colonienſem, ut amplius desistat ab inceptis, tam in Commenda quam in unione præmissis, seque ammodo nullatenus de aliqua ex eis quovismodo impediat, remanendo in metis Ecclesiæ et diœcesis suæ propriæ Colonienſis. Tunc ponetur Ecclesia, civitas, et diœcesis Paderbornensis, et tota illa patria in pacis tranquillitate, quam Deus unicuique desideranti concedat ubique.

His primùm ad Patres concilij transmissis, subjunxêre mox alias Paderbornenses ad Concilium literas, quibus multò plenius accuratiusque statum Paderbornensis Ecclesiæ explicant, unicè solliciti, ne veterem illum Episcopatum Paderbornensem à Carolo M. conditum, & tot exinde Cæsarum ac Regum privilegiis exornatum, tot possessionibus bonorum, tot urbibus, Oppidis, castris, Collegiis Canonicorum, & Cœnobiis Monachorum & Monialium, parochiis, vasallorum & nobilium multitudine, etiam supra Osnabrugensem, Mindensem, Hildesimensem & Verdensem Episcopatus Carolinos accumulatum, quàm latissima regione diœcesis, & jurisdictione per tot circum Comitatus explicatum, ad unius Archiepiscopi dominandi libidinem, serò tandem post septingentos annos extingui paterentur. Operæ nunc pretium erit & has literas proferre in medium; seu quòd nulla hactenus literarum monumenta repererim, quibus exactius hujus nobilissimæ diœcesis status, amplitudo, & jurisdictio tam civilis quàm sacra exhibeatur: seu quòd multa in his antiquitatum documenta commonstrentur, quorum utrumque posteros nostros recognoscere interest; ut intelligant, quantum hæresis posteriori statim seculo decerpserit. Nostra hæc sunt; quæ si aliquanto fusiùs reddamus ex tenebris, nemo vitio dabit, si florentissimam tum adhuc diœcesin brevi post in angustias contractam aspexerit, quam Pontifices & Catholici Imperatores ac Reges tam amplam esse voluerunt. Solatio interim erit, hunc unum Episcopatum cum Monasterienſi adhuc majorem partem Catholicæ religionis integrum servari, qui respexerit tot per Saxoniam nobilissimos Episcopatus totos in hæresis potestatem venisse. Literæ igitur, de quibus agitur, sic habent.

Iteratis ad Concilium Basileense literis Paderbornenses instant, ne concedatur unio Episcopatûs Paderborn. cum Ecclesia Colonienſi.

Literæ Paderbornensium ad Concilium Constantienſe, quibus totus Diœcesis status describitur.

Reverendissimi Patres, pro brevi summaria informatione pro causa sequenti, sic quod ex hujusmodi brevi informatione in curia detur via ad concedendam pleniorem habendam in partibus, et magis certam ad obviandum et providendum periculis et scandalis, quæ obmissis remediis possent verisimiliter evenire, quod si et in quantum in Romana curia infrascripti articuli ita exacte et specifice non possent deduci.

Et recipiatur consideratio prima in præsenti in primo articulo, si enim ipsa Ecclesia Padeburnensis à centum annis proxime præteritis citra fuisset et esset collegiata, quis et quantus labor et qualis necessitas expediret obtinere, ut erigeretur in Ecclesiam Cathedralem solemnem, prout ipsa eadem Ecclesia Padeburnensis per sexingentos annos et ultra semper fuit Cathedralis usque in præsens, et habens omni tempore præterito cessantibus vacationum ipsius temporibus Pastorem suum proprium, proprium territorium, propriam diœcesin, propria opida murata multa, atque castra et fortalitia diversa, tacendo de plu. ralitate villarum munitarum, et etiam militiam, et diversa dominia, atque quamplures Comites et Barones, ac plures milites, et multos militares, et alios nobiles sub se, et etiam quamplura loca murata et munita popularia adeo fortia, quod hodie si non esset constituta sedes Episcopalis in dicta civitate Padeburnensi, posset hodierno tempore licite sedes Episcopalis constitui, erigi et collocari de novo infra eandem diœcesin in aliis diversis locis insignibus.

Nunquid si de novo ex casu præmisso de ipsa si foret Collegiata deberet erigi in Cathedralem, et in ea collocari sedes sive Cathedra, et in illa creari Præsul, prout à septingentis annis citra fuit, et cessantibus infrascriptis etiam ad ipsius erectionem requirerentur varii labores, variæ intercessiones, majores preces, supplicationes, et mandata, ut puta quod pro tempore Imperator ac Reges, Duces, Comites, et Barones scriberent ad Sanctissimum Dominum Romanum Pontificem, exprimendo causas et necessitates propter quas peterent exaudiri, et sic fieri, ut de Collegiata efficiatur Cathedralis, et erigeretur Cathedra, et in illa crearetur et præficeretur Præsul, et quod per exhortationes hujusmodi scriptorum ipse Romanus Pontifex induceretur ad consulendum ejus sacrum Collegium Dominorum Cardinalium, an expediret ita rationabiliter fieri, et non est dubium quin apud ipsam Ecclesiam Padeburnensem à primæva ejus erectione in Cathedralem ita factum fuerit et existat.

Claret enim hodie apud eandem, quia ex antiquis statutis ejusdem Ecclesiæ etiam approbatis à centum annis et ultra in ea nullus receptus fuerit, aut etiam admittitur in Canonicum Capitularem ejusdem Ecclesiæ, vel ad aliquam dignitatem in eadem, nisi fuerit vel sit de Baronum, aut nobili, aut saltem de militari genere procreatus ex utroque parente, aut alias vir maturus Doctor vel Licentiatus in jure Canonico vel civili, seu Magister in sacra Theologia, alias dignus et idoneus ad præbendam vel dignitatem sub eadem Cathedra et in eadem Ecclesia habendam.

A contrario autem sensu deberet concurrere multo major labor, necessitas, scriptura, et deprecatio major ad Romanum Pontificem, et ad ejus coetum Dominorum Cardinalium, ut talis honorabilis Ecclesia Cathedralis, ita solemniter erecta, notabiliter dotata, et præpollens vasallis, domino, Baronibus et nobilibus ac militaribus, nec non diversis Opidis, castris, atque fortalitiis muratis, et quæ hæc præscripsit sex vicibus præscriptionum, quæ currit contra Romanam Ecclesiam, videlicet spatio centum annorum ad septies centum annorum spatio habuerit cathedram, et cessantibus vacationum temporibus pro tempore Episcopum, et præmissa singula in præsenti articulo superius expressata

sata, prout est præsens Padeburnensis Ecclesia, quod contra hujusmodi præscriptiones eadem Padeburnensis Ecclesia ad preces unius duntaxat, et ex assumpta occasione scilicet de consensu alterius deberet sic supprimi et extingui, et in Collegiatam redigi, et sedes Cathedralis deleri seu cassari, et ejusdem Ecclesiæ honor alteri Ecclesiæ sine maxima necessitate applicari, et illud cum dissimulatione transire, utique nullatenus apud rationabiles et mansuetos quovis modo debet admitti, aut per quempiam rationabiliter tolerari.

Ad propositum ipsius informationis, et pro brevi summario dicitur, quod longissima præscriptione et in memoria hominum non existit de contrario, quod ipsa Ecclesia Padebornensis et ejus Cathedra constituta fuit, et est in civitate et loco bene solemni, atque populoso, forti, murato, et bene munito, ita quod à nemine dici potest eam constitutam in rure, sed in loco populoso, munito, murato, forti atque apto, et satis amplo.

Item habuit et habet etiam eadem Ecclesia Padeburnensis universa, quæ consueverunt habere intra se communiter singulæ aliæ Ecclesiæ Cathedrales per Alamanniam tam in dignitatibus quam Canonicatibus prædictis, quam etiam perpetuis vicariis.

Habuit etiam et habet eadem Ecclesia Padeburnensis, cessantibus saltem vacationum temporibus, post Episcopum, Præpositum et Præposituram, decanatum et Decanum, Scholastriam et Scholasticum, Cantorem et Cantoriam, Thesaurariam et Thesaurarium, Camerarium et Camerariam, ac diversos Archidiaconatus sedium, diversas sedes per diœcesin et totidem Archidiaconos, et quilibet suam jurisdictionem juxta distincta loca et diœcesin, videlicet sedes Archidiaconi Horhusen, sedes Archidiaconi Wartbergensis, sedes Archidiaconi Huxariensis, sedes Archidiaconi Steinhemensis, sedes Archidiaconi Lemegen, sedes Archidiaconi Braklen, et plures Archidiaconatus et sedes Archidiaconales in civitate et diœcesi Paderbornensi prædictis, et quamplures alios Canonicos Capitulares ejusdem Ecclesiæ, et totidem præbendas Canonicales, et Capitulares, et ubi in singulis ejusdem personis requiritur, quod singulariter singuli sint nobiles ex utroque parente, aut saltem ad minus militares ex utroque parente, seu saltem alias viri maturi ætate, vita, moribus et scientia, videlicet Doctores, Magistri, aut Licentiati, aut in studiis approbati privilegiatis, alias nullus in præmissis admittitur ad dignitates, aut præbendas Ecclesiæ ejusdem.

Item in eadem Ecclesia ultra præmissas dignitates et præbendas Canonicales sunt in numero XL et ultra perpetui Vicarii et Beneficiati et Clerici sæculares, et totidem perpetua beneficia Ecclesiastica à se invicem distincta eorum quodlibet ab alio, et quorum quodlibet nutrit suum possessorem satis congruenter, ut serviatur eidem Ecclesiæ more consueto in divinis officiis, et in horis consuetis in cantando et legendo, sicut moris est, et ultra prædicta quamplures ministri et servitores Clerici diversorum officiorum.

Item ultra præmissa etiam à tempore præscripto, ut supra, intra muros ejusdem civitatis fuit et est quædam notabilis solemnis collegiata Ecclesia appellata Ecclesia SS. Petri et Andreæ Padeburnensis, in vulgari autem appellata

lata to Busforp, habens salvis vacationum temporibus Præpositum et præpos-turam dignitatem principalem in eadem, ac decanum et decanatum, Scholasticum et Scholastriam, Cantorem et Cantoriam, Thesaurarium et thesaurariam, et in eadem dignitates et officia et quam plures Canonicos præbendatos et totidem præbendas Canonicales, et ultra prædictos et prædicta perpetuos Vicarios et perpetua beneficia in multitudine copiosa, ita quod est solemnis Collegiata Ecclesia etiam sub multitudine beneficiorum continua singulis temporibus consuetis cum solemnitate, sicut Cathedralis Ecclesia, divina celebrat officia et horas nocturnales et diurnales juxta temporum intervalla.

Item ultra præfatas Ecclesias, Cathedralem scilicet et Collegiatam SS. Petri et Andreæ, in ipsa diœcesi Padeburnensi fuerunt et sunt etiam diversæ Ecclesiæ aliæ Collegiatæ ad minus quatuor, una videlicet SS. Johannis et Dionysii Hervord. Padeburn. diœcesis habens salvis vacationum temporibus Præpositum et præposituram dignitatem principalem in eadem, ac Decanum et decanatum, Scholasticum et Scholastriam, ac alios in dignitatibus et officiis constitutos, et plures Canonicos Capitulares, et totidem præbendas Canonicales, et vicarios perpetuos, ac beneficia perpetua in magno numero, et constituta in magno loco et murato et bene munito Opido Hervordensi, bene populoso, et de quo Opido natus fuit quondam bonæ memoriæ Dominus Hermannus Duvers Apostolicæ sedis prothonotarius, qui si viveret, de supradictis et infradicendis relationem facere posset debitam.

Item etiam in eodem Opido insigni et bene notabili fuit et est quoddam aliud notabile et insigne Collegium, vocatum communiter et appellatum S. Pusinnæ, duplici consideratione. In una consideratione habet Abbatissam et Canonicas sæculares, revera tamen religiose viventes in bona multitudine, et ad illud Collegium non recipiuntur nisi mulieres illustres et Ducum Comitum, Baronum, militum, et ad minus militarium genere procreatæ, prout hodierno tempore Abbatissa ejusdem Collegii est nata Comitissa et soror Carnalis unius magni Comitis, videlicet Comitis de Waldeghe. Est etiam pro mensa Abbatissæ ejusdem et mensa Abbatissali ab antiquo, prout hodie, valde sufficienter provisum et opulente. Est etiam sufficienter aliis Canonicabus vel Canonissis in eodem Collegio habitantibus, quantum ad præbendas Canonicales, sufficienter provisum.

Item in secunda parte ejusdem Collegii sunt Canonici sæculares, Capitulum cum ipsis, Abbatissa, Canonicabus et Canonissis repræsentantes vel facientes, et de communi utilitate et commodo ipsius Collegii tractantes, in summa commune Capitulum facientes, et vacant in horis Canonicis divinis officium cantando et legendo, sicut cæteræ Ecclesiæ Collegiatæ, ac eis et unicuique pro beneficio suo et secundum ejus statum sufficienter est provisum apud eundem locum, et in eodem Collegio sive Ecclesia sunt alias plures presbyteri beneficiati, et alii Ministri in eadem Ecclesia secundum ejus statum deservientes.

Item à supradictis temporibus citra in diœcesi Padeburnensi fuit; esse consuevit, et hodie est quoddam aliud solemne Opidum muratum, insigne, munitum forte, atque valde populosum, appellatum communiter et vocatum

Opidum

Opidum Huxariense, et in illo est etiam alia solemnis Collegiata Ecclesia vocata Collegiata Ecclesia S. Petri Huxariens. Padeburnensis diœcesis, habens salvis vacationum temporibus Præpositum et præposituram, dignitatem principalem in eadem, Decanum et decanatum, et in eadem Ecclesia cæteras dignitates et officia inferiora, et quamplures Canonicos Capitulares ejusdem Ecclesiæ, et totidem præbendas Canonicales, et plures perpetuas Vicarias, et perpetua beneficia in eadem, et notabile Collegium repræsentans, et horis Canonicis et divinis temporibus consuetis vacans, sicut cæteræ Ecclesiæ Collegiatæ.

Item à dicto tempore citra in præfata diœcesi Padeburnensi fuit, erat, et est quoddam aliud insigne et notabile Opidum etiam muratum, magnum et forte, appellatum communiter Opidum Bilevelde Padeburnensis diœcesis, habens sibi multum populum, et est locus insignis habens etiam intra se solemnem Collegiatam Ecclesiam appellatam communiter et vocatam Ecclesiam SS. Mariæ et Georgii Padeburnensis diœcesis, habens etiam pro tempore Decanum et decanatum in eadem Ecclesia dignitatem principalem, et cæteras inferiores dignitates et officia et plures Canonicos Capitulares, et totidem præbendas Canonicales, ac etiam diversas perpetuas Vicarias, et perpetua beneficia, ita quod etiam eadem Ecclesia repræsentat solemnem Ecclesiam Collegiatam, et personæ ejusdem etiam vacant divinis officiis et horis Canonicis temporibus consuetis, prout in cæteris Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis solitum est fieri, de quo etiam Opido natus fuit quondam Dominus Johannes Billeveldensis, dum vixit, auditor causarum palatii Apostolici, multo tempore notabilis Curtesanus.

Deinde quod etiam non taceatur, sed aliquid dicatur de ordinibus et Monasteriis per civitatem et diœcesin Paderbornensem in diversis locis constitutis et situatis, et lege diœcesis Padebornensis fruentibus, dicitur, quod quasi singuli ordines in eadem diœcesi Padebornensi reperiuntur infra eandem diœcesin Monasteria habentes.

Ordo enim Cistertiensis habet Monasteria diversa ad minus tria, et inter illa unum solemne Monasterium appellatum Herdehus, bene opulentum, et in magno numero fratrum et conversorum, existens adeo insigne, quod ejusdem Monasterii in Herdehus pro tempore Abbas consuevit reputari saltem quoad partes illas et circumvicinas pater Abbas in ordine hujusmodi, ut puta, quod consuevit visitare alia Monasteria sui ordinis.

Aliud Monasterium in Breydelar communiter appellatum.

Item aliud quoddam Monasterium Monialium ejusdem ordinis - - - Monasterium in Beringhusen communiter appellatum.

Item aliud Monasterium ejusdem ordinis appellatum Almelhusborn Paderbornensis diœcesis ordinis Cistertiensis versus Saxoniam in diœcesi Padebornensi, et sit à confinatione ejusdem Monasterii ad contrarium situm ejusdem diœcesis Padebornensis - - - fere usque ad oppositam partem ejusdem diœcesis, quasi tres dietæ vulgares et longe.

Item quamplura etiam Monasteria ordinis S. Benedicti in et sub eadem diœcesi, etiam notabilia et bene dotata, et in numero ad minus sex, quorum

unum infra civitatem Padebornensem appellatum Monasterium SS. Petri et Pauli in Abdinchove nuncupatum, ordinis S. Benedicti, satis solemne, habens Abbatem, Priorem, et conventum, et est Monasterium opulentum et satis notabile viventium sub regula.

Item unum aliud Monasterium notabile, et insigne regale vocatum communiter et appellatum Corbeya per Karolum Magnum erectum, dotatum, et fundatum, Ordinis S. Benedicti Padeburnensis diœcesis, et est solemnissimum Monasterium tam in dotatione quam fundatione, et non solum regale, verum etiam imperiale, et est Monasterium ab antiquissimo tempore, et adeo solemne, quod ab antiquo Abbas pro tempore ejusdem Monasterii consuevit habere sub se, prout hodierna die habet, etiam mero et mixto imperio notabilissima Opida et castra quam plura etiam Padeburnensis diœcesis, et idem Abbas pro tempore consuevit esse de curia Romanorum Imperatorum, et curiam ejus sequi, serviens in aliquo solemni officio, habens etiam sub se aliqua Monasteria ejusdem ordinis Padeburnensis diœcesis, et etiam extra ab illo dependentia. Et ut veritas dicatur, qui in impetratione prætensæ unionis Ecclesiæ Padeburnensis ad Colonien sem taxatam ad centum florenos duntaxat non expressit, quanquam forte scivit, quod ipsum Monasterium Corbeiense seu illius Abbatia, quæ est sub lege Episcopi et Ecclesiæ Padeburnensis, seu in ejus diœcesi sita, taxatum reperitur in Camera Apostolica ad florenos quadringentos de Camera.

Item aliud Monasterium ejusdem ordinis vocatum communiter et appellatum Monasterium S. Petri situm in Opido notabili murato et munito, et Helmeshusen nuncupato, habens Abbatiam et Conventum etc. ut supra.

Item unum aliud Monasterium vocatum communiter et appellatum Monasterium in Monster Padeburnensis diœcesis habens Abbatem et magnum conventum ut supra.

Item unum aliud Monasterium ordinis et diœcesis prædictorum vocatum communiter et appellatum Monasterium in Wlechtorp, habens Abbatem et conventum ut supra.

Item unum aliud Monasterium ordinis et diœcesis prædictorum, vocatum et appellatum Monte Martis, habens Præpositum pro tempore tanquam caput et superiorem, et plures conventuales.

Sequuntur nomina Monasteriorum et Ecclesiarum Collegiatarum Canonicarum secularium, videlicet Abbatissæ Hervord. Herisiensis, Schildesche.

De conventibus Monasteriorum Conventualium, ut puta Canonicorum Regularium, ordinis Mendicantium diversorum ordinum in civitate et diœcesi Padeburnensi tædium generaret referre.

Item de quampluribus Monasteriis Monialium diversorum ordinum copiose et diffuse per civitatem et diœcesin Padeburnensem prædictas consistentibus, in recitando tædium generaret audientibus, quorum aliqua opulentissime fundata existunt tam in civitate quam opidis dictæ diœcesis.

Sequuntur parochiales Ecclesiæ in civitate et diœcesi Padeburnensi constitutæ, Ecclesiæ parochiales sitæ et constitutæ in civitate et tota diœcesi Padeburnen-

burnensi plures centenarias in numero continent, quarum quatuor solemnes in ipsa civitate Padeburnensi existunt notabiles et bonæ, quatuor in magno Opido Hervordensi bonæ et notabiles, duæ in Opido magno Lemegen, duæ in Opido Bilveldensi, quatuor in magno Opido Warburgen intra et extra, Duæ in Opido magno Huxariensi, duæ in magno Opido intra et extra Monte Martis, reliquæ vero fuerunt et sunt dispersim hinc inde sub consideratione Opidorum, castrorum et villarum in ipsa diœcesi late sitarum, quarum Ecclesiarum parochialium, aliquæ earum quælibet si non habet plura millia communicantium, tunc ad omne minus habet mille communicantes in consideratione dictorum opidorum villis et villagiis diversis locis dictæ diœcesis et situat.

Et si placeret aliquæ earum nominari in specie, sequuntur nomina earum, quæ omnes et plures aliæ hic in Romana curia specifice nominari non possunt. Sunt sub lege Ecclesiæ Padeburnensis et diœcesis ejusdem, et quælibet earum sit in sedibus Archidiaconalibus secundum sua confinia, prout etiam hoc superius tactum est.

Sequuntur nomina Comitatuum et Baroniarum sitarum in diœcesi Padeburnensi, quorum aliqui Comitatus etiam pleno jure tam temporali quam spirituali ad Episcopum Padeburnensem pro tempore existentem et Padeburnensem Ecclesiam spectant. Et primo antiquus Comitatus, insignis, notabilis, Comitatus Warbergensis, de quo tactum est supra, qui etiam antiquo tempore post ipsius Ecclesiæ Padeburnensis primævam fundationem post quondam bonæ memoriæ mortem Dedoconis ipsius Comitatus ultimi Comitis, qui cum pura devotione ipsi Ecclesiæ Padeburnensi contulit et donavit.

Item Comitatus Svvalenberg, quem Ecclesia Padeburnensis post ejus primævam fundationem cum totali ejus districtu pacifice et quiete habuit.

Item magnus Comitatus Waldeck, cujus etiam totum dominium, modico excepto, sub lege Ecclesiæ Padeburnensis in spiritualibus regitur.

Item pariformiter notabilis Comitatus Ravensberg, qui ut supra immediate dictum est de Comitatu Waldeck etiam vivit sub lege in spiritualibus Ecclesiæ Padeburnensis.

Item Comitatus Sternebergh, cujus bonam partem Padeburnensis Ecclesia et ejus Episcopus pro tempore existens in temporalibus Dominus est.

Item Comitatus Redberg, et magna pars Comitatus Everstein, ac similiter magna pars Comitatus Pairmunt, Humberg, et territoria et districtus dictorum Comitatuum sub lege Ecclesiæ et diœcesis Padeburnensis vivunt.

Item est et alius Comitatus appellatus Comitatus Spegelberch, et est pro majori parte diœcesis Padeburnensis, et sub lege diœcesis pro tempore Episcopi Padeburnensis cum suo districtu pro majori parte.

Et hi Comites - - - supra dictorum Comitatuum sunt vasalli Ecclesiæ Padeburnensis, et servire tenentur ad ipsius Ecclesiæ requestam.

Sequuntur nomina Baroniarum primo magna Baronia Lippensis, quæ in magnis Opidis, villagiis et potestate, ac dando, veniat æquiparando magno Comitatui, cujus Baroniæ districtus, præterquam Opidum Lippens. in spiritualibus subest Episcopo et Ecclesiæ Padeburnensi.

Baroniæ in Buren de mero jure spectant ad Ecclesiam Padeburnensem, et per ipsam Ecclesiam Padeburnensem post ejus primam fundationem acquisitæ sunt sub lege diœcesis Ecclesiæ Padeburn.

Item

Item Baronia Schonebergpro ejus majori parte Padeburnensis diœcesis.

Item Baronia Padberg etiam diœcesis Padeburnensis.

Et hi omnes et ſupradicti Barones ſunt vaſalli Ecclesiæ Padeburnensis, et ſervire tenentur ad ipsius Ecclesiæ Padeburnensis requeſtam.

Eſt etiam ſciendum, quod plures Duces in aliis diœcesibus conſtituti, Lantgravii Haſſiæ, ad fidelitatem et homagum præſtandum Epiſcopo Padeburnensi pro tempore exiſtenti ſunt aſtricti Ecclesiæ Padeburnensi, dum in periculis et neceſſitatibus conſtituereturr, requisiti ad ſubveniendum.

Sequuntur nomina civitatum et opidorum quæ ad Ecclesiam Padeburnenſem ſpectant tam in temporalibus quam ſpiritualibus pleno jure. Et primo civitas Padeburnensis, quæ in Alamannia notabilis inter alias civitates exiſtit, et insignis, fortiſſima, murata, et bene munita, habens in ſe Ecclesiam Padeburnenſem ut Dominam et Magiſtram, aliam magnam Collegiatam Ecclesiam notabilem, et alia Monaſteria virorum et mulierum diverſorum ordinum, et IIII magnas parochiales Ecclesias, de quibus ſupra, magnam, præpollentem, divitem, populoſam, unitiſſimam in hac materia unionis prætenſæ cum Capitulo Ecclesiæ, Padeburnensibus reclamantibus et renitentibus à majori uſque ad minimum contra dictam prætenſam unionem, et potius moripati ſunt, quam perdere ſtatum et libertatem matris et Dominæ ſuæ Ecclesiæ Padeburnensis.

Deinde duo Opida Warberg Padeburnensis diœcesis in ſe contigua per muros diſtincta, unum videlicet opidum novum, et aliud opidum antiquum, cum ejus caſtro et duobus ſuburbiis, magna, fortia, insignia, murata, populoſa, et bene munita, in quibus ſunt IIII parochiales Ecclesiæ ab intra et ab extra, prout ſupra, et alias in ipsis bene viginti quatuor beneficia ſine cura pro clericis inibi deſervientibus, et antiquitus conſuevit eſſe Comitatus magnus, et ut præmittitur, ex donatione devenit ad Ecclesiam Padeburnenſem. Et ad quæ Opida nuper de menſe Octobris proxime præterito dum Reverendus in Chriſto Pater Dominus Theodoricus Archiepiſcopus Coloniensis cauſa ut animum ſuum darent, et ſe inclinarent ad dictam prætenſam unionem, dumhæc attemptata forent, per aliquos ex Conſiliariis Domini Theodorici præfati in theatro, vel in domo Conſulari dicti novi Opidi Warberg exiſten. etiam ibi aliquibus Magiſtris civium et Conſulibus aliorum Opidorum ad ipſam Ecclesiam Padeburnenſem ſpectantium infra dicendorum, et aliis hominibus in numero et multitudine copioſa, et dum præſtare deberent aſſenſum et conſenſum ad hujuſmodi unionem fiendam Ecclesiæ Padeburnensi ad Colonienſem unanimiter, una voce, et uno animo, à majori uſque ad minimum, male contenti dixerunt et acclamarunt: Vivat Ecclesia Padeburnensis et ejus libertas, et adeo idem Opidum eſt insigne, quod ſufficeret pro erectione unius Cathedralis Epiſcopalis, et habet duos Magiſtros civium, et duos Conſulatus, unumquodque ipſorum per ſe.

Item unum aliud Opidum inſigne, pulchrum, muratum, et notabile, ac populoſum munitum, appellatum Opidum Bracle Padeburnenſis diœceſis, et in eadem eſt una de ſedibus Archidiaconalibus ſedes Braclen in Eccleſia Padeburnenſi nuncupata, et habet unam ſolemniſſimam parochialem Eccleſiam, præpollentem et notabilem, et plura alia beneficia in eadem Eccleſia Clericis ſæcularibus aſſignari conſueta in titulum beneficii. Et eſt Opidum adeo inſigne et notabile, quod in eodem moneta cudi conſuevit,

de volun-

de voluntate tamen Episcopi Padeburnensis pro tempore existentis. Est etiam idem opidum adeo insigne, quod Cathedra Episcopalis de novo institui et erigi posset.

Item unum aliud notabile, insigne opidum muratum, et bene munitum, magnum et populosum, vocatum et appellatum Borgentrick, habens unam solemnem parochialem Ecclesiam et parochianos multitudine copiosa, et opulentum ac fulcitum in victualibus inter cætera Opida illarum partium, et propter amœnitatem et ubertatem illorum trium Opidorum prædictorum vocatur patria illorum districtu, patria Lilii, id est, Lilienland.

Item unum aliud notabile, insigne, pulchrum, munitum, ac populosum, et bene munitum Opidum, vocatum communiter et appellatum Nyhem Padeburnensis diœcesis, habens solemnem parochialem Ecclesiam adinstar dictorum Opidorum, ut supra, de quo olim oriundus fuit quondam bonæ memoriæ Magister Theodericus Nyhem inter præsidentes in Can^ria Domini nostri, unus de majoribus, et toti curiæ tempore suo notus.

Item unum aliud Opidum, ut supra, non minus insigne quam Opida, de quibus dictum est, vocatum communiter et appellatum Opidum Stenhem Padeburnensis diœcesis, in quo etiam est una de sedibus Archidiaconalibus ut supra.

Item est unum aliud Opidum, ut supra, insigne, forte et muratum, vocatum communiter et appellatum Opidum Soltkotten Padeburnensis diœcesis, et inibi est vena salis, et decoquitur sal pro usu illius patriæ.

Item unum aliud Opidum solemne et insigne, muratum et munitum, vocatum communiter et appellatum Lechtenouve cum castro suo Padeburnensis diœcesis, notabile adinstar dictorum Opidorum.

Item unum aliud Opidum insigne, ut supra, vocatum communiter et appellatum Opidum Buren cum castro suo Padeburnensis diœcesis, etiam multum notabile adinstar prædictorum opidorum.

Item unum aliud Opidum cum castro suo, ut immediate supra, vocatum communiter et appellatum Peckelsen, notabile, muratum, et insigne, ut supra, Padeburnensis diœcesis.

Item unum aliud opidum, vocatum Levenouve cum castro suo Padeburnensis diœcesis.

Item unum notabile opidum vocatum et appellatum Opidum Lude cum castro Padebornensis diœcesis, et est Baronia, et spectat in temporalibus et spiritualibus, ut supra, ad Paderbornensem diœcesin.

Item unum aliud opidum, vocatum et appellatum Dringhenberg cum castro murato et bene munito, ut supra, et est adeo notabile, quod Episcopi Padeburnenses in eo aliquando consueverunt facere residentiam personalem.

Item unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum Opidum Beverunghen cum castro, ut supra, Padeburnensis diœcesis.

Item unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum opidum Cleneberg Padeburnensis diœcesis, muratum et munitum, ut supra.

Item unum aliud opidum cum castro, vocatum communiter et appellatum opidum Wunnenberg Padeburnensis diœcesis, muratum et munitum, de quo oriundus etiam fuit quondam bonæ memoriæ Dominus et Magister Fredericus Deys Decanus Ecclesiæ Padeburnensis et sacri palatii Apostolici causarum auditor, et cæteræ curiæ tempore suo bene notus.

Item unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum opidū Bredenborne.

Item unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum Vorde cum castro Padeburnensis diœcesis, ut supra.

Item unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum opidum Wilbodessen Padeburnensis diœcesis, ut supra.

Item unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum opidum Gerden Padeburnensis diœcesis, forte, ut supra.

Et est sciendum, quod omnia opida supra descripta, sic pleno jure ad Ecclesiam Padeburnensem spectantia, sint notabilia opida, murata, munita et fortia, populosa et habundantia secundum majus et minus, habentia magnum populum, Magistros civium, Consules juratos, et consilium, et magnam communitatem.

Item est unum aliud opidum, vocatum communiter et appellatum opidum Drendeborg cum suo castro Padeburnensis diœcesis, quod pro medietate spectat ad Episcopum et Ecclesiam Padeburnensem, munitum et forte.

Item est unum aliud opidum, ut supra, vocatum communiter et appellatum opidum Helmershusen cum suo castro Padeburnensis diœcesis, cujus certa pars tam opidi quam castri ad Episcopum Padeburnensem pro tempore existentem et Ecclesiam spectat.

Sequuntur castra, quæ pleno jure spectant ad Episcopum pro tempore existentem et Ecclesiam Padeburnensem.

Et primo castrum Nychus Padeburnensis diœcesis, insigne, forte, muratum, et bene munitum, bene situatum, et in eodem castro consuevit, esse residentia Episcoporum Ecclesiæ Padeburnensis pro tempore existentium, quod prædictus Reverendus Dominus Theodoricus Archiepiscopus Padeb. inpignorando ad manus dedit alienas.

Item unum aliud castrum forte et muratum Padeburnensis diœcesis, vocatum Lippespringhe cum ejus suburbio.

Item unum aliud castrum forte et muratum, vocatum communiter et appellatum castrum Dregborg Padeburnensis diœcesis, ut supra.

Et est advertendum, quod memoratus Dominus Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis duo meliora castra superius descripta, unum videlicet opidum cum castro suo Dringheberg nuncupatum, et aliud etiam insigne castrum suprascriptum Nychus appellatum, et de quibus Episcopus Paderbornensis pro tempore existens residentiam personalem facere consuevit, impignorando dedit ad manus alienas ita et taliter, quod prædicta duo castra notabilia et insignia una cum prædicto opido non sunt in posse nec potestate Capituli Ecclesiæ Padeburnensis.

Sequuntur opida insignia et notabilia, quæ ad Ecclesiam Padeburnensem non spectant, sed tantum eidem subsunt sub lege diœcesana. Et primo Opidum Hervorden, de quo modicum tactum est in titulo de Collegiatis Ecclesiis Padeburnensis diœcesis. Nam idem opidum est opidum solemne, imperiale, muratum, munitum et insigne, ac populosum et præpollens, non recognoscens alium Dominum nisi Romanorum Regem, unde ut supra dictum est, habet in se duo Collegia, duos conventus, et plures parochiales Ecclesias, et plura Monasteria Monialium, et idem Opidum valde sufficeret propter ejus amœnitatem et ubertatem et divitias pro Cathedra Episcopali nova erigenda.

Item est unum aliud Opidum in Comitatu Ravensburgensi, de quo supra, situm, solemne, insigne, muratum et munitum, vocatum communiter et appellatum Opidum Bilveld Padeburnensis diœcesis, habens in se, ut præmittitur, unam notabilem Collegia-

tam

tam Ecclesiam, de qua supra, quod sufficeret pro Cathedra Episcopali nova erigenda.

Item unum aliud Opidum insigne, muratum, et bene munitum, ut supra, vocatum communiter et appellatum Opidum Lemegen in quo etiam sunt, ut præmittitur, duæ parochiales Ecclesiæ notabiles, situm in dominio magnæ Baroniæ Lippiensis, et adeo notabile et magnum, et divitiis ac structura præpollens, quod etiam sufficeret pro Cathedra Episcopali inibi erigenda.

Item est unum aliud opidum insigne et notabile, forte, populosum et famosum, vocatum communiter et appellatum Opidum Mons Martis, in quo etiam est unum notabile Monasterium Ordinis S. Benedicti, de quo Opido Oriundus est venerabilis vir Magister Johannes de Monte Martis, decretorum doctor ac literarum Apostolicarum Scriptor et abbreviator, quod etiam sufficeret pro erectione unius novæ Cathedræ Episcopalis.

Item unum aliud opidum pulchrum, forte, bene muratum et bene munitum, vocatum communiter et appellatum Opidum Huxariense Padeburnensis diœcesis, habens in se notabile Collegium Canonicorum sæcularium, et alia Monasteria tam virorum quam mulierum, et duas notabiles parochiales Ecclesias. Est etiam in eo sedes Archidiaconalis in Ecclesia Padeburnensi, vocata communiter sedes Huxariensis, adeo insigne, quod adinstar aliorum opidorum etiam posset institui de novo sedes Episcopalis.

Item est unum aliud opidum notabile et insigne, populosum, valde muratum et bene munitum, vocatum communiter et appellatum Opidum Corbeke in comitatu Comitis de Waldeck situm, et est adeo tale, taliter insigne, quod in eo etiam possit sedes Episcopalis de novo collocari.

Sunt et quamplura alia magna et parva opida et castra, villæ et villagia, numero et multitudine copiosa, de quibus hic nihil tangitur, ne fastidium generetur, quæ omnes subjacent legi Ecclesiæ Padeburnensis et Episcopo pro tempore existenti.

Confinia diœcesis Padeburnensis. Inprimis ut recipiatur consideratio confiniorum civitatis, Ecclesiæ, et diœcesis Padeburnensis respective ad alias civitates et diœceses eidem confines, dicitur. Confinat enim diœcesis Padeburnensis in una parte ad diœcesin Hildesimensem, sub qua et Episcopus, civitas et Ecclesia Hildesimensis, et considerative Ecclesia Padeburnensis plus habet de castris et opidis muratis atque munitionibus, ac delatitudine patriæ et diœcesis, quam habet Ecclesia, civitas, et diœcesis Hildesimensis.

Item confinat etiam eadem diœcesis Padeburnensis alteri diœcesi appellatæ diœcesi Mindensi, habens pro tempore Episcopum, Ecclesiam, civitatem, et diœcesin, et ipsa Ecclesia, civitas, et diœcesis Padeburnensis etiam præeminet in opidis, castris, et munitionibus, atque in latitudine et longitudine ultra diœcesin et civitatem Mindensem, ymmo, ut veritas dicatur, nunc Ecclesia, civitas, et diœcesis Padeburnensis in opidis, castris, munitionibus, longitudine et latitudine cuilibet diœcesi proxime dictis --- --- videlicet Hildesimensi et Mindensi prævalet et præeminet.

Item confinat etiam diœcesis Padeburnensis ab alio situ cum diœcesi Osnabrugensi, quæ diœcesis etiam pro tempore habet Episcopum, civitatem, et diœcesin, et revera civitas, Ecclesia, et diœcesis Padeburnensis in opidis muratis, castris et munitionibus præeminet, quo ad diœcesin, Ecclesiam et civitatem.

Item confinat etiam ab alia parte ad diœcesin Padeburnensem quædam alia diœcesis, appellata communiter Monasteriensis, habens civitatem, Ecclesiam, et diœcesin

solemnes,

solemnes, et pro tempore Episcopum, et revera Ecclesia, civitas et diœcesis Paderburnensis in opidis, castris et munitionibus, præeminet Ecclesiæ et diœcesi Monasteriensi.

Tantum hæ literæ ad priores pondus attulêre ut nemo exinde Patrum conjunctionem Padeburnensis Ecclesiæ cum Colonienſi probaret. Ita demum Basileæ in Concilio, quemadmodum Romæ in aula Pontificis, pravis machinationibus Theodorici Archiepiscopi obstructum est. Ex quibus cùm ingentes turbas bellaque Patres tanquam ex specula conspicerent; nondum tamen Archiepiscopus satis recognoscebat, quantam in se invidiam apud vicinos Principes contracturus esset, si ab Rheno ad Visurgim imperium suum proferret; quando nihil magis suspectum invisumque, quàm vicina potentia. Quæ omnia augebantur, quòd fratrem haberet Episcopum Monasterienſem, viribus sibi haud multum imparem. Et cùm cætera sileant tabularij nostri literæ, prorsus existimo, à Concilij Patribus Theodorico Archiepiscopo mandatum esse, ut à cœpta conjunctionis actione desisteret. Quanquam non nisi decennio abhinc, ut referremus, cum Paderbornenſibus ex integro reconciliatus, omnem hanc actionem remiserit, solo Administratoris munere contentus.

Obitus Conradi Moguntini Archiepiscopi, cui sufficitur Theodoricus Erbachius. *Serrar. in Mogunt. histor. Raynald. in histor. Eccles.*

Sustulit & hic annus, mense Februario, vel ut alij mense Junio, Conradum Moguntinum Archiepiscopum & Metropolitanum nostrum, cujus assensu se ad hanc quoque conjunctionem Paderbornensis Ecclesiæ permotum supra retulit Theodoricus Archiepiscopus; quæ si vera sunt, infidus fuit Moguntinus Archiepiscopus, aut deceptus à Colonienſi, qui tam vetustam Carolinam & nobilem Ecclesiam Paderbornensem à sua Metropoli avelli passus sit; quem jura Metropolis suæ, sicut Moguntinum fecit Capitulum, omni virium contentione tueri oportebat; nisi proditor suæ Metropolis, quam fidus pastor esse maluerit. Conrado concordibus suffragiis in Moguntina sede subrogatus è clero suo Theodoricus Erbachius Metropolitanus noster; ad quem recipiendum scriptæ sunt ab Eugenio Pontifice literæ non modò ad Metropolitanum Collegium; sed & ad omnes etiam provinciales Episcopos: Præsul hic pietate egregius, cujus aula ob id hortus genialis laudatur in fastis.

Fœdus Hassiacum cum Corbeiensibus. *Literæ Corbeienses.*

Laborabat & suo malo per id tempus Corbeiense Monasterium. Extant enim Corbeiensium literæ ante biennium consignatæ, quibus Ludovicus Hassiæ Landgravius in concordiam venit cum Mauritio Spigelbergio Abbate; post verò ob dissidia, quæ inter Abbatem, & Capitulum, ut vocant, Corbeiense intervenerant, hoc anno arctum & perpetuum fœdus contraxêre D. Widekindus Prior Theodoricus Præpositus, totumque Capitulum Corbeiense cum Ludovico Hassiæ Landgravio, quo & Successores Landgravij obligarent voluêre; deligiturque Landgravius tutor & defensor Monasterij adversus omnes Corbeiensium hostes. Quam in rem profusa liberalitate offeruntur Corbeiensium Ministri & Oppida castraque in obsequium

dataque potestas Landgravio redimendi etiam suo ære retinendique Corbeiensium omnia oppignorata castra (quæ tamen refusâ pecunia redimantur redeantque ad Corbeienses.) Ad hæc pacta etiam ipsum Abbatem adstringi voluêre, nec prius recipiendum à se, quàm hæc ipsa literis suis Landgravio & Capitulo confirmarit. Hunc in modum Cœnobij primores Abbati suo, haud secus, quàm Capitula Cathedralia Episcopis, fœdera & leges præscripsêre: seu id Abbatis prodigalitas, seu regendi infirmitas, seu dissensio postularit. Addita interim Landgravio conditio, ut si inter Cœnobitas & Abbatem, aut Huxtarienses & ipsos controversia oriatur, non huic se misceat Landgravius. Acta hæc feria IV ante festum Corporis Christi.

Fœdus item Brunswicense cum iisdem Corbeiens.

Aliud præterea fœdus inière Widekindus Prior, Theodoricus Præpositus, cæterique Cœnobitæ cum Ottone Brunswicensi Duce juniore, pacis firmandæ causa; quo cautum sancitumque, si quis Brunswicensium læserit Corbeienses, arbitrium decidendi sit penes Gottingensis urbis Magistratum; contra si Corbeienses læserint Brunswicensem Ducem judicio Huxtariensium definiatur. Quo utraque simul pars acquievit: ad hæc quoque pacta approbanda constringitur Mauritius eorum Abbas; ut non prius aut ipse, aut alius Abbas, ad possessionem admittatur, quàm hæc literis suis consignârit. Acta hæc referuntur Dominica prima post Pascha.

Clerus Paderbornensis privilegiorum suorum confirmationem à Concilio Basileensi obtinet.

Trahebatur in quartum jam annum Concilium Basileense; ad quod cùm ex tota Germania deferrentur querelæ afflictarum partium, ut ex variis Concilii responsis constat; tum Paderbornenses etiam, quod hactenus apud Pontifices sollicitârant, petiere supplices privilegiorum suorum & libertatis Ecclesiasticæ, quam in multis læserant consules ac cives, ut supra relatum est à nobis, confirmationem Patrum auctoritate fieri. Proni ad hoc Patres acri rescripto ac decreto vetuêre, ne in posterum fas sit, aut Clericos gravare tributis, aut in judicium civile protrahere, aut oblationes piorum hominum ad Altare in sacrificiis defunctorum prohibere, aut leges sancire, quibus prohibeatur Clericis adire novas bonorum possessiones, aut testes esse in judicio piarum causarum, & quæ hujusmodi multa Paderbornenses cives contra libertatem Ecclesiasticam introducere cœpêrant. Hoc decretum à Concilij Patribus missum Decano Collegii Hildesiensis, Susatensis & Bustorfiani, ad promulgandum per urbem Paderbornensem & vicinas circum regiones. Contra si qua urbs, aut Dux, aut Marchio, aut Comes quicquam tentârit, jubent anathematis vinculo perstringere, & infames reddere; eo quòd mandatum sit, in ea libertate privilegiorum Paderbornensem Clerum, ac totam Westfaliam Saxoniamque tueri, quam tot Pontificum & tot Imperatorum à Carolo M. ad Carolum IV. privilegiis confirmatam acceperant. Supersedeo ipsum Concilii decretum, quòd prolixum sit, referre.

Annus Christi 1435.

Eugenij IV Pont. 5.
Sigismundi Imper. 26.
Theodorici Administ. Pad 20.

Dissidium Herisiensis Collegij, ob electionem Abbatissæ.

Alia per id tempus appellatio facta est ab Herisiensium Canonicarum Virginum Collegio ad Concilium Basileense, ob dissidium electæ Abbatissæ. Mortuâ enim Annâ de Plessis, Freckenhorstensis & Herisiensis Collegiorum Abbatissâ, Herisienses in partes divisæ; harum aliæ elegêre Harekenam Spiegelbergiam, aliæ Ermegardem de Solmis, Borchorstiensis in Diœcesi Monasterienſi Collegij Abbatissam. Lis primùm delata ad Theodoricum, Colonienſem Archiepiscopum & Diœcesis nostræ Administratorem; à quo cùm pro Ermegarde pronunciatum esset, Harekena appellavit ad Eugenium Pontificem. Ab hoc electio Harekenæ probata est; ita tamen, ut hoc ipso institutum Canonicarum Virginum simul approbare nolle profiteatur; utraque verò cùm ad Concilium provocaret, Patres Concilii causam primùm Ludovico de Gausis Canonico Bosnienſi, deinde Joanni Grevver Præposito Verdenſis Ecclesiæ, qui tum Concilio præsentes erant, cognoscendam commisêre. Ac postquam ab his electio diligenter expensa, facta est relatio. Patres Concilij electionem Harekenæ ratam habuêre, eamque Collegio Virginum præfici mandârunt; ut multis exponitur decreto, quod Basileæ XIII Calend. Februarij hoc anno perscriptum est.

Pax Marchiæ reddita. *Tesschemacher. part. 2.*

Tandem ex longo bello, quod Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis incenderat alueratque inter Adolphum Cliviæ Ducem & Gerhardum fratrem, paci Westfaliæ consultum. Tædio quippè intestinorum malorum Marcani Westfaliæque proceres permoti, finem urgebant. Proni & Duces erant. Quapropter tam à Ducibus, quàm à Theodorico Archiepiscopo dati sunt ex Consiliariis arbitri; quos alii decem, alii plus quàm viginti numerant. Ab his Gerhardo Duci Hammona & pars Marchiæ attributa. Inde ille Hammonæ consedit; qua in urbe, quia Franciscanis Monachis jam ante Cœnobium constructum erat, armis sepositis, quietis & pietatis studio reliquum vitæ tempus salubrius exegit, hoc demum anno sine prole extinctus. Exinde tota Marchia, ob quam hactenus militaribus armis contenderant, ad Cliviæ Ducem rediit.

Theodoricus subditos suos tributis onerat, quod ægrè ferunt Susatenses, & palam reclamant.

Non perinde quietus Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, immensum tributum ab universis diœcesis suæ incolis exigit. Quem in censum venêre singulorum equi, boves, porci, oves, & omnis ipsa: non Sacerdotum capita, non religiosorum Cœnobia, non ullus ordo sexusve exemptus. Qua vectigalium acerbitate multis querelis repleta diœcesis. Sed offensi cumprimis Westfaliæ ducatus Oppida & ordines, pristinam majorum libertatem violari protestabantur

bantur; ausi inter ceteros palam reclamare Susatenses, & ad alterius imperium respirare. Atque hæc prima semina Susatentis belli tum jacta, quod tantis calamitatibus post erupit. Mirati non pauci, quæ vel opum cupiditas, vel pecuniæ indigentia Archiepiscopum ad tam insuetum tributum compulerit. Verùm ut cum Donavvero ceteri Scriptores memorant, aulæ magnificentia & Bello Bohemico ita exhaustus erat, ut pleraque castra & oppida Ecclesiæ oppignorare necesse habuerit. Igitur ad ærarij lacunas implendas, & castra redimenda, & aulæ magnificentiam continuandam subjectorum loculi exhausti.

Sigismundo interim omnia felicius quàm hactenus processêre. Quippe Hussitæ in Bohemia hæretici, postquam hactenus nullis Catholicorum armis subigi poterant, mutuis demum intestinisque bellis se obtrivêre: compertumque quod D. Hieronymus dixit, bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ: Pragenses enim, qui & Calixtini vocabantur à petito calice Eucharistiæ, cùm ad nullam concordiam ineundam adducere possent Thaboritas & Orphanos hæreticos, duce Meinardo, atrocissimo prælio eos aggressi cecidere; in quo supra viginti duo Thaboritarum & Orphanorum millia trucidata memorantur. Qua clade suorum exacerbatus Procopius Dux, deserta obsidione Pilzinæ, in Pragenses movit, ulturus sociorum stragem. Nec segnior Meinardus, cui se Catholici quoque junxêre, inter Brodam & Burim Procopio occurrit, victorque rursus supra XIII millia Hussitarum in acie prostravit; interque cæsos Zapego, Procopius, & Lupus Presbyter, Hussitarum Duces, occubuêre. Cæteros deinde Thaboritas & Orphanos bellis exercitos voce præconis ex agris convocavit, factaque novi belli spe & conspiratione adversus omnes Bohemiæ hostes, in horrea collegit, clausisque horreorum ostiis ignem tectis injecit, & ceterarum Hussitarum colluviem flammis absumpsit. His patratis, misêre Pragenses suos oratores ad Basileensem Synodũ, Sigismundum Imperatorem, offerendo se ad concordiam cum Catholica Ecclesia & Sigismundum Regem suum recipiendum. Ac postquam Ratisbonæ Cæsarei & Bohemici Legati convenêre, Bohemi Sigismundũ, restituto avito Sceptro, Regem salutavêre, quibus acceptis, Sigismund⁹ Danubio vectus, Budam petiit, formatoque istic regni statu, Albam regalem concessit. Vocatis deinde ad se Bohemorum proceribus, de Bohemiæ regno & concordia consilia habuit, diemque, quo invitatus Bohemiam ingredi vellet, decrevit.

Hussitæ bellis obtriti ad Ecclesiam Catholicam redeunt, & Regem suum Sigismundum recipiunt. *Cochlæus in histor. Hussitar. lib. 6. c. 7. Dubrau. Crantz. l. 11. wand. c. 33. Naucler. Gener. 48. Raynald. in histor. Eccles. Acta Concilii Basileens.*

Annus Christi 1436.

Eugenij IV Pont. 6.
Sigismundi Cæsar. 27.
Theodorici Adminis. Pad. 21.

Anno dehinc subeunte Sigismundus Jglaviam Olmucensis diœcesis urbem accessit; ubi rursum pertractatum de controversiis religionis

Sigismundus à Bohemia rece-

ptus pacem regno & Eccleſiæ reſtituit.

gionis inter Pragenſes & Catholicos. Hic verò cùm Pragenſes Huſſitæ communionem ſub utraque ſpecie peterent, idque ea lege permitteretur, ut ſimul ſub altera etiam ſpecie Chriſtum integrum præberi à Catholicis profiterentur, iisque in locis tantùm communio ſub utrâque libera eſſet, in quibus jam uſus obtinuiſſet: tum nec pueris, quod ſimul poſtulârant daretur: & quæ præterea importunè hactenus ſollicitârunt, cùm ſine magna legum confuſione & turbamento Reipublicæ permitti non poſſe intelligerent, facilè remiſerunt in præſenti, contenti, quod calicem populo impetraſſent. His igitur in tabulas relatis, conventisque, Sigismundus extremâ æſtate Pragam ingreſſus, & honorificentiſſimè exceptus, animos procerum in concordiam reduxit. Ac primùm omnem curam convertit ad collapſam religionem per regnum inſtaurandam. Tum verò templa & altaria priſtino cultui reddita, revocati ab exilio Clerici, Monachi & religioſi in ſua Collegia & Cœnobia, reducti. Cumque proventus non ſuppeterent, ex quibus miniſtri ſacrorum viverent, juſſit ex Fiſco regio Imperator per ſingulas hebdomadas aureum Canonicis integrum, Clericis medium dari. Læta univerſa Germania Saxoniaque, poſt tot cruenta bella & fatales clades Bohemiam ad concordiam cum Eccleſia Catholica, priſcumque religionis cultum redire.

Ingentia pluribus locis damna ex ſæviente tempeſtate.

Magna per id tempus bellorum quies ad Rhenum, & per Weſtfaliam totamq; Saxoniam: magna quoque, jam in quartum annum annonæ caritas, ac fames; quod omnes paſſim fruges nunc frigore, nunc pluviis & inundationibus agrorum, nunc aliis cœli injuriis corruptæ non provenirent; id quod paſſim chronicorum Scriptores deplorant. Auctorque inter hos Trithemius eſt, ab *Aquilone* & Mari Anglico tantam ventorum tempeſtatem incubuiſſe, quæ ab aſcenſu Rheni ad Italiæ usque fines turres, templa, ædes & oppida cum innumera hominum pecorumque ſtrage dejecerit: alibi arbores, alibi magnas ſylvas radicitus evulſerit.

Theodoricus Diœceſin Paderb. ingreſſus, incolarum animos beneficentia ſibi reconciliare ſtudet. *Literæ tabularii Paderborn.*

Cæterum Theodoricus Archiepiſcopus Adminiſtratorque noſter hoc anno, luſtrato Weſtfaliæ Ducatu, Paderbornenſem diœceſin ingreſſus, Warburgenſibus eligendi Magiſtratus leges ſcribit; urbesque & oppida & ordines diœceſis, inſtauratis ſingulorum privilegiis, ſibi reconciliare cœpit. Quo ſimul anno conſpexit Cœnobium Dalheimenſe, quod ante non multos annos inſtaurârat, una cum adſito pago fortuiti incendii malo in cineres diſſolvi; è quibus tamen rursus brevi poſt Padbergenſium, Brobeckiorum, & Harhuſanorum noſtrum beneficentia illuſtrius ſurrexit. Quanquam ſacrorum cura ſub hoc Adminiſtratore, tot ampliſſimi Archiepiſcopatus ſui negotiis diſtracto, negligenter per diœceſin noſtram tractata. Ex quo Cleri populique mores in pejus ruere comperti ſunt; ſeroque tandem animadverſum, nunquam melius quàm per proprium Epiſcopum omnia adminiſtrari.

Extra

Extractus hoc anno è numero mortalium Willebrandus, Episcopus Mindensis, Haltermontius Comes, quem ex Abbate Corbeiensi delegerant Canonici. Gesserat is sacram illam præfecturam annos xxx, ac menses tres. Vir, ut Crantzius inquit, ortu natalium & religione illustris, sed & bellandi fortitudine non incelebrior. Quippe qui castra Wedekenstenium Bernardo Comiti de Lippia, Reinsbergam Nicolao Comiti Teclenburgico, Radam Joanni Bockio equestris ordinis viro erepta restituit Ecclesiæ suæ; multisque pugnæ congressibus Osnabrugenses, Mindensi diœcesi infestos, feliciter repressit. Defuncti corpus humatum in medio Cathedralis Ecclesiæ ante aram S. Petri, hac rudi inscriptione tumuli.

Mors Willebrandi Episcopi Mindensis, Abbatis antea Corbeiensis. *Chron. Mindens. Crantius in Metrop. Ertwinus in chron. Osnabr.*

MC quater X ter simul à Christo datus et sex,
Præsul Willebrandus de Haltermont venerandus,
Est hic portatus dum Stephanus est lapidatus.
Ut Leo qui fremit, sic hic tria castra redemit.
O Deus in cœlis nunc gaudeat iste fidelis.

Extincta est cum Willebrando familia Comitum de Haltermont in inferiori Saxonia, cessitque Comitatus Brunswicensibus. Subrogatus in Episcopatu Mindensi Albertus Hojanus Comes, Erici Comitis filius, quem jam ante annos sedecim Administratorem diœcesis admiserat. Et vix ille Thronum conscenderat, cùm Brunswicensium ope adjutus, inflatusque nova dignitate, bellum quo hactenus etiam multum afflixerat Osnabrugenses, Joanni Diepholdio eorum Episcopo intulit. Nec imparatus Diepholdius Hojanum è diœcesi sua profligat, fugientemque insecutus, ad Lubekenum Mindensis diœcesis pagum processit, latè agris Mindensium ad Visurgim usque vastitatem inferendo. Nec jam alij fere per Westfaliam Saxoniamq; Episcopi se offerunt, quam ex illustribus Comitum & Principum familiis, à quibus non tam infula quàm lorica expetita, sæculis semper in pejora declinantibus, Episcoporum exemplo passim præsules & Canonici Cathedralium Ecclesiarum arma induebant, pugnabantque inter milites.

Familia Haltermontia in Willebrando extincta. Willebrando in Episcopatu Mindensi succedit Albertus Comes de Hoja.

Annus Christi 1437.

Eugenij IV Pont. 7.
Sigismundi Imp. 28.
Theodorici Admin. Pad. 22.

Laborabat per hæc in sequentem annum Sigismundus Imperator omni virium contentione, ut regnum Bohemiæ & Christianam religionem in pristinum statum reponeret: quanquam rem eo deducere non licuerit, ut Ecclesiarum prædia & bona semel per hæresin occupata restitueret. Jam ad exitum decurrerat annus, cùm vi Jdus Decembris morte abripitur, senio jam antè confectus. Princeps qui pietatis laude, & pacis concordiæque studiis, quàm bellandi felicitate & pudici-

Æneas Sylvius c. 53. Dubrau libro 27. Cochlæus lib. 8. Crantz. l. 12. Wand. c. 1. Naucler. Gener. 48.

Trithem. in Chron. Ursberg. Paralip. Brouver. in annal. Trevir. Cuspinian. Raynald.

pudicitiâ commendatior, famam ad posteros transtulit. Quippe cui violare alienos toros familiare fuit; quo tamen crimine maximè obnoxia Barbara conjux, altera sæculi ejus Messalina domestica: ut ob hæc fœda etiam vitia toties ab Hussitis cæsus videri possit. Filiam reliquit unicam hæredem, Alberto Duci Austriæ denuptam, quacum Albertus regnum Bohemiæ & Ungariæ adiit; frustra licet perfida matre Barbara obnitente, quæ Bohemiæ regnum Polonis tradere machinabatur, ob id captiva, simulque novo spectaculo cum funere Imperatoris Varadinum in Ungariam deportata. Multò felicior Bohemia Alberto Rege. Is quemadmodum ea tempestate inter Germaniæ principes religione & bellica fortitudine facile præstantissimus erat, multisque semper præliis feliciter Hussitas obtriverat, hostis hæreticorum acerrimus; ita postquam regno potitus, ad nullas unquam iniquas & religioni adversantes pactiones se à Bohemis abduci passus est; magnaque constantia eximius Princeps Ecclesiæ bona semper privatis commodis antetulit, præclaro ad posteros suos exemplo.

Obitus Sigismundi Imperat.

Trithem. in chron. Spanheim. Teschemach. p. 2.

Multa præterea hoc anno principum funera; quos inter Ludovicus Comes Palatinus, Ruperti Romanorum Regis filius, Dux bonus, pius, sanctus, ut Trithemius scribit, ultimo Decembris excessit, relictis tribus filiis, Philippo, Ludovico & Ruperto; ex quibus postremum Colonienses Ecclesia sortita Archiepiscopum. Alterum Adolphi Montium, Juliæ & Gelriæ Ducis funus, quem mors 8 Julij Coloniæ in Abbatia S. Pantaleonis sustulit, nullo hærede filio superstite. Quapropter Gerhardum, quem ex Wilhelmo fratre Ravensbergensi habebat nepotem, Successorem dixit. Is amplissimarum harum provinciarum possessionem adijt, multum juvante, quatum erat auctoritate & potentia, Theodorico Colonienſi Archiepiscopo, quòd ex nepte ejus, ut supra diximus, Wilhelmo Comiti Ravensbergensi post abdicatum Paderbornensem Episcopatum denupta, genitus esset. Juvenis haud multum supra vigesimum annum; cui in matrimonium data Sophia Lawenburgica, Bernardi Saxoniæ, Angariæ & Westfaliæ Ducis filia, quacum sterile per multos annos habuit conjugium, eòque in spem potiundi Juliæ & Montium ducatûs, ut ad annum MCCCCL referemus, Archiepiscopus venit. Ipse interim hoc anno dissidium, quod inter Capitulum Paderbornense, & Fridericum ac Burchardum Pappenheimios exarserat, per Ludovicum Hassiæ Landgravium, à se delectum arbitrum, composuit; sicuti id ex literis festo D. Luciæ die Grubenstenij datis accepimus. Magna per id tempus Landgravij Hassiæ auctoritas & potentia, qui ducta in matrimonium Saxoniæ Electoris filia, hereditarium fœdus inter utramque familiam ictum inflammaverat, quique quatuor Hassiæ Comitatus Zigenheimensem, Nidanum, Catimelinbocensem, & Dietanum extinctis heredibus conjunxerat.

Funera plurium Principum.

Accessit

Accessit ad cætera hujus anni funera Joannes Diepholdius, Osnabrugensis Episcopus, ipso sacratissimo Christi patientis die, in flore ætatis defunctus, gesto per XII annos Episcopatu. Præsul procero & eleganti corpore, moribus & prudentia supra ætatem maturus, in adversis constans, in tractandis rebus publicis, patris cumprimis Conradi Comitis operâ, quem primis annis apud se moderatorem habuit, æque fortunatus, atque in bello, quod cum Episcopo Monasterienſi & Mindensi gessisse diximus; pari felicitate intestini diœcesis hostes, Klenckij videlicet & Buschii, ceterique ejus factionis nobiles ad obsequium redacti; ad quorum vires exscindendas castrum Gesmot obsedit expugnavitque. Demum collisus cum Capitulo, incentore Hugone Schagenio Decano, florentem vitam inter calamitates exuit, veneno, ut creditum est, à muliere per potum cerevisiæ myrthinæ præbito; id quod Decani artibus factum vulgavêre. Funus Cathedrali Ecclesiæ illatum, & honorificentissimè conditum. Successorem nactus est, Canonicorum suffragiis, Ericum Hojanum Comitem, Præpositum Colonienſem, fratrem Alberti Mindensis Episcopi, & Joannis bellicosi & furiosi Comitis. At quibus Ericus turbis jactatus, tempori memorandum, tanquam justa hominem pœna consecuta sit, qui pactione cum Canonicis inita de certis prædiis, quæ Capitulo cederet, Episcopatum adeptus est.

Interim maximum religionis pietatisque in populo conservandæ præsidium erat in religiosis viris, accessêreque ad cæteros religiosorum ordines, per id tempus omni virtutum aspectu illustres, Canonici, ut supra monuimus, ex instituto D. Augustini & congregatione Wingesheimensi; quos subsecuti Crucigeri Colonia postulati. Et hi, uti jam ante in Paderbornensem diœcesin admissi Valckenhagense Cœnobium incoluêre, magna virtutum commendatione; ita in Monasterienſem quoque Diœcesin recepti, nobile Bentlacense Cœnobium ad Amasis ripam haud procul ab Oppido Reine hoc anno exorsi sunt. Vetus eo loco ædes sacra à Sifrido, decimo tertio post S. Ludgerum Episcopo, consecrata D. Gertrudi erat, multis exinde cœlestibus beneficiis & miraculis hominumque affluxu celebris; quam Rector ejus Sacelli & Sacerdos Ludolphus Fabri Crucigeris ultro obtulit. Ac postquam ex Episcopi & Capituli consensu ab Eugenio Pontifice superiori anno publicæ auctoritatis literæ impetratæ ædem sacram convertendi in Cœnobium, evocatus Colonia hoc anno Joannes Terborchius prima fundamenta jecit. Patria is erat Nottelensis, in diœcesi Monasterienſi natus eodemque in loco Sacerdos; qui deinde sanctioris vitæ ardore incensus, & Coloniæ in familiam Crucigerorum admissus, multos annos Priorem sui Cœnobij egerat. Vir singulari modestia, suavitate agendi, paupertatis studio, omnibusque religiosi Sacerdotis ornamentis conspicuus, quem nemo facilè conspexit ad sæcularium mensas aut convivia invitatum accedere,

Chron. Bentlacense. Crucigeri in Diœcesin Monast. vocati cœnobium Bentlacense inchoant.

tam

tam suis quàm profanis sanctimoniæ exemplar: Ob hæc tot piorum hominum largitionibus accumulatus, auctusque etiam prædio adjacente, quod duobus millibus florenorum est emptum, brevi florentissimum istic religiosis viris & opibus Cœnobium cum magnifico templo consurgere vidit.

Annus Christi 1438.

Eugenij IV Pont. 8.
Alberti II Cæsar. 1.
Theodorici Administ. Pad. 23.

Trithem. in Chron. Spanh. Cuspinian. in Alberto Ursberg. Paralip. Langius in Chron. Naucler. Gener. 49. Fabritius.

Albertus II Rex primùm Hungariæ, tum Bohemiæ, denique Romanorum Imperator dicitur.

Insequens annus, qui Christi erat xxxviii ejus seculi, novum Imperatorem dedit; mors enim Sigismundi Cæsaris tria regna, Bohemiæ, Ungariæ & Romani Imperij vacua fecerat, magna Reipub. Christianæ conturbatione. At quia Sigismundus Albertum Austriæ Ducem generumque suum testamento Successorem scripserat, ex procerum etiam consensu, Albertus primùm ab Ungaris Calend. Januarij Rex salutatur. Plus laboris fuit in regno Bohemiæ adeundo, quòd Hussitæ perfida Sigismundi conjuge concitati, Casimirum Regis Bohemiæ fratrem Regem postulârant. Verùm postquam Bohemis Sigismundi tabulæ sunt propositæ, commonstratumque, Elizabethæ Sigismundi filiæ regnum illud hereditario jure deberi: accederentque pacta inter Bohemiæ Reges & Austriæ Principes, Imperiali auctoritate comprobata; assensêre proceres, & Albertum, cui Elizabetha denupta erat unica regnorum hæres, Regem suum dixêre. Supererat Romani Imperij corona Alberto, ut Sigismundo ex integro succederet in tria regna. Quam in rem cùm per Quadragesimam Imperij conventus indicerentur, convenêre Francofurti Septemviri, & una omnium consensione, nullo discrepante, xiii Calend. Aprilis Albertum Regem Romanorum delegêre, Principem sapientia, religione, bellica fortitudine, potentia, & omni virtutum laude inter Germaniæ Principes clarissimum. Ægre *prius* ferebant Ungari suum sibi regem abstrahi; quòd Regem mallent regno præsentem, qui Turcarum imminentium impetus sustineret. Victi tandem Germanorum precibus, adductaque majore Imperij totius ope adversus juratum Christianorum hostem, consensêre. Igitur Albertus hoc anno Calend. Januarij Ungariæ, & iii Calend. Junij Rex Bohemiæ coronatus, idemque post electionem Aquisgrani à Theodorico Colonienſi Archiepiscopo in magna Principum & procerum corona Rex Romanorum inunctus est; id licet cæteri Scriptores pretermiserint; tradit tamen Dubravius ac Crantzius, ac verisimiliùs Beckius, Morsæus, ac Gelenius, qui hoc anno Albertum Regem Coloniæ trium Regum corpora veneratum scribunt; quem & Eugenius Pontifex hoc anno confirmavit, ut satis compertum ex magnifica Pontificis epistola Ferrariæ ad Albertum Regem data, qua Principem summa

summæ sapientiæ & virtutis, egregiæque in Deum pietatis & religionis appellat: nihilque ab eo sollicitiùs requirit, quàm patrocinium Apostolicæ sedis, & defensionem Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos & Turcas.

Albertus Bohemos domat.

Et verò nihil quoque sollicitius habuit Albertus Rex. Nam ob id, Bohemiam hoc anno ingressus est cum exercitu xxx millium; castraque sequebantur Christophorus Dux Bavariæ, quem postea Dani Regem elegêre, Fridericus Dux Saxoniæ, Albertus Marchio Brandeburgensis, multique Germaniæ & Saxoniæ proceres; quorum viribus adjutus, Tasconem hæreticæ factionis caput ac cæteros rebelles Bohemos commissis præliis obtrivit, æmulumque regni Casimirum in turpem fugam conjecit.

Fabritius Spangeb. Chron. Saxon.

Indicit Comitia Principum Nurimbergæ.

Concilium Basileense ab Eugenio avocatur Ferrariam.

Compositis in Bohemia rebus, in Germaniam rediit, & Nurimbergæ Principum comitia indixit; ad quæ Pontifex mense Septembri suos etiam Legatos misit, qui Cæsarem & Principes Imperij ad pacem Ecclesiæ inducerent, Patresque concilij Basileensis cum Eugenio Pontifice & Apostolica sede componerent; quòd is jam, reclamantibus Basileensibus Patribus, Concilium Ferrariam avocârat. Quam ob rem Pontifex literas dedit ad Archiepiscopos, Duces, Landgravios, Marchiones & Comites Imperij. Verùm ea Comitia, quòd Norimberga longius posita esset, eòque Principes plerique detractarent accedere, non processerunt; obluctante cumprimis Theodorico Colonienſi Archiepiscopo, cujus per id tempus maxima auctoritas erat apud Cæsarem & Principes. Nec enim Eugenius Pontifex ullum sibi inter Germaniæ Archiepiscopos magis adversantem habuit, quàm Colonienſem Archiepiscopum, à quo multa etiam post, ut hactenus fecerat, turbata in Concilo Basileensi.

Annus Christi 1439.

Eugenij IV Pont. 9.
Alberti II. Cæsaris 2.
Theodorici Admin. Pad. 24.

Æneas Sylvius de gestis Concilii Basileensis Raynald. in hist. Eccles. Brouver. lib. 19. Annal. Trevir.

Comitia Nurimbergæ indicta transferuntur Moguntiam.

Cæterum cùm Norimbergæ languerent indicta comitia principum, Albertus Cæsar ea sequente anno Francofurtum tranſtulit, jussitque ad Calend. Martias adesse Principes; at cùm ille quoque locus metu pestiferæ contagionis non placeret, Moguntia procerum consensu delecta est: eòque præter Cardinales ab Eugenio missos, confluxêre ex tota prope Europa Episcopi & Principum Legati. Aderant ex ordine Septemvirorum tres Archiepiscopi, Theodoricus Colonienſis, Theodoricus Moguntinensis & Rabanus Trevirensis, interque exteros Archiepiscopus Turonensis. Accessêre Episcopi ex Gallia, Hispania & Italia, cum Aquileiensi Patriarcha, summa fere rei deliberandæ erat, concordia Ecclesiæ; quando satis intelligebat Pontifex, Patres Basileæ non tam in hæreses extinguendas, & disciplinam Ec-

cleſiæ reparandam, quàm in ſe deprimendum exuendumque pontificia dignitate intentos, omnia conſilia agitare. Hinc quantum Pontifex conniſus Baſileenſe concilium diſſipare, tantum Baſileenſes obnixi, ne loco moverentur. Jam verò ubi Moguntiæ ventum ad diſceptationem, Theodoricus Agrippinenſis Archiepiſcopus (ut qui potentia, generis claritudine & auctoritate facile inter omnes eminebat) prolocutus, pro Patribus Baſileæ retinendis, & decretis Baſileenſis Concilij recipiendis ſententiam dixit; quem Theodoricus Moguntinus & Rabanus Trevirenſis Archiepiſcopi ſequuti. Quanquam Rabanum id gravato feciſſe excuſet Browerus; ne ſchismatis labem illi cum cæteris aſpergeret; quòd animo magis in partes Eugenij inclinare viſus ſit.

Theodoricus Archiep. Colon. agit pro Concilio Baſileæ retinendo, & recipiendis hujus concilij decretis.

Interim cum aliis Moguntiam acceſſit Nicolaus Cuſanus; qui, ſicuti antea Concilio Baſileenſi obtulerat tres libros de concordia Eccleſiæ, magna à ſe cura raráque ingenij laude elaboratos; ita pro Eugenij Pontificis auctoritate in hoc conventu Epiſcoporum & Principum libere & acerrimè peroravit; eò ab Ænea Sylvio Hercules Oratorum appellatus. Juvat in hanc rem verba ejus proferre. *Hercules omnium Eugeniarum partium Nicolaus Cuſanus exiſtimatus eſt, homo et priſcarum literarum eruditiſſimus, et multarum rerum uſu perdoctus: hic omne ſtudium ſuum omnemque conatum in defenſione Eugenii collocavit.* Natus is erat Cuſæ, in obſcuro ad ripas Moſellæ prope Berncaſtellum pago, & ob præſtantiam ingenij Confluentiæ in Collegium Canonicorum adſcriptus. Linguam Hebraicam, Græcam, latinam, omnesque ſcientiarum artes complexus, eò æſtimationis devenerat, ut ob doctrinæ præſtantiam Collegii illius Decanus eligeretur. Inde cùm famâ integerrimæ vitæ ſcriptiſq; inclareſceret, Romam evocatus, publicis Eccleſiæ negotiis admotus eſt; quem demum ex paupere alumno ſuo vidit Confluentia Brixinenſem Epiſcopum, & Cardinalem Romanæ Eccleſiæ. Id hoc loco paucis adnotare viſum de celebri viro, quem Legati Apoſtolici munus per Germaniam & Saxoniam noſtram poſt multò clariorem fecit.

Contrà partes Eugenij Pont. tuetur Nicolaus Cuſanus Cardin.

At quantum ille in præſenti cæterique Pontificis Legati, & cum his integriores viri pro Eugenio contenderent; nihil tamen in hoc Moguntino conventu impetrare licuit: mansêre pertinaces Septemviri; recepta ſunt decreta Concilij Baſileenſis & Germanis imperata: ſtatutum retinere Patres Baſileæ in ſynodo; neque vetitum illis, quominus in jus vocarent ipſum Pontificem.

Nihil efficiunt Legati Pontificis.

Multò per hæc furioſius actum Baſileæ in Concilio à factiosis Patribus; quorum Dux Arelatenſis Archiepiſcopus Cardinalis, inductus à Nicolao Pſeudo-Dominicano, traxit, in partes minoris ordinis Sacerdotes & Doctores, præſulesque ſcientia inflatos. Ab his renovatum prius decretum, turbamentum videlicet Eccleſiæ, Concilium eſſe ſupra Pontificem, cui ſuprema in omnes à Deo poteſtas ſit data. Hinc illi Eugenium Pontificem pronunciare hæreticum, & in

Baſileæ congregati dogmata ſua propugnant, & Eugenio Pont. exauthorato ſubſtituunt

hæreſin

hæreſin prolapſum: vocare in judicium ſuum Baſileam, & cum ſe non ſiſteret, exauctorare, & in ejus locum Amadæum Ducem Sabaudiæ (quantumvis pars ſanior patrum reclamaret) renunciavêre pontificem Felicem V dictum; qui principatu in filios transmiſſo, in amœnam Eremum ſeceſſerat, ſumptoq; Eremitæ habitu, octo iſtic annos privatim egerat; titulo tamen Ducis ac viginti famulis ad obſequium retentis. At nihil fœdius eo in Concilio actum, quàm Eugenium pontificem, de quo orbi chriſtiano nunquam dubium fuerat eſſe verum pontificem, dignitate movere, & in locum ejus pſeudo pontificem obtrudere. Inde turpiſſimum illud & pernitioſiſſimum ſchiſma, in quo alij Eugenio, alij Felici V. alij medij inter illos, neutri hærebant. Quæſtusque magnopere Eugenius pontifex, ſe ab Alberto Romanorum Rege deſeri; quòd & is neutri parti ſe favere promulgârat. Amadœum, Felicem V nuncupatum.

Magnum interea pondus adjecit Schiſmati Moguntinus, de quo retulimus, conventus, approbando omnia Concilii Baſileenſis decreta; inter quæ cùm pernicioſiſſimum eſſet, Concilium eſſe ſupra pontificem, hinc à Germanorum ſententia multum confirmati Schiſmatici. Nec pontifex ullos ſibi meditatæ concordiæ magis noxios habuit; quàm Ludovicum Arelatenſem Epiſcopum in Concilio, & Theodoricum Archiepiſcopum Colonienſem in Germania.

Trithem. de viris illuſtribus Pantal. de viris illuſtr. Eiſengr. lib. de Script. orth. Bibliot. Pontif. Ludov. à S. Carol. Bibliot. Script. Ordin. Ciſterc.

Ego tametſi nullum Saxoniæ Germaniæque Epiſcopum ſiſtere poſſim, qui Baſileæ ſe præſens huic peſtilenti factioni in exauctorando Eugenio miſcuerit; reperio tamen ex Weſtfalis Cœnobij Campi-Matiæ in diœceſi Monaſterienſi Monachum, virum, ut Trithemius ſcribit, ingenio ſubtilem, & clarum eloquio, ſacrarumque literarum peritiſſimum, qui pro defenſione Baſileenſis Concilii multum laboravit, ſcriptis in hanc rem libris; quorum unus eſt de auctoritate pontificis & Concilij, & voce definitiva Epiſcoporum; alter de ipſo Shiſmate: tertius de iis, qui neutri parti accedunt in ſchiſmate. Alia præterea ejuſmodi ingenij monumenta ab illo edita, ut, tum quilibet ſapere, & laboranti Eccleſiæ, opem ferre voluit, noxiam ſæpe magis, quàm utilem: vixit autem is ſcriptor hoc ipſo anno quo ſchiſma fervere cœpit; hinc & anno proximo ob doctrinæ famam Baſileam ad Concilium evocatus. Celebre tum Cœnobium illud Ciſtercienſe erat doctis viris; quos inter ipſe Abbas memoratur laurea Doctorum exornatus. Clarus quoque per id tempus Henricus Werlenſis, gente Weſtfalus, profeſſione D. Franciſci Monachus, ac provincialis Ordinis ſui præſes, qui Trithemij teſtimonio, refertur Doctor Gymnaſij Agrippinenſis, diſputator acutus, & divini verbi præco egregius; qui ob ſcientiæ præſtantiam ad Concilium quoque Baſileenſe evocatus; ut eò tanquam ad nundinas ſuas convolarint Theologi, poſtquam decreta Concilij Baſileenſis ab Academia Pariſienſi, Colonienſi, Viennenſi, Erfurtenſi, & Cracovienſi comprobata fuêre. Concilium Baſileenſe ſcriptis libris defenditur à Monacho Marienfeldenſi. Floret hoc tempore Henricus Werlenſis Weſtfalus.

Concilium Florentinum, in quo Græci cum Latinis conciliati.

Simul per id tempus Eugenius pontifex legitimum ex tota Ecclesia convocatis præsulibus Florentinum Concilium habuit; ad quod Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator cum Josepho patriarcha, & lectissimis suæ gentis Episcopis, doctisque viris accessit, invitatus à Nicolao Cusano, quem ob id Pontifex Græcæ linguæ peritum miserat Constantinopolim. Concilio præsedit ipse pontifex, in eòque Græci & Armeni in concordiam cum Latina Ecclesia convenêre. Res admiratione digna, dum Basileæ in Germania Ecclesia Schismate laceratur, Florentiæ in Italia Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ conjunctio instauratur; prorsus, ut Spiritus ille divinus, quo Concilia reguntur, à Schismaticis ad veri pontificis Concilium demigrasse videri possit: nec inani vulgi rumore jactatum sit, Basileam, obtruso felice Pseudopontifice suo, infelicem basiliscum peperisse; & Eugenius, frustra Schismaticis oblucantibus, verus ad obitum Pontifex permanserit.

Nauclerus Cuspiniam. Albertus Imp. in Hungariam contra Turcas movet.

Hæc inter Albertus Romanorum Rex, post exsolutum votum à Cella Virginis regressus Viennam, à Regina & Ungariæ regni proceribus literas accipit, quibus sollicitatur, in Ungariam festinet, nisi regnum in manus Turcarum venire velit; quòd jam Amurathes Turcarum Imperator Serviam intrasset, expugnataque ad Danubij ripam Sinderovia, Belgrado immineret. Igitur Albertus Rex, contracto exercitu, cum falcatis curribus, omnibusque bellicis machinis ac tormentis in Ungariam properat. At cum Sindronium pervenisset, Turcam seu fama adventus Regis, seu præsenti expeditione fatigatum recessisse didicit. Quare Rex dissoluto exercitu Budam rediit. Ibi dum per calores Augusti versatur, ex immodico peponum esu in profluvium ventris solvitur. Prætergressus interim Strigonium, cùm morbum invalescere sentiret, pro christiano ritu omnibus Ecclesiæ Sacramentis sibi provideri voluit. Quibus præmunitus, haud procul villa Longa, edito testamento, sexto Calendas Novembris anno ætatis trigesimo nono mortalitatem implevit, postquam annum unum & menses novem imperasset. Nonfacile Cæsar, qui aut majori spe ad Imperium venerat, aut majori etiam luctu in flore ætatis amissus fuerit.

Obitus Alberti Imp.

Baptista Egnat. Trithem. in Chron. Chron. M. Belgij Lang. in Chron. Citiz.

Annus Christi 1440.

Eugenij IV Pont. 10.
Friderici III. al. IV. Imp. 1.
Theodorici Adminis. Pad. 25.

Naucler. Generat. 49. Æneas Sylvius Trithem. in Chron. Spanh.

Posteaquam morte Alberti Cæsaris tria rursum regna vacua fuere, primi inter Principes Septemviri solliciti concordesque sub initium anni hujus sequentis Romanorum Regem subrogârunt. Indicto in hanc rem Francofurti comitia; in quibus, ut Cuspinianus inquit, sub initium Januarij; aut ut Nauclerus 3. Calend. Aprilis; aut quod alij

alij verisimilius referunt, secundo Februarij, die Virgini Purificatæ sacro, delectus est Fridericus Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comes Tirolis, Ernesti Ducis Austriæ filius, & Alberti Cæsaris patruelis, juvenisque XXVI annorum, Romanorum Rex appellatus. Multum discordantes sub initium Principum erant voluntates, distrahente comitia Joanne Gertio Westfalo, ex Gartiorum apud Mindenses familia, Sigismundi quondam Protonotario, viro solertis & callidi ingenij, à quo multa conficta in Fridericum vitia disseminabantur. Nec his acquievit Gertius; sed & scriptis etiam post ad Nicolaum pontificem literis tentavit Romæ impedire coronationem Friderici Cæsaris. Quæ etsi Fridericum non laterent; hominemque prædivitem multis suppliciis punire posset; passus tamen est Viennæ inultum vivere. Et quantum etiam in his comitiis Gertius verteret principum animos; vicit tamen eorum sententia, qui Fridericum Imperio Romano dignissimum judicabant. Quippe princeps erat pietate & religione egregius; qui jam vigesimo ætatis anno, frustra aliis obnitentibus, per mare in Palæstinam provectus loca sacra inviserat, judicio supra ætatem maturus, pacis juxta ac Cleri amans, æquus, benignus, vini cibique continentissimus, procero ac pulchro corporis habitu, omnibusque virtutum ornamentis ad Imperium natus.

Cuspinianus in Frider. Lang. in Chron. Citiz. Crantz. lib. 11. Saxon. c. 30. Ursberg. Paralipp. Chron. M. Belgij.

Fridericus Dux Austriæ &c. Rex Romanorum Alberto succedit.

Facta electione missus est nomine Collegij Electorum Jacobus Trevirensis Archiepiscopus Viennam ad Fridericum, qui summum illi honorem deferret, invitaretque ad regnum Romani Imperij capessendum: admisit quidem Fridericus dignitatem; sed in præsenti adduci non potuit, ut secum Aquisgranum descenderet ad augustale diadema capiendum. Quare celebritas hæc in tertium ab hinc annum prolata est. Interim in hisce Francofurtensibus Comitiis, sicuti supra in Moguntinis factum diximus, Principes decrevêre, neque ad Eugenij, neque ad Felicis pontificis partes accedere, sed medios partiumque intactos manere; quod decretum XVI mensis Martij vulgatum. Ac magis pro capite Imperij ac Ecclesiæ solliciti, novum acephalorum Schisma conflavêre, qui nec verum pontificem, nec Pseudopontificem colerent. Huic politico decreto principum sese ad tempus conformavit Fridericus Rex; donec proximis comitiis, quæ Moguntiæ in sequentem annum indixit, ex principum voluntate certius de concordia Ecclesiæ sanciretur; ad quæ & Carolum Francorum Regem scriptis literis invitavit.

Fridericus Rex Romanorum Alberto succedit. Friderici electionem disturbare conatur Joannes Gertius Westfalus.

Cochlæus in histor. Hussit. lib. 9. Raynald. in histor. Eccles.

Schisma Principum Imperij nec verum nec pseudopontificem recipientium.

Auctor hujus politici Concilij, ne desertis Schismaticorum partibus ad Eugenium pontificem accederent, Theodoricus Colonensis Archiepiscopus, qui pertinaci aversoque in Eugenium animo Moguntinum ceterosque Germaniæ præsules in suam sententiam detraxit. Quem adeo quoque publicis hisce rebus turbisque involutum accepimus, ut nihil ab eo hactenus per nostram diœcesin, neque in sa-

Auctor præceptus Schismatis Theodoricus Archiep. Colon.

in ſacris neque civilibus, actum reperiam, præterquam quòd hoc anno caſtrum Cogenlenbergam à Ludovico Haſſiæ Landgravio 326 florenis Rhenanis redemerit, ac diœceſi Paderbornenſi reddiderit, relicto interim jure Corbeienſibus ſuam caſtri partem repetendi.

Ars Typographica hoc tempore vel reperta, vel expolita.

Referunt ad hæc tempora plerique Scriptores Typographiæ artem magno mortalium bono repertam, auctore Joanne ab Gutenbergio Argentinenſi artifice, qui eam Moguntiæ, Theodorico Archiepiſcopo ac Metropolitano noſtro, magnis ſuis ſumptibus expolivit. Nam ante Gutenbergium Fauſtus civis Moguntinus, opificio aurifaber, & Joannes Schefferus patria Geresheimenſis, Fauſti diſcipulus, rudi opere primi repertores protulerant in lucem; doctus, ab his Gutenbergius, cùm vicinus habitaret Fauſto, hauſit, ſumptibus ſimul, quòd locupletior eſſet, ſuppeditatis; poſt orta diſcordia inter Fauſtum & Gutenbergium, Fauſtus Moguntiæ manſit, Gutenbergius vero Argentinam ad natale ſolum diſceſſit. Artem exinde Joannes Mentelius multum perfecit; quæ Argentina traducta Neapolim in Italiam à Sixto Ruſingero Argentinenſi, ac Romam ab Udalrico Hanio Germano. Hujus poſtremi nomine, cùm Gallum ſonet Germanis, nonnulli in errorem abducti repertorem hujus artis ex Gallia traducere conati ſunt. Moguntia deinde tanquam è ſuo fonte non modò per Italiam, ſed & per univerſam Europam brevi ars illa diffundi cœpit; primisque ſtatim annis per Belgium, Saxoniam, & Weſtfaliam propagata inclaruit; ſicuti hæc inter cæteros exacte à Serrario, & Mallingrotio pertractata ſunt.

Serrar. lib. 1. Moguntinarum c. 37. Mallingrat. lib. de arte Typograph.

ANNA

IHS

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XVII.

THEODORICUS MORSANUS

Archiepiscopus Colonienſis

Et

Paderbornenſis Eccleſiæ Adminiſtrator Epiſcopus

XXXVI.

Bellum

Bellum Susatense & Monasterienſe,

ac cæteræ à Theodorico Archiepiſcopo res geſtæ per Weſtfaliam.

Annus Chriſti 1441.

Eugenij IV Pont. 11.
Friderici IV Cæſaris 2.
Theodorici Adminiſt. Pad 26.

Æneas Sylvius Cochlæus Spondanus Nauclerus. Comitiis Moguntiæ finitis, Cæſar in Auſtriam regreditur, Ungariam Bohemiamque pacaturus.

CÆſar ſub initium anni hujus conſequentis Comitia, quæ Moguntiæ indixerat, magna Principum frequentia celebravit. Acceſſêre quoq; Moguntiam Eugenij Pontificis & Concilij Baſileenſis Oratores; quisque Cæſarem & Principes ad ſuas partes trahere conniſus. Verùm à Principibus ſuperioris anni decretum eſt repetitum: medios videlicet partium Cæſarem & Principes manſuros, donec aliud in ſynodo generali extra Florentinum conſtitueretur; id quod Theodorici Colonienſis Archiepiſcopi auctoritate & pertinacia in Pontificem actum eſt. Cæſar poſt illa in Auſtriam regreſſus, ad turbatas res Bohemiæ & Ungariæ moderandas. Ungari enim ab exceſſu Alberti Regis ſui Uladislaum Poloniæ Regem elegêre, non exſpectato poſthumo Alberti Regis filio Uladislao; quem tamen mox alij Ungarorum, poſtquam in lucem editus fuit, expetiêre. In Bohemia ſimili modo pugnatum. Nam cùm *alij* Uladislaum poſthumum hæredem regni dicerent; aliis immatura pueri ætas diſplicebat; eòque Alberto Bavariæ Duci regnum detulêre. quod cùm ille aſpernaretur, nec heredi filio, monitus à Friderico Rege, præripere vellet; alij ipſi Friderico *Romanorum* Regi obtulêre. Sed cùm & ille ſe tutorem Regis filij diceret, quem nefas eſſet paterno regno ſpoliare; Bohemi ſubinde multum inter ſe diſcordantes in factiones abiêre: ac prævalentibus demum hæreticis, Georgium * Podiebratium, hæreticum hominem, regni gubernatorem dixêre; qui ſe poſtea Regem tulit, creditusq; fuit Uladislaum adoleſcentem veneno ſuſtuliſſe. His regni utriuſq; curis Fridericus Romanorum Rex annum hunc conſumpſit.

* *al. Pogebracius.*

Ertwinus in Chron. Oſnabrug. Diſcordia inter Canonicos Oſnabrugenſes.

Cæteris ferè provinciis circumquieſcentibus, haud leviter conturbata Weſtfalia, ex fœdo Oſnabrugenſium diſſidio. Suſcepta jam ab aliquot annis ſimultas erat inter Hugonem Schagenium Decanum, & Joannem Warendorpium ſeniorem ejus Collegij, ac Præpoſitum ad S. Joannem, quæ clam etiam in factiones Canonicorum abierat. Incendit hos Decanus, homo elati & inquieti ingenij, raptis nonnullis

nonnullis è Clero in carceres, ſpecie quidem violatæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, re autem, ut ferebatur, odio Warendorpium opprimeret, traxit in partes ſuas è Cathedralibus Canonicis Gisbertum de Wulffſtein Scholaſticum, Nicolaum Bockrodium Theſaurarium, Joannem Brinckium, Hermannum Munſterum, Egbertum de Herberen, Joannem Kerſenbrochium juniorem, & Hardewicum Weddeſche Mellenſem Archidiaconum. At long è major potiorque pars ſe Warendorpio adjungebat, offenſa Decani inſolentia: Joannes Voſſius Archidiaconus Merſenſis, Joannes Meppenſis Cantor, Joannes Kerſenbrochius Senior, Everhardus de Dickle, Conradus Bremenſis Magiſter, Gerhardus Leidenſis Præpoſitus Brameſchenſis, Gerhardus Scluter legum doctor Decanus Bremenſis, Everhardus * Lackeren doctor ſacrorum Canonum Decanus Daventrienſis, Archidiaconus Friſiæ & Embslandiæ; quibus in acie ſummum poſtea momentum acceſſit urbs Oſnabrugenſis. Tanto igitur partium ſtudio confiſus Warendorpius, homo ſeveræ mentis publicum in urbe tribunal erigit; poſtulatusque in judicium Decanus. Accuſabatur rapuiſſe theſaurum Eccleſiæ, decoxiſſe patrimonium ſacrum, abalienaſſe bona Epiſcopi & Capituli, & quæ hujuſmodi erant crimina; ob quæ, cùm juſſus adeſſe non compareret, damnatur reus, ſuſpenditur à divinis, & Eccleſiæ ingreſſu prohibetur. His ut ſe expediret Decanus, appellavit ad Concilium Baſileenſe; à quo poſtquam faventes cauſæ literas acceperat, contempſit ea, quæ adverſus ſe prolata erant; feſtoq; ſacrorum cinerum die, cinctus magno Canonicorum comitatu, Baſilicam intrat. Warendorpius ea ſuper re certior factus, chorum milite implet, venientemque Decanum vi aggreditur, & è choro proturbat. Oritur cruenta & fœdi exempli pugna inter ipſa templi penetralia; captoq; Decano, cæteri territi in fugam ſe vertunt; quorum alij etiam, ut vitæ conſulerent, ſe per feneſtras Eccleſiæ præcipites dedêre. Decanus in *tetrum* & longum carcerem abripitur. Quæ poſtquam ad Theodoricum Colonienſem Archiepiſcopum Metropolitanum eorum relata fuêre, ob ſacrilegum facinus, Canonicis uſum ſacrorum interdicit; ſtetitque diu Eccleſia ſacris ſuis orba.

* *al. Lockeren.*

Erumpit in cruentam pugnam.

Spectabat hæc Ericus Epiſcopus, & cùm muneris ipſius eſſet partes componere, ſinebat collidi; donec ad ſe Canonici profugi ex urbe venirent, & Decani partibus ſe adjungerent. Quo exacerbatus Warendorpius cum ſuis, iram convertit in Epiſcopum, juſſitque prædia Eccleſiæ reddere, quæ turpi pactione, ut eligeretur, dederat Capitulo. Ille contrà citare Warendorpium cum ſuis Jburgum ad dicendam cauſam. Recuſat id Warendorpius; nec ſibi integrum ait eſſe, ibi cauſam dicere, ubi omnia in gratiam Decani compoſita ſint. Novum inde diſſidium inter Epiſcopum & Canonicos, quod mox in mutua ſpolia prædiorum bonorumque erupit. Nec civium pecoribus parcitum, quæ ab Epiſcopi miniſtris, quòd in factione Warendorpij

Ipſum etiam Epiſcopum Ericum involvit.

Episcopi frater Joannes Hojan9, diœcesin infestat.

rendorpij essent, Jburgum abducta. Auctor incentorque huius prædatorii belli Joannes Hojanus Comes, frater Erici Episcopi, cui ille omnem Diœcesis gubernationem in manus dederat, homo turbidi & præferocis ingenij, hic omnia pacis consilia turbare; Nobiles, Ministeriales, ac milites provinciales evocare Jburgum ad spolia civium Osnabrugensium: adjungere sibi in societatem belli Albertum Mindensem Episcopum, utriusque fratrem: fœdere præterea attrahere Duces Brunswicenses, Wilhelmum & Fridericum; quorum promissis auxiliis grandia sperare ausus Joannes Comes, & bellum urbi Osnabrugensi indicere. At nec Osnabrugenses ad hæc interriti cives armant, opem vicinarum civitatum implorant, militem exterum per diœcesin Monasterienſem & Marchiam conscribunt; quibus ultro accessêre Mauritius Comes Spegelbergius, Fridericus de Hörde compluresque è nobilitate viri, bellandi cupiditate incensi. Increvêre urbis Osnabrugensis & Warendorpii vires (quibus una adversus Ericum Episcopum conspiratio erat) accessione Conradi Diepholdij Comitis, summæ ædis Præpositi. Quàm dignitatem, cùm Diepholdius à sede Apostolica impetrasset, Ericus Episcopus Lubertum Westfalium obtrudere contendebat; eò Diepholdius hostis Erici Episcopi, Warendorpio & urbi se conjunxit, familiæ viribus præpollens. Atque his Osnabrugenses Canonici confirmati, Ericum Episcopum Jburgo Osnabrugum vocant ad dicendam causam; ac ne tergiversandi rationem obtendat, literas severitatis addunt. Sed his spretis, Joannes Comes, diœcesis gubernator, urbis vias & commeatum intercludere, armisque hostilibus Osnabrugenses divexare, prædas agere; quæ modò Jburgum, modò Wittlagium, modò Furstenavium ad munitiora diœcesis castra trahebantur, ingemiscente ipso Erico Episcopo; qui auditus aliquando cum lacrymis dicere: Qua ego fiducia ad Dei tribunal accedam, qui gregem populi mei ita tractari affligiq; patior? vir cetera bonus, sed ad regendum minus idoneus, qui omne imperium Joanni fratri, homini turbulento & arroganti permiserat. Uti hoc consequi solet, quando Episcopi consanguineis frenum regendi laxiùs permittunt, quàm ipsi repetere possunt. Sed his exacerbati Osnabrugenses, Furstenaviæ castrum & Oppidum, in quo ipse tum Hojanus Diœcesis turbamentum commorari compertus erat, educto ex urbe milite aggrediuntur, & expugnant. Comes Hojanus cùm ex conscientia malefactorum vitæ suæ timeret, in ædes Parochi se abdidit aliquamdiu, multumque conquisitus venit in manus Osnabrugensium; à quibus Osnabrugum captivus abducitur, & in arctum carcerem turris, in quem olim Simon Comes Lippiensium conjectus erat, detruditur: loco tam angusto, ut in pedes se erigere non posset. Hæsit in eo conclusus per sex annos, non alio situ corporis, quàm cubando & sedendo. Servat hodiedum turris ab ariete nomen.

Capitur ab Osnabrugensibus, & turri includitur.

Exauctoratur Erici.

Intervenit hisce turbis postremùm Theodoricus Coloniensis Archie-

Archiepiscopus, Metropolitanus eorum, postulatus arbiter; auditisq; coram singulorum querelis, urbem & Canonicos inter se composuit. Et quia Ericus Episcopus, à quo regendi prudentiam requirebant, ante alios accusabatur; Colonienſis Archiepiscopus suasit Canonicis, fratrem suum Henricum Monasterienſem Episcopum in locum Erici deligerent Administratorem suum; multaque pollicitus, facilè omnes in hanc sententiam adduxit. Exauctorato igitur Hojano, Henricus Morsanus sublectus est. Quam in rem scriptum mox ad Basileenſis Concilij Patres; apud quos cùm magna gratia valeret Archiepiscopus, tam id facilè à Concilio, quàm à Canonicis impetravit. Quo comperto, Ericus Coloniam ad Præpositi munus, ex quo postulatus erat Episcopus, rediit, privatamque felicius, quàm publicam vitam egit. Multum posthæc laboravit Ericus pro fratre redimendo. At cùm neuter lytro solvendo par esset, ad Fridericum Cæsarem profectus, ex itinere à Comitibus de Hoynstein intercipitur, captivusque in castrum Laer abripitur, non prius è carcere liberatus, quàm mille & quingentos florenos dependeret. Non destitêre interim consanguinei Hojani causam utriusque captivi agere apud Fridericum Cæsarem; quam & ille eò sollicitiùs suscepit, quòd ex eadem Brunswicenſi familia cum Hojanis consanguinitatem traheret. Quo comperto, Osnabrugenſes ad Concilium Basileenſe appellavêre; nec Cæsaris auctoritas valuit in Hojano relaxando. Ea nimirum tum unius urbis Osnabrugenſis insolentia erat, quæ contempto etiam Cæsaris mandato, Hojanum ad sex annos in vinculis retinuit. At vix dum è diœcesi Osnabrugenſi emigrârat Ericus, cùm ab Ordinibus evocatur Henric⁹ Monasterienſis Episcopus; qui & nono Julij hoc anno magno omniũ Principum plausu, Principi chori aræ impositus, admissusq; in possessionem, Osnabrugenſis Ecclesiæ gubernationem adijt. Ita verò Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, postquam *iisdem* prope artibus Ericum ab Osnabrugenſi, quibus Wilhelmum antistitem nostrum à Paderbornenſi Episcopatu dimoverat, regiam quandam potentiam per Westfaliam complexus est; quippe qui præter Colonienſem Archiepiscopatum, Ducatum Westfaliæ, & Paderbornenſem diœcesin, viribus Henrici fratris, sibi Monasterienſem & Osnabrugenſem Episcopatum conjunxerat. Profuitque hæc potentia primùm Osnabrugenſi diœcesi, quam Henricus Administrator, expugnato castro Gronenberg & Hunteborch in integrum restituit, impositisq; præsidiis Albertum Hojanum Osnabrugenſibus hactenus infestum tandem repressit. Fecitq; deinde horum fratrum auctoritas & quatuor Principatum conjunctio, nequis etiam vicinorum Comitum aut Principum Paderbornenſem Episcopatum infestis armis ingredi tentaret. Confirmato in hunc modũ dominatu per Westfaliam, Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus majora ausus, bellum Susatenſe, tot scriptoribus celebre, & tot Westfaliæ cladibus funestum, est aggressus.

cus, & eligitur Henricus Morsanus Episc. Osnabr.

Incarceratur & ipse Ericus à Comitibus de Hoynstein.

Wittius de bello Susa. Trithem. in Chron. Spanhei. Chron. Tremon. Chron. Colon. Chron. Monast. Gelen. l. 2. c. 2. In vita S. Engelb. Piderit. in chron. Lippiens.

Theodoricus bellum Susatense inchoat: ejus belli causa.

aggressus. Causa belli, ut supra diximus, indictum tributum; cui se ante omnes opposuêre Susatenses, obtendendo libertatem & privilegia; quòd urbem suam dicerent antiquissimam Westfaliæ & Angariæ Metropolim, quæ ab omnibus tributis & Archiepiscoporum Colonienſium oneribus immunis esset. Quam libertatem ut tuerentur adversus Archiepiscopum, fœdus inière non modò cum cæteris Ducatûs Westfaliæ Oppidis, sed & cum vicinis Westfaliæ urbibus; quarum tum magna potentia erat, eademque causa libertatis agitari persuadebatur. Quæ res cùm ad apertam rebellionem vergeret, indicta sunt anno 1438 publica ab Archiepiscopo comitia ordinum totius Ducatûs Westfaliæ, in iisque lis omnis in hunc modum composita: uti Archiepiscopus eam libertatem nobilitati & Oppidis relinqueret, quam inauguratus jurârat; vicissim populus Principem suum in omnibus recognosceret. Postulatum deinde ab Archiepiscopo, ut nobilitas & Oppida repeterent sigilla à Susatensibus, quibus fœdus sanxerant. Pronus adhæc equestris ordo & Oppida Ducatûs Westfaliæ; primique, qui fœderibus renunciavêre, Rudenses fuerunt, quos cæteri deinde consecuti sunt. Soli ex his pertinaces obstitêre Susatenses, qui neq; ad tributi pensitationem, neque ad ullam submissionem sese ab Archiepiscopo flecti patiebantur. Questus hac super re Archiepiscopus cum ordinibus, Oppida & equestres viros concitavit adversus Susatenses; & quàm hi indigne tulêre unicam urbem se ab imperio Archiepiscopi & communi onere exemptam velle, tam proni conspiravêre cum Archiepiscopo. Ac priusquam ad arma res procederet, primùm monitis salutaribus tentati sunt, permissumque, ut tributa ipsi in sua curia colligerent, ac tertiam ex his partem sibi retinerent. Id cùm recusarent cives, res minis agi cœpit; missusque Walramus Archiepiscopi frater cum Lothario Quadio & armata nobilitate, qui hostilia urbi Susatensi denunciaret. Sed & ad illa interriti Susatenses, responderunt, malle se extrema subire, quàm jacturam suæ libertatis facere. Quapropter Archiepiscopus hoc anno cum instructo exercitu Rhenum transgressus, Susatensi urbi sese circumfudit, agros & villas eorum depopulando. Cives ubi demessa segete per territorium suum omnia evastari, ac militi in spolia dari conspexêre; Consulem Rojum emittunt ad Archiepiscopum; qui cùm nihil præter inania verba deferret ex urbe, hæsit per æstatem Archiepiscopus circa urbem. Advenêre interim à Metropolitano Canonicorum Collegio missi, qui ad tractationem pacis rem deduxêre. Ea inde in urbe Colonienſi instituta est, sed tanta partium contumacia, ut nec Canonici cum Archiepiscopo, nec Susatenses quicquam de jure suo remitti vellent; ausi etiam Susatenses palam renunciare Metropolitano Collegio, nisi integram sibi libertatem relinquerent, fore ut brevi urbs à Diœcesi avulsa in alterius Domini potestatem veniret; jam enim cum Adolpho Duce Clivensi pacti, Tutorem eum delegerant, cui & se & urbem dedere machinabantur. Non

Non hæc latebant Archiepiscopum. Et ille, ne temere se præcipitaret in bellum, commissus cum insolenti urbe & potenti Cliviæ Duce, omnem controversiæ causam ad Fridericum Regem detulit, in cujus judicio lis accensa, per biennium exinde tanquam sub cineribus hæsit.

Annus Christi 1442.

Eugenij IV Pont. 12.
Friderici III. Cæsar. 3.
Theodorici Adminis. Pad. 27.

Anno tandem postero Fridericus Rex designatus ad coronam accipiendam, Rheni provincias peragravit; lustratisque Imperij urbibus, magno Principum & procerum comitatu, secundo Rheno Bonnam devectus, magnificentissimè à Theodorico Archiepiscopo excipitur. Ea ex urbe terrestri itinere Aquisgranum deducitur, confluente totius Rheni inferioris & Westfaliæ nobilitate. Accessit & Jacobus Trevirensis Archiepiscopus cum ingenti procerum turba. Aderat etiam Ludovicus S. Cæciliæ Cardinalis, à Concilio Basileensi missus Legatus; quem Leodiensis Episcopus ex urbe ejecit, quòd ob Schisma Concilij celebritati huic præsentem ferre nollet. Igitur dum extra muros urbis, Colonensis Archiepiscopi adventum præstolatur, turbas hasce composuit Colonensis, magnus Concilij patronus, eòq; Eugenio Pontifici hactenus invisus. Apparatis Aquisgrani omnibus ad coronationem Regis, Theodoricus Archiepiscopus solemne Missæ sacrificium exorsus, litatáque hostia sacra, in circumfusa fulgentissimorum Principum & procerum corona Fridericum diademate, sceptro, & regali purpura XVII Junij exornavit. Tertius hic, quem post Sigismundum & Albertum Theodoricus Romanorum Regem Aquisgrani inunxit.

Friderico Romanorum Rex à Theodorico Archiep. Colon. Aquisgrani coronatur. *Trithem. in Chron. Spanheim. Chron. M. Belgii. Chron. Colon. Brouver. l. 19. annal. Trevir. Cuspinian. in Frider.*

Peracta consecratione, Fridericus à Theodorico & Jacobo Trevirensi Archiepiscopis splendido cæterorum Episcoporum ac Principum comitatu Coloniam deductus, festoque D. Albani die magna gratulatione Agrippinensium civium est exceptus. Ea in urbe, postquam à Magistratu Sacramentum fidei acceptum, multa pro tranquillitate vicinarum provinciarum, cumprimisque Westfaliæ, ordinavit. Nec tamen à Susatensibus impetratum, ut in concordiam cum suo Archiepiscopo venirent, pertinaciam eorum inflammante Clivensium Duce, quocum rebellionem suam confirmare laborabant, & omni se Archiepiscopi ac Principis sui jurisdictione eximere. Agrippina Rex Francofortum ascendit, ad Principum, quæ indixerat comitia, quo & Nicolaus Panormitanus Abbas ac Cardinalis à Concilio Basileensi missus Legatus accessit. Eo in congressu Principum Jacobus Trevirensis Archiepiscopus, multiq; Germaniæ & Saxoniæ Præsules ac principes regalibus donati. Multa præterea à Rege de monetis,

netis, & priſcis Cæſarum legibus renovata præſcriptaque. Demum & Caroli IV diploma, quod auream bullam vocant, ad Imperij tranquillitatem inſtauratum eſt.

Comitia Francofurtenſia. acta in hoc concilio.

His magno Principum concordia tranſactis, Cæſar ſecundum Rheni Mœnique ripam Francofurtum aſcendit ad comitia, quæ Principum congreſſu celeberrima fuêre. In his publico decreto ſancitum, mediis inter Eugenium & Felicem partibus ſtandum; dum aliud in aliis comitiis ſtatueretur, animadvertendumque in eos, qui privata auctoritate bella gererent, aut rapinis graſſarentur. Delatæ præterea haud leves querelæ adverſus præſides judicesque occulti per Weſtfaliam judicij, quod per id tempus in multis adhuc veterem obtinuiſſe vigorem ſatis hæc acta comitiorum commonſtrant; ſancitumque Cæſaris & principum ſententia, procedendum in hoc judicio ſecundum Caroli M. Leges, ac ſecundum ea, quæ juſſu Sigismundi Imperatoris recens Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus præſcripſiſſet: deligendosque ad id eſſe viros probitate, prudentia, & legum peritia claros; non infames, perjuros, illegitimo toro natos, aut ſervitute obnoxios: ac nullum in id judicium vocandum, niſi qui manifeſti criminis compertus fuerit, aut aliter comprehendi non poſſit; ſecus ſi agerent. Vigraviatus dignitate officiisque exuendos eſſe.

Cæſar inde Argentoratum & Briſacum delatus, iter in Auſtriam repetiit. Conſilium optimo Cæſari erat, Italiam intrare, & pro majorum ritu auguſtale Imperii decus cum regio nomine conjungere; verùm ob Schiſma, quod inter Eugenium Pontificem & Felicem intervenerat coronationem illam differri conſultius habuit; quæ poſt à Nicolao V Pontifice, ut referemus, magna celebritate peracta eſt.

Chron. Marburg. MS. Diœceſis Paderbornenſis, per abſentiam Adminiſtratorjs ſui prædonum incurſionibus exponitur.

Illuſtria tum quidem egit Theodoricus Archiepiſcopus Adminiſtrator noſter; ſed ſua abſentiâ Paderbornenſem diœceſin vicinorum prædis expoſitam reliquit. Feſto enim Gorgonij Martyris Dux Grubenhagenſis, Comes Spiegelbergius, & Conradus de Alten eques cum trecentorum equitum globo irruptionem fecêre in Diœceſin; nihilque veriti Cæſaris & Principum ad Rhenum præſentiam, omne, quod ſe ad Borgentricam obtulit, pecus trans Viſurgim abduxêre. Quo comperto, Brakelenſes, Warburgenſes, Borgentricenſes, Peckelshemenſes, & ex vicinis Oppidis incolæ conglobati hoſtes inſequuntur. Junxêre ſe iis ex equeſtri nobilitate Henricus Spiegelius, Joannes Valckenbergius, Hartmannus de Judæis cum duobus filiis; tranſitoque Viſurgi, noctu Ducem cum prædonum turba in ſaltu Solingano obruunt. Captus Comes Sternebergius & cum eo magna nobilium Brunſwicenſium pars; quos Warburgum abductos ingenti lytro capita redimere juſſêre.

Warburgenſes Klenckium agros

Fœdam hanc ſuorum cladem ab Oppidanis Paderbornenſibus acceptam ulturus Wilhelmus Klenckius, Brunſwicenſis nobilis, cum agmine octingentorum equitum in diœceſin involat. Ea irruptio,

ptio, quia in civium Paderbornenſium agros parata erat, monitique ſuper hac eſſent cives, ex inſidiis excepêre Klenckium, & cum turpi clade rejecêre. Non his quievit Klenckius; alteram quadringentorum & quinquaginta equitum irruptionem facit in Warburgenſem agrum. Nec Segniores Warburgenſes homini occurrunt, cæduntq; Ex horum, uti & aliorum, quos in ſaltu Solingano vinctos tenebant, lytro in unum congeſto, Warburgenſes omnia urbis debita exſolverunt, & turrim, quàm Saxonicam dixêre, perpetuæ ignominiæ monumentum exſtruxêre. Ita ſtolida illa prædonum capita identidem retuſa. Quid non facturi Paderbornenſes, inter quos tot milites quot cives & Oppidani, ſi Principem ſuũ & belli Ducem præſto habuiſſent?

Annus Chriſti 1443.

Eugenij IV Pont. 13.
Friderici IV Cæſaris 4.
Theodorici Adminiſt. Pad 28.

Annus dehinc quadrageſimus tertius Germaniæ quietior ſucceſſit per Friderici Regis auſpicia; quo & alterna fortuna pugnatum adverſus Amurathem Turcarum Imperatorem; duo enim per id tempus fulmina belli Chriſtiani, Joannes Huniades ſupremus Hungariæ præfectus, & Schanderbegus Epirotarum Princeps, tot ſecundis prælijs & cladibus afflixêre Amurathem, ut pacem in decem annos paciſci neceſſe habuerit. Quam cùm poſtea improbaret Julianꝰ Cardinalis, perſuaderetque, Ladislao Poloniæ & Ungariæ Regi fidem Turcis ſine Pontificis auctoritate datam abrumpendam eſſe: reſumptis anno proximo armis, pugnatum ad Varnam: at ſanè infelici ſucceſſu; eo enim in prælio cùm Uladislaus ipſe Rex, tum Julianus Cardinalis repente occubuêre.

Bonfin. Æneas Sylvius in Europa Nauclerus. Chriſtiani fœdifragi à Turcis cæduntur.

Sollicitatum & hoc anno bellum Suſatenſe: quod tamen intra prava conſilia hærebat. Quippe Suſatenſes exacerbati in Colonienſem Archiepiſcopum non deſtitêre Adolphum Cliviæ Ducem & Marchiæ Comitem exorare, ut armatum urbis ſuæ patrocinium ſuſciperet. Quam in rem alios poſt alios misêre Legatos, qui provoluti etiam ad pedes Ducis, tandem ad arma flexêre; quòd jam ſenio gravis Joannem filium in ſubſidium hujus belli gerendi è Burgundia domum revocârat. Erat is juvenis xxv annorum, Mariâ Ducis Burgundiæ filiâ natus, eoque in aula Burgundica à primis annis educatus, & omnibus equeſtribus tyrociniis exercitus, Princeps bellicæ gloriæ cupidus, atque ipſa juventute animoſus. Hunc recenti connubio cum Navarri Regis filia conjunctum, nec minus conſanguineorum potentia, quam popularium ſtudio inflatum, Adolphus pater Theodorico Archiepiſcopo armorum ſuorum Ducem objecit; magnum etiam belli lucrum reportaturus, ſi Suſatum in meditullio Marchiæ, Angariæ, & Weſtfaliæ metropolim provinciis ſuis adjiceret, & Mörſanum, à quo hactenus tot bellis agitatus depreſſusque erat, aliquando ulciſci liceret.

Heymericus Decanus Sanctenſis lib. Sophio Logicis Teſchem. Suſatenſes Ducem Cliviæ ad ſuas partes trahunt.

Annus

Annus Christi 1442.

Eugenij IV Pont. 14.
Friderici III. Regis 5.
Theodorici Adminiſt. Pad. 29.

Danave de bello Suſat. Trithemius in chron. Wittius de bello Suſat. Frtvvin. in chron. Oſnabrug. Chron. Tremon. Chron. Colon. Pideritius in chron. Lippienſ. Gelen. lib. 2 c. 2. in vita Engelb. Stangefol. Teſchemach p. 2. Continuatio diſcordiæ & belli inter Archiepiſcopum, & Suſatum.

Anno dehinc proximo celeberrima comitia Norimbergæ à Cæſare habita. Ad quæ acceſſêre Theodoricus Moguntinus, Jacobus Trevirenſis, Saxo & Brandeburgicus Electores, cum magno Principum numero. Multa de tranquillitate Imperij, & pace Eccleſiæ, per Schiſma turbatæ, conſilia; ſed quæ, ut intra Germanos conſuevit, majori pompa quàm ſucceſſu rerum agitata. Colonienſis quo minus accederet, impediit bellum Suſatenſe, eaque flamma hoc anno erupit. Omnia prius tentabat Archiepiſcopus, quo, aut cives ad obſequium, aut ſi minus, ad æquas pacis conditiones componeret. Appellatum jam erat ad Fridericum Regem. Is verò quia Ducem Lawenburgicum arbitrum conſtituerat, convenêre ad Albim partium legati; ſed quæ Suſatenſium erat pertinacia, nihil iſtic confectum eſt; quòd Suſatenſes ad Eugenium Pontificem, quem Archiepiſcopo adverſantem ſciebant, appellarent. Contrà Archiepiſcopus rem prius in Imperio decidi urgebat; idque tanto æquius poſcebat, quòd Suſatenſes ſe ob omni jurisdictione Archiepiſcopi liberos proclamarent, qui uni Cæſari tantum parerent. At quàm iniquam hîc cauſam agerent Suſatenſes, ſatis conſtabat, quòd Suſatum eſſet patrimonium Eccleſiæ Colonienſis, à Dagoberto Francorum Rege antiquitus Cuniberto Archiepiſcopo datum, ac deinde cum Ducatu Weſtfaliæ, Friderici I Imperatoris dono & poteſtate, ceſsiſſet Colonienſi Archiepiſcopo. Igitur ad vetera Eccleſiæ ſuæ jura defendenda Ordines Hoveſtadium convocat; quò & frater Henricus Monaſterienſis Epiſcopus, & Comes Teclenburgicus cum Ritbergenſi Comite acceſsêre. Ibi in publico ordinum congreſſu decretum, teneri Suſatenſes ad decimum nummum ſuo Principi pendendum, haud ſecus quàm cæteræ urbium ducatûs Weſtfaliæ obſequia; id ſi recuſarent, nec Magiſtratum, nec civile judicium deinceps habituros: ac dignos eſſe, in quos Archiepiſcopus pœnis animadverteret. Quæ poſtquam Suſatenſibus perſcripta, & in ſenatu perlecta fuêre, incredibile, quæ populi concitatio conſecuta ſit: tum illi palam tumultuari; vulgare paſsim literas ad vicinas civitates, quibus de oppreſſa libertate, & Archiepiſcopi injuriis quærebantur: mittere Legatos ad Ducem Clivenſem, qui auxilia ſollicitarent, & Ducis filium invitarent in urbem, cui fidem juraret. Quibus cognitis, mittit Archiepiſcopus Walramum fratrem ad Clivenſem, hortando, rogandoque ne ſe rebellium ſuorum armis miſcere velit. Simul miſsi Legati in urbem, qui ex æquo bonoque tractarent. Oblati etiam duo ex equeſtri ordine, totidemque è Clero & Oppidis, qui in illorum poteſtate forent, donec lis omnis componeretur.

Suſatenſes opem Ducis Clivenſis implorant.

neretur. At postquam Susatenses certiores facti de patrocinio Clivensis, omnem pacis tractationem abrumpunt; idemque cùm intelligeret Archiepiscopus ex Walramo fratre, ex aula Ducis reverso; omnia Susatensibus, quæ postulare fas esset, ultro indulget, modò à fœdere cum Clivensi resiliant. Hic cives multò insolentiores, & tanquam ex triumpho causam suam agere. Quæ res permovit Archiepiscopum, ut & ipse arma expediret, omnesque ad urbem aditus intercludendos mandaret.

Nec segnior Clivensis post festum Corporis Christi præmittit Joannem Steckium, virum consilio manuque promptum, cum turma octoginta equitum in urbem; quem in pervigilio Joannis Baptistæ Joannes Dux, bellicosus juvenis, bis mille & quadringentis armatis viris, & magna parte nobilitatis insecutus, urbem intrat. Cui altero die curiam ingresso Magistratus, & cives solemni ritu magnoque plausu juramentum fidei dixêre. Non perinde Clerus, qui in fide Archiepiscopi manebat, sat gnarus, qua religione suo Archiepiscopo devinctus esset; ideòque Decanus Collegii Albertus Milichusius, equestris ordinis, cùm Dux accepto juramento basilicam S. Patrocli ingredi pararet, ausus fores occludere, quæ res novum tumultum concivit inter Clerum & cives; & quia Archiepiscopus urbi Susatensi usum sacrorum interdixerat, plerique è clero sponte urbe emigrârunt. Huic malo ut occurreret Dux Clivensis, Eugenii Pontificis opem imploravit; scriptisque ad Pontificem literis impetravit diploma, quo omnia Canonicorum Collegia, religiosorum Cœnobia, locaque sacrorum per universas Ducis provincias à jurisdictione sacra Colonensis Archiepiscopi exsolverentur. Quâ pœna etiam Monasterensis diœcesis comprehensa; Quòd Henricus Monasteriensium Episcopus haud secus quàm frater ejus Colonensis Archiepiscopus Felicem Pseudopontificem coleret. Juvabit nunc ipsum Pontificis diploma recitare.

Dux Clivensis à Pontifice impetrat exemptionem locorum sui ducatûs à jurisdictione Archiep. Colon.

Eugenius servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Trajectensi salutem et Apostolicam benedictionem. Pastoralis officii desuper nobis divina providentia commissi debitum postulat et requirit, ut contra nostrorum et Romanæ Ecclesiæ rebellium temeritatem, eorum, qui in nostra et sedis Apostolicæ obedientia, devotione et fide firmi et immobiles permanserunt, statui, quieti, et animarum saluti salubriter consulamus. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum, et Adolphi Ducis Clivensis et Joannis ejus primogeniti petitio continebat, quod cum tam seculares quam Ecclesiasticæ personæ, nec non Collegia, Capitula, et Monasteria, Ecclesiæ, et alia loca Ecclesiastica in suis dominiis et terris in Colonensi et Monasterensi diœcesi consistentia, pro eo quod Archiepiscopus Colonensis nobis et Sedi Apostolicæ rebellis et inobediens existit, et iniquitatis filius Henricus, qui se gerit pro Episcopo Monasterensi, damnationis filio Amadeo, olim Sabaudiæ Duci, qui se Felicem V. nominare ausu sacrilego præsumit, etiam post et contra processus Apostolicos et adhærentes fautores et sequaces per nos factos adhære-

re præsumit, plurima in spiritualibus et temporalibus detrimenta percipiant, et animarum pericula incurrant, cum hæreticis et Schismaticis nobis rebellibus jure ordinario sint subjecti, pro parte dictorum Ducis, et primogeniti nobis humiliter fuit supplicatum, ut eorum et subditorum statui et saluti providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, quibus pascendi oves Christi divinitus est tributa potestas, volentes, ne in perditionis barathrum animæ fidelium perducantur, sed potius ab hæreticorum contagione retrahantur, et ne illorum labes corda christicolarum possit inficere, debito remedio providere, omnia et singulas personas, Collegia, Capitula, Monasteria, Ecclesias et loca quælibet Ecclesiastica, dominia, terras, et alia supradicta, donec aliud super hoc duxerimus disponendum ab omni jurisdictione, potestate, et superioritate spirituali Colonienſis Archiepiscopi et Monasterienſis Episcopi eximentes et liberantes, unum Episcopum et titularem, gratiam et communionem Apostolicæ sedis habentem, qui in dictis dominiis, locis et terris, quæ dicti Dux, et primogenitus in præfatis Colonienſi et Monasterienſi diœcesibus ad præsens obtinent, et in futurum quilibet obtinebit, Clericum ordinare, et ad omnes ordines Ecclesiasticos et presbyteratus promovere, chrisma et oleum sacrum conficere, et omnia alia et singula pontificalia jura omnemque spiritualem, quam Archiepiscopus Colonienſis et Episcopus Monasterienſis inibi pro tempore habere et exercere consueverunt de consuetudine vel de jure, tam in visitando, corrigendo et reformando, quam alia necessaria pro bono regimine Cleri illarum partium faciendo, exercere valeat: nec non contra omnes et singulas personas seculares et Ecclesiasticas cujuscunque status, ordinis, et religionis, ac conditionis fuerint: Monasteria quoque, Prioratus, Collegia, universitates, quorumcunque ordinum, etiam mendicantium, quæ Schismatis labe infecta essent, aut præfato Amadeo quomodolibet adhærerent, seu faverent, et contra omnes et singulos non obedientes et rebelles nobis inquirere, et procedere, illosque per censuras Ecclesiasticas, et alia juris remedia, omni appellatione postposita, ac coercitionem realem et personalem, beneficiorumq; quorumlibet suorum, etiamsi Monasteria, Prioratus, et dignitates conventuales, et personatus et officia fuerint, privare, et realiter amovere possit, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Nec non excommunicationis, et interdicti, aliasque omnes et singulas litteras, quorumcunque tenorum fuerint, per ipsos Archiepiscopum, Henricum, et Decanum S. Cuniberti Colonienſem, et quoscunque alios, quacunq; etiam auctoritate fungentes, in personas, Monasteria, Prioratus, Collegia dignitates, Ecclesias, et Ecclesiastica loca, quæcunque præfata, latas et promulgatas, et imposterum faciendas auctoritate nostra renovare, tollere et annullare queat, ac cum ipsis personis, quæ sic excommunicatæ, seu irregularitatis maculam incurrisse putarent, super hujusmodi irregularitate dispensare, eas rehabilitare, et in pristinum statum reponere valeat, deputandi, ac eum amovendi, ac alium loco sui reponendi, dum per præfatos Ducem et primogenitum requisitæ fuerint, auctoritate præfata tenore præsentium concedimus facultatem. Volentes similiter, et sibi tenore præsentium concedentes ut omnia et singula, dignitates, personatus, adminstrationes et officia, Monasteria, Priora-

Prioratus, cæteraque beneficia Ecclesiastica, quæcunque in dictis terris, dominiis et locis nunc vacantia, et imposterum, sive per privationes hujusmodi, seu alias quomodolibet vacatura, quæcunque, qualiacunque, et cujuscunque valoris fuerint, quæ in turno, seu mense ordinariorum vacare contigerint, dumodo non sint Sedi Apostolicæ reservata, personis idoneis sive per præfatos Ducem et primogenitum nominandi auctoritate præfata conferre, et de illis providere, ac personas, quibus hujusmodi beneficia contulerit, in corporalem possessionem ipsorum beneficiorum inducere, et de eorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, et obventionibns universis integre respondere facere libere et licite valeat, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac synodalibus et provincialibus, conciliis, statutisque Ecclesiarum, et Monasteriorum prædictorum, in quibus hujusmodi beneficia forsan fuerint, juramenta quoque per personas ipsas præfatis Archiepiscopo, et Henrico hactenus forsitan præstita, quæ non adhuc relaxata sunt, nullius esse decernimus valoris ac momenti, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datæ Romæ apud S. Petrum. Anno 1444, 17 Calend. Pontificatûs nostri anno 14.

Atque id diploma transmissum Rudolpho Diepholtio Ultrajectensi Episcopo, cujus vicariæ jurisdictioni Pontifex omnia utriusque Episcopi loca subjecit. Hic enim Episcopus cum Duce Cliviæ & Geldriæ Eugenij Pontificis partes in Germania sectabatur; simulque bellicosus Princeps sociale belli fœdus adversus Colonienſem Archiepiscopum cum Clivensi conjunxerat; multum hactenus offensus Colonienſi ob Walramum fratrem, quem bis simul æmulum objecerat in Ultrajectensi Episcopatu, semel post Friderici, iterum post Suederi Episcopi mortem. Nec minus indignè ferebat Diepholtius dominatum Mörsanorum ad Rhenum & per Westfaliam. Quare & præter Ducem Burgundiæ arma sua conjunxit cum Joanne Cliviæ Duce.

Bernardus Comes Lippiensis ad partes Ducis Clivensis & Susatensium accedit; mediamque Lipstadij partem vendit.

Accessit & per id tempus, quo hæc agitabantur, Bernardus Comes Lippiensis ad Ducis Cliviæ partes, magnum hujus socialis belli momentum, turbamentumque Westfaliæ. Is enim festo Apostolorum Petri & Pauli Lipstadium ingressus, renovatoque fidei juramento, cives in fœdus cum Susatensibus & Duce Clivensi attraxit; & quo se arctius Duci Clivensi devinciret, juvenili bellandi ardore abreptus, mediam urbis Lipstadij partem, quam hactenus à Comite pignoris loco tenebat Dux Clivensis, 8000 marcis argenti Duci vendidit. Ita verò toto Lipstadio potitus Clivensis, qui jam alteram partem Oppidi, ab Engelberto Colonienſi Archiepiscopo oppignoratam avo suo, tenebat; ut ad annum 1366 diximus. Id juvenis consilium, ad quod à suis inductus erat, improbatum ab aliis; tum quòd avitam majorum sedem abalienaret à familia; tum quòd bellum susciperet contra consanguineum Archiepiscopum; quippe cujus parens Mörsani Comitis filia natus erat. Sed his neglectis, fœdus cum Clivensi inijt; cui subscripsêre Conradus Steckius, quem & Lipstadij gubernatorem reli-

quit, Goswinus Kettelerus, Lubertus Torckius, Clamor Buschius, Theodoricus Mallinckrotius, Bartholomæus Lakius, Joannes Mol. lenbeckius, Joannes Borchius, Conradus Exteren, partim Satrapæ & Consiliarij, partim ex equestri ordine viri. His peractis confirmatisque, Joannes Dux Clivensis ad patrem se Clivos retulit, instructurus exercitum, quo Archiepiscopo occurreret; & Comes Lippiensis Blombergam regressus in comitatum, ad societatem belli adduxit Simonem fratrem, quem post Theodoricum Administratorem Paderborna habuit Episcopum, Comitem Schawenburgicum, Comitem Hojanum, cæterosque Westfaliæ proceres.

Plures Westfaliæ Urbes & Nobiles in Socialecum Urbe Susatensi bellum conspiraut.

Invitatæ post illa ad sociale bellum civitates. Ex his adjunxêre sese Monasterium, Osnabrugum, Paderborna, Hervordia, Lemgovia, aliaque Westfaliæ nobiliora Oppida; tanquam ad communis libertatis signum evocarentur. Sola Tremonia excepta, quæ ex pacto fœdere partes Archiepiscopi secuta. Ultro præterea se Adolpho Duci Clivensi obtulere in societatem belli ex vicinis proceribus Joannes Comes Schawenburgicus, Conradus & Joannes Steckius, Clamor Buschius, Lubertus Torckius, Goswinus Kettelerus, Otto Wilichius, Elbertus & Joannes Alpen, Theodoricus Mallingrotius; interque hos Goswinus de Schawenburg, gente Bohemus, acer miles, multumque post Archiepiscopo ex Susatensi urbe infestus.

Confœderati Archiep. Colon.

Ad hunc conversum hostilemque rerum statum Theodoricus Archiepiscopus ad arma sollicitatus, Ducatûs Westfaliæ nobilitatem militemque vasallorum collegit; quos inter, præter fœderatos, Wilhelmum Saxonicum Ducem, Albertum Mindensem, Bernardum Hildesimensem, & Henricum fratrem Monasterienſem Episcopum, accessêre Joannes & Philippus Nassovij, Gerhardus Seinius, Joannes Sigenhagius, Walramus Waldecensis, Reinerus Hanavius, Conradus Ritbergius, Henricus & Mauritius Pyrmontani, Henricus Spiegelbergius Comites: præterea Dynastæ Reinerus Westerbergius, Bernardus Buranus, Joannes & Henricus Ghemensis, plerique vasalli, & clientelari fide Colonienſi Ecclesiæ obstricti; quibus & oppida Ducatûs Westfaliæ se junxêre. Horum copiis auxiliaribus confirmatus, in Susatensem agrum movet, omnes circum segetes villasque depopulando. Rumor inde allatus, qui non vanus fuit, Clivensem advenire ab Rheno. Quo comperto, Werlas se ad vicinum Oppidum & castrum retrahit Archiepiscopus. Nec multò post Clivensis cum agmine trium millium & quingentorum equitum advolat. Cui Susatenses obviam progressi, exusto pago Burichio, in urbem introducunt; ijsque copiis aucti, vastato Werlensium agro, in Ducatum Westfaliæ irrumpunt, flamma ferroque ad Saltum usque Arnsbergensem grassando. Quibus irritati Werlenses, in Marchiam prædando vastandoque excurrunt; ita annus inter alternas clades & depræ-

Depopulationes utrinque agrorum.

dationes absumptus.

Dissidē-

Theodoricus remittit Paderbornensibus omne jus, quod à Pontifice sibi datum obtendebat Conjungendi Paderbornensem Ecclesiam cum Coloniensi.

Dissidebat interea Archiepiscopus adhuc cum Paderbornensi Collegio Canonicorum, & ordinibus totius diœcesis, ex tentata conjunctione Episcopatus cum Colonienſi Metropoli; cùmque satis intelligeret Archiepiscopus, quantum sibi hoc conturbato statu in utramque partem accessurum esset, si Paderbornenses aut hostes aut amicos haberet; ideo consultum habuit prius cum Paderbornensibus redire in gratiam, & omne jus, quod à Pontifice sibi datum obtendebat, ultro remittere. Quod convocatis ex utroque Collegio, Metropolitano suo & Paderbornensi, Canonicis, hisce literis præstitit.

Nos Theodoricus Dei gratia sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Westphaliæ et Angariæ Dux, Diœcesis Paderbornensis dominus et Administrator, Notum facimus præsentibus literis, et publicè testamur; Quandoquidem antehac Ecclesiam et diœcesin Paderbornensem Ecclesiæ et diœcesi nostræ Colonienſi perpetuis temporibus uniri, et per felicis recordationis Martinum hujus nominis quintum Pontificem maximum incorporari fecimus: Quod nos unionem hanc et incorporationem perpetuam præsentium vigore literarum abolitam declaremus; quodque omne jus ex hujusmodi unione et incorporatione dictæ Ecclesiæ Colonienſi Nobis, aut Successoribus nostris quomodolibet acquisitum prorsus abdicemus in perpetuum, cum pleno consensu ac voluntate Præpositi, Decani, ac totius Capituli Ecclesiæ nostræ Colonienſis. Protestamur etiam, quod deinceps toto vitæ nostræ tempore nos geremus, scribemus, et appellabimus Dominum et Administratorem Ecclesiæ et diœcesis Paderbornensis, quemadmodum felicis memoriæ Joannes ejus nominis vigesimus tertius Papa dictam Ecclesiam Paderbornensem sub titulo Administratoris nobis olim contulit et commisit. Juramenta quoque super hac administratione à nobis hinc inde præstita et accepta, promissiones etiam litteræque datæ et acceptæ in tali robore et valore remanebunt, ac si unio hæc et incorporatio nunquam quæsita fuisset vel impetrata. In quorum omnium fidem ac testimonium pro nobis, Ecclesiis, ac Successoribus nostris sigillum nostrum hisce litteris appendi curavimus. Et quia prædicta abolitio ac renuntiatio cum præscitu et pleno consensu nostrorum, Præpositi, Decani, ac totius Capituli Ecclesiæ Coloniensis facta est; idcirco, in argumentum veritatis, præstitique à nobis consensus, sigillum Capituli nostri, dictum ad causas, præsentibus litteris apponi jussimus, Datis anno post Christum natum millesimo, quadringentesimo, quadragesimo quarto, feria tertia proxima post festum Visitationis B. Virginis Mariæ.

Ad hunc modum gravis illa controversia inter Archiepiscopum & Paderbornenses sublata quievit: sanavitque vulnus hoc belli imminentis necessitas, quod nulla hactenus medica manu curari potuit. Redintegrata amicitia, stetêre ordines diœcesis nostræ cum Archiepisco; urbs verò Paderbornensis diverso auxilio fecit cum Susatensibus; quemadmodum Monasterium & Osnabrugum diversis ab Episcopo suo consiliis armisque patrocinium Susatensium susceperе.

Adeo

Kerssenbroch. in Chron. Monast.

Adeo mala contagione miscebantur arma armis per vicinas diœceses. Et quantum non laborabat urbs Monasterienſis, ut Henricum Episcopum suum à fraterno bello subtraheret? quæ tamen Susatensium auxilia sibi permitti volebat. Indixerat in hanc rem comitia ordinum Henricus Episcopus in Larensi campo, miseratque ad hæc Legatos suos Colonienſis Archiepiscopus: at ordines, seu quòd pronio. res essent in Monasterienſem urbem, seu quod diœcesin alieno bello implicari nollent, Episcopo suo belli hujus subsidia negârunt.

Annus Christi 1445.

Eugenij IV Pont. 15.
Friderici IV Imp. 6.
Theodorici Adminiſt. Pad. 30.

Archiepiscopus Colon. Comitem Marcanum sibi adjungit: & castra, Fredebergam & Bilsteinium expugnat.

Acceſſerat alter belli Susatensis annus, acerrimis partium studiis atque animis accensus. Colonienſis Archiepiscopus, quia sibi negotium esse vidit cum Clivensi Duce, potentiſſimi Burgundiæ Principis & animosæ nobilitatis Cliviæ & Marchiæ armis instructo; nihilquoque sollicitius habuit, quàm fœderatorum Principum & Comitum auxilia contrahere, & cum his Arnoldum Geldriæ Ducem sibi conjungere. Sed cùm is Eugenio Pontifici hæreret, & bello Juliacensi implicitus esset, ut partes Archiepiscopi suscipere integrum non esset; Gerhardum Marchiæ Comitem sibi arctius in societatem belli adversus Adolphum Cliviæ Ducem ac fratrem adstrinxit; cujus studio & opera duo munitiſſima castra Fredebergam & Bilstenium expugnavit, eoque successu duas simul Satrapias (quanquam Bilstenium sub Autumni tempus expugnatum scribat Wittius) Clivensi Ducieripuit; quæ post amissa Susatensi urbe in compensationem retentæ venerunt.

Irriti utriuque conatus bellici Archiepiscopi & hostium ejus.

Inde Henrici fratris Monasterienſis Episcopi cæterorumque fœderatorum & clientum copiis instructus ad Rhenum movit; tentatumque per insidias Duisburgum. Quibus tempestivè detectis, frustatoque eventu, in Cliviam irrupit. At dum istic omnia Oppida castraque Ducis Burgundiæ præsidiis, & Ducum Cliviæ, patris filijque, vigilantia præmunita reperit; reflexo per Rhenum itinere, in Westfaliam copias reduxit, ad Susatenses & Lippienses, omnis rebellionis auctores castigandos. Castrisque V Idus Julij inter Erwitam & Geseкenam positis, in conspectum urbis Susatensis processit cum exercitu Archiepiscopus, ratus Susatenses copiam pugnæ facturos. Qui cùm intra mœnia se continerent, Erwitensem turrim Susatensium milite insessam aggressus est; è qua postquam nec promissis nec minis præsidiarium militem elicere posset, vi admota expugnare tentavit: sed & hi conatus illusi propugnantium fortitudine & turris (quæ rarum admirandumque fabricæ opus hodiedum aspicitur) munimento. Ibi quum Archiepiscopus septem Susatensium milites suspende-

ret,

ret, Susatenses haud multò post sex à se captos è nobilitate viros in furcam egêre. Qua Susatensium audacia vehementer exacerbatus equestris ordo, omnem iram vertit in vindictam & perniciem civium; & quia vi Susatum aggredi non audebant, veriti ne Dux Clivensis omnes in se belli vires converteret, dolo tentavêre urbem incendere. Quam in rem feles undiquè ex villis & pagis conquisitas collegêre, illigatisque ad caudas singularum ignitis facibus, noctu per murorum foramina & canales immisêre in urbem; rati si in horrea civium penetrarent, fore, ut concepto à felibus igne deflagrarent. Sed & is dolus non successit. Post illa Archiepiscopus, postquam agros Susatensium & Lippiensium depopulatus, cum copiis secessit in Surlandiam, expugnatoque Bilsteniano castro, geminas Satrapias Bilstenianam & Fredbergensem subegit.

Interea dum Archiepiscopus per Westfaliam grassatur, Adolphus Dux Clivensis Rhesam & Sanctos, haud ignobilia ad Rhenum Oppida, expugnat, & Colonienſi eripit: filius Tuitium vastat, & Campense territorium subigit. Nec levius inter se commissæ civitates & Oppida pugnabant, Principum suorum odiis & armis accensa; & modò Susatenses, Lippienses, & Hammonenses in Colonienſem agrum effusi: modò Werlenses, Archiepiscopo ante omnes fidi, Gesekenses, Saltzcottani, Rudenses, Niehemenses, conglobatis viribus in Marchiam progressi, prædis omnia fœdabant. Civitatum Collisiones inter se.

Sollicitati & Paderbornenses ad hoc prædatorium bellum. Sed illi etsi fidem suo Administratori addixissent, nihil tamen hostile palam agere decrevêre; præter Bernardum Buranum Dynastam, & Oppidanos, qui Colonienſium armis & prædis se miscuêre. Quare & hoc ulti Susatenses & Lippienses, irruptionem fecêre in Dynastiam, villas, & pagos evastando; delatique ad pagum Sidinghusanum, omne Colonorum & Virginum Holthusani Cœnobij pecus abigunt. *Quo* conspecto, Parochus loci, cùm alia vis repetendi non esset, arrepta è templo hierotheca sacra cum augustissimo corpore Christi, prædones insequitur, clamando minitandoque, ni abreptos pecorum greges reddant, brevi iram vindictamque Numinis, quem se manu ferre ostendebat, experturos. Qua Parochi voce, & contestatione præsentis apud se Numinis, Susatenses consternati, prædam omnem reddidêre. Hunc in modum prædatoriis incursionibus annus hic consumptus est. Susatenses & Lippienses in Dynastiam Buranam irrumpunt. Objecta à Parocho Ss. Eucharistia prædas restituunt.

Tentata per hæc utrimque concordia ab Anseaticis civitatibus; quarum præcipuæ fuêre Lubeca, Wismaria, Luneburgum, Hamburgum, Brema. Quæ cùm Susato cumprimis consultum vellent, & partium iræ aspernarentur consilia Legatorum, nihil illo conventu actum est.

Cœpta est hæc scintilla belli tumultuarij in Monasteriensi diœcesi. Nam cùm ordines ex superiori decreto; quod in conventu Campi Belli causa in diœcesi Monasteriensi nata.

Campi Larensis fecerant, Henricum Episcopum revocarent è Colonienſi bello, nec ille pareret; primò ad Felicem Pseudopontificem appellárunt, incusando Episcopum. Institutis deinde crebris conventiculis, conspiravêre Canonici Cathedralis Collegij, plerique ex equestri ordine viri, & cives Monasterienses adversus Episcopum suum, arma & rebellionem populi minitando. Quibus spretis, Episcopus bello fraterno inhæsit. Et verò quia summa auctoritas & potentia penes Monasterienſem urbem erat, defecêre ex equestri ordine viri Bernardus & Ludolphus Ohricus, Matthæus Munsterus, Conradus Groethusius, Engelbertus à Langen, alijque, qui jure civitatis donari petiêre, & Magistratui suæ libertatis defensionem obtulêre. Quo offensus Episcopus, vetuit per prætorem Urbanumque judicem suum, quemquam è nobilitate in numerum civium recipi. Quo cognito, Magistratus judici duos è suis adjunxit Assessores, quibus potestas facta quosvis è nobilitate adscribendi in numerum civium. Qua re magnopere increvit urbis potentia, animusque insurgendi adversus Principem suum. Et periculum erat, ne Monasterienses exemplo Susatensium publicam cœptarent rebellionem. Atque id cùm Cathedralium Canonicorum assensu hortatuque fieret; jacta sunt rebellionis semina, quæ haud multò post ab excessu Henrici Episcopi bello Hojano erupêre; neque ullis magis noxia, quàm ipsis Canonicis, à quibus tum civibus arma in manus data, quæ postea cùm maximè vellent excutere non licuit.

Annus Christi 1446.

Eugenij IV Pont. 16.
Friderici IV Regis 7.
Theodorici Administ. Pad. 31.

Ingrediebatur tertium belli Susatensis annum, Christi verò quadragesimum sextum, supra millesimum quadringentesimum, Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus; cùm alia procella, quam Romà Pontificis sententia attulit, turbatur. Nam cùm ille unus fere esset inter Septemviros, qui hactenus in tot comitiis Imperij Basileense schisma foverat in Germania, in eoque Cæsarem & Principes Imperij retinuerat, ne deserto Felice Pseudopontifice, ad partes Eugenij Pontificis accederent: eodemque pravo consilio Jacobum Sirckum Trevirensem Archiepiscopum, alterum Imperij turbatorem, maximè sibi per conspirationem adjunxisset; ac per duos illos Archiepiscopos res eò deducta esset, ut tota Germania, invito etiam Cæsare, ad Felicem Pseudopontificem transitura crederetur; tandem Eugenius Pontifex post monita & minas frustra intentatas ad justam severitatis sententiam progressus, utrumque Archiepiscopum è cœtu piorum ejecit, & Archiepiscopi dignitate exuit. Quæ ut firmius procederent, in locum Theodorici Colonienſis Archiepiscopi Adolphum Cliven

Joannes Gobelin. in comm. Pij P. qui diversus à Gobelino nostro Scriptore Æneas Sylvius c. 58. Europæ Codex Biblioth. Vatic. Raynaldus in histor. Eccles. Cochlaus lib. 9. Danaverus.

Pontifex Archie-

Clivensem, Joannis Clivensis Ducis fratrem, juvenem Clero Coloniensi adscriptum; in Cathedram verò Jacobi Trevirensis reponi jussit Joannem Cameracensem Episcopum, Joannis Ducis Burgundiæ filium, fratrem Philippi cognomento Boni. Qua mutatione potentissimas familias, Clivensem & Burgundicam, utrique exauctorato Archiepiscopo objecit: scriptisque ad Rudolphum Diepholdium Trajectensem Episcopum literis, in mandatis dedit, ut Clivensem in Coloniensis, & Burgundum in Trevirensis Ecclesiæ possessionem introduceret. Literæ hæ Pontificis, quibus Theodoricus de Archiepiscopatu dejicitur, ipso Festo D. Andreæ Susati & per Clivensis provincias magno hostium ejus plausu promulgatæ fuêre. Atque ea res cùm magnoperè displiceret, conturbaretque cæteros Electores, Theodoricum Moguntinum Archiepiscopum, Ludovicum Palatinum, Fridericum Saxoniæ Ducem, & Fridericum Marchionem Brandeburgicum; tanquam dignitati suæ injuria simul irrogata esset, Francofurti conventum indixêre; in quo Septemvirorum judicio decretum, nisi Pontifex latam in Archiepiscopos sententiam rescinderet, auctoritatemque Concilij, sicut in Constantiensi expositum erat, relinqueret, fore ut secum tota Germaniæ natio ad Amadeum desciscceret; id quod mox ad Fridericum Cæsarem ex arcanis suis Conciliis perscripsêre. Et ille licet magnopêre improbaret ex his causis defectionem ab Eugenio Pontifice, vero nimirum Christi Vicario; respondit tamen Electoribus, se apud Pontificem acturum, ne Archiepiscopi sede sua moverentur; in quo deinde hoc anno & sequenti laboratum in Francofurtensi & Norimbergensi conventu, transactumque est per Bonnonienſem Episcopum à Pontifice missum Legatum, cui Episcopus Leodiensis & Nicolaus Cusanus additi fuêre. Horum opera & consilio Archiepiscopi, qui Pontificis auctoritate dejecti erant, ob Principum motus, relicti in sedibus suis.

piscopos Coloniens. & Trevirens. excommunicat, & dignitate privat.

Quod malè ferunt cæteri Electores, urgentque restitutionem in priorem dignitatem.

Ac Colonienſis Archiepiscopus tametsi Pontificis, non tamen Numinis pœnam à se avertit. Nam bello hoc Susatensi, quantum omnes Germanorum Principum vires attraheret, omnia illi adversa evenêre. Quippe quæ hoc anno gesta sunt, haud minus quàm anno superiore infausta fuêre. Decertavit denuo per hyemem & æstatem alternis excursionibus, & majori semper Colonienſium clade. Dominica quarta Quadragesimæ oppugnatum Oppidum Nihem, & totum præter octo ædes incendio deletum. Quæ vindicta justæ numinis iræ adscripta, quòd captas Susatensium mulieres lascivius & injuriosius tractassent. Sub idem tempus Quadragesimæ agmen Susatensium equitum permixtis civibus Oppido Werlensi insultat, mœnia portasque subeundo. Non tulêre hanc insultationem Fridericus & Hermannus Furstenbergij, fidi in omni hoc bello Archiepiscopi ex equestri ordine milites; concitisque cæteris ejus præsidij nobilibus, in hostem procurrunt. Verùm dum ferventius quàm cautius res præ-

Infaustæ Theodorici contra Susatum actiones.

liando agitatur, trahuntur in insidias â Susatensibus positas. Capti Furstenbergii cum Hackio equestris ordinis viro: cæsi complures; ceteri equites peditesque fuga Werlas repetunt.

Theodoricus Susatum obsidet.

Atque hæc dum per hyemem mutuis excursionibus, alternisq; cladibus aguntur, Theodoricus Archiepiscopus contracto ex toto Westfaliæ Ducatu milite, una cum Hildesiensis & Henrici Monasterienſis Episcopi auxiliaribus copiis mense Julio Susatum incingit, extrema etiam munitando, nisi ad obsequium redeant. Urbs cum undique clausa teneretur, nec par esset repellendis hostibus, Ducis Clivensis auxilia implorat. Et ille ut periculo urbem eximeret, præmittit Joannem Schawenburgi Comitem, & Gawinum Schwanenburgicum cum equestribus signis, simul denunciando, propediem se cum toto exercitu adfuturum. Quo comperto, Archiepiscopus, solutâ obsidione, Arnsbergam intra Angariæ montes se recepit, cæteroquin milite per castra & oppida dispersо; angebantque maximè Archiepiscopum Ducis Burgundiæ literæ, quibus significabat, se Ducis Clivensis causam extremis etiam viribus susceperturum. Filij deinde Joannis Clivensis accessu Susatenses & Lippienses animosiores, plenis agminibus involant in ducatum Westfaliæ & Paderbornensem diœcesin, ingentemque pecorum gregem, multosque currus prædis onustos secum Susatum Lipstadiumque abducunt. Nec mullò post Dux Clivensis validioribus militum copijs irruptionem fecit in Colonienſem agrum, Gesekenam, Callenhardum, Mendam, ceteraque debiliora Oppida evastando; tantisque hæc animis Clivensium agebantur, ut per Brabantiæ Mareschallum Archiepiscopo prælium offerrent, quo de summa rei decertaretur. At Colonienſis non ausus omnia in unum discrimen conferre, militem suum intra præsidia montiumque claustra continuit, donec Clivensis exercitum trans Rhenum reduxisset. Tum verò Archiepiscopus ex latebris Westfaliæ egressus, convocatoque è castris & oppidis expedito milite, & flore nobilitatis, sub exitum Octobris in Susatensem agrum procedit. Consilium erat Archiepiscopi, urbem astu factoque repentino insultu intercipere; idque beneficio nebulæ tentatum. At quum mœnibus propius succederent Colonienses, datum è speculis & turribus signum, hostem in conspectu urbis stare; mox in urbe omnium campanarum sonitu exciti cives, & præsidiarij ad arma convolant, intraque urbem se in aciem componunt, &, qui unus omnium ardor erat, ducibus Conrado Steckio Satrapa Clivensi, Joanne Breckio, & Consule Rojo, portas egressi, hosti se ad prælium sistunt. Diu anceps & atroci pugna decertatum fuit; victique ad ultimum Colonienses. Memorabilis hæc ab omnibus pugna refertur. Ex Archiepiscopi exercitu cæsi Wernerus Comes Seine, Philippus Nassovius Comes, Witgenstenius Comes, & Præpositus ad S. Gereonem, Stephanus à Laer, alijque triginta tres numero; capti centum & quinquaginta, interque

Obsidionem solvit.

Theodorici exercitus à Susatensibus cæditur.

interque hos ſeptem & viginti equeſtris ordinis viri, quorum hæc nomina produntur: Bernardus Burenæ Dynaſta, Henricus Wulfius Satrapa Werlenſis, Joannes à Scheidungen Satrapa Arnsbergenſis, Hermannus à Furſtenberg, Fridericus ab Hœrde, Hermannus à Laer, Henricus à Werninchuſen, Albertus à Mengede, Rembertus à Quernheim, Godeſchalcus à Patberg, Joannes à Breidbach, Henningius ab Heiger, Joannes Freidag, Theodorus à Dimanwe, Reinerus Claitzius, Ludovicus Kerſenbrochius, Henricus Breidecampius, Hermannus Ludorpius, Oſwaldus Wenckhuſius, Conradus Tappius, Joannes Frenbachius, Wilhelmus Plettenbergius, Wiricus Bollingius, Hermannus Endorpius, Joannes Itenbachius, Joannes Culingius, Hermannus Honingius, & qui præterea ab aliis conſignantur. Intercepti cum his equi centum triginta, prædaque ad novem millia florenorum æſtimata. Mirum quàm hac victoria extulerint animos Suſatenſes, quantumque amore in Clivenſem Ducem, odio verò in Archiepiſcopum accenſi ſint. Aucta contemptio in Archiepiſcopum, poſtquam circa feſtum D. Andreæ allatæ in urbem Eugenij Pontificis literæ, palamque recitatæ fuêre, quibus Archiepiſcopus dignitate ſua exutus, inter ſchiſmaticos Eccleſiæ, conturbatores Imperij, & hoſtes Apoſtolicæ Sedis damnabatur.

Inſtituta per hæc Mörſæ in natali Archiepiſcopi Oppido tractatio concordiæ ac pacis inter belligerantes; arbitrumque ſe obtulit Dux Burgundiæ. At, quæ partium erat obfirmatio, nihil illo Legatorum congreſſu actum eſt; præterquam quòd ab Oppidorum caſtrorumque oppugnationibus, & cruentis præliis deſiſtendum edixerint. Sed tam caſſo hæc opere decreta fuêre, quàm mox atrocibus conſiliis utrimque reſumpta ſunt arma. Tractatur de pace, ſed nullo eventu.

Magnum hoc bello præſidium erat Archiepiſcopo in Henrico fratre Monaſterienſi Epiſcopo, quem invitum hoc anno ſubtraxêre Monaſterienſes. Quos enim ſupra ob id motus concitatos diximus, hoc anno increvêre, & in apertam conſpirationem adverſus Epiſcopum prorupêre. Querebantur nimirum Monaſterienſes alieno hoc bello turbari publicam quietem, premi inconceſſis exactionibus diœceſin, trahi arma Ducis Clivenſis & Burgundiæ in ſua capita, quibuſcum publicam pacem colere, quàm bellum gerere jam ſæpius decreviſſent ordines. Quare Præpoſitus, Decanus, totumque Capitulum Canonicorum, & primariæ diœceſis civitates conventum indixêre; quo una omnium conſpiratione decretum, tueri jura & privilegia majorum, nec pati velle, ut Epiſcopus invitis ordinibus bello Suſatenſi ſe amplius miſceat. Quam in rem imperatum Epiſcopo, ut præſidium militare, quod Hoveſtadio ad Luppiam caſtro impoſuerat, fratris propugnandi cauſa, extemplo revocet, & ab armis Archiepiſcopi fratris diſcedat, ſecumque tranquillam diœceſin pro juramento fidei conſervet. Fœderi huic, quod per Quadrageſimam Henricus Ep. Monaſter. Ordinibus patriæ cogentibus, retrahitur à Bello Suſatenſi.

sanxêre, subscripsere Canonici, & supra centum ex equestri ordine viri, quorum nomina in publicas tabulas relata extant. Quæ post. quam Colonienſi Archiepiscopo cognita, vehementer ille indignatus, scripsit ad Cæsarem, & civitates, cumprimis Monasterium, Coesfeldiam, Warendorpium, Borckenam, Bucholdiam, Telgetum, rebellionisque, quam cum Susatensibus alerent, accusavit. Cæsar qui Archiepiscopi causam tuebatur, hanc urbium adversus Episcopum rebellionem detestatus, Ludovico Hassiæ Landgravio cognoscendam dedit. Atque ea licet magna contentione populi agerentur; non tamen ob hæc fractus animo Henricus Episcopus fraterna auxilia armaque deseruit.

Annus Christi 1447.

Nicolai V Pont. 1.
Friderici IV Cæsaris 8.
Theodorici Archiep. & Adminiſt. Pad. 32.

Danavverus de bello Susat. m.s. Seslerus in Chron. Pyrmont. m.s. Pideritius in Chron. Lipp. Chron. Colon. Teschem. in ann. Clivia Chron. Clivense Chron. Tremon. Literæ Susatenſ. Chron. Monaſt. Ertvvinus in Chron. Osnab. Monum. Werlenſia m.s. Wittius in Chron. m.s. Archiep. Colon.

Sequitur annus belli hujus quartus, Christi 1447, Westfaliæ calamitosissimus. Enim verò Archiepiscopus postquam his cladibus acceptis omnia hactenus incassum tentasset, bellum extremis viribus conniſus instaurat: quod non tam pro una urbe repetenda, quàm pro libertate Ecclesiæ, dignitate Archiepiscopi, ac gloria nominis adversus Clivensem gerebatur; stabat enim Clivensis, hostis potens, Philippi Burgundi Ducis, Rudolphi Diepholdij Trajectensis Episcopi, Joannis Schawenburgici, Bernardi Lippiensis Comitum, ac totius Cliviæ & Marchiæ nobilitatis viribus armatus. Adversus hosce tam potentes hostes Archiepiscopus non modò Monasterienſem, Hildesienſem & Mindenſem Episcopos, Ludovicum Palatinum *Rheni*, Wilhelmum Ducem Brunswicenſem, Joannem Nassovium, Gerhardum Seinenſem, Walramum Waldecenſem, Bernardum Solmenſem, Henricum & Mauritium Pyrmontanos, Henricum Spiegelbergium Comites, cum totius Ducatûs Westfaliæ & Colonienſis diœcesis equestri ordine concivit; sed & Bohemos, Saxones & Thuringos postremùm in hanc armorum societatem advocavit. Bohemorum accessio hujusmodi fuit.

Archiep. Colon. bellum instaurat, vocatis in auxilium non modo Westfalis & Saxonibus, sed & Bohemis.

Gesserat jam in quintum annum grave bellum Wilhelmus, Dux Saxoniæ & Thuringiæ Landgravius, adversus Henricum fratrem suum, Saxoniæ Ducem & Imperij Electorem, pressusque à potenti æmulo Wilhelmus, implorat in auxilium Bohemos; qui ingenti populi sui multitudine Misniam ingressi, subsidio aderant; cùm abrupto bello repente pax per Marchionem Brandeburgicum, & Hassiæ Landgravium inter Saxones fratres componitur. Nihilque sollicitiùs habuit Wilhelmus, quàm ut provinciam suam Bohemorum gente, ampla stipendia poscentium, liberaret. Opportune interim illi accidit per id tempus Legatos à Theodorico Colonienſi Archiepiscopo adveniſe,

advenire, auxilia à Saxoniæ ducibus ſollicitatum, ad rebellem ducatus ſui urbem perdomandam. Ad quorum poſtulata lætus promptusque Wilhelmus Landgravius, non modò Bohemos, ſed & Saxones, Miſnios, & Thuringos in ſubſidium Colonienſis producit. Bohemorum exercitus Duce Comite Sternebergio 26000 numeratus, Landgravij 24000; fuitque totus illeperegrinus exercitus 60000 cenſus. Acceſſit haud multò poſt Archiepiſcopi miles 20000 numero. Ex his univerſim exercitus 80000 conflatus. Hac tanta populorum lue Wilhelmus Landgravius, Dux omnium, in Brunswicenſem provinciam movet, rogatuque Ducis Homburgum caſtrum, ſedem rebellium quorundam nobilium, expugnat. Itinere per hæc ad Viſurgim inſtituto, Embecam ad obſequium Ducis & ingentem pecuniæ mulctam compellunt. Inde transjecto ad Hoxtariam Viſurgi, Oppidum quoque illud grandi ære mulctant. Ac ibi dum caſtra poſuêre, occurrit Theodoricus Archiepiſcopus cum ſuo milite, advenientemque Landgravium & Sternebergium benignè excipit. Hujus conſiliis tota illa belli moles ſecundum fluminis ripas in comitatum Lippienſem jurati hoſtis terram, traducta. Quo in tranſitu Monaſterium Valckenhagenſe diœceſis noſtræ ſpoliis exhauſtum à Bohemis, vaſtatusque comitatus Schwalenbergenſis & Oldenburgicus. Primus exinde hoſtilis furor verſus in Blombergam oppidum & arcem, atque ipſam Comitis Lippienſis Sedem. Is locus quia præſidiario milite & præſentia Comitis Lippienſis firmatus erat, admota eſt obſidionalis vis tormentorum, factaque impreſſione expugnatum Oppidum; atque ut cæteris terroris ſpectaculum darent, diripiunt, incendunt, & funditus evertunt. At Bernardus Comes per occultos arcis exitus in vicina nemora, ex his ad Viſurgim, deductus, conſcenſaque navi, Schawenburgum ſecundo amne pervenit ad loci comitem & belli ſocium. Tertio ab hinc die Comitum arx Brakia capta, & flammis abſumpta; proximo verò die Lemgovia, urbs ampla & populoſa; è qua cives quia plerique ſtrage Blombergenſium perculſi in vicinas ſylvas profugerant, facilè barbarus hoſtis vacuam urbem ingreſſus diripit, ac ne incendio deleretur, fecit Ludolphi Conſulis contracta cum Archiepiſcopo familiaritas, & Magiſtratûs induſtria, 26000 florenorum offerentium mulctam; poſt hæc Horna civitas, furente milite circumfuſa, leviori pretio direptionem, & flammas redemit. At Dethmoldia & Saltzuffelena Oppida hoſtiliter capta, ſpoliata, & in cineres verſa. Hunc in modum ſævitum in pagos totius comiratus; nec templis aut Cœnobiis parcitum: rupta ſacraria, direpti calices, veſtes ſacrorum in ludibrium circumlatæ ab hæretico Bohemorum milite. Auctor eſt Seilerus vel in uno adjacente Comitatu Pyrmontano ſupra octoginta pagos, quos nominatim idem auctor recenſet, exuſtos eſſe, è quibus decem tantumodo è ruinis ſuperſtites ſint. Ex hac vaſtitate Comitatus Lippienſis reſtabat Falckenbergium

Chron. Miſnenſe.
Chron. Saxoniæ
Langius in Chron. Citiz.
Seilerus in Chron. Pyrm.
Spangeberg. in Chron.
Mansfeld.
Pideritius in Chron. Lipp.

Ingens ubique vaſtitas illata à Confœderato Theodorici exercitu.

Seilerus in Chron. Pyrmontano.

gium inabrupto montis vertice, munitissimum Comitatus propugnaculum; in quod olim Ducem Brunswicensem captivum à Comite Lippiensi abductum servatumque diximus, Id in montibus Teutonicis castrum, nequid Comiti integrum relinquerent, Archiepiscopus & Landgravius circumpositis castris expugnare aggressi sunt, admotisque omnibus belli machinis & insultibus ad deditionem sollicitavêre; verùm quòd natura loci & præsidio firmius experti, quàm ut ex primo impetu furoreque interciperent, festinarentque per inclinantis anni tempus ad res majoris momenti gerendas, soluta obsidione, discessêre. Quippe alias Westfaliæ urbes, quæ ex fœdere bellum Susatensium alebant, prius puniendas abstrahendasque sumpserant.

Paderborna & reliquæ Westfaliæ urbes à fœdere Susatensi abstrahuntur.

Quare totus exercitus ex Comitatu Lippiensi ad urbem Paderbornensem traductus. At postquam formidabilis illa multitudo in conspectum urbis venit, consternati cives & Magistratus supplices se Archiepiscopo & Landgravio obtulêre. Archiepiscopus, quòd suæ diœcesis urbem communi ruina involvere nollet, ad clementiam se flecti passus est; satisque habuit, si fœdus cum urbe Susatensi & Lippiensi abjurarent; id postquam fecêre cives, exercitus per diœcesin & Comitatum Lippiensem Hervordiam, quòd illa urbs fœdus cum Susatensibus coleret, transportatus est. Et Hervordenses ubi conspexêre commune exitium in se verti, Archiepiscopo & Landgravio obviam progressi, 16000 florenorum summa oblata, hostem à sua urbe avertêre. Quare omnis exercitus, nova Westfaliæ vastatione, Osnabrugum movit, ad fœderatam quoque Susatensibus urbem subigendam. Atque is postquam in conspectu urbis castra explicuit, consternati cives, misêre obviam Proconsules suos, qui cum Archiepiscopo transigerent; exactaque ingenti pecuniæ summa in mulctam, jussi sunt fœdus Susatense abjurare, & Joannem Comitem Hojanum, quem jam in sextum annum, ut supra retulimus, in arcto carcere tenebant, secundum Friderici Imperatoris sententiam (id quod Landgravius sibi à Cæsare mandatum asserebat) sine omni lytro liberum dimittere; quod Ertwinus post in obsidione Susatensis urbis à civibus præstitum refert. Tum enim Hojanus demum à Comite Teclenburgico & Legatis Osnabrugensibus pulla veste indutus ad Wilhelmum Thuringiæ Landgravium in castra deductus; homo fatalis, à quo postea bellum Monasterienſe, Susatensi haud minus calamitosum omnisque illa tot cladium & malorum tragædia excitata est.

Restabat postremùm urbs Monasterienſis à fœdere Susatensi avellenda, castigandaque ob insolentiam. Nam hæc Henrico Episcopo omne fraternum auxilium adversus Susatenses toties minaciter ac superbè interdixerat. Et hæc postquam didicit Osnabrugo, omnem barbarorum multitudinem in se converti, perculsa malefactorum conscientia, Legatos obviam misit Archiepiscopo & Landgravio in

castra

castra ad Osnabrugum, deprecando omnem culpam, & fœdus, quod cum Susatensibus contraxerat, abjurando. Sed adeo fracti animis, ut tabulas fœderis cum Susatensibus initi per Consulem & Comitem Benthemensem transmiserint Henrico suo Episcopo ad pontem Wersæ impositum; potestatemque fecerint Episcopo suo, quem hactenus tam superbè tractarant, tabulas hasce, quas Ertwinus se legisse scribit, vel discerpendi, vel pro arbitrio retinendi. Neque his terrori suo satis consultum habuêre, sed & certum peditum equitumque numerum suo ære conscriptum addidêre copiis Henrici Episcopi sui, quibus Susatum oppugnaret. Tam repente Monasterienses ex amicis Susatensium facti hostes. Quàm insolens & indomitum vulgus, tam pavidum sæpe, potenti metu Principum armorumque incusso.

Subactis in hunc modum fœderatis urbibus, omnem belli molem vertit Archiepiscopus in rebelles urbes suas; traductoque per Ravensbergensem Comitatum & Delbrugiam exercitu, non sine magna sacrorum & incolarum vastatione, Lipstadium primùm est aggressus. Castrisque ab utraque Luppiæ ripa paulò ante festum S. Joannis Baptistæ circumpositis, cœpta magnis animis, totisque exercitus viribus oppugnatio; admotæ bellicæ machinæ: verberata tormentis mœnia; apertæ etiam ad insultum lacunæ murorum. Bohemis non alius labor erat, quàm grandem turrim quassatam dejicere in fossas, ut per ejus ruinam impressio in urbem fieret; quæ cùm omnia eluderet præsidiariorum & civium pro libertate decertantium fortitudo, & duorum præfectorum peritia rei militaris (quorum alterum Conradum Steckium Comes Lippiensis, alterum Comitem Limburgicum imposuerat Dux Clivensis) Archiepiscopus & Dux Saxoniæ, undecimo ex quo cœperunt die, obsidionem solvunt, amissis supra quadringentis ea in oppugnatione armatis viris. Quanquam vindex Numinis manus credita adfuisse, quæ post tot templorum incendia & spolia, post tot sacrilega Hussitarum facinora, pugnavit adversus obsidentes; quando in castris Bohemorum visi sunt milites sacra vasa è templis rapta deponere in lusum alearum, interque se per ludibrium partiri.

Fruſtra obsidetur Lipstadium.

Desperato Lipstadio, exercitus Susato admotus; rati enim si hanc urbem, rebellionis malique caput, Clivensi eriperent; sat magnum omnis militiæ laborisque lucrum habituros. Eò igitur omnis armorum machinarumque furor post festum Apostolorum Petri & Pauli ab Archiepiscopo, Duce Saxoniæ, & Sternebergio Bohemorum Duce conversus. Susatenses ubi didicêre in se vim belli trahi, Ducis Clivensis auxilium supplices implorant. Atque is, quia per id tempus Werlas oppugnabat, deserta obsidione, Susatum advolat, militeomni in urbem introducto, ipse in Cœnobium S. Walburgis, quod ante urbis mœnia erat sacrarum Virginum, cum præsidiario milite stationem figit. Id postquam cognitum ab Archiepiscopo, jubet accelerare

Tentatur etiam Susatum, sed pari & irrito conatu.

celerare Susatum omnem militem, & vim omnem in Cœnobium converti; quod & primo statim impetu expugnatum, Duce ægre in urbem elapso; cæteri cœsi trajectique, etiam is, qui fugientis tergo Ducis inhærebat. Læti hoc successu urbem circumvallant, castraque singuli Ducum partiti firmant. Advocati ad hanc obsidionem Henricus Monasterienſis, Bernardus Hildesimensis, Albertus Mindensis Episcopi, cæterique Comites & proceres cum nobilitate Westphaliæ. Ingens bellatorum multitudo, quæ 80000 millium reputatur, impleverat castra. Decertatum primò crebris velitationibus, quòd Dux Clivensis octingentos equites introduxerat: Inde promotis vineis & tormentorum sedibus, urbs injectis telis & ignibus, tormentorum verbere, omnique machinarum & ingeniorum contentione in quartam hebdomadam oppugnata: tum posttemùm in tanta obsidentium multitudine fames ex sterili simul anno fatigare cœpit. Quare antequam exercitus diffluеret, consultum habuêre, per communem omnium castrorum assultum urbem aggredi, extremamque fortunam per dispendia tentare. Id cùm ex bellico consilio omnes simul laudarent, instituta ingenti apparatu oppugnatio, quæ noctu tribus in locis magna omnium alacritate est facta: admotæ silenter muris scalæ, quæ ternos quaternosve in ascensu caperent; at eæ cùm brevitate fallerent, interque clamores & tumultus irruptio tardaretur, datum est spatium obsessis colligendi milites ac cives ad arma. Diu anceps & atrox ad ipsa mœnia pugna fuit inter scloporum & sagittarum imbres. Archiepiscopus inter primos oppugnantium visus est mœnia subire, clypeo etiam, quem dono Regis Franciæ acceperat, tribus sagittis perfosso. Nec segnior Henricus Monasterienſis Episcopus, frater Archiepiscopi, suis permixtus in ascensu è scalis *turbatur* in fossam, ubi saucius inter cadavera repertus, mortuo quàm vivo similior; quem civis Osnabrugensis Gildeman nomine robusto humero è fossis exportavit. Par mulierum cum viris propugnantium fortitudo fuit; nam dum illi tela, lapides & trabes dejicerent per mœnia in subeuntes hostes; hæ per dispositas ad muros sartagines, & aheна ferventem aquam, pultes, & picem in ascendentium capita sparsêre, pestem omnibus telis magis noxiam, & vulneribus acerbiorem. Ad extremum postquam supra mille & quingenta armatorum cadavera conspecta sunt in fossis, nec vis illa ingenij armorumve aperiret viam in urbem; Archiepiscopus receptu; canendo omnem militem ab obsidione deduxit; nihilque tantis impensis & mole, præter vastationes provinciarum, confectum est; ut haud incongruè accum hunc tumultuarij & insani belli hoc versu consignârint.

NoLIte fIerI sICVt eqVVs & MVLVs, In qVIbVs non
est InteLLeCtVs.

Susatensium defensionem coelesti ope susceptisse creditus est D. Patroclus, urbis patronus; quem tempore obsidionis, atque ultimæ cumpri-

cumprimis nocte oppugnationis, virgines & pueri in templo congregati imploravêre; contra Archiepiſcopo ſupremum Numen adverſari viſum, ex quo ille Eugenium Pontificem tot annis afflixit, alendo ſchiſma Baſileenſis Concilij, concitandoque Germanos adadverſus Apoſtolicam Sedem; & tot barbaros populos in exitium Weſtfaliæ & ſacrorum profanationem introduxit. Quare non Rheſa modò, & media pars urbis Sanctenſis & Lipſtadienſis ſub idem tempus Eccleſiæ Colonienſi erepta, ſed & longè majori jactura Suſatum, Metropolis Weſtfaliæ & Angariæ amiſſum. Et quia Metropolis hæc per donationem Ducatus Weſtfaliæ à Friderico Imperatore, ut ſupra ad annum 1180 retulimus, ceſſerat Philippo Colonienſi Archiepiſcopo duplicique exinde jure ac titulo per ducentos ac ſexaginta annos tenebatur ab Eccleſia Colonienſi; eo turpior jactura conſecuta; quæ & multò damnoſior fuit, poſtquam defectione Ducum Clivenſium à Catholica religione urbs ſimul ad hæreſin tranſiit.

Deſperata urbis expugnatione, nihil Archiepiſcopus ſollicitius habuit, quàm ut Bohemorum gente & moleſta Saxonum, ceterorumque populorum turba provincias ſuas liberaret. Igitur collecta quanta in præſens adfuit pecunia, Bohemis ſtipendia numeravit; qua cùm militum non expleretur cupiditas, iram ac minas vertêre in Archiepiſcopum. Ac niſi ille ad incurſum hoſtium ſeſe Geſekenam ſubtraxiſſet, parum aberat, quin ferro incurrerent in ipſum præſulum. Inde quantum licuit mitigati per Duces, cum innumeris curribus præda Weſtfalica onuſtis, ea, qua venerant, via remigravêre in Bohemiam.

Inter hæc exceſſit hoc anno VII Calend. Martij è mortalium vita Eugenius Pontifex, quocum ante obitum ejus, miſſis Legatis (quos inter Æneas Sylvius Cæſaris orator fuit) Germania plenè in gratiam redierat, abjurata acephalorum factione, quæ ſe mediam hactenus ferre voluerat; id quod Friderici Cæſaris & Electorum cæterorumq; Principum ſtudio potiſſimum factum eſt. Cùmq; inter cætera expetitum fuiſſet à Cæſare & Electoribus, vellet Eugenius Pontifex pro ſua benignitate & clementia etiam Jacobum Trevirenſem & Theodoricum Colonienſem Archiepiſcopum in priſtinum dignitatis ſtatum, à quo dejecti erant, reponere, aſſenſit tandem Eugenius; ſed ea lege, ſi damnata perfidia, abjuratoque Baſileenſi ſchiſmate profiterentur ſe Romano Pontifici impoſterum obſequentes fore. Qua ſuper re adſunt Pontificis literæ Nonis Februarij Romæ apud S. Petrum conſignatæ. Eugenio ſucceſſit in Pontificatu pridie Nonas Martij Nicolaus V. vir ob eminentem Theologiæ doctrinam & ſapientiam ex humili loco ad Epiſcoporum & Cardinalium dignitatem, ac poſtremùm (quod divinum beneficium fuit) una omnium Cardinalium conſenſione ad ſupremum in Eccleſia faſtigium provectus. Ab eo Joannes S. Angeli Cardinalis miſſus in Germaniam Fridericum Cæſarem & Electores convenit in comitiis; ac poſtquam Friderici Cæ-

Obitus Eugenij IV Pont. cui ſuccedit Nicolaus V.

saris auctoritate, & Principum consensu, ea quæ cum Eugenio inita erant, approbata à Nicolao Pontifice; tum etiam omnium gratulatione Nicolaus Pontifex à Germanis acceptus est. Quam in rem Fridericus Cæsar publicum diploma edidit, quo omnes Germaniæ ordines jussit Nicolaum pontificem verum Christi Vicarium colere. Tum verò hydra illa Basileensis Concilij, ut Raynaldus inquit, tanquam fulmine perstricta, elanguere cœpit: proscriptus Amadeus Pseudopontifex: recepti omnes per universam Europam in unum Ecclesiæ gremium, & concordiæ vinculum; interque alios Trevirensis & Colonienſis Archiepiscopi à Nicolao Pontifice integre honori, & sedibus suis restituti sunt. Ac licet Colonienſis Sufatense bellum, reconciliatus cum Apostolica Sede, hoc anno gesserit; pœna tamen infelicis exitus, ob priora in Pontificem delicta, Archiepiscopum non deseruit. Hoc Pontifice post multiplices querelas conventum est demum cum Germanica natione in certa concordiæ capita, quæ concordata Germaniæ appellantur.

Annus Christi 1448.

Nicolai V Pont. 2.
Friderici IV Cæsaris 9.
Theodorici Administrat. 33.

Theodoricus prosequitur bellum Sufatense.

Interim Theodoricus Archiepiscopus in sequentem adhuc annum, tanquam ex fumo incendij, bellum sparsit; quòd ægre admodum jacturam Sufatensis urbis, & insultantem Clivensis Ducis juvenisque fortunam senex ferret. Igitur post discessum peregrini exercitus collegit provincialem militem; cui copias suas confœderati conjunxêre, Henricus Monasterienſis, Bernardus Hildesienſis, Alberti Mindenſis Episcopi: Dux Lawenburgicus, Otto Comes Teclenburgicus, ceterique Comites, quos sibi, clientela devinctos habebat. Horum viribus instauratus, rursus Lipstadium aggreditur, vias atque aditus omnes intercludendo, nequa annona importari posset. Quo ad Clivensem perlato, ad Luppiam movit cum exercitu; ad cujus adventum Archiepiscopus, vastatis circum agris, se intra Angariæ montes recipit. His Dux Clivensis provocatus, Werlas & Tremoniam infestat, fruges & agros depopulando: actus etiam in furcam Secretarius, qui Archiepiscopo multa prodiderat. Tremonienses, quod cum Archiepiscopo fecerant, gravius mulctati. Dux quippe amore Hoerdam & Capellam milite in insidiis collocato, in conspectum urbis progressus, civibus insultat; quo Tremonienses lacessiti, discedere Philippo Nassovio Bonnensi Præposito, incomposito agmine erumpunt; quos Dux in locum insidiarum productos astu militari adortus, quadringentos ex his captivos abduxit Sufatum. Ultus hoc Archiepiscopus, Unnam & Iserlonam Oppida Marchiæ injecto igne cineribus involvit. His ac similibus vastationibus cùm bellum per here-

Tremonienses cœduntur à Clivio.

heretur, Ordines utriusque partis Dusseldorpij conventum indixêre; quo tamen ob partium acerbitatem nihil confectum in negotio pacis. Excessit deinde inter flagrantia adhuc bella 19 Septembris Adolphus Dux Clivensis senior; funereque ad Carthusianorum Cœnobium, quod prope Wesaliam construxerat, deducto, serio tandem de pace pertractari cœpit; quòd tam Archiepiscopus, quàm Dux omnia prope Oppida, castra & telonia pignori oppositissent; tantæque belli impensæ factæ essent, quibus provinciæ exhaustæ, pacem per ipsas suas calamitates efflagitabant; intervenienteque Philippo Burgundiæ Duce, à festo D. Martini ad sequentis anni Pascha induciæ pactæ sunt.

Moritur Adolphus Dux Clivensis senior.

Annus Christi 1449.

Nicolai V Pont. 3.
Friderici IV Cæsaris 10.
Theodorici Adminis. Pad. 34.

Commodum per id tempus adhucdum in Germania versabatur Joannes S. Angeli Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, cujus auctoritate & industria, sicuti Ertwinus retulit, pacis tractatio inter Archiepiscopum & Ducem Clivensem resumpta, ab eoque Trajectum ad Mosam pacis tractandæ locus nominatus est; ubi tandem præsente Apostolico Legato calamitoso bello, his legibus à Legato præscriptis, mense Aprili hujus anni impositus est finis. Juvabit in hanc rem ipsas Legati tabulas, quas à nullo scriptore adhuc productas reperi, proferre; è quibus cùm alia, quæ ad hujus belli exitum expeti possunt, tum fœderatorum nomina partesque belligerantium planiùs recognoscentur.

Ertwinus Litera è Monumentis Werlens.

Bellum Susatense operâ Cardinalis S. Angeli finitur.

Johannes miseratione divina S. Angeli sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, in Germania et nonnullis aliis partibus Apostolicæ Sedis Legatus de latere specialiter deputatus, Ad perpetuam rei memoriam. Ex quo divino nobis assistente adjutorio pro sublatione periculosissimarum guerrarum, quæ aliquamdiu inter Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Theodoricum Archiepiscopum Colonienssem, illustrem Principem quoque Dominum Johannem Ducem Clivensem durarunt, ad hoc deventum est, quod partes jam dictæ se sanctissimo Domino nostro Papæ submiserunt, prout in partium literis nobis desuper traditis, et de quibus contentamur, plenius continetur. Et in consequentiam submissionis hujusmodi via facti et guerrarum de medio tolli, et pars parti pacem dare debet, secundum consuetudinem patriæ. Nos capta informatione super ipsa consuetudine, per potestatem nobis ex submissione traditam in Dei nomine pronuntiamus, viam facti et diffidationes inter præfatos partes amplius cessare, et de medio sublatas esse debere; Ita quod illustris Princeps Dominus Johannes Dux Clivensis, qui primo diffidavit Reverendissimum patrem Dominum Theodoricum Archiepiscopum Colonienssem, diffidationem ipsam tollere debet, et pro se et suis subditis atque omnibus

aliis, qui eundem Dominum Archiepiſcopum propter ipſum Dominum Ducem et pro ejus adjutorio et ſervitio diffidarunt, ac etiam omnibus eorundem adhærentium adjutoribus, qui inferius ſpecificantur; atque ſtrenuo militi Gauvvino de Svvanenborch, et ſuis adjutoribus, extinctis diffidationibus pacem donare debet ipſi Domino Archiepiſcopo, militiæ et ſubditis ſuis, quoad viam facti, ſalvis ſibi et Succeſſoribus omnibus ſuis impetitionibus, quas ipſe Dominus Dux Clivenſis ſe habere prætendit contra ipſum Dominum Colonienſem, à quibus ob hanc pacem nullatenus intelligatur recedere, niſi et in quantum inferius aliquæ impetitionum compenſantur. Sic pariformiter Reverendiſſimus in Chriſto P. D. Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis pro ſe et ſuis ſubditis atque omnibus aliis, qui ipſum illuſtrem Principem Johannem Ducem Clivenſem propter Dominum Archiepiſcopum et pro ejus adjutorio et aſſiſtentia ac ſervitio diffidarunt, ac etiam omnibus eorundem adhærentium adjutoribus, qui inferius ſpecificantur, atque etiam pro nobili Comite Wilhelmo de Lymberch extinctis diffidationibus pacem donare debet ipſi Domino Duci Clivenſi, militiæ et ſubditis ſuis, quoad viam facti, ſalvis ſibi Eccleſiæ ſuæ et Succeſſoribus ſuis omnibus impetitionibus ſuis, quas ipſe Dominus Archiepiſcopus ſe habere prætendit contra ipſum Ducem Clivenſem, à quibus ob hanc pacem nullatenus intelligatur recedere, niſi et in quantum inferius aliquæ impetitionum compenſantur. Debetque ipſe Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus Colonienſis pacem dare ſtrenuo militi, Gauvvino de Svvanenborg pro omnibus diffidationibus, et ſuis adjutoribus, ſalvis ſemper omnibus in pace comprehenſis hic et inferius, ſpecificatis hinc inde ſuis impetitionibus. Impetitiones autem, quas Domini ipſi, Archiepiſcopus et Dux, unus contra alium ſe habere prætendit, exceptis his, quæ inferius ſpecificantur, expedire debent, hac pace firma et ſalva permanente, prout in ſubmiſſionum literis continetur. Specificatio vero eorum, qui in hac parte includi debent, ſecundum cedulam nobis à Reverendiſſimo D. Archiepiſcopo miſſam, hæc eſt, ſcilicet. Illuſtris D. Johannes Dux Clivenſis, ſua dominia, ſua militia, ſui ſubditi, et adjutores, et qui non diffidati ſervitia fecerunt, et dampna intulerunt. Et hy pro quibus etiam hæc pax datur, et qui in pace includi debent, ſunt iſti. Scilicet Reverendi in Chriſto Patres et Domini, Epiſcopi Monaſterienſis, Hildeſenenſis, et Mindenſis, et illuſtris Princeps D. Ludovvicus Comes Palatinus, et Dux Bavariæ, Fredericus et Wilhelmus Duces Saxoniæ, Fredericus Marggravius Brandenburgenſis, Wilhelmus Dux Brunvvyckzenſis, et venerabiles atque nobiles Domini Henricus Comes de Naſſavv Præpoſitus Maguntinus, Gerhardus Comes de Seyne Præpoſitus Aquenſis, Salentius de Iſſenberg Capellarius, et ejus frater Salentius Canonici Colonienſes, atque nobiles Comites Philippus Comes de Caſſennellenbogen, et ejus filius Joannes Henricus Comes de Naſſavv, Theodoricus Comes de Seyne, Philippus Comes de Selinckens, Reinardus Comes de Hannauls, et Philippus ejus filius, Conradus Comes de Redbergh, Henricus et Mauritius Comites de Pyremunt, Comites de Spegelborch, Theodoricus dictus Nynckel, Reinardus dictus in Weſterborch, Joannes dictus in Gemen, et ejus filius Henricus: Opidum Tremonienſe, et omnes ſubditis

Ubique legendum Dominus.

subditi illorum, et adjutores, et his diffidationibus se immiscuerunt, et qui non diffidati servitia fecerunt, et damna intulerunt. Debent etiam illi de militia tam Reverendissimi D. Archiepiscopi Colonienſis, quam Episcopi Monasterienſis, quos ipse Dominus Dux Clivenſis diffidavit, in hac pace includi. Specificatio autem illorum, qui in hac pace includi debent, secundum cedulam, quam recepimus ab illustri Principe Domino Johanne Duce Clivenſi, hæc est scilicet Reverendissimus D. Archiepiscopus Colonienſis sua dominia, sua militia, et subditi, adjutores, et adjutorum adjutores, et etiam hy, pro quibus hæc pax datur; et qui in pace includi debent sunt illi de militia tam Reverendissimi D. Archiepiscopi Colonienſis, quam Reverendi Patris D. Episcopi Monasterienſis, quos ipse illustris D. Dux Clivenſis diffidavit, et qui servitia etiam non diffidati fecerunt, ac dampna intulerunt, Et Reverendus Pater Dominus Episcopus Trajectenſis, nobiles Bernardus dictus de Lippia, Gerhardus dictus de Culenberg, et eorum subditi, et adjutores, et adjutorum adjutores; Opida et subditi patriæ Markenſis, Opidum Susatienſe cum inhabitatoribus. Et ad finem ut sublatio viæ facti quoad Opidum Susatienſe dubio careat, Nos Johannes Legatus antedictus Apostolica auctoritate, absque præjudicio cujuscunque, diffidationes et viam facti, tam quoad D. Archiepiscopum et sibi adhærentes contra Susatienſes, quam quoad Susatienſes contra Archiepiscopum ab hac hora usque ad mensem pronuntiationis aliis nostris literis denuntiabimus. Per hoc tamen non volumus, quod post illud tempus reviviscere debeat via facti aut diffidationum cum Susatienſibus. Cæterum compensationes, de quibus supra fit mentio, has esse decernimus, scilicet, quod omnes captivi unius compensantur cum captivis alterius partis. Itaque omnes captivi hinc inde præstita cautione consueta de non vindicando, quam antiqui Oervede vocant, sint liberi, et omnis eorum promissio in quorumcunque manibus facta sit cassa, etiamsi promiserint pro sua liberatione aliquid solvere, vitare, dare, aut agere; et promissiones qualitercumque etiam firmatæ fuerint, juramentis, fidejussoribus, aut literis perinde haberi debent, ac si forte non forent: Et fidejussores quitari debent, et literæ desuper forte datæ restitui, quæ etiam ex nunc in antea nullis esse debent roboris aut momenti. Similiter interempti per unam partem compensari debent cum interemptis alterius partis, ita quod nulla super his remaneat actio. Sic similiter incendia et rerum mobilium prædæ hinc inde debent compensari. Ab hys excipiuntur ea dampna, quæ tempore treugarum indictarum per vos, hinc inde per transgressores treugarum illata sunt, quæ dampna debent hinc inde reparari, ne quisquam per nostras treugas se dampnificatum conqueratur. Ad finem autem, ut mutua sinceritas pacem firmet, decernimus, quod omnes qui hinc inde sua feuda ob has guerras resignarunt, quod ad illa per Dominos illos antedictos restitui debeant. Et ne in feudis Alberti de Alpen et Crathonis Stecken scrupulus remaneat, ordinamus pro bono pacis, quod Reverendissimus D. Archiepiscopus eosdem denuo, quoad feuda, quæ ab ipso dependent, debeat investire. Volumus etiam quod illi ex subditis, aut adhærentibus, qui ob has guerras non potuerunt gaudere possessione bonorum suorum, aut jurium, aut servitutum ad

utilem

utilem possessionem bonorum suorum, jurium, et servitutum, sicut eam habuerunt ante tempus guerrarum, instruantur impedimentis seniorum: etiamsi se durante publica guerra per judicium allegaverint, in possessionem missos. Similiter etiam subditas Ecclesiasticas personas, quæ ob has guerras beneficiis aut fructibus Ecclesiarum, Monasteriorum, aut beneficiorum spoliati fuerunt, easdem ad possessionem, quam habuerunt, reponendas esse decernimus. Id autem quod maxime oportunum arbitramur pro pacis istius inviolabilis firmitate in hoc residet, quod demum ipsi se mutua charitate salvo jure cujuscunque amplexentur, et studeat alter alteri bono corde complacere. Unde exhortamur eos per viscera misericordiæ Dei, ut omni odio semoto pacem inter se servent, et ad ejus conservationem diligenter attendant, et non patiantur quovis modo hanc pacem rumpi, directe vel indirecte; aut ex suis dominiis, advocatiis, Opidis, aut castris, quæ possident, aut possidebunt, ac subditis suis et Opido Tremoniensi, et aliis in pace comprehensis, ac etiam Marckensi damna inferant, aut inferri quovismodo patiantur, maxime usque ad tempus pronuntiationis sanctissimi Domini nostri secundum formam submissionis prænemoratæ. Neque etiam vindictam expetant ab Ecclesiasticis, vel secularibus, etiam quovis quæsito colore judicii Ecclesiastici seu secularis. Et Reverendissimus D. Archiepiscopus quoad Clerum et populum, qui hactenus guerrarum tempore quadam exemptione usus est, et modo sublatis guerris ad integritatem redit Ecclesiæ Coloniensis, paternam affectionem ostendat, ut non tantum se non gravari, sed potius relevari experiatur juxta literarum nostrarum continentiam; quas super illo articulo concedemus. Et sic gaudent omnes, qui in hys guerris fuerunt, et in pace ista comprehenduntur, omni securitate in alterius dominiis et locis omni modo, sicut ante has guerras gaudere consueverunt. Præcipimus autem Apostolica auctoritate ipsis Dominis et Episcopo et Duci in vim promissionis factæ in submissione per eosdem, ut hanc pacem, et quæ supra scripta sunt firmiter observent, dolo et fraude seclusis. Et quoniam ad finem, ut hæc præscripta inviolabiliter observentur, et ne ob emergentia pacem turbari contingat, opus judicamus aliquo Conservatore, qui nostro nomine nobis recedentibus ad hoc intendat, hinc nobilem virum domicellum Gerhardum de Clivis Comitem de Marcka pro conservatione harum serie literarum deputamus, ita quod si aliqua quæstio tam inter ipsos Dominos principales, quam eorum subditos et Dominos, aut subditos inter se super præmissis in hac nostra pronuntiatione, aut alias, quæ de novo emergi contingant oriatur, super illa quæstione una, aut pluribus, quoties emerserint, scribi debet conquerentem ipsi nobili Gerhardo de Clivis, qui intellecta querela Dominis principalibus scribat, ut ad locum qui sibi aptus videbitur, Consiliarios committant, tot quot judicabit secundum causæ emergentiam oportunos, in quorum præsentia ipse, atque etiam venerabilis Dominus Nicolaus de Cusa Archidiaconus Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi similiter per nos adhoc deputatus per illum domicellum Gerhardum vocandus; seu si ipse D. Nicolaus interesse non potuerit, tunc alius loco sui, quem ipse Nicolaus Archidiaconus ordinaverit, querelam audiant, et audito consilio eorum, qui à Dominis missi fuerint, ad quod

*id quod æquum judicaverint, diffiniant, et quod sic diffinitum fuerit, ipsi Domini, aut subditi acceptent, et exequantur: ita quod executione quovis modo diffinita ultra tempus in diffinitione expressum nullatenus differatur. Reservantes nobis potestatem addendi, quæcunque videbuntur pro bono pacis hujusmodi, et ejus firmitate; et similiter declarandi præmissa, et alia acta agendi, quæ judicaverimus oportuna. Datum Trajecti Leodiensis diœcesis sub sigilli nostri oblongi appensione. Anno à nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo quadragesimo nono. Indictione * tredecima, die vicesima septima Aprilis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini, Domini Nicolai divina providentia Papæ quinti anno tertio.* * al. 12.

Nihil hisce pacificationis literis conventum adhuc, statutumque de summa rei, ob quam bellum susceptum; utrumne videlicet Susatum cæteraque in potestate Ducis Clivensis relinquenda, & in hujus compensationem Satrapia Fredenberga & Bilsteniana cum utroque castro ab Archiepiscopo retinenda? id enim ad ipsius Pontificis judicium, & Apostolicæ sedis decisionem remittere inter partes convenerat; neque à Nicolao Pontifice quicquam hac super re dijudicatum reperio. Certè Calixtus Pontifex, qui Nicolao post successit, Susatensem urbem Colonienſi Ecclesiæ reddendam pronunciavit; quod ipsum deinde à Pio II Pontifice Calixti successore decretum: Quoquo modo aut res indecisa relicta, aut aliter transacta. Retinuit interim Dux Clivensis Susatum & Sanctos urbem, Friderici Cæsaris indulgentia, quæ anno post 1486 impetrata. Tantum est semel armis in possessionem venisse, & cum potentia prævaleas jus legesque ex armis dictare. *Gelenius lib. 2. c. 2. in vita S. Engelb. Kerhovius in Chron. Tremon. Westhovius in Chron. Tremon. Danavverus.*

Vix dum ab hoc fraterno bello domum regressus Henricus Monasterienſis Episcopus, cùm Embslandiam, quæ Septentrionalis diœcesis magna pars est, rebellium armis turbatam reperit. Auctores potissimum Hummelingi, priscæ inter Frisones gens ferociæ; querebantur hi, se contra vetera libertatis jura oneribus & exactionibus à Satrapis premi, indignaque pati; & quia ducem rebellionis nacti Schartium projectæ audaciæ virum ad arma convolant, Neuhusium Satrapæ Sedem obsidione cingunt, nobilium bona spoliant. Quæ postquam Henrico Episcopo nuntiata fuêre, accita nobilitate, ac milite provinciali ad signa, in Embslandiam advolat, factoque in obsidentes arcis Neuhusanæ impetu, in fugam & latibula compellit. Capti seditionis auctores, & suppliciis puniti; cæteris parcitum. Fuerat inter concitores rusticanæ plebis delatus Parochus Aschendorfianus; incidit casu Episcopus in Sacellanum ejus, ratus Parochum esse, innocentique Sacerdoti alapam infligit. Quod factum ita interpretatur Erewinus, ut ex eo tempore omnia improspera Episcopo evenisse velit. Nam haud multò post hoc eodem anno Henricus Episcopus Arensbergam ad invisendum Theodoricum Archiepiscopum fratrem profectus, prope Alenam Opidum cum equo prolabitur. *Chron. Monast. Erewinus in Chron. Osnabrug. Hummelingi rebelles domantur.*

Quo

Quo casu ita letali vulnere afflixit latus, nulla ut inde medicorum ope curari potuerit, eoque altero post anno extinctus sit.

Annus Christi 1450.

Nicolai V Pont. 4.
Friderici IV Cæsar. 11.
Theodorici Administ. 35.

Palatin. S. Antoninus Raynaldus Brouver. in annal. Trevir. Teschem. Chron. M. Belgij.

Jubilæum, confluente ingenti populi multitudine, Romæ celebratur.

Accessit per hæc annus ejus sæculi quinquagesimus, quem edicto per orbem christianum jubilæo Nicolaus Pontifex celebrem fecit, confluente innumera hominum multitudine, qualis ratò admodum visa Romæ fuerit; eòque celebritas hæc lætior fuit, quòd fœdo Basileensis Concilij schismate tandem sublato, ac Felice Pseudopontifice ultro sequoque abdicante, universa Europa in unam denuo concordiam rediisset. Interque viros conspicuos peregre venêre ad urbem ex Germanis Jacobus Trevirensis Archiepiscopus, Jacobus Metensis Episcopus, Albertus Dux Austriæ Cæsaris frater, Arnoldus Dux Geldriæ, & Joannes Cliviæ Dux, inscia matre, cum magno illustrium virorum comitatu, ac nobilitatis flore; tam securus tum pacis erat, inter ipsum ac Colonienſem initæ.

Gerardus Dux Juliæ & Montium Archiep. Colon. cedit provincias suas, post mortem, si prolem non accipiat.

At Theodoricus Archiepiscopus, ut magna semper versabat cum animo, amissi Susati jacturam ingenti duarum provinciarum lucro compensare moliebatur. Quæ res si pro consilio processisset, nemo facilè ante eum Archiepiscopus patrimonium Colonienſe magnificentius locupletasset. Vivebat tum Gerhardus Montium & Juliæ Dux, idemque Ravensbergæ Comes, in matrimonio cum Sophia Bernardi Ducis Angariæ & Westfaliæ filia; ex ea quia per aliquot annos nulla proles susceptа erat, transegit cum Duce, quem sibi familiarissimum habebat Archiepiscopus, centum florenorum millibus pactus, si absque hærede discederet, uterque Montium ac Juliæ ducatus Colonienſi Ecclesiæ junctus transcriberetur. Pactum id in pervigilio D. Jacobi solemni ritu firmatum, & publicis tabulis in celeberrimo procerum ac nobilium conventu consignatum. Subscripsêre præter Archiepiscopum, Decanum, & Canonicos Metropolitanos, Wilhelmus Comes Limburgicus, Gumbrechtus Comes Nuenarius, Comes Vierneburgius, Wilhelmus Weflinghovius, Joannes Rittersheidius, Adamus Oetgenbachius, Joannes Burggravius Reinecensis, Lotharius Quadus, Joannes Gymmenichius, Scheilhardus de Morode, Engelbertus ab Orsbeck, Gothardus Drachenfelsæ Dominus, Theodoricus Beisolius, Gothardus & Hermannus Furstenbergi, Hermannus ab Ense, Arnoldus & Henricus Beringhausius, Fridericus Kettelerus, Conradus Vrede, Henricus Wolfius in Ludinghusen, Bernardus Westerholtus, Rutgerus ab Horst, Godeschalcus Padbergh, Henricus Plettenbergius, alijque Satrapæ, proceres, & equites, universim supra quinquaginta testes. Totidem ferè Gerhardus Montium &

tum & Juliæ Dux produxit è nobilitate primarios viros; qui tabulis hisce fidem consignavêre; quibus accessêre omnia provinciarum Oppida. Nihil pactis his firmius videri poterat; quæ tamen inania fuêre, & spem magnam fefellêre Archiepiscopi; quando post Gerhardus Dux binos ex Sophia Lawenburgica filios totidemque filias suscepit. Compertumque tum magna mortalium consilia dispari Numinis providentia interverti.

Per id tempus, cùm hæc agerentur, Theodoricus Archiepiscopus magno luctu, aliisque turbis obvolutus est ex morte Henrici fratris, Monasterienſis Episcopi, & Osnabrugensis Ecclesiæ Administratoris. Is enim postquam anno superiori ab Archiepiscopo Arnsbergâ rediit in diœcesin suam, ex lapsu equi malè affectus debilitatusque in mortem, secundo die Junij, omnibus sacris provisus, discessit è vita. Corpus Strombergam delatum, humatumque in templo S. Crucis, ubi vivus Collegium XII Canonicorum dotare cœperat, sepositis in hanc rem XII millibus florenorum; quæ tamen pecuniæ summa post excessum ejus, incertum quo casu dolove, interversa præsulem loci sui fundatione defraudavit. Fuit Henricus magnitudine animi, militaribus artibus, administratione diœcesis, & procuratione rerum sacrarum egregius; quippe qui Episcopus diœcesin suam XXVI, Osnabrugensem verò Administrator X fere annos, adversus omnes circum hostes auctoritate, ostensoque armorum terrore, constanter tutatus est. Quare & in utraque diœcesi arces & Oppida ab eo reparata præsidiisque instructa memorantur; interque hæc Ahusia, Ottenstenium, Ransdorfium, Bilderbeca, Stromberga in Monasterienſi; Gronebergа, aliaque loca in Osnabrugensi diœcesi, ad comprimendam etiam nobilium insolentiam, præmunita fuêre; præterque bellum Susatense, magna eo Episcopo in utraque diœcesi tranquillitas fuit.

Crantz. lib. 11. Metrop. c. 30. & 40. Ertwin. in Chron. Osnabrug. Kerssenbroch. in fastis Episcopo Chronic. Monast. Wittius de bello Mersenast.

Mors & encomium Henrici Episcopi Monast.

Eo igitur Episcopo sublato, ingens per utramque diœcesin tempestas consecuta est ex ambientium contentione, & dissidio electionis. Turbo utriusque diœcesis Joannes Comes Hojanus, quem supra sex ennio Osnabrugensium carcere inclusum, & bello Susatensi liberatum diximus. Is primùm Osnabrugum regressus, laborabat pro Erico fratre Colonienſi Præposito, quem ante rejecerant Osnabrugenses, in Episcopum recipiendo. Multa in hanc rem sollicitabat apud Canonicos, Consules, ac cives, immemor omnium malorum, quæ aut ipse intulerat diœcesi, aut quibus ipse tractatus ab Osnabrugensibus. Adeo hominem ambitio excæcaverat. Verùm cùm omnes ordines obsisterent, dicerentque Ericum Episcopum semel auctoritate Concilij Basileensis submotum repeti non posse, multaque in hanc rem adferrent in medium; Comes, ut solertis erat ingenij, ad alia consilia conversus, Albertum alterum fratrem Hojanum Comitem, Episcopum Mindensem, obtulit Osnabrugensibus Administratorem postulandum; quòd is haud secus quam Monasterienſis

Joannes Hojanus agit pro fratre suo Erico, ac deinde pro altero fratre Alberto ad Episcopatum Osnabrug. promovendo.

riensis Episcopus fecerat, ex vicina diœcesi Osnabrugensem simul gubernare ac tueri posset. Quibus permoti Osnabrugenses (quanquam metu magis offensionis, quàm spe commodi) Albertum Administratorem suum postulavêre; missique continuò procuratores & Legati ad Nicolaum Pontificem, qui confirmationem impetrarent. Quam licet ille ob multas justasque causas recusaret; permansit tamen Albertus per tres annos Administrator diœcesis Osnabrugensis; donec Pontificis sententia alia Episcopi electio imperata Capitulo. Quapropter falli dixerim Ertwinum, qui Albertum hunc quadragesimum sextum Episcopum numerat, aut qui illum quinquennio præfuisse tradunt.

Crantz. lib. ii. Metrop. c. 40. Chron. Monast. Kersenb. in fastis Episc. Ertwin. in Chron. Osnab. Wilhelmus Heida in Rudolpho Episcopo Rochold. in Chron. Monast. Cleinsorg. in Chron. Stangef. in Westf.

Agunt pro Episcopatu Monasteriensi adipiscendo Theodoricus Arch. Colon. & Rudolphus Traject. hic pro nepote suo, ille pro fratre.

Laborat & Joannes Comes Hojanus pro subrogando fratre suo Erico.

At longè implicatior turbatiorque res fuit in Episcopatu Monasteriensi, quæ in apertum & multorum annorum furiosum bellum erupit. Mortuo enim Henrico Morsano Episcopo, Theodoricus Colonensis Archiepiscopus pro Walramo fratre, & Rudolphus Trajectensis Episcopus pro Conrado Diepholdio Osnabrugensi Præpositio nepote suo subrogando agebat; atque ejus rei gratia præmissus ad Collegium Cathedrale Conradus Ritbergensis Comes avunculus; quem mox ipse Episcopus consecutus, exequiis defuncti Episcopi interfuit, ducendo secum Comitem Bentheimensem, Steinfurdensem, Culenbergensem, ac Gemensem Dynastam, multosque proceres ac nobiles, quorum opera Canonicos in electionem Conradi nepotis induceret. Turbavit hæc omnia Joannes Hojanus Comes; qui postquam Osnabrugi feliciter sua transegerat, Monasterium advolat, evocatoque Colonia Erico fratre, primùm Canonicorum quorundam animos pertentat, ac multis promissis demulcet; à quibus cùm in speciem se magis susciperetur, quàm re ipsa spem sibi fieri intelligeret, animum adjecit ad urbis gratiam sibi demerendam, primoque congressu quorundam Senatorum, Tribunorum plebis, ac civium animos sibi devinxit. Inde ut cives sibi arctius conciliaret, convictus facere, sympos̃ia publica instituere, agitare convivia (ad quæ passim nullo discrimine primores urbis & promiscuum vulgus confluxit) in his præsentem Ericum fratrem ostentare, & alios precando, alios svadendo, alios hortando trahere in partes suas. Nulli itaque qui non Ericum Episcopum cum geniali fratre exoptarent, quibuscum urbi felicitas, & civibus omnis hilaritas & libertas obventura esset. Et Comes quidem brevi rem eò deduxit, ut Magistratus Legationem decerneret ad Hermannum Langium Decanum, qui Schonefluid Amasim in arce cum aliquot Canonicis versabatur. Legationem hanc ipse Bernardus Kerkeringius cum Tribunis plebis suscepit, ubi consul exorsus, adesse se, inquit, Magistratus & totius urbis nomine rogareque, ut in electione novi Episcopi ante omnia rationem publicæ pacis & concordiæ habere velint; quam in rem nihil Magistratui consultius videri, nec civibus gratius fore, quàm si Ericum Hojanum

num deligant: id spectatam Erici virtutem, id Ottonis Hojani patrui & Episcopi tam præclarè meriti beneficia, id Hojanæ familiæ decus mereri; aut si minus Hojanum velint, deligant quemvis alium, modò Walramum Archiepiscopi Colonienſis fratrem excludant. Ad ea Hermannus Langius Decanus facturum se suosque, respondit, quod ex æquo bonoque diœcesis futurum esset.

Haud multò post accedunt Legati à Theodorico Colonienſi Archiepiscopo ad urbem missi; pro quibus licet Archiepiscopus commeatum liberumque ingressum petiisset, urbe tamen, in qua jam Comes Hojanus dominabatur, excluduntur. Ac postquam inter cives vulgatum, adesse Legatos Archiepiscopi, qui pro Walramo sollicitent; Hojano concitatore, exorta civium seditio palam vociferantium, non alium quàm Ericum Hojanum à se recipiendum Episcopum. Quo plebis tumultu territus Rudolphus Trajectenſis Episcopus, & ipse cum suis urbe excessit. Eo metu quoque Canonici perculsi, ex urbe emigrant; quos Decanus Dulmaniam ob id ad liberum electionis locum evocavit. Eò Colonienſis quoque Archiepiscopus, Gerhardus Dux Montium & Juliæ cum magno procerum comitatu advenêre, patrocinium opemque Canonicis pollicendo. Instituta proinde est quinto Julij electio in Sacello S. Clementis, & præsentium suffragiis deligitur Walramus Episcopus; quibus alij, qui in urbe remanserant, accessêre, duobus duntaxat exceptis. Erat verò Walramus, Scriptorum judicio, pietate & modestia egregius, juris sacri peritissimus, ætate quidem ac sago militari fratribus minor; sed toga & religione præstantior, ijsque virtutibus exornatus, ob quasi à Pontifice illi etiam galerus Cardinalium designatus est. Facta electione, extemplo missi Romam, qui Nicolao Pontifici electionem à se rite factam renunciarent; quam Pontifex remisso diplomate ratam habuit. At postquam electio hæc per urbem increbuit, tum verò cives tumultuari, criminari canonicos, damnare electionem, intentare Clero per omnes minas direptionem bonorum, & projectionem in exilium. Post quæ duo Canonici, qui in urbe permanserant, seu metu furentium civium, seu factionis studio, in locum Concilij ingressi Ericum Hojanum Episcopum à se electum renunciant. Id ubi ad nobiles quosdam & tribunos plebis relatum, electionem hanc læti excipiunt; tractoque in partem Clero secundario, & Monasteriis quibusdam Monachorum, literas consignant, quas ad Pontificem mittunt Romam, rogando, ut pro publico pacis bono electionem hanc ratam esse velit his multæ in Walramum confictæ criminationes additæ. At Pontifex, qui jam certius syncriusque de Walramo ejusque vitæ integritate edoctus erat, publico anathemate perstringit eos, quotquot Walrami electionem in posterum ausi fuerint impugnare. Has Pontificis literas, ut eluderent, appellant ad Pontificem melius informandum, easque ad publicas templorum valvas affigunt; quæ

Canonicorum suffragiis eligitur in Episcopum Monast. Walramus de Mörsa: & à Pontifice confirmatur.

Contrà eligitur à duobus Canonicis Ericus Hojanus, & à civibus ac clero secundario recipitur. Sed à Pontifice rejicitur.

cùm nocturno tempore alibi revellerentur, alibi humano stercore fœdarentur, Hojanus Comes & cives in furorem acti, promiscue in Clerum vertere vindictam, & quos suspectos habuêre, in vincula rapere; Jam novo seditionis motu urbs plena erat, nec aliæ populi voces audiebantur, quàm Hojanum Tutorem poscentes; atque id cùm à Magistratu plebs peteret, respondit ille, se cum cæterarum civitatum Legatis, qui ob id in urbe attinebantur, hac super re deliberaturum. Non his acquievit plebs, Comitem Hojanum Tutorem, etiam minis intentatis, ausa postulare. Hunc enim unum esse illum virum sibi submissum, qui auctoritate, belli peritia, & viribus familiæ non modò urbis libertatem, sed & diœcesin adversus Walramum obtrusum Episcopum, & Colonienſis Archiepiscopi dominatum tueri posset, à quo non aliud sibi jugum, quàm Susato parari recognoscerent. Ad has importunas plebis postulationes, quòd grandius secum malum traherent, quàm cœca plebs videret, tergiversari & resistere Senatus; eóque magis, quòd cæterarum etiam urbium Legati in consilium vocati dicerent, nihil sibi in deligendo Tutore in mandatis esse. Nihil his mitigata plebs, accensaque quorundam nobilium conspiratione (quorum Duces, Joannes Vechtorsius, Ludolphus Oerius, Engelbettus Langius, Bernardus Asbeckius, alijque) curiam ingrediturum mortem Consulibus minitando, nisi Hojanum Tutorem sibi permittant. Consules in hanc necessitatem compulsi, sub noctem Hojanum cum Erico fratre in prætorium vocant; quibus jurata fides, Hojanusque Comes Tutor & rector urbis renunciatus est, Magistratus interim impendentium calamitatum sat præscius, populum monet, fore, ut brevi hujus tutoris eos pœniteat. Sed jam Magistratus laxiori frenum Tribunis plebis & civibus permiserat, quàm ut reprehendi possent. Ab hac civium seditione funesti hujus belli initia, quod à biennio multis etiam prodigiis igneæ nubes, & insolitæ cœli facies supra urbem in aëre pendentes, & per diœcesin sparsæ denunciarunt.

Plebs Magistratum cogit, ut Comitem Hojanum Tutorem urbis deligat.

Raynaldus in histor. Eccles. Brovver. lib. 19. Annal. Trevir. Chron. M. Belgij.

Annus Christi 1451.

Nicolai V Pont. 5.
Friderici IV Cæsaris 12.
Theodorici Archiep. & Administ. Pad. 36.

Inter has Westfaliæ turbas, sub exitum prioris anni, missus à Nicolao Pontifice Nicolaus Cusanus S. Petri ad vincula Cardinis presbyter cum amplissima indulgentiarum potestate, quæ, sacro jubilæi Romæ celebratis, anno proximo per Germaniam & totam Europam promulgatæ erant. Munus ei impositum à Pontifice, ut omnes Germaniæ provincias obiret, populumque ad jubilæi indulgentiam invitaret; tum & collapsam in Ecclesiis & Monasteriis disciplinam instauraret. Fecit id Cusanus admirabili cum fervore & fructu

Nicolaus Cusanus, Pontificis Legatus, Germaniam cum magno fructu perlustrat.

fructu, peragrando Austriam, Thuringiam, Saxoniam, Westfaliam, ubique Apostolico ritu sacrificium missæ celebrando, synodos convocando, Clerum formando, Cœnobia lustrando, palam ubique in Ecclesia, aut in foro etiam, concionando; ut lingua patria & Teutonica disertissimus erat Orator, Cusæ quippe ad Mosellam natus; quam ob rem tanquam è cœlo submissus Apostolicæ sedis Nuncius ubique exceptus est.

Coloniæ Synodum Episcoporum instituit.

Is hoc anno Treviri Coloniam venit, celebremque ea in urbe Episcoporum synodum habuit, cui & ipse Cusanus Apostolicæ Sedis Legatus præsedit. Multa in ea laudabiliter xv decretis ad Cleri populique mores instaurandos ex prioribus synodis repetita, sancitaque sunt; horumque postremum est, ne augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, præterquam in octava corporis Christi & raris per annum festis diebus, publicè exponatur; idque ex Episcopi facultate, & cum magna veneratione fieri præscribit. Colonia, quantum ex auctore Chronici *Belgij* colligas, in Saxoniam digressus est. Nam, ut ille retulit, Magdenburgi frequentem quoque Episcoporum & Cleri synodum celebravit; in qua cùm indulgentias promulgavit, tum earum vim & rationem eruditè pro concione ad populum explanavit: sustulitque multos ex mentibus vulgi errores; tanquam indulgentiis venalis proponeretur peccatorum condonatio, quæ tantùm ad pœnas, quæ post hanc vitam expiandæ remanent, exsolvendas ex thesauro Ecclesiæ dispensantur.

Uti & Magdenburgi.

Magdenburgo digressus Cusanus, reliquam Saxoniam peragravit; delatusque Mindam ad Visurgim, honorificentissimè à Clero & populo excipitur. Qua in urbe, ut fasti eorum memorant, solemne missæ sacrificium & concionem ad populum habuit; ab eoque Monachi istic ordinis D. Benedicti, evocato ad id Abbate Bursfeldiensi, secundum priscas severitatis leges formati: Moniales vagæ ad claustra revocatæ; disciplina cleri propè istic emortua juxta decreta synodi Colonien sis resuscitata.

Mindæ collapsam cleri & religiosorum disciplinam restaurat.

Quas verò præterea urbes Westfaliæ adierit, Scriptorum nostrorum inertia desideramus. Daventriam inde & Swollas accessisse, & celeberrimum per id tempus Cœnobium Windescheimense, florentemque Canonicarum Virginum congregationem invisisse, idem auctor Chronici Belgij memorat. Non facilè Apostolicæ Sedis Legatus à multis annis conspectus hisce in locis, qui ubique majori veneratione exceptus cultusque sit: vir quippe munerum contemptor, cibi potusque modici, comitatus modesti ac religiosi, in quo omnis vitæ cultus exemplar Apostolici viri spirabat. Quo virtutum & sanctimoniæ conspectu majorem ille populi venerationem, quàm cæteri Episcopi & Principes ex omni splendore & magnificentia aulæ, consecutus.

Hac profectione Cusanus etsi magnam Saxoniæ Westfaliæque partem perlustrarit; Osnabrugum tamen & Monasterium non accessit; quòd ijs in urbibus omnia conturbata videret ex Episcopi electione,

ctione & flagrantibus inter clerum populumque diſſidiis: ac præterquam, quòd utriusque loci de Epiſcopo contentio ad Nicolaum Pontificem relata eſſet; tum vulnus longè majus erat, quàm ut medicam Legati manum ferret.

Joannes Hojanus Tutor urbis delectus Diœceſin Monaſterienſem ad ſuam fidem compellit.

At in nulla parte Weſtfaliæ perturbatius agebatur quàm Monaſterij. Quippe Hojanus Comes nova Tutoris dignitate imperioque urbis potitus, ingentes animos extulit; nihilque ad firmandam potentiam ſollicitius habuit, quàm cives armare, militem ſcribere, ſollicitare vicinorum Principum auxilia, eorum cumprimis, quos Mörſanis ex Suſatenſi bello infeſtos noverat, interque hos primum imploravit Joannis Ducis Clivenſis opem; ſed eo nondum ex paleſtinæ peregrinatione domum reverſo, Maria Burgundica mater, fœmineis etiam odiis in Mörſanos accenſa, prolixè auxilia addicit, ſubmittitque; id cum & alij facerent, cum armatis civibus & militaribus copiis urbem egreditur, occupaturus Oppida & caſtra, priusquam in Walrami electi Epiſcopi fidem & manum venirent. Quæ res illi pro voto ſucceſſit; primoque incurſu Wolbecam, Saſſenbergam, Strombergam, Dulmaniam, quòd nullis præſidiis proviſa eſſent, intercipit. Redijt per hæc Dux Clivenſis in provinciam, rogatuque matris & procerum fœdus cum Hojano jungit; ipſe deinde Dux in caſtra Hojana profectus, multa de ratione belli conſilia confert; & quo firmiori fœdere Hojanum ſibi innecteret, pedemque in diœceſi Monaſterienſi collocaret, Hojano viginti millia florenorum mutuo dat; quibus Dulmaniam & Strombergam munitiſſimas arces pignoris loco poſſidendas accepit. Inde junctis armis, nihil Archiepiſcopum Colonienſem, nihil Gerhardum Juliæ & Montium Ducem, ac Walramum veriti, ſocialia belli arma jungunt: unoque armorum impetu Rambſtorfium, Vredenam, Halterenam, Horſtmariam, Teldgetum, Schoneflitam, Reinam, Bilderbecam, Sendenhorſtium expugnant, & cum his maximam diœceſis partem in deditionem compellunt. Ac ne ſeditionis ſpecie hæc agere viderentur, juſſi ſunt præfecti arcium tantisper excedere, dum de certo Epiſcopo inter ordines conventum eſſet, qua fallacia Præfectum ex firmiſſima arce Bevergerdiana elicuêre, aliumque ſibi fidum impoſuêre; quibus etiam artibus magnam partem Cleri & Monachorum ad ſe traxêre: hæc qui abnuerent, nec in ſuam factionem tranſirent; illis ſpolia, exilia, carceres, & ſupplicia intentata ab Hojanis. Ad hunc conturbatum urbis ſtatum, quo omnia ad placitum Tribunorum plebis & civium agebantur, exceſsêre primarij Canonicorum ex urbe, Henricus Droſtius Præpoſitus, Hermannus Langius Decanus, Hermannus Bereren Scholaſticus, Hermannus Merfeldius Theſaurarius, Theodorus Havenus Vicedominus, quos & alij plerique Canonici & multi clerici ſecuti ſunt. His hoſtium injuriis provocatus Walramus Epiſcopus, arma ſacra corripit, Hojanumque & Ducem anathemate percellit

Walramus Ep. Hojanum & Clivenſem excommunicat.

cellit, Clivijque provincias sacrorum usu interdicit. Clivius religione ductus, ab his per Eistadensem Episcopum se liberari petit, & impetrat. Hojanus sacrorum omnium contemptor ridere hæc, & multò tumultuosius agere; atque ut militem ad omnia facinora promptum haberet, omnem pecuniam, quæ vel in ærario publico servabatur, vel apud Magistratum aliosque potentiores depositа erat, ad se deferri, & militi in stipendium dari jussit. Et cùm cæteris ipse Hojanus egentior urbem intrasset, bona Episcopi & Collegij Cathedralis tanquam in Fiscum redacta ad se atque aulæ suæ splendorem traxit: ærario deinde duo Canonici & duo cives præfecti. Ut verò fulmina Pontificis à se averterent, misêre primùm Romam abjectum sacerdotem, qui non nisi Româ explosus redijt. Huic malo ut maturiori aliquo consilio occurrant, convocant ordines ad comitia in Larensem campum: ad quæ nobilitas Episcopi, Consules, & civitatum Legati magno numero convenêre. Ibi etsi Erwinus Comes Benthemensis, alijque integrioris consilij viri causam Walrami Episcopi constanter propugnarent; factiosorum tamen judicio & importunitate decretum, Erico castrum Horstmariense attribuendum esse, petendumque à Pontifice, ut Ericum sibi Episcopum permittere velit, ejus rei gratia duo rursum presbyteri Romam missi, qui id ordinum & pacis nomine sollicitarent; cætera tantisper, ut constituta occupataque erant, in quiete bona permanerent.

Ahusia ab Hojano obsidetur.

Sed & hujus quietis impatiens Hojanus, mense Octobri Ahusiam, quæ sola fere restabat in fide Walrami, copiis ex urbe Monasteriensi eductis obsidet, acriterque oppugnat. Verùm præter spem operosam cassamque obsidionem expertus, quòd castrum Oppidumq; Rudolphi Ultratrajectensis Episcopi milite valido instructum esset; eò & Hojanus furiosius oppugnare, lignea circum propugnacula ex congestis trabibus exstruêre, machinas admovere, tormentis verberare. Illusêre hæc præsidiarij; factaque eruptione, grande Monasterienſium tormentum, quod ab impressione Sturwaldiam dixêre, intercipiunt, magnaque hostium insultatione in Oppidum protrahunt. Tracta interim pertinaciter obsidio, dum Comes Benthemensis, Dynasta Ghemensis, Castellani, Novicastrenses, cæterique confœderatorum, expugnato hostium propugnaculo, cæsisque centum Hojanorum, Ahusiam obsidione liberant.

Comites Oldenburgici Frisoitam & Wildeshusium intercipiunt.

Irruperat per hæc Mauritius Comes Oldenburgicus in Septentrionalem diœcesin, captoque Frisoita Oppido, magnas pecorum prædas ex agro Vechtensi abegerat in comitatum suum. Jam ante Gerhardus Oldenburgicus Comes festo D. Laurentij Wildeshusium interceperat, &, tanquam diœcesis vicinis in prædam data esset, Monasterienſi Episcopo subtraxerat. Quibus cognitis, Hojanus & Gerhardus Kleihorstius Consul, raptis undique copiis expeditionem accelerant in Embslandiam, adactisque in deditionem Meppena, Vechta,

Joannes C. Hojanus Ems-

landiam irrumpit, & sui juris facit.

Vechta, Cloppenburgo, Haselünna, omnem illam partem diœcesis sui juris faciunt. Inde Hojanus victoris jactantia Monasterium regressus, omnia pro imperio administrat, ipse Consul, Senatus, urbis tutor, ac princeps totius diœcesis. Tantos jam spiritus ex sexennij apud Osnabrugenses carcere resumpserat, homo tam projectæ audaciæ, quàm omnia illi pro voto succedebant; ut ex magna fortuna, quæ civium insolentiâ in manus data erat, sese non caperet amplius; visaque Susatensium rebellio, adjuvante iterum Clivensi, Monasterium demigrasse, in eaque urbe novam calamitosi belli sedem, qua tota Westfalia jactaretur, collocasse.

Annus Christi 1452.

Nicolai V Pont. 6.
Friderici IV Cæsar. 13.
Theodorici Administ. Paderb. 37.

Hæc eò liberius patrata, quòd Fridericus Cæsar procul in Austria absens, pacem Westfaliæ remissius tractaret, totusque esset in apparatu expeditionis Italicæ, ad coronam augustalem ritu majorum sumendam. Iter mense Novembri ingressus est, adscito in comitatum Alberto fratre, Ladislao adolescente Ungarorum Rege, & splendidissima Austriæ Bohemiæque nobilitate, quem ingens ex Suevia, Franconia, & Rheni provinciis procerum ac nobilium multitudo ultro secuta. Superatis Alpibus, Italiam ipsis Calendis Januarij anni hujus consequentis intravit, mirifico ubique populorum concursu exceptus, demirantium procerum decorumque corporis habitum, & speciosos Germanorum Juvenum vultus. Senis commorantibus adducta sponsa Leonora, Eduardi Regis Lusitaniæ filia, præclaris animi & corporis doribus virgo. Ad Idus Martij Romam versus progreditur; cui tota Romana nobilitas & Apostolicus senatus se obviam dedit. Ab his Cæsar sub aurea umbella ad gradus Basilicæ S. Petri deductus, ubi Nicolaus Pontifex in eburnea sella considens, circumstante Cardinalium senatu, Fridericum benignè allocutus excepit. Idibus Martij apud S. Petrum, quod rogârat Cæsar, à Pontifice Longobardorum Rex coronatus, ac Leonora per Oratores desponsata, inter Missarum solemnia à Pontifice matrimonio devincta est. Postridie augustalis solemnitas cœpta; ac primùm Cæsar, post Leonora imperiali corona decorati. Cæsar inde Neapolim digressus, Alfonsum Aragonum Regem salutavit; lustratisque Italiæ urbibus ac locis in Germaniam regressus, delatusque in Austriam, Ladislaum matris sua exsolutum Ungaris Regem permisit, variis exinde fluctibus accidentibus scenis agitatum, quemadmodum à Nauclero aliisque narratur.

Cæsar Italiam ingreditur.

Et Romæ Coronatur, ducta in uxorem Leonora, Regis Lusitaniæ filia.

Bellum Monasterienſe hoc anno aliquanto remissius tractatum est armis, seu quòd Dux Clivensis à Philippo Burgundo avunculo implorato

ploratus adverſus rebelles Gandavenſes pugnârit: ſeu quòd cum Theodorico Colonienſi Archiepiſcopo novis controverſiis commiſſus, & Monaſterienſis diœceſis ordines, pertæſi ruinas conturbatumque ſtatum, adſpirabant ad ſtabilem concordiam; interpellatusque Dux Gelriæ, Zutphaniæ conventum indixit. Acceſſêre Monaſterienſes Conſules cum duobus Tribunis plebis, è Collegio Cathedrali Hermannus Langius Decanus cum aliquot Canonicis, è nobilitate Gerhardus Morian & Goswinus Kettelerus, alijque Monaſterienſes & Gelriæ proceres. At poſt longam rerum tractationem omnis labor caſſus fuit. Major ſpes data in Nicolao Cuſano Cardinale, Legato Pontificis, quem & Trirhemius hoc anno in Germania præſentem ſiſtit. Is controvertentium partes Arnheimium evocat, anathemate Monaſterienſibus intentato, ni compareant. Ac cæteri licet non inviti; Monaſterienſes tamen congreſſum detrectârunt, deluſo optimi Legati Apoſtolici conatu. Auſique per hæc Monaſterienſes cum Hojano ſuo ſignifero arcem Gerhardi Keppelij, quòd pravis ſuis conſiliis inter omnes Dynaſtas conſtanter obſiſteret, aggredi, bellicisque machinis oppugnare; quam cum Keppelius armis non minus quàm conſiliis invictus fortiſſimè propugnaret, coacti ſunt Monaſterienſes turpi acceſſu obſidionem ſolvere. Arcem hanc póſt Hermannus, amiſſo unico herede filio, convertit in celebre Wedderanum Carthuſianorum Cœnobium.

Dux Gelriæ pacem Monaſterienſem fruſtra tentat.

Et Nicolaus Cuſanus Apoſtolicus Legatus.

Hojani Wederenam oppugnant.

Sub Autumnum tertius ordinum conventus indictus Coesfeldiæ, loco partium intacto, auctore Gerhardo Morian diœceſis Mareſchallo convenêre omnium ordinum Legati frequenti numero. Ex his delecti XVI viri eqneſtris ordinis, totidem ex civitatum Legatis: additi Clivenſis Ducis Legati; quorum arbitrio ac deciſioni omne pacificationis negotium datum, cui omnes acquieſcerent. Horum igitur ſententia fuit quieſcendum ab armis, Oppidaque & caſtra relinquenda in poteſtate Ordinum & Præfectorum. donec à Pontifice certus Epiſcopus imponeretur. Satis nimirum intelligebant viri prudentes, nunquam ſeſe ex his turbis, ut poſtea compertum eſt, ſine ſuprema Pontificis auctoritate ac deciſione evolvi poſſe. Læti quietique omnes ad hunc conventum pacis; urbs cumprimis Monaſterienſis, in quo feſti ignes, campanarum compulſatio, in templis gratiarum actio, & gratulantium voces in foro & compitis auditæ. Hic verò cùm omnibus benè eſſet, nulli pejus fuit quàm Hojano Comiti, quòd hæc concordia imperium ſibi obrogandum, & ad Pontificis judicium appellatum intelligeret, quo nihil illi magis inviſum erat. His igitur adeo exacerbatus eſt, ut illico ſeſe ex urbe in Comitatum Hojanum profugus ſubtraxerit; quem mox Magiſtratus literæ ſubſecutæ ſunt, quibus monebatur, ne prius in urbem rediret, quàm à Magiſtratu revocaretur. Verùm, ut inquietum erat hominis ingenium, non ſibi temperare potuit, quin ad aſſuetum urbis imperium, &

Coesfeldiæ aliqua ratio concordiæ initur.

prædæ dulcedinem feſtinaret; rurſumque in pervigilio D. Thomæ ad caſtrum Teclenburgici Comitis acceſit propius, quocum per feſta Natalitia Chriſti de reditu in urbem Monaſterienſem conſilia agitare cœpit. Vix dum feſti dies effluxerant, cùm denuo in urbem penetravit, alteramque concitatæ plebis ſcenam dedit: luculentum ſimul documentum, quantum vel unum turbulentum caput in perturbanda Repub. valeat.

Amoto Alberto, Pontifex ſubrogat Rúdolphum Diepholdium Epiſcopum Oſnabrugenſ.

Hoc præterea anno Nicolaus Pontifex Albertum Mindenſem Epiſcopum, quem ante triennium Oſnabrugenſes Adminiſtratorem ſuum delegerant, ab hoc munere ſubmovit, cùm alias ob cauſas, tum quod factionem Hojanorum adverſus Walramum Monaſterienſem Epiſcopum armis ſocialibus aleret: juſſitque Canonicos Oſnabrugenſes alium Epiſcopum legere; in quo cùm illi tardarent, Pontifex Rudolphum Diepholdium Oſnabrugenſibus Adminiſtratorem dedit, virum ea tempeſtate magnæ auctoritatis ac potentiæ, Hojanæque factioni apud Monaſterienſes infeſtum; id quod conſilio Theodorici Colonienſis Archiepiſcopi factum opinari libet.

Annus Chriſti 1453.

Nicolai V Pont. 7.
Friderici IV Cæſaris 14.
Theodorici Adminiſt. Paderb. 38.

Conſtantinopolis à Turcis capitur. *Naucleru Trithemius. Chron. M. Belgii. Raynaldus in Hiſtor. Eccleſiaſt.*

Annus dehinc quinquageſimus tertius ſeculi advenerat, luctuoſus, ſi quis alius, orbi Chriſtiano. Hoc enim anno expugnata à Turcis Conſtantinopolis: trucidata immani laniena innumera Chriſtianorum multitudo, milites, cives, ſacerdotes, Monachi, religioſi, ſacratæ Deo Virgines, viri, mulieres ac juvenes; non ſexui non ætati parcitum: Conſtantinus Palæologus Imperator in ipſa porta obtritus, & capite truncatus, quod deinde per caſtra circumlatum. Poſt cædes hominum furor barbaricus verſus in ſacrorum templorum & Cœnobiorum profanationem ac ruinas: Baſilica S. Sophiæ, toto orbe celeberrima, verſa in equorum ſtabulum: crucis effigies, imagines, Divorum reliquiæ aut in cœnum projectæ, aut per ludibria pedibus proculcatæ; nihil uſpiam ſacrum relictum, ne veſtigium chriſtianæ religionis ſupereſſet; ſicuti & SS. Patrum libri in mare projecti. Hoc urbis exitio, & Imperatoris interitu Orientale Imperium ad Turcas translatum, juſta Numinis pœna. Quemadmodum Nicolaus Pontifex paulò ante Imperatori eventurum vates ſcripſerat. Quippe Græci, quam cum Eccleſia Catholica in Concilio Florentino concordiam inierant, eam perfidè rupêre, ad ſchiſma relapſi; & qui Spiritum S. à Patre & Filio procedere negabant, ipſis ſacris Pentecoſtes diebus in manus barbarorum venêre. Agebantur hæc, Regibus & Principibus chriſtianis per univerſam Europam aut odijs inter ſe diſſidentibus, aut armis digladiantibus.

Boruſſia

Amittitur Boruſſia ob ſævitiam Teutonicorum in Boruſſos exercitam.

Boruſſia quoque, quæ hactenus Weſtfalicæ nobilitatis palæſtra fuit & tropæum chriſtianæ religionis importatæ, adverſus Magiſtrum Teutonicum quinquaginta urbium & Oppidorum conſpiratione rebellare cœpit. Imploratoque Poloniæ Regis auxilio, bellum graviſſimum arſit, quo ſupremus Magiſter atque ordo, qui ſe hactenus Regibus pares ferebant, devicti, exutique majorum dominatu; cujus pars rebellibus Boruſſis ceſſit, pars Regi Poloniæ; interque urbes Mons regius, Mons Mariæ, Gedanum florentiſſimum ejus regionis emporium, ad Polonos defecêre. Cauſa rebellionis ſævitia Teutonicorum in Boruſſos, qua ſe tractari querebantur. Tam commune tum malum erat, non modò per Saxoniam & Germaniam, ſed & per Septentrionem, urbium rebellio, affectantium ampliorem ſemper libertatem; quam poſtea ex Lutheri hæreſi, excuſſa etiam majorum religione, multò inſaniorem invenêre. Idem furor Monaſterij hoc anno repetitus à civibus.

Joannes Hojanus urbem Monaſterienſem rurſum ad rebellionem excitat.

Enim vero poſtquam Hojanus Comes ſub exitum anni prioris in urbem irrepſerat, per quàm anxius fuit Magiſtratus, uti importuni hominis præſentia ſe liberaret; ac nihil conſultius habuit, quàm egenti conſuetæ vitæ præſidia, familiæ victum & impenſas, equis etiam pabulum ſubtrahere; quòd perſuaſi eſſent, fore, ut domeſtica egeſtas hoſpitem lautis aſſuetum urbe expelleret. Id ubi callidus homo advertit, cœpit veteres amicorum animos & loculos ſollicitare, tantumque pecuniæ credito accipere, quantum illi ad novam ſcenam, quam reparabat, neceſſarium eſſet. Inde Sympoſia denuo gratis dare: ad convivia invitare cives, & invitatus nullius menſam ſpernere, Comes inter primarios, cives inter plebeios: ſingulis pro ſua ſorte & ingenio ſe ultra offerre & fingere; ac poſtquam civium animos rurſum ſe occupaſſe vidit, tum conventicula inſtituere, ordinum conſilia damnare, publicæ pacis conventum per jocum explodere, longe meliorem Reipublicæ formam fortunamque polliceri, ſi modò ut antea ſe Ducem ſequi velint. Quibus in privato perſuaſis, populum palam in area Baſilicæ, quem Campum Dominicum dicunt, convocat in concionem. Ibi ille coram circumfuſa multitudine perorare, oſtentare ſua merita, dilaudare civium fortitudinem, exigere fidem, quam ſibi & Erico fratri juraſſent. Stabant arrecti cives, ſingula Comitis dicta, geſtus nutusque approbantes; quorum ille animos, ut vehementius accenderet. Quid, inquit, nunc lenti ſpretique agitis cives? veſtra conſtantia & virtute militari ſubacta totius prope diœceſis Oppida & caſtra, quæ nunc vobis inconſultis traduntur in alienas manus: maximum ordinum robur in urbis veſtræ potentia, ſumma veſtra auctoritas hactenus apud omnes, quò illa per contemptum recidit? quando ne auditis quidem civibus, ego tutor veſter, & è vobis delectus frater meus Ericus Epiſcopus exauctoramur: unum veſtrum noſtrumque Imperium hactenus fuit, quo ab ingratis ordinibus ſpoliamur. Walramum-

ne Theodorici Archiepiscopi fratrem feretis Episcopum & Principem vobis imponi? dominatum videlicet Morsanorum, & cum eo jugum & servitium urbis vestræ suscipietis? annon ante oculos vestros Susatum, & in eo tot fortes cives, pristinæ libertatis vindices? extrema illi maluêre, quàm id jugum subire; & fortuna illis adfuit ex eorum constantia; vobis exemplum proponitur. Satisne Henricum horum fratrem experti? quam ille servitutem explere non potuit morte præreptus, hanc à Walramo fratre exspectabitis? Vestro ego rogatu & bono Ducem Clivensem attraxi in fœdus nostrum & auxilium, eo belli socio, ejus armis diœcesin vestræ potestatis feci, ut eo libertatis vindice Susatensium libertatem in hanc urbem & diœcesin introducerem; quem nunc pari contemptu, quo me & Ericum fratrem abjecistis. Quæ hæc fides, quæ religio fœderis, quæ injuria tanti Principis? creditisne Clivium hæc inulta laturum? sed hæc omnia facilè corrigi possunt, si & vos, & præfecti castrorum Oppidorumque Erico fratri meo rursum fidem juretis, & me in eam, qua dejectus sum, Tutoris dignitatem potestatemque reponatis.

Multa hujusmodi Hojanus Comes; ad quæ tantus civium motus exarsit, ut facta conjuratione in curiam prorumperent, & postulato Comitis satisfieri urgerent. Et cùm Magistratus responderet, fas sibi non esse Ordinum decreta mutare, instare vulgus & fremere. Territus Consul Wickius, ad mitigandos civium animos Tribunos plebis appellat; eò furiosius plebs hortante Hojano Magistratum sollicitare, pulsare ostia, intentare minas. Obsessus in mediam usque noctem Magistratus, coactusque non modò permittere civibus Erico à se delecto Episcopo juramentum fidei dicere, sed & polliceri, velle se cæteras quoque civitates ad idem juramentum inducere. Hæc per Quadragesimam agebantur; ad quam novam seditionem multi primoribus & civibus urbe emigrarunt; quorum bona Hojanus Comes direptioni dedit. Mox senos ex Optimatibus, quorum fides illi suspecta erat, in carcerem abripuit; Inde collectis quadringentis equitibus, furibundus per urbis plateas circumvectus omnes ad arma impellit. Post Pascha Warendorpium digressus, plebem adversus Senatum concitat, & in suam factionem pertrahit. Idem illi labor in cæteris Oppidis sibi adjungendis fuit; ardebatque tota diœcesis nova armorum conspiratione.

Rudolphus Ep. Ultrajectinus Monasterium obsidet.

Quæ postquam ad Nicolaum Cusanum Apostolicæ sedis Legatum relata fuêre, Rudolpho Ultrajectensium Episcopo auctor est, ut miseræ diœcesi subveniat. Et ille militari ingenio præsul, & fratris repulsa offensus, copias contrahit. Adjunxêre se Rudolpho Comites ac proceres, Benthemensis, Gehmensis, Wischius, Battenburgius, Brunckhorstius, nec pauci ex equestri Ultrajectensi & Monasterienſi ordine viri; quibuscum mense Augusto in Monasterienſem diœcesin progressus, Vredenam rursus Hojano eripit. Inde interiora diœcesis peragran-

peragrando, militem ad Grevoniam per Amasim traducit, urbem Monasterienſem ad obſequium redacturus; caſtrisque inter portam D. Ægidij & Ludgeri poſitis, molas aliquot alatas, quæ vento circumaguntur, exurit; propiusque mœnibus urbis Monasterienſis ſuccedens, tantum terrorem injecit, ut niſi per id tempus Hojanus à Clivenſi Duce reverſus cives animaſſet, urbs ſeſe deditura fuiſſet: Quare Telgetum movit; direptoque Oppido, Warendorpium aggreſſus eſt. Ac eam quidem urbem incolis populoſam, injectis igneis globis, & obſidione acrius pertentavit; at civium pertinacia repulſus, retro unde venerat, cum exercitu in provinciam ſuam redijt.

Walramus Epiſcopus Diœceſin ingreſſus juramentum à Coesfeldienſibus excipit.

Subinde menſe Septembri Walramus Epiſcopus, Theodorici fratris & Rudolphi Ultratrajectenſis Epiſcopi milite adjutus, diœceſin ingreditur; ac pridie Natalis Virginis Coesfeldiæ à Magiſtratu in urbem admiſſus, rem eò deduxit, ut fidem ſibi plerique civium jurarent. Nam civitatum aliæ Hojanæ factionis, aliæ Walrami partium erant, quædam mediæ neutri parti accedebant; quo malo etiam nobilitas diſtracta. Hojanus interim Monaſterij in Metropoli dominatum firmabat; qua ex urbe cùm totius denuo diœceſis imperium ſpiraret, nec viribus tantæ rei par eſſet, multosque Optimatum ſuis machinationibus ſibi adverſari intelligeret; alios terroribus, alios direptione bonorum, alios carceribus aggreſſus eſt. Interque captivos fuêre duo conſulares viri, ſeptem ſenatores, cives viginti duo, omnes in exilium projecti, ſeptem duntaxat exceptis. Eò nunc ſecurius cum plebe urbis imperium capeſſit, omniaque pro arbitrio agit, novum ſuæ factionis ſenatum legendo, judicem rerum capitalium urbi imponendo, promiſcuè cives ad arma compellendo: non Senatores, non patricij, non imbelles, non ſexagenarij etiam exempti. Hac urbis conturbatione plebs cum Tribunis plebis in Collegium ordinis Teutonici irruit, domum ac templum ſpoliat, ſacerdotes extra immunitatis ſepta exturbat. Idem Canonicorum ædibus, Cœnobiis Monachorum & Virginum intentatum. Stabat Baſilica D. Pauli vacua, ſine ſacrificio & cultu religionis; quòd Canonici, præter duos Hojanæ factionis, emigraſſent. Non alia quàm furioſæ hæreſis urbem ingreſſæ ſpecies erat. At nihil magis urebat Hojanum, quàm Rudolphum & Walramum Epiſcopos diœceſin ingreſſos armis ſibi inſultaſſe, Oppidumque Vredenſe eripuiſſe. Igitur poſt utriusque Epiſcopi diſceſſum armatam Monaſterienſem urbem eduxit in campum; mandatumque Conſulibus & Senatoribus, armati ſecum procederent, aut manibus pedibusque vinctos bigis imponendos trahendosque. Fruſtra Conſulibus invalidam bello ætatem, aliis alia obtendentibus, rapiuntur cum tumultuario milite extra urbem, quo Hojanus Vredenam Oppidum recepit. Eo ſucceſſu inflatus, multò quàm ante inſolentius ſævire cœpit in primores; quorum magna rurſum pars ultrò in exilium abijt: alijque Lubecam, alij Hamburgum,

Hojanus ad urbis & diœceſis Monaſt. dominatum aſpirat.

Conturbatus urbis Monaſter. ſtatus.

gum, alij Tremoniam, alij ad alias urbes Hanſeaticas profecti, auxilia contra Hojani dominatum imploravêre. Tantum jam audaciæ erat in uno Hojano Comite, qui non modò ſpreta Pontificis, ſed & Cæſaris, & Metropolitani, atque ordinum auctoritate, regiam quandam potentiam ex rebellione civium ſibi ſumere viſus eſt; tanquam ex Anabaptiſtarum furiis Joanni Leidenſi, inſano eorum Regi, ea in urbe præludia faceret.

Annus Chriſti 1454.

Nicolai V Pont. 8.
Friderici IV Cæſar. 15.
Theodorici Adminiſt. Paderb. 39.

Raynaldus in hiſtor. Eccleſ. Æneas Sylvius epiſt. 127. Heuterus lib. 4.

Agitur inter Imperij Principes de expeditione contra Turcas.

Diſtrahebant per id tempus Cæſarem & Principes publicæ & graviores Imperij curæ, quo minus rebellioni Monaſterienſi comprimendæ manum admoverent. Amiſsâ enim anno ſuperiori Conſtantinopoli, & Mahometel II Turcarum Imperatore per chriſtianas regiones graſſante, anno ſequenti, ad Nicolai Pontificis hortamenta & literas, Fridericus Cæſar prima Ratisbonæ Germanorum Principum comitia indixit, in quibus conſilia de ſacra adverſus Turcas expeditione ſunt agitata, perorante Ænea Sylvio, Senenſi Epiſcopo ac Cæſaris Legato. Menſe deinde Octobri alia Francofurti comitia habita; ad quæ cùm rariores accederent Principes, torpore chriſtianorum, & diſſidiis, quibus inter ſe conflictabantur Reges ac Principes, præclara illa conſilia evanuêre.

Diœceſis Monaſt. in plures partes diſtracta variis dominis paret.

At in nulla Saxoniæ inferioris Germaniæque parte conturbatior rerum ſtatus, quàm apud Monaſterienſes, ex fœdo bello, quod in quintum annum trahebatur. Sciſſa nimirum diœceſis in ſex partes à ſex Dominis erat diſtracta. Tenebatur Coesfeldia, Halterena, Borckena, & Bucholdia à Walramo, vero Monaſterienſium Epiſcopo: Ottenſtenium & Ahuſia à Conrado Diepholdio, vicario Rudolphi Diepholtij Ultratrajectenſis Epiſcopi munere: Dulmaniam & Strombergam inſidebat Joannes Dux Cliviæ: Oppidum Wernenſe poſſidebat Marchiæ Comes, Ducis patruus. At Monaſterium, Warendorpium, Vredena, Ranstorpium, Reina, Bevergerna, & tota Embslandia in poteſtate Joannis Hojani Comitis erat; Erico verò fratri Horſtmaria & Wolbeca cum ampliſſimis Satrapiis ceſſerat in prædam, penes quem & ſigillum Epiſcopale erat. Hunc miſerandum in modum nobiliſſima illa diœceſis, tot hoſtium dominatrix, diſcerpta jacebat, dominatu interim ad Hojanos redacto. Hinc Hojanus Comes, turbamentum Weſtfaliæ, poſtquam denuo Monaſterium, Epiſcopatûs Metropolim, civium conſpiratione in poteſtatem accepetat; crebris excurſionibus circumferre arma, Halterenam proditione civis Walramo Epiſcopo eripere, Comitem Lippienſem & Gerhardum Keppelerum, qui cum trecentorum equitum agmine venerant ulturi civium

civium rebellionem, cum clade in conspectu urbis profligare.

Monasterienses è numero Hanseaticarum urbium expunguntur.

Adsunt per hæc Legati è Collegio Hanseaticarum civitatum, à quibus senatus populusque Monasterienſium Lubecam postulatus ad dicendam causam ejectorum, qui ad se confugerant, civium. Monasterienses licet ad primum conventum vigesimo die Maji indictum se sisterent per oratores, excusarentque sibi nihil in mandatis esse de civibus recipiendis; post tamen, ubi ad 17 Calend. Novembris citati non adfuêre, expuncti sunt è numero Hanseaticarum urbium, exclusi à mercimoniorum societate & privilegiis, proscripta singulorum bona & in publicam prædam data. Subinde nuncio minus grato intelligunt Theodoricum Colonienſem, Rudolphum Ultratrajectenſem, Walramum Monasterienſem Episcopos, cæterosque fœderatos armare se ad diœcesin Monasterienſem occupandam. Tum verò Hojanus, ut vigilis solertisque erat ingenij, implorare etiam vicinorum Principum auxilia; traxitque in societatem armorum Fridericum Ducis Brunswicensis filium, Comitem Schawenburgicum, Pyrmontanum, Plessensem, & quotquot turbulenta uspiam ex proceribus & nobilitate capita investigare potuit. Hi cum auxiliaribus copiis sexto Idus Junij Monasterium ingressi, magnoque Hojani & civium Monasterienſium plausu excepti, diœcesin novo terrore compleverunt.

Coesfeldia ab Hojano & confœderatis obsidetur.

Nec multum quieti, uno cum Hojano impetu facto, Coesfeldiam armati petunt, urbem post Monasterium primariam, & factionibus divisam subacturi. Coesfeldienses veriti, ne alteram belli sedem ad se transferrent, discordantes animos junxêre in concordiam. Quo comperto, hostes vastatis circum agris Monasterium se recepêre, omnem infelicis successûs indignationem vertendo in Monasterienses cives, quos suspectos habuêre, ne & illi Coesfeldienſium exemplo cæteros Monasterienſium cives adversus se concitarent.

Cives Monast. in vincula abripiuntur & in exilium pelluntur.

Capti igitur ex his viginti honestissimi viri, & in carceres abrepti; quos inter ærarij præfectus Hojani manu prehensus, & in tetrum ergastulum protractus. Quâ Hojani sævitiâ conspectâ, Thomas & Bernardus Schenkingius, Engelbertus Wickius, Conradus Polemannus, Godefridus & Christianus Kerkeringius, alijque Senatorij ordinis viri, ac plerique Patritiorum, relicta urbe, ultro in exilium abiêre; quos Pastor ad S. Lambertum, Decanus D. Martini, & plerique sacerdotes ac ministri consecuti sunt; quorum magna pars etiam ab Hojano per vim ejecta. Perstitêre duo tantum Canonici Cathedrales Henricus Keppelius decretorum doctor, & Alexander Oerius ab initio Hojanæ factionis homines. Urbe in hunc modum primariis viris, sacerdotibus ac Clericis vacuata, liberum Hojanus cum plebe & civibus dominatum arripuit, omnes, quotquot arma ferre poterant, militiæ adscribendo: quot cives, tot armati milites; ut tum passim per omnes Saxoniæ & Westfaliæ urbes mos erat.

Athanc

Theodoricus Archiep. Colon. diœcesin Monast. cum confœderatis invadit.

At hanc Comitis insolentiam brevi adversa belli fortuna & illata clades repressit. Quippe Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, & Walramus frater delectus Episcopus, tot Hojani & Monasterienſium injuriis provocati, militem, quem collegerant, in unum contrahunt; quibus se adjunxit Rudolphus Trajectenſis Episcopus, Simon Comes Lippienſis, sorore Theodorici & Walrami genitus (quem post excessum Theodorici Administratoris Paderborna Episcopum sortita) Bernardus Comes Benthemenſis, Dynastæ Gemenses, & magna pars nobilitatis Gelriæ, Juliæ, & Montium à Gerhardo Duce submissa. Et jam validus exercitus convenerat; quocum Archiepiscopus, transito Luppia, diœcesin Monasterienſem ingressus, Dulmaniam ad deditionem compellit, ibique sedem figit. Ad hanc famam hostilis exercitus Hojanus & Brunswicenſis Monasterio omnes copias educunt, quibus magna pars civium Monasterienſium se læta armataque conjunxit. Itur hosti obviam, & Cœnobium Varlarense haud procul Coesfeldia occupatur, munitурque castris circumpositis & firmatis. Stabant jam utraque castra haud procul sibi oppositа, illa ad Dulmaniam, hæc ad Varlarense Cœnobium, media inter hæc Coesfeldia. Archiepiscopus & Walramus, qui transactione pacis prius, quàm cruento prælio decerni rem optabant, Hojanum data securitate in castra sua evocant. Adest ille intrepidus, rogatusque pacem malit an bellum, cœpit tergiversari, & omnia pacis consilia eludere, homo cui in pace egestas, in bello opulentia erat: itaque etiam se ex castris subduxit, festinatisque itineribus ad Ducem Clivenſem perrexit, consilia & auxilia sollicitatum. Interim Duci Brunswicenſi in mandatis dederat, ne prius in hostem moveret, quàm Consulem Monasterienſem, quem & Clivos secum duxerat, in castris conspiceret, referretque de auxiliis, quibus ipse cum Duce accessurus esset; ea verò cùm tardius advenirent, quàm impatiens moræ & bellicosus juvenis Dux Brunswicenſis ferre posset, militemé castris in apertam planitiem inter Varlarense Cœnobium & Coesfeldiam produxit, ut tumuli castrorum adhuc monstrant. Nec Archiepiscopus cum suis segnior, quòd Hojanum castris abesse didicerat, ultro obviam progressus est hosti. Postquam uterque exercitus in conspectum venit, datum utrimque pugnandi signum; acrique mox & ancipiti diu prælio decertatum. Brunswicenſis pertinacem hostis aciem fracturus, in medios hostium cuneos projectus equo, dum fortius, quàm cautius pugnat, capitur, cæteris circa Ducem cæsis: mox pleno impetu incursum à Colonienſibus. Restitêre aliquamdiu fortiter Hojani. At cives Monasterienſes cruentis his præliorum spectaculis insueti, ad primos congressus dissolvuntur in fugam, neque ullius Ducis imperio retrahi se passi sunt. Tum verò tota hostium acies disjecta fugataque. Hæsêre à tergo victores; majorque strages in fugientes cives Monasterienſes, quàm præliantes edita. Pugna

Cædes Ducis Brunswicenſis & Monasterienſium.

hæc

hæc festo D. Arnulphi die, decimo videlicet octavo Julij, consignata. Captus & Comes Schawenburgicus, cœsi sexaginta ordinis equestris viri, centum præterea, & sedecim cives Monasterienses. Magnum hujus victoriæ momentum fuit Conradus Diepholdius Osnabrugensis Præpositus, qui fortiter inter milites pugnando primùm hostium acies fregit. Ingens victoribus præda cessit: trahebat Ghemensis Dynasta Brunswicensem Ducem captivum, quem ut in sua potestate haberet Theodoricus Archiepiscopus, emit ab eo captivum Ducem 1600 florenis.

Cladis hujus nuncius postquam Monasterium perlatus, incredibile, quæ mulierum comploratio, quæ civium consternatio urbem replerit; nihilque certius habebatur, quàm urbe potituros fuisse Episcopos victores, si modò exercitum per absentiam Hojani Comitis admòvissent. Adeo major sæpe felicitas, victoria bene uti, quàm vincere; cadavera prostratorum civium magnam partem Monasterium transvecta, conditaque in cœmeterio apud Franciscanos Monachos, ubi exinde anniversaria funerum sacra habuêre. Nobiles illustrioris-que nominis milites, qui in acie Episcoporum occubuêre, pars in Varlerani Cœnobij templo, pars Coesfeldiæ honorifico tumulo illati. Dux Brunswicensis primùm Coesfeldiam, deinde Coloniam captivus abducitur. Dux Clivensis, accepto cladis hujus nuncio, omnia quoque belli hujus consilia abjecit. Hojanus Monasterium reversus lugenti urbi mœstitiam addidit, sæviendo in cives carceribus, proscriptione bonorum, & suppliciis; actusque ex his in rotam civis ob levem proditionis suspicionem, qui à plerisque innocens est habitus.

Mitiora Archiepiscopi & Walrami fratris consilia fuêre; hi ne pervulnera diœcesis arma traherent, Hojano se denuo ad pacis tractationem Coloniæ obtulêre. Sed nec ille sana pacis consilia admisit, nec de captivo belli socio Duce Brunswicensi liberando sollicitus fuit; intraque urbem Monasterienſem se continuit, lacessitus magis, quam lacessendo alios.

Comites Lippiensis & Teclenburgicus inter se committuntur ob castrum Rhedanum.

Inter hæc Bernardus Comes Lippiensis, qui Walrami Episcopi Monasterienſis partes propugnabat, & Nicolaus Comes Teclenburgicus, qui Hojanæ factionis censebatur, privato interse bello commissi. Belli causa Rhedanum ad Amasim castrum, quod ex veteri lite, de qua supra relatum, repetebat Lippiensis; eòque armatus irrumpit in dynastiam Rhedanam, vastando non modò incolas, sed & Cœnobium Virginum Hersebrochianum, templaque passim obvia sacrile. gè spoliando. Quibus Teclenburgicus, qui hæc ex Rhedano castro spectabat, exacerbatus, milite & incolis ad arma convocatis, Lippiensem aggressus; ac licet viribus longè impar, turpi clade illata profligat. Capti centum & quinquaginta equites Lippienses, & cum his multi nobiles, Lippiensis ægre inter paludes elapsus in vicinum Wie-

Ertwinus in Chron. Osnab. Hamelmannus in ejus auctar. Wittius in Chron. m.s.

denbrugense Oppidum; quem Teclenburgicus insecutus, Oppidum incingit, Comitemque Lippiensem sibi dedi poscit. Et ille ut se præsenti periculo eximeret, captivum se Wiedenbrugensi Magistratui & Capitulo Osnabrugensi offert, simul eorum tutelæ sese subjiciendo; quem & Widenbrugenses in tutelam suscepêre. His indignatus Teclenburgicus, Oppidum arctius obsidione premit, injectisque ignibus magnam partem exurit; at ea Wiedenbrugensium in propugnando fuit constantia, ut Teclenburgicus demum militem abducere coactus fuerit. Nec tamen ab hostilibus destitum, donec per Osnabrugensis Capituli primores res ad has pacis leges adducta: Teclenburgicus lytrum captivorum, quod mille quingentorum florenorum poscebatur, ultro remittat, & bis mille florenos Lippiensi addat; in vicem castrum Rhedanum cum dynastia retineat. At ea, quia extorta erant, crebro post litem & arma resuscitarunt in Teclenburgicum. Res demum post aliquot annos à Conrado Diepholdio Osnabrugensi Episcopo, Ottone & Jodoco Hojanis Comitibus, Joanne Ritbergio Comite, aliisque, quibus & Ertwinus Consul Osnabrugensis arbiter interfuit, firmius transacta, ea lege, ut Teclenburgicus ad priorem summam bis mille florenos adderet Bernardo & Simoni Comiti Lippiensi; quibus numeratis, perpetuo jure Rhedam cum dynastia retineret.

Diploma Friderici Imperat. ex Biblioth. P. Mauritij de Büren Hammelm. in Chron. Olden. Ubbo Emmius lib. 25.

Ulricus Frisiæ Orientalis Dominus Comes Imperij à Cæsare creatur.

Cæterum hoc anno Fridericus Cæsar Ulricum Frisiæ Orientalis dominum Comitem Imperij creavit, magnifico diplomate impertito, quod Neapoli in Austria ad initium Septembris consignatum, Iis in literis populos inter Amasim ac Visurgim ejus moderationi subjicit, ipsamque Frisiam Orientalem feudi titulo adire facit, sanctè simul præscribendo, ne quid hac largitione Imperio aut Imperatori decedere patiatur. Uti verò Embdam, vetus Ecclesiæ Monasterienfis patrimonium, quod Emmius retulit, cum cæteris Oppidis & locis in feudum transcribat; haud alio, quàm per conturbata diœcesis illius tempora, neglectu factum; quòd Waltramus Episcopus ab Hojanis jactatus possessionem Ecclesiæ suæ non dum adierat: aut certè ad rebelles Frisiæ populos continendos (qua in re hactenus magnopere Ulricus fortitudinem probârat) id à Cæsare indultum, salvo in Embdam & præposituras Frisiæ Episcopi Monasterienfis jure. Quanquam & Emmius fateatur multa in eo diplomate contra libertatem Frisonum ignaris populis obrepisse, ob quæ Ulricus id non statim proferre in lucem ausus fuerit. Ab hoc Ulrico primo Frisiæ Comite cæteri ad nostra tempora propagati; interque hos etiam Comites Ritbergenses, præclara ejus familiæ stirps.

Ex M.S. Benth. Wittius in Chron. Chron. Monast.

Sustulit & hic annus pridie Nonas Aprilis Ewerwinum Comitem Benthemensem, qui ex Guterswichijs dynastis, ducta in uxorem Hedwige Bernardi ultimi Comitis filia, Comitatum adierat,

adierat, eaque extincta duxerat filiam dynastæ Steinfurtensis, unicam ejus dynastiæ heredem. Filios reliquit Bernardum, quem Comitem Benthemensem, & Arnoldum, quem dynastam Steinfurdensem scripsit heredem. Magnum in Ewerwino amisit patronum Walramus Monasterienſis Episcopus, cujus ille causam bello hoc constanter propugnârat adversus Hojanos. Quippe vir, quem ætas illa germani candoris, & priscæ religionis spectavit Comitem æqui & pacis amantem, inter sacros homines religiosum, inter Comites militem.

Motitur Ewerwinus Comes Benthemensis.

Annus Christi 1455.

Callisti III. Pont. 1.
Friderici IV Cæsaris 16.
Theodorici Administ. Pad. 40.

Bellum subinde, quod adversus Turcas casso successu agitatum diximus, id anno proximo procurrentis seculi, qui Christi numerabatur, quinquagesimus quintus, magnis rursum consiliis apud Neapolim Austriæ in celebri Germanorum Principum conventu pertractatum est; interque Principes, qui id potissimum præsente Friderico Cæsare sollicitârunt, fuêre Jacobus Trevirensis Archiepiscopus, & Albertus Marchio Brandeburgicus: accessêre Ungariæ præsules, aliorumque Regum Legati; obtulitque Philippus Dux Burgundiæ validissimum exercitum signo cruce insignitum, quem ipse duceret. Sed hanc expeditionem abrupit excessus Nicolai Pontificis, quem mors octavo Pontificatus anno, XXIV Martii, præclarè de literis & literatis viris, & de Christiana Repub. Meritum sustulit; creditusque fuit non tam febri quàm mœrore amissæ Constantinopolis consumptus. Nicolao mox XII Calend. Aprilis subrogatus Cardinalis Alphonsus Borgia Hispanus, qui Calixti III nomen sumpsit, virjuris utriusque peritissimus, & justitiæ amantissimus. Nihil quoque hic sollicitius habuit, quàm pro concepto voto christiani orbis viros ad frangendos Turcarum furores armare.

Gobelin. in com. Pij II. Æneas Sylvius epist. 43. S. Anton. p. 3 Naucler. in Chron. Platin. in vita Nicolai Browver. in annal. Trevir. Raynald. in histor. Eccleſiast.

Nicolao extincto succedit Pontifex Callistus III.

Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus Administratorque noster, cujus maxima inter Electores ac Principes Imperij auctoritas erat, domesticis pro Walramo fratre bellis involutus, & magno ære ex utroque bello Susatensi & Monasterienſi obrutus, non eam quàm bello Bohemico adjutricem manū adversus Turcas porrigere potuit.

Ardebatq; adhuc bellum Monasterienſe obstinatione Hojani Comitis. Receperat is, ut diximus, anno superiori Vredenam Oppidum, firmoq; præsidio munierat ad fines diœcesis, suspecto molestoque Ultrajectensi cum primis Episcopo, & Geldriæ Duce. Quare eorum copiis incinctum oppidum, cœptaq; magnis animis obsidio, exstructa propugnacula, admota tormenta; quæ omnia Hojanorum præsidiariorum & Oppidanorum constantia fortiter repressa sunt; donec Hojanus cum Monasterienſium turmis advolaret, importataque annona & milite obsidionem multò difficiliorem faceret.

Vredena ab Ultrajectenſi Episcopo obsidetur.

Et Schoppingia ab Hojano Comite.

Inde Monaſterium verſus ſe recepit, in reditu Schoppingiæ Oppidum adorſus. Verùm Oppidanis ad arma convolantibus, & ſaxa telaque in ſubeuntes detorquentibus, ab incepto deſiſtere coactus eſt. Sauciatus inter cœteros ipſe Hojanus Comes; cùmque vulnus equi concuſſionem non ferret, currui impoſitus, Monaſterium deportatus eſt.

Coesfeldia rebellis Hojanum Comitem recipit.

Vix dum à vulnere recreatus Comes, cùm poſitis inter occulta ſaltuum inſidiis, Coesfeldiam pertentat; emiſſique, qui cives provocarent. Dolo animadverſo, Magiſtratus quenquam exire vetat, non tamen ſe continuêre cives, qui Walrami partes ſuſceperant; temeréque prorumpendo, cum clade multorum repelluntur. Orta mox inter ipſos cives Coesfeldienſes ſeditio, quique Hojanæ factionis erant, Hermannum Langium Decanum, qui pro civibus in officio continendis à Walramo Epiſcopo relictus erat, indignè tractant; nec multò pòſt ipſum Hojanum, qui ſpecie pacis componendæ ſe offerebat, intra urbem recipiunt. Et ille, qua erat ſolertia ingenij, totam prope civitatem in ſuas partes pertraxit. Quo comperto, qui Vredenam oppugnabant, obſidionem ſolvunt. Hunc in modum paſſim tumultuatum per oppida, inſaniâ populi, judicium ſibi & arbitrium in deligendo Epiſcopo vendicantis.

Moritur Rudolphus Ep. Ultrajectinus, cui ſuccedit David, Morinorum Epiſcopus, ducis Burgundiæ filius. *Heida in hiſtor. Epiſcop. Ultratraj. Buſch. in notis Bockenberg. Snoius aliique.*

Inter hæc flagrantia bella amiſit hoc anno Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis Rudolphum Ultratrajectenſem Epiſcopum fidum hactenus belli Monaſterienſis adjutorem, quem mors geſtô in XXIII annum Epiſcopatu poſt magnos labores mœrore abſumpſit. Indixerat is tributum ad æs alienum ex bello contractum diſſolvendum; id cùm Clerus juxta ac populus recuſaret, omnisque poteſtas urbis eſſet penes Collegia opificum & plebem, haud ſecus quàm Monaſterij agebatur; ad inſanæ plebis voces non modò per omnia templa campanæ, ſed & pelves per urbis compita compulſatæ; ortaque fœda populi ſeditio, qua Magiſtratus, quòd Epiſcopo faveret, exauctoratus, alio ad plebis vota ſublecto. Ea injuria provocatus Rudolphus Epiſcopus conſilia cum philippo Burgundiæ Duce contulit, filioque ejus Davidi Morinorum Epiſcopo Ultratrajectenſem Epiſcopatum detulit, viro licet extra matrimonium genito, magnis tamen virtutibus exornato. Quæ dum agitantur, moritur XXIV Martij Rudolphus, ſubrogatusque à Clero Gisbertus Brederodius. At Pontifex, rejecto Brederodio, od merita Burgundi, & ſpe auxilij adverſus Turcas, Davidem Burgundi filium juſſit eſſe Epiſcopum; qui patris auctoritate atque ope urbem à ſervitute tributaria, qua à civibus premebatur, liberavit, & diœceſin adverſus hoſtes feliciter propugnavit. Ea nimirum tum tempora inciderant, ut vel armatos, vel potentiorum Principum filios Epiſcopos deligere neceſſe fuerit ad urbium inſolentiam refrenandam. Et verò quia idem Rudolphus Oſnabrugenſis Eccleſiæ Adminiſtrator erat, in ejus

locum

locum à Canonicis Conradus Diepholdius, Rudolphi ex fratre Joanne nepos, ac Præpositus Osnabrugensis, festo D. Viti deligitur Osnabrugensis Episcopus, vir pacis studio, prudentia, militari fortitudine, & religione præclarus; à quo pari fervore & diœcesis jura, & collapsa in Monasteriis disciplina restaurata.

Annus Christi 1456.

Callisti III Pont. 2.
Friderici IV Cæsaris 17.
Theodorici Adminis. Paderb. 41.

Tandem & bellum Monasterienſe, quod in septimum annum protrahebatur, funere Walrami electi Episcopi abrumpi cœpit. Quippe optimus præsul tertia Octobris inter ærumnas consumptus, Arnhemij in Geldriæ Ducis urbe excessit è vita, ubi honorifico sepulchro in primaria æde à Duce illatus. Adscriptum sepulchro Epitaphium, quo brevi elogio innocentia ejus, constantiaque notatur. Morti vicinus omnibus Sacramentis sibi de felici vitæ exitu providerì voluit: interque morbi afflictiones hoc unum identidem ingeminare auditus est, *Hæc mihi consolatio sit, ut affligens me dolore non parcat;* veluti cum Augustino diceret: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Virum hunc sibi intimè cognitum tanti fecit ob eruditionem, pietatem, modestiam, & vitæ integritatem Nicolaus Cusanus Apostolicæ sedis Legatus, ut ex omnibus Germaniæ Episcopis Pontifici Maximo commendaret in Collegium Cardinalium adoptandum; cui & Pontifex sub extremum vitæ galerum transmisit. Dignus meliori sorte, quàm apud Monasterienses repererit; sed adeo corrupta ætas erat, ut optimos Episcopos etiam populi malitia non ferret amplius.

Obitus Walrami Ep. Monast. Collegio Cardinalium sub extremum vitæ adscripti.

At morte Walrami nondum ex longa tempestate serenitas: aliam Hojanus scenam aggressus. Nam postquam Erici fratris in Episcopatu æmulum sublatum didicit, tum verò rem omnem sibi ex voto *obvenisse* ratus, pro Erico fratre omnia multò vehementius pertentare, ad Burgundiæ Ducem proficisci, ejus patrocinium implorare; à quo ubi frigido responso rejectus, totum se ad Decani & Canonicorum Monasterienſium animos demerendos convertit. His modò per se, modò per alios, modò per Legatos supplex advolvitur, obnixe rogando, velint jam opportunè Ericum fratrem subrogare Episcopum. Verùm Decanus & Canonici indignum rati, hostem, à quo tot calamitatibus diœcesis afflicta erat, deligere Episcopum, atque ipsi Joanni fratri ejus dominatum confirmare, à quo non aliam quàm Osnabrugensis Ecclesiæ conturbationem oppressionemque exspectare poterant, preces Hojani dissimulanter habuêre. Et Hojanus, ubi satis advertit per Canonicorum favorem sibi aditum non patere, rursum ad veteres artes conversus, Monasterienſium civium gratiam sollicitare cœpit; eòque negotium deduxit, ut duo, qui in urbe remanserant, Hojanæ factionis Canonici, Alexander ab Oher, & Henricus Keppelius decreto-

Joannes Hojanus denuo instat pro fratre suo Erico ad Episcopatum Monast. promovendo.

Ericus à 2 Canonicis renunciatur Episcopus, cui plures urbes juramentum fidei dicunt.

decretorum doctor, idemque judex Ecclesiasticus, festo D. Cæciliæ Ericum Hojani fratrem Episcopum palam renunciarent. Vana & insana electio, à duobus Canonicis facta, quorum alter ne sacris quidem ordinibus initiatus, alter quidem sacerdos, sed eligendi potestate orbatus, quòd uterque Pontificis sententia proscriptus. Interim Ericus in urbem vocatus, & altari impositus, cui cives Monasterienses magno plausu j uramentum fidei dixêre. Idem Coesfeldienses, Warendorpienses, Dulmanienses, aliorumque Oppidorum cives fecêre; tanquam penes urbes & Oppida esset Episcopum confirmare, ad quorum auspicia cæteri ordines se converterent. Quo comperto, Decanus Langius electionem Episcopi maturandam censuit; convocatisque Canonicis Ahusium, post festum Conceptionis Virginis, una omnium consensione Conradus Diepholdius, Præpositus Osnabrugensis & Daventriensis Ecclesiæ deligitur Episcopus, vir cùm præclarè unâ cum Rudolpho fratre Ultrajectensi Episcopo hactenus de Ecclesia Monasterienſi meritus, quiq; idcircò Ottenstenium & Schoppingam pignore tenebat; tum postea ob egregias virtutes etiam Osnabrugensis Episcopus creatus. Verùm cùm tardius Romam mitterentur Legati, Pontifex Joannem Bavariæ Ducem, Præpositum Wormatiensem, qui Romæ sublimioribus studiis excultus Romanis se apprimè carum fecerat, Monasterienſem Episcopum dixit; sicuti ad ejusmodi dissidia componenda Pontifices tertium sæpius imponere consultum habuêre. Quanquam hac dispositione Pontificis haud leviter offensus Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus, qui indignè ferebat rejici Conradum Diepholdium communi ritu electum.

A ceteris verò Canonicis deligitur. Conradus de Diepholt.

At à Pontifice Episcopus mittitur Joannes Bavariæ Dux, Præpositus Wormatienſis.

Interea Hojanus Comes extrema sollicitudine concussus, ne post tot machinamenta omni spe excideret. Et quo nunc se verteret? homo nimirum callidus, ut causam Erici fratris potentius quàm antè populi Monasterienſis favore ageret, primùm Comes in numerum civium adscribi petiit; quòd cùm magno omnium plausu obtinuisset, mox in tribum fabrorum recipitur, deinde in senatum cooptatus, ex eoque supremum Magistratum affectando, Consul Monasterienſis factus; at quantum his honorum gradibus subvectus, tantum vilescere cœpit apud nobilitatem, & sperni à Canonicis. Adferuntur interim Roma literæ ad Collegium & ordines, quibus Joannes Dux Bavariæ à Pontifice Episcopus renunciatur. Eo nuncio tanquam fatali telo perculsus Hojanus, ad Philippum Burgundiæ Ducem, qui tum ad Daventriensem urbem subigendam castra explicaverat, se confert, & patrocinium causæ suæ vehementer sollicitat. Verùm à Duce rejectus, dum Groningam versus iter repetit, interceptus, Groningam captivus abducitur, & in carcerem detruditur, ad grande lytrum exsolvendum.

Joannis Hojani Machinamenta pro retinendo dominatu urbis & Diœcesis Monast.

Heida in Davide.

At

At callidus Ulysses, corruptis carceris custodibus, elabitur; cùmque excubitores postea, quorum conniventia eruperat, promissam pecuniam poscerent, respondit se ea fide illis solvere, qua dimissus esset. His tamen non ita dejectus Hojanus, quin brevi Monasterium repeteret, extremaque etiam altero ab hinc anno civium studiis adversus Pontificem, & Joannem à Pontifice dictum Episcopum pertentaret.

Nihil jam commune amplius erat Theodorico Archiepiscopo Administratori nostro cum his turbis, postquam Walramus frater, pro quo bellum hoc susceperat, sublatus. Is verò quia tam Susatensi quàm Monasterienſi bello infelix, magnum æs alienum per Coloniensem & Paderbornensem diœcesin contraxerat, castrum Driborg pignori oppositit Stephano Malsbergio, Canonico Paderbornensis Ecclesiæ. Toto hoc bello nihil vel in civilibus, vel in sacris rebus ab hoc Administratore actum reperio; tanquam extra omnem Episcopi curam diœcesis sepositа jacuerit. Interim quia multis deprædationibus vexabatur, Capitulum, nobilitas, & civitates, pridie D. Magdalenæ conventum indixêre, quo commune fœdus adversus prædones sancitum, armisque ordinum diœcesis repurgata defensaque fuit. Hæc nimirum rerum neglectio, hæc damna malaque per absentiam Administratoris Episcopi consecuta; magnaque ambientium cœcitas, plures Episcopatus affectare, qui ne unius quidem oneri ferendo pares sunt.

Theodoricus Castrum Driborg. Stephano Malsbergio oppignorat.

Annus Christi 1457.

Calisti III Pont. 3.
Friderici IV Cæsaris 18.
Theodorici Administ. Paderb. 42.

Lætior per hæc Westfaliæ annus consequitur ingressu Joannis *Bavariæ* Ducis in Monasterienſem diœcesin, quem Calixtus Pontifex Monasterienſibus Episcopum dederat. Natus is erat patre Stephano Duce *Bavariæ*, avumque habebat Rupertum Imperatorem, à prima ætate cum duobus fratribus in clerum cooptatus; quorum alter Robertus Argentinensis Episcopus, alter Stephanus Colonienſis Ecclesiæ Præpositus, interque hos Joannes primùm Trevirensis Ecclesiæ Canonicus & Wormatiensis Præpositus, singulare semper pietatis, doctrinæ & sapientiæ specimen dederat. Qua virtutum commendatione Pontifex Joannem Monasterienſi Ecclesiæ præfecit. Atque is postquam Coloniam accessisset, Pontificis literas præmisit ad Capitulum & ordines, additis simul suis, quibus significabat, se non alio consilio Episcopatum admisisse, quàm ut bono Ecclesiæ pacique publicæ consuleret. Ad has literas multum perculsi Canonici Cathedralis Ecclesiæ, quòd jam Conradum Diepholdium delegissent Episcopum qui cum Decano & Canonicis Ahusii versabatur, ægreque se ab illo Canonici avelli paterentur. Haudlevior in urbe Monasterienſi

Scriptores Boji Guvilimanus Albritius Reuuerus aliique.

Joannes Bavarus certis conditionibus admittitur & in Diœcesin Monast. introducitur.

ſterienſi conturbatio, aliis Bavarum à Pontifice datum Epiſcopum acceptantibus, & cum eo finem belli exoptantibus: aliis Comiti Hojano adhuc conſtanter adhærentibus; quòd is in urbem reverſus, nunc Monaſterij, nunc Coesfeldiæ civium animos concitaret, id unum ſollicite agendo, ne Bavarus in illam urbem reciperetur. Eædem in cæteris Oppidis factiones agitabantur. Et jam omnia in priores turbas reditura timebantur; cùm Dux Clivenſis, Bavarorum Ducum rogatu, Craneburgi publicum conventum indicit; ad quem ordines Monaſterienſes evocati per Legatos ſe ſtitêre. Eo in congreſſu de pace, & Joanne Epiſcopo recipiendo tractatum, conventumque in has conditiones; ut Hojano Comiti 1100, Erico fratri quotannis 1600 floreni penderentur; alterique tantisper Saſſenberga, alteri Bevergerna arx pignoris loco cederet. Quæ licet Canonicis non probarentur, ne tamen Pontificem, Ducem Clivenſem, & Bavariæ Duces offenderent, permisêre. Itaque miſſo obviam diœceſis Mareſchallo Gerhardo Morian, auctoritate Clivenſis introducitur; receptusque eſt primùm Halterenæ, Ludinghuſii, Alenæ, Bechemij: Coesfeldiam ubi perventum, occluduntur portæ ab Hojanæ factionis civibus; quam injuriam magna conſtantia diſſimulando, Monaſterium perrexit. Nec in eam urbem prius admiſſus eſt, quàm in Oppido Sendenhorſtio alio conventu inſtituto, ſponderent ſe omnia pacta Hojanis ſervaturos; tum inſpectis Calixti Pontificis literis, pridie D. Martini urbem intrare permiſſus Epiſcopus, quem medium complexi Stephanus frater, & Dux Clivenſis, cum magno procerum comitatu introduxerunt. Simul urbs omnis ſacris reſtituta. Poſtridie clerus & Nobilitas, Conſules, Senatores & Tribuni plebis juramentum fidei dixêre. Subinde ad Cathedrale templum deductus, atæque principi impoſitus, poſt hymnum Ambroſianum decantatum, incredibili omnium gaudio & gratulatione Epiſcopus ſalutatur. Prona exinde cætera Oppida ad fidem & obedientiam acceſsêre. Magnum ad hanc commutationem animorum momentum attulit Joannes Brugmannus Ordinis S. Franciſci de obſervantia ſacerdos, celebris ea tempeſtate concionator per Hollandiam & Friſiam. Is poſtquam Monaſterium acceſſit, non deſtitit libere ferventerque pro concione exprobare populo fœdam rebellionem, & ſacrilega facinora, quibus hæreticum in modum Eccleſiam conturbârat. Et Joannes Bavarus poſtquam in congreſſus & colloquia Monaſterienſium venit, mirum qua humanitate & virtutum aſpectu ſummorum infimorumque animos ſibi devinxerit. Quo factum, ut cives Monaſterienſes pridie D. Catharinæ, facto in curiam impetu, Hojanum Comitem ſibi dedi poſtulârint; ac niſi ſigilla, redderet, ac omni ſe poteſtate abdicaret, carceres & ſupplicia minitarentur. Et jam cellam curiæ, in quam ipſe tot inſontes ante cives recluſerat, aperuerant; nihilque propius erat, quàm ut vi abreptum in vincula conjicerent. Quæ ubi in caput ſuum

Hojano Comite ſubmoto, pax Monaſterienſibus redit.

suum procudi didicit Hojanus, altero mox die clanculum, uno tantum famulo comitante, inde profugus Sassenbergam abiit. Sed cùm nec illic tutus esset, ex diœcesi omnibus invisus ac detestabilis profugit. Ita verò turbulentam cruentamque belli scenam, quam in octavum annum egerat, turpi fuga atque exitu clausit, nunquam inde in diœcesin regressus. Ericus frater in Embslandiam procul quoque à conspectu Monasterienſium discessit alteroque mox anno extinctus est. Vixit autem ipse Hojanus Comes ad annum 1466 superstes, fallitur que Reusnerus, qui anno 1455 obijsse, & familiam per Jodocum filium, & nepotem propagasse scribit, dum in nepotis filiis nostra memoria, postquam hæresin admisit, extingueretur. Vixitque per id tempus Otto Comes Hojanus, qui cum Jodoco Hojano Comite litem inter Lippiensem & Teclenburgicum Comitem, teste Ertwino, composuit. Turbamento hoc totius Westfaliæ submoto, pacis serenitas Monasterienſibus rediit; ut vel Hojani exemplo constaret, quantum in uno inquieto capite positum sit ad Rempublicam & universam provinciam evertendam; nihilque plebe inconstantius esse, & ad rebellionem pronius, modò ducem habeat, ijs præsertim in urbibus, in quibus Ecclesiasticorum opes egenorum perstringunt oculos. Et tempora erant, quibus Christi patrimonium conspiciebatur à clero converti in luxum & nutrimenta vitiorum. Quantum ex his Cleri vilescebat auctoritàs, tantum populi accendebatur rebellandi licentia.

Sed longè periculosius hoc anno dissidium agitabatur inter Calixtum Pontificem, & Electores Imperij, Theodoricum Moguntinum, Theodoricum Colonienſem, & Joannem Trevirenſem Archiepiscopos; hi enim multis querelis & calumniis concitabant Imperatoris & aliorum Principum animos adversus Pontificem & Apostolicam Sedem, quarum capita fuêre: decreta concilij Constantienſis & Basilcenſis à Romanis infringi, Canonicas Episcoporum electiones rejici, obtrudique, qui vel favore Principum, vel auro Romæ prævalerent: Annates, ut vocant, quæ à Bonifacio IX, vel à Joanne XXII repertæ, quibusque dimidium annui census in Apostolicum Fiscum referre jubeantur, quotquot Episcopatum adire vellent, importune exposci. Demum, in quo summa accusationis versabatur, perindulgentias, decimasque Sacerdotum exhauriri Germaniam, immensasque pecuniæ summas, quæ quot annis colligerentur, averti in quæstum & avaritiam Romanorum. Quæ res tantis Germanorum odiis versabatur, ut in apertum schisma Pontifex vereretur erupturam. Sed quàm iniquè hæc obtrectarentur, satis exponit, diluitque Calixtus in diplomate ad Fridericum Imperatorem, & Æneas Sylvius Cardinalis epistola ad Mejerum Archiepiscopi Moguntini Cancellarium: tum præterea ipse Pontifex literis ad Moguntinum, Trevirenſem, & Colonienſem Archiepiscopos; tantumque abesse contendit Ponti-

Raynald. in hist. Eccles. Naucler. in Chron. Brouver. lib. 19. annal.

Dissidium inter Electores Imperij & Pontificem.

Pontificis cura pro Christiana religione conservanda.

fex, ne pecuniam Germanorum pro bello Turcico collectam alio averti pateretur, ut ærarium etiam Apostolicæ Sedis exhauserit, & sanguinem etiam fundere ad sistendum Turcarum impetum paratus sit, uti integerrimum Pontificem mirificè dilaudat D. Antoninus, Æneas Sylvius, cæterique eorum temporum Scriptores, qui torpentibus christianis principibus solus prope rem christianam adversus Turcas sustinuerit. Quippe cùm per id tempus Mahometes Turcarum Imperator cum ducentis millibus armatorum in Ungariam erumperet, Pontifex misso in Ungariam Legato cum Joanne Capistrano, admirandæ sanctitatis viro, copiisque cruce signatis, Joannem Huniadem ad arma incitavit. Felix is belli successus fuit. Quippe Capistrani ductu hortatuque, & Huniadis fortitudine, Turcæ anno superiori ad Belgradum memorabili illa Christianorum victoria obtriti sunt, cæsis supra xx millibus Turcarum: nec multò post Huniades & Capistranus magno Christianorum luctu subtracti è vita. Hoc deinde anno, Pontifex, postquam missis ad omnes Europæ Reges & Germaniæ Principes Legatis nihil opis adversus Turcas impetrasset, classem suo ære instruxit; qua denuo Turcæ ad Rhodum profligati; Cyprus, aliæque Ægei maris insulæ Christianis servatæ. Olim tot exercitus Germanorum per mare transportati in Palæstinam; modò ne è vicino & continenti regno Ungariæ animus fuit depellere barbarum nec milite, nec pecunia submissa; cùm de hac ipsa pecunia, quæ à paucis ultro, & sat exigua collata fuit, & ab Herbipolensi etiam Episcopo magnam partem per spolium erepta, questi Electores, exhauriri Germaniam; omnisque obtrectatio in Pontificem, in præcones indulgentiarum, & quæstores Pontificios, subsidia belli sacri conquirentes, iniquè versa: adeo tum etiam posterioribus, ac deteriori sæculo præludium fuit vanis & iniquis querimoniis; è quibus Lutherus postea argumentum plausumque populi arripuit, conturbandi Germaniam & religionem. Luxus Principum, ambitio regnandi, cupiditas ampliandi familias, intestina bella, & quæ ejusmodi corrrupti sæculi vitia primùm aut corrigenda, aut intermittenda erant; his enim barbarus victor tot exinde provincias, & florentissima regna post expugnatam Constantinopolim Christianis in conspectu eripuit.

Annus Christi 1458.

Pij II Pont. 1.
Friderici IV Cæsaris 19.
Theodorici Adminis. Paderb. 43.

Raynald. in Annal. Eccles. Platin. in vita Pontif. Antoninus p. 3. Nauclerus.

Anno dehinc proximo Calixtus Pontifex, ætate & curis confectus, excessit octavo Idus Augusti; quo die festum Transfigurationis instituerat, gesto per tres annos & quatuor menses Pontificatu. Vir integerrimæ mundissimæque vitæ, quem Æneas Sylvius Cardinalis, alijque Scriptores magnis laudibus extulêre. Successor datus ipse

Æneas

Æneas Sylvius, nobili Picolominæorum genere ortus, qui è Secretario & Oratore Friderici Imperatoris Senensis Episcopus creatus: vir jam antè omni scientia rerum humanarum divinarumque, scriptis libris, legationibus, prudentia & vitæ integritate clarus. Nomen Pij II Pontificis sumpsit. Cui sub exordia Pontificatus nihil quoque sollicitiùs fuit, quàm christianos Principes ad sacrum bellum adversus juratum christiani nominis hostem Calixti instituto impellere. At hujus Pontificis conatus multum turbati sunt funesto Ladislai Bohemiæ & Ungariæ Regis obitu, Germanorumque Principum discordiis; quos inter Ludovicus Dux Bavariæ, cognomento Dives, collecto ingenti Bavarorum, Bohemorum & Australium populorum exercitu, bellum intulit Alberto Brandeburgensi Marchioni.

Moritur Calixtus Pont. succedit Æneas Sylvius Pius II. dictus. *Trithem. in Chron. Sponheim. Spangeb. in Chron. Histor. Boic. Lungius.*

Consopito bello Monasterienſi, quietior Westfalia. Et Joannes Bavarus Monasterienſis Episcopus, postquam omnium ordinum concordia receptus erat, nihil ille quoque impensius habuit, quàm ut Decanum & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ cum urbe Monasterienſi reconciliaret; factaque transactione, Canonici omnes in urbem regressi sunt. Tum publicus sacrorum cultus in Basilicam reductus: qui proscripti ab Hojano erant cives, revocati, omniumque offensionum & damnorum oblivio sancita. Inde ipse Episcopus in pervigilio D. Thomæ solemni inaugurationis ritu ab Ordinibus in urbem introductus. Mox è Metropoli sua Coesfeldiam, & per omnia diœcesis Oppida castraque circumductus, ad juramentum fidei possessionemque adeundam. Læti promptique omnes; nec aliter quàm qui dono supremo datus erat, Episcopus ubique exceptus. Ita verò ille uno accessu disjecit bellum, quod Theodoricus Archiepiscopus pro Walramo fratre per septennium gesserat. Quo constaret, multò sæpe felicius prudentia ac moderatione, quàm insano armorum impetu, turbatas mentes ad quietem componi. Tot artibus ac turbis se Archiepiscopus in Paderbornensem Episcopatum ingesserat, & tot Episcopatus in Henricum fratrem cumulârat, ad ampliandam potentiam; quibus tamen nihil aliud ad extremum consecutus, quàm vicinorum Principum odia, ex bellis conserta, in perniciem suæ diœcesis & totius Westfaliæ.

Joannes Bavarus Ep. Ecclesiam & Diœcesin Monast. ad pristinum statum reducit.

Ac Bavarus postquam pro optimi Principis munere diœcesin Monasterienſem in pristinum statum reposuerat, mox ea etiam, quæ Episcopi sunt, & à se desiderabantur, inter primas curas habuit. Nondum ille ullo majorum Ordinum gradu insignitus erat. Igitur sub initium Quadragesimæ Subdiaconus, medio tempore Diaconus, pridie Paschatis Sacerdos consecratus; jucundumque fuit populo & plenum pietatis exemplum, spectare tam illustri Ducum genere vitum medium inter cæteros clericos initiandos, modestumque præ reliquis procumbere, & Episcopi manu consecrari. Ipso mox Paschatis die apud Canonicos ad fontem Salientem primùm Deo sacrificium

Fit Sacerdos & primum apud Monasterienses sacrum legit.

cium obtulit, rarò exinde publicis negotiis se impediri passus, quin ter, quaterve per hebdomadem sacram hostiam Deo litaret. Quo conspecto religionis & pietatis exemplo populis plus venerationis impressit ad obedientiam & amorem, quàm per omnem Principis splendorem armorumue potentiam. Hinc cætera etiam prospera fuêre. Nam Reinam numerato ære extraxit ex manibus Benthemensis Comitis: Ahusiam, Ottenstenium, Scoppingam, oppignorata Oppida, redemit à Conrado Diepholdio; brevique præfecturas, castra & Oppida, per tot dominos & possessores distracta, diœcesi restituit, pace ac domestica parsimonia multò ditior feliciorque, quàm alij bellis & armatorum Principum fœderibus.

Annus Christi 1459.

Pij II Pont. 2.
Friderici IV Cæsaris 20.
Theodorici Adminis. Pad. 44.

Raynaldus in histor. Eccles. Trithem. in Chron. Nauclerus Gen. 49. Spangeberg. in Chron. Langius in Chron.

Pontifex & Cæsar laborant pro suppetiis contra Turcas impetrandis, & bellis in Germania sopiendis.

Pontifex per hæc Mantuæ anno postero publicum cnnventum indixit; ad quem cùm ipse profectus, tum omnes Imperij ordines & Regum Legatos invitavit, ad suscipiendam expeditionem in Turcas. Ungariam interim fortissimè propugnante Matthia Corvino Huniadis filio, quem Ungari, rejecto Friderico Cæsare, Regem sibi delegerant; Corvinus quippe & Scanderbegus, Epirotarum Princeps, per id tempus duo fulmina belli Turcici. Infelicior Bohemia, quæ Georgium Bòdiebachium Hussiticæ sectæ hominem sortita est Regem, ab eoque Hussiticæ hæresis secta afflata post Saxoniæ. Cæsar interim, cui hoc anno, 22 Martij Maximilianus filius est natus, Norimbergæ Principum comitia habuit. In his primò actum de proximis auxiliis adversus Turcas; tum de bello, quod inter Ludovicum Bavariæ Ducem & Albertum Marchionem Brandeburgicum ardebat, sopiendo. At frustra laboratum in his Principibus ad concordiam reducendis; Bavaro, licet ob tabulas Cæsareas publicè discerptas læsæ majestatis damnatus esset, bellum pertinaciter prosequente, quod alternis provinciarum vastationibus inter Bavarum & Brandeburgicum fœdè continuatum. Accessêre novi bellornm motus ad Rhenum ex obitu Theodorici Erbachij Moguntini Archiepiscopi, Metropolitani nostri: quo pridie Nonas Maji extincto, Canonici Cathedrales è suo Collegio sublegêre 20 Julij Dietherum Isenburgicum Comitem; quem quia Pontifex, ut post referetur, exauctoravit, subrogato Adolpho Nassoviæ Comite, multis inde Principum factionibus decertatum; visumque est bellum, quod Westfaliam hactenus exagitârat, demigrasse ad superiores Rheni provincias.

Naucler. Ursberg, Paralip. Trithem. in Chron. Serrar. l. 5. Mogunt. Raynaldus in histor. Ecclesiast.

Joannes Bavarus Consecratur Ep. Monast.

Inde inter Westfalos, bello Susatensi & Monasterienst exhaustos fessosque, res pacatior. Opportunè id accidit Joanni Bavaro Monasterienst Antistiti, ad disciplinam Cleri, & res sacras, per bellum turbatas,

turbatas, in pristinum statum reponendi. Ad quod munus majori auctoritate explendum cùm superiori anno sacerdos initiatus esset, voluit una tum & hoc anno Episcopus consecrari, evocatis ad id sacrũ opus tribus Episcopis Monasterium, quos eodem, quo ipse Joannis nomine sortitus & à quibus festo D. Catharinæ solemni ritu consecratus est. Ex tam sublimi sanctoque gradu honoris nihil quoque hoc anno Joannes impensius habuit, quàm collapsos Cleri & religiosorum mores corrigere: synodum convocare: urbis & diœcesis Parochias, Canonicorum Collegia, Monachorum & Monialium Cœnobia perlustrare, & severis legibus ad pristinum vitæ institutum revocare. Celebre erat apud Monasterienses Virginum Canonicarum Collegium Transaquense, ab Hermanno Episcopo conditum, hæ quia cæteris licentius vivebant, multaque sibi liberius, obtentu nobilitatis, & prisco vivendi genere, permissa vendicabant, ad communem mensam intraque claustrum restrictæ sunt; atque ut alij etiam referunt, Joannes primùm ex Canonicarum Virginum instituto ad D. Benedicti familiam traduxit; opportunitate ad id data ex morte Abbatissæ, in cujus locum cùm Virgines Werthinenses Comitis filiam deligerent, ipse Colonia antistitem evocavit Richmodam Horstiam, cujus operâ ad arctioris vitæ formam redactæ sunt. Sæpe quidem Virgines ad pristinam Canonicarum Virginum libertatem aspiravêre, avocato cumprimis Joanne ad Magdenburgensem Archiepiscopatum; Verùm successor Henricus Swartzenbergius, id quod Joannes sanxerat, ratum perpetuumque esse voluit. Hunc in modum Bavarus Episcopus convulsam & prope perditam diœcesin non modò sacrorum flori, sed & redemptis castris, ac recuperatis præfecturis, dissolutis debitis, pristino splendori summis infimisque gratus restituit; patuitque efficacius populum religione, & conspectu virtutum, quàm terrore armorum gubernari ab Episcopis.

Canonicarum apud Monasterienses Virginum Cœnobium Transaquense ad pristinum vigorem & D. Benedicti institutum traducitur.

Annus Christi 1460.

Pij II Pont. 3.
Friderici IV Cæsar. 21.
Theodorici Administr. Paderb. 45.

Sexagesimus dehinc sæculi annus accesserat, qno Pius II Pontifex ex decreto Cardinalium & Oratorum, qui Mantuæ convenerant, bellum sacrum adversus Turcas edixit, missis in hanc rem ad omnes Europæ Reges Legatis; quos inter Cardinalis Bessarion ad Germanos pervenit, promissa equitum & peditum auxilia sollicitatum. Ac Pontifex, ut Christianorum animos excitaret, amplissimas noxarum indulgenrias delargitus est; ipseque & Cardinales non modò decimas sacrorum, sed aliorum bonorum ultro obtulêre in bellum. Id cùm per Italiam fieret, Pontifex etiam decimas sacrorum bonorum per Germaniam imperavit, id quod acerbissimis animis exceptum à multis.

Raynald. in histor. Eccles. Platin. in Paneg. Bessarion. Gobelin. l. 4.

Pontifex bellum adversus Turcas edicit & promovet.

tis. Repetitæ enim priorum annorum querelæ de indulgentiarum quæſtu, de auro argentoque ex Germania exportato, nec in bellum Turcicum converſo, de pecunia per decimas à ſacerdotibus expreſſa, ad Pontificis ærarium explendum, & quæ hujuſmodi erant. Auctor hujus concitationis inter Epiſcopos Dietericus Moguntinus Archiepiſcopus, recens in Cathedram provectus. Celebrati quidem primùm Norimbergæ, deinde Wormatiæ Epiſcoporum & Principum conventus: verùm ob has inanes querimonias, & diſſidia Germanorum Principum, armis etiam inter ſe conflictantium, nihil Beſſarion Apoſtolicæ Sedis Legatus, quantumvis Viennam ad Cæſarem profectus, impetravit; non ſine ſummo Pontificis dedecore & conteſtatione, ad quem hoc anno trium Patriarcharum Orientalium, Alexandrini, Antiocheni & Hieroſolymitani Legatio acceſſerat, obnixè liberationem à jugo Turcarum flagitantium, ultroque ſe ad omnem cum latina Eccleſia concordiam offerentium.

Inauguratio Archiep. Trevirenſis.

Magna interim inaugurationis celebritate ac pompa Joannes Trevirenſis Archiepiſcopus, Marchio Badenſis, in urbem Trevirenſem introductus eſt à Theodorico Colonienſi Archiepiſcopo, Adminiſtratore noſtro, Friderico Palatino Rheni, ac tribus Germanis fratribus Archiepiſcopi, multisque comitibus & proceribus Rheni. Omnisque, quæ hactenus Eccleſiam illam turbarat, controverſia inter Magiſtratum & cives compoſita eſt.

Ertvvin. in Chron. Werner. Roleving. Wittius Auctor. inter illuſtr. Script. German. Kleinſorg. in Chron. Stangefol. in Weſtf. Pideritius in Chron. diploma Simonis Epiſcopi noſtri.

Veritas & veneratio Euchariſtiæ inſigni miraculo Blombergæ confirmatur.

Cæterum hoc anno Deus inſigni miraculo diœceſin Paderbornenſem illuſtravit, edito ad veritatem venerationemque Euchariſtiæ populo ſanctius imprimendam; id cùm à multis eorum temporum ſcriptoribus ſit conſignatum, tum vel teſtatiſſimè à Simone Epiſcopo noſtro in diplomate poſtea confirmatum eſt. Res ita ſe habet. Impia & ſacrilega mulier in Oppido Blomberga, Comitatûs Lippienſis, pixidem, in qua pro Catholicorum ritu quadraginta quinque conſecratæ hoſtiæ ſervabantur, clam è Parochiali templo ſuſtulit, ſecumque, quo furti animo incertum, deportavit; at ſcelere perpetrato, tantus mox horror inceſſit fœminam, ut mentis inops conſecratas hoſtias abjecerit in puteum. Indiciis verò mox quibuſdam prodita, comprehenſaque ſacrilega à Bernardo Comite, faſſa eſt ſcelus; quod & vindice ſimul Deo teſtatum fuit. Quippe ſub idem tempus horrido ventorum turbine & fulminis ictibus coorta eſt tempeſtas, qua & Parochi domus conflagravit, & totius Oppidi ædes convulſæ, & fruges longè latèque circum per agros grandine obtritæ. Comes convocatis in concilium viris ſapientibus, poſt expiatum ſupplicio mulieris ſcelus, ædem ſacram aramque ſuper puteum erigi mandavit. Ac mox ſuper puteum viſi noctu cœleſtes ignes collucere, multisque prodigiis locus ſacer illuſtrari compertus. Vulgatâ rerum, quæ acciderant, famâ, magnus ad ædem ſacram locumque hominum concurſus fuit, vota & dona offerentium ex quibus permulti claudi, cœci,

cœci, aut aliis morbis afflicti cœlestem opem consecuti sunt, quotquot hausta putei aquam bibêre. Increscente pietate & largitione hominum, haud multò post celebre Canonicorum Regularium D. Augustini Cœnobium, cui à corpore Christi nomen dedêre, adstructum est. Multis hanc rem denarrat Pideritius Lutheranus præco in Chronico suo Lippiensi, sed tot fabulis & fallaciis aspersam (qui hominum istorum mos est, omnia ad hæresis suæ errores incrustandos scribentium) ut fidem, quam adstruere debuit, historiæ propemodum deroget. Fateri quidem ille necesse habuit, multos gravibus morbis affectos istic curatos esse, quoquot ex putei aqua bibêre, sed id ad naturalem vim aquæ retulit; cùm tamen illa vis aquæ non nisi post projectas in eam sacras hostias unquam animadversa. Addit præterea, puteum ac locum multis nocturnis dæmonum ludibriis ac spectris infestatum; tanquam lumina facesque, quæ noctu istic visæ ad locum honorandum, non à bonis, sed maliginis Spiritibus ostensæ fuerint. Sed quàm multa hujusmodi suppetunt in omni historia cœlestia signa, quibus mortales à Deo moniti, aut profanatæ per Judæos, aut alios sacrilegos homines, Eucharistiæ honorem cultumque suum reddere? & satis hunc scriptorem refellunt, falsique arguunt Bernardus Lippiensis Comes, cujus res gestas scribit; tum Simon ejus frater Episcopus Paderbornensis, à quibus locus ille, erecta super puteum æde sacra & altari, adstructoque Cœnobio, ob cœlestia, quæ istic impetrabantur, beneficia excultus. Quam in rem juvat ipsum Simonis Episcopi nostri diploma proferre.

Simon Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Paderbornensis, Universis et singulis præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum, inspecturis, illis præsertim, quorum interest, intererit, aut interesse, quoscunque infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam. Ad hoc ut Monasteriorum omnium per diœcesin nostram præcipue consistentium, et inibi Deo famulantium personarum status salubriter dirigatur, servarique possit decentia honestius, favori et necessitatibus eorum competenter succuratur, nostri libenter favoris præsidium impartimur, potissime cum causæ persuadent rationabiles, et divini cultus observantia exposcit. Sanè postquam pridem dilectus in Christo Prior, et conventus Monasterii in Blombergh ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini nostræ Paderbornensis diœcesis sua nobis petitione monstrarunt, Quod licet prædictum Monasterium noviter erectum, ac eo loco, quo nuper quædam desperata et sacrilega mulier, Dei timore abjecto, sacrosanctum Dominici corporis Sacramentum in quadraginta quinque consecratis hostiis ex parochiali Ecclesia dicti Oppidi Blombergh furto sublatum, detestabiliter in puteum quendam projicere non abhorruit, in dampnationem propriam, divinæ majestatis offensam, Christi quoque fidelium scandalum: Ad super tam horrendis criminis excessibus et offensa Salvatoris nostri Dei incarnati placandam iram, Illustris Bernardus Nobilis Dominus de Lippia Germanus noster carissimus,

carissimus, in et sub cujus ditione et dominio temporali locus est commissi delicti situs, ibidem sagacitate opera, promotione et impensis, ut honor saltem aliquis condignus donationi et reverentiæ cum hostiarum placatione per viros religiosos divinis officiis in ipso loco jugiter exsolvatur, Monasterium insigne, largitionibus etiam Christi fidelium suffragantibus et gravibus impensis sit constructum; Ipsum tamen in suis fructibus, redditibus et proventibus, qui pro magna parte in oblationibus Christi fidelium, quorum proh! caritas magis et magis indies tepescit, adeo tenues fore dinoscuntur, ut Prior et conventus Monasterii prædicti ex illis decenter sustentari, hospitalitatem tenere et observare, fabricam inceptam complere, et onera incumbentia perferre non possunt, imo nisi ipsis in provisione aliqua decenti subveniatur, dicti Monasterii desolatio, ac divini cultus in eo instituti interitus, et ab inceptis ædificiorum structuris cessatio verisimiliter sint timendæ, &c.

Quas deinde donationes fecerint Episcopus & Bernardus Comes, multis recensent hæ tabulæ, Datæ anno Domini millesimo, quadringentesimo, nonagesimo sexto. Alia hujusmodi diplomata indicat Pideritius extare in tabulario Comitum Lippiensium, quæ si produxisset in medium, multò hæc res testatior illustriorque prodiret.

Annus Christi 1461.

Pij II Pont. 4.
Friderici IV Imp. 22.
Theodorici Administr. Paderb. 46.

Naucler. gen. 49. Raynald. in histor. Eccles. Trithem. in Chron. Brovver. lib. 19. antiq. Trevir.

Turbata per hæc in alterum annum Germania bello, quod inter Ludovicum Bavariæ Ducem & Albertum Brandeburgicum extrahebatur. Huic accessit alterum bellum inter duos Moguntinos præsules. Elegerant Canonici ab obitu Theodorici Diethericum Isenburgicum Comitem; quo abjecto, Pontifex Adolphum Nassovium, paribus ferè suffragiis lectum, nominavit Moguntinum Archiepiscopum. Multa crimina data Isenburgico apud Pontificem: corrupisse auro eligentium suffragia, palam decimas à Pontifice pro bello Turcico indictas oppugnasse, damnasseque pecuniam ultro ex concessis indulgentiis oblatam colligi, exportarique ex Germania, cujus & ipse partem ad se trahere machinatus sit; in hanc rem publicos Principum conventus primùm Francofurti, deinde Moguntiæ sine Cæsaris auctoritate convocasse, in iisque per absentiam Cæsaris concitasse Episcopos & Principes adversus Apostolicam sedem, ipsosque pontificis Legatos injuriosè tractasse, atque postquam de his corrigendis monitus fuerat, appellasse ad Concilium, quod nec erat, nec ab alio quàm à Pontifice convocari poterat. Et quæ hujusmodi in literis Pontificis XII Calend. Septembris ad Germaniæ Principes datis percensentur.

Turbatur Ecclesia Moguntina ob duos præsules, alterum electum, alterum à Pontifice nominatum.

Scripsit præterea hoc anno Pontifex ad Trevirensem, cæterosque Ger-

que Germaniæ Episcopos ac Principes, obtestatus, ne se pravo Moguntini exemplo adversus Apostolicam sedem commoveri paterentur. Scripsit quoque binas literas Pontifex ad Theodoricum Colonienſem Archiepiscopum, quarum alteris causas exponit, ob quas Sigismundum Austriæ Ducem è piorum cœtu ejecerit; Alteris per Theodoricum patrocinium apud Cæsarem rogat, uti velit Francisco Ducatum Mediolanensem hereditarium confirmare. Literæ hæ Pontificis plenæ sunt omnis humanitatis, mutuæ benevolentiæ ac laudis; virumque appellat, cujus maxima sit auctoritas in Imperio & syncericas, ut nihil Theodorico cum Moguntino conspirationis commune fuisse reputari possit.

Schisma Moguntinense in apertum bellum erumpit.

Interim magnis animorum motibus bellum inter Diethericum Isenburgicum & Adolphum Nassovium Metropolitanos nostros agitabatur. Isenburgici partes suscepit Fridericus Palatinus Rheni & Ludovicus Bavariæ Dux cognomento Dives, Pontifici jam ante non minus, quàm Cæsari infestus. Contra pro Nassovio arma suscepêre Joannes Trevirensis Archiepiscopus, Ludovicus Bavariæ Dux cognomento Niger, Carolus Marchio Badensis, Joannes Metensis Episcopus, Vdalricus Comes Wirtenbergicus, alijque Comites ac proceres. Inflammatis partium animis, copiæ utrimque in campum productæ, quibus tamen præter deprædationes provinciarum nihil magnoperè præliari laude dignum est actum. Neque cum hoc bello, quod sequenti anno multo acerbius productum, quicquam sociale fuit Theodorico Archiepiscopo, quem bellum Susatense & Monasterienſe exhauserat, & gravis senij ætas fessum fecerat. Viderique poterat Martis furor è Westfalia in superiorem Germaniam demigrasse.

Chron. Tremon. Teschem. Stangefol. Obitus Gerhardi Marchiæ Comitis sine hærede defuncti.

Moritur per hæc pridie Idus Septembris Gerhardus Marchiæ Comes, patruus Joannis Cliviæ Ducis, octavo & sexagesimo ætatis anno, post administratam Marchiam annis fere 50. vir per omnem vitam his turbis Westfaliæ Theodorico Archiepiscopo consilio manuque conjunctissimus. Corpus Hammonam delatum, illatumque honorifico sepulchro apud Franciscanos Monachos strictioris Observantiæ, quibus ille primùm in Westfaliam evocatis eo in Oppido anno 1412 templum & Cœnobium exstruxerat. Nulla ab illo legitima proles relicta eòque Marchia tota redijt ad Cliviæ Duces; præter Cæsaris insulam, quam Gerhardus Comes Theodorico Archiepiscopo, ut supra à nobis relatum est, vendiderat. Retenta inde Gæsaris insula cum telonio ab Ecclesia Colonienſi, haud levi inter cetera compensatione amissi Susati.

Annus Christi 1462.

Pij II Pont. 5.
Friderici IV Imper. 23.
Theodorici Adminiſt. Paderb. 47.

Raynald. in histor. Eccles. Trithem. in Chron. Sponheim.

Proximo dehinc anno nihil remisêre Germanorum Principum armatæ discordiæ. Sollicitabat Pius [] integerrimus Pontifex auxilia adversus Mahometem Turcarum Imperatorem, qui subacta Rosna & Walachia Vngariæ regno cum formidabili exercitu imminebat. Verùm Fridericus Cæsar, in quo summa præsidij spes erat, Viennæ à rebellibus urbis civibus, adjuvante eos Alberto Duce Austriæ ac Cæsaris fratre, obsessus, in arce sua tormentis & omni bellico furore oppugnabatur. Ac postquam frustra Germanorum Principum opem sollicitasset, Georgium Podiebrachium Bohemorum Regem, Hussiticæ sectæ hominem, implorare necesse habuit; à quo tandem soluta obsidione liberatus est. Id quod haud leve probrum fuit Germanicæ nationis, Cæsarem suum in his angustijs destituisse. Eò jam Imperialis majestas reciderat, postquam inermes Cæsares fecêre Principes; neque ultra Cæsarum potestas se porrigeret, quàm aut Principes vellent, aut armis hereditariarum provinciarum valerent.

Cæsar à fratre & Viennensibus oppugnatur.

Gerhardus de Reo. l. 7. Chron. Augustan. Annales Suevia Annal. Boica p. 2. lib. 9.

Interim ipsi Principes inter se digladiabantur, bellumque inter Albertum Brandeburgicum & Ludovicum Bavariæ Ducem, ut cœptum diximus, ingentibus partium armis trahebatur. Et Brandeburgicus turbinis instar Bojcam ingressus, omnia terrore compleverat; cui Bavarus occurrit, & memorabili ad Giengam prælio Achillem illum Germanorum fudit. Ductæque in templum tres hostium aquilæ, quarum prima Cæsarea biceps erat, Brandenburgica Coccinea, tertia triginta duarum urbium Imperialium. Adeo Principes Cæsaris signa & potentiam ferebant in armis, quam pro ipso Cæsare detrectabant exserere.

Bavari victoria de Brandeburgico.

Naucler. gener. 49. Trithem. in Chron. Spenhei. Serrar. in Mogunt.

Nec minus atrox bellum trahebatur inter Moguntinos præsules, id quidem Philippus Dux Burgundiæ delectus arbiter componere aggressus; sed cùm lentius pacis tractatio procederet, quàm Nassovius ferre posset, consilio fœderatorum, quorum copiis adjutus erat, populabundus in Friderici Palatini Heidelbergensis provinciam irrumpit; quòd hic ab Isenburgico æmulo suo Stratam Montensem pro impensis belli acceperat, multumque hactenus presserat Nassovium. Sed nec segnior Palatinus, cui se Isenburgicus conjunxerat, Nassovium undique cinctum in arctam pugnandi necessitatem compulit. Consertoque tumultuario prælio, profligatus Nassovius, captus Metensis Episcopus, Carolus Marchio Badensis, & Udalricus Wirtenbergicus Comes. Inter cæsos occubuêre Comes Helfensteinius & Salmensis. Hanc cladem quæ mense Julio accepta, ultus est Nassovius mense Octobri, intercepta æstu militari Moguntia. Quippe admotis noctu scalis, penetratum in urbem, reseratæ portæ, introductus miles, pugnatumque inter cives & Nassovianos ab ortu diei in vesperam, ad ultimum post quadringentorum civium stragem urbe potitus Nassovius. Isenburgicus ubi hostem noctu urbem intrasse didicit, per mœnia se dejecit, tractoque in fugam Comite Catzenelen-

Palatini pugna, & Victoria de Nassovio.

Nassovius Moguntiam intercipit & vastat.

zenelenburgico, piscatoria scapha exceptus Rhenum trajecit. Urbs victori militi in prædam data, & fœdum in modum tractata exhaustaque. Qua vastatione officinæ librariæ disjectæ, & artis istius typographicæ, quæ Moguntiæ celebre primum domicilium fixerat, exquisiti magistri Coloniam, & in alias urbes dispersi migravêre. Urbe in potestatem redacta, mutuis deprædationibus & cladibus lacerata diœcesis. Anno demum consequenti Erfurdiæ in conventu Principum per Apostolicæ Sedis Legatum & Rupertum Colonien-sem Archiepiscopum, Theodorici Successorem, in certas pacis leges conventum, quibus Nassovius secundum Pontificis sententiam Moguntinus Archiepiscopus assertus; Isenburgico verò Loenstenium cum duobus castris ad vitæ usum permissum. Hic finis molesti illius belli.

Etjam Westfalia tot bellis agitata quiescebat. Mota quidem inter Arnoldum Geldriæ Ducem, & Joannem Bavarum Monasterien-sem Episcopum discordia, tum ob controversos utriusque limites, tum ob Vincentium Comitem Mörsanum, Joannis Bavari affinem, quem Geldrus infestabat; sed ea lis ne ad arma veniret, intervenit Gisbertus Brunchorstianus dynasta, Batenburgi & Anholti dominus, missisque Zutphanium utriusque partis Oratoribus, opportunè composuit.

Neque domestica nostra hoc anno aliud suppeditant, quàm pacis & pietatis exculta studia. Celebris erat apud Cistertienses ordinis viros in Cœnobio Flechtorpiensi diœcesis nostræ Fraternitas olim instituta, cui Originem dederat imago B. Virginis multis cœlestibus beneficiis & miraculis clara; ideoque non solùm magno hominum affluxu, sed sodalitio vicinorum celebrabatur; ea pietas quia oblanguere cœperat, Hermannus ejus loci Abbas scriptis ad Theodoricum Episcopum nostrum literis publica auctoritate instaurari petijt. Dilaudabat id studium Abbatis Theodoricus Administrator Episcopus noster, tabulisque in hanc rem confectis, & Coloniæ festo D. Martini die consignatis, Fraternitatem sub patrocinio B. Virginis pristino flori restituit. Nunc hæresis, quia intra Comitatum Waldecensem locus est, omnia disjecit.

Fraternitas B. Virginis in Cœnobio Flechtorpiensi à Theodorico Ep. pristino vigori restituitur.

Reperiuntur & aliæ apud nos tabulæ, quibus Bernardus Comes Lippiensis, cognomento bellicosus, ejusque frater Simon Comes Lippiensis, haud multò post Paderbornensis Episcopus memorandus, Virginum Cœnobio, quod in urbe Lemgoviensi majores condiderant, omnia jura, & privilegia festo D. Barnabæ confirmavêre, bonaque Virginum nova donationis liberalitate auxêre. Sed & hoc Cœnobium Virginum cum cæteris in Comitatu Lippiensi absorbuit hæresis.

Privilegia Cœnobij Lemgoviensis à Comitibus Lippiensibus confirmantur.

Annus Christi 1463.

Pij II Pont. 6.
Friderici IV Cæsar. 24.
Theodorici Archiep. Administr. Paderb. ultimus.
Simonis Paderb. 1.

Trithem. in Chron. Sponhei; Bruschi. in Episc. Pad. Kerssenbr. in Catalog. Episcopor. Westhov. in Chron. Tremon. Gelen. lib. 3. Synt. de monum. Metrop. Eccl.

Sequitur annus Christi sexagesimus tertius supra quadringentesimum & millesimum, quo Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis, & Paderbornensis Ecclesiæ Administrator, festo Valentini Martyris, XIII videlicet Februarij Zontij ad Rhenum excessit; sicuti hunc diem & annum obitus consignavit Trithemius, Gelenius, Bruschius, Kerssenbrochius, Auctor Chronici Tremonensis, alijque. Gessit Episcopatum Agrippinensem per XLIX, Paderbornensem per 47 septem annos integros. Præsul varia, ut narravimus, fortuna, & multis belli tempestatibus jactatus, de quo hoc Æneæ Sylvij, post Pij II Pontificis elogium; Theodoricus cùm Bononiæ juri Pontificio operam daret, à Joanne XXIII summo Pontifice Colonienſem Ecclesiam obtinuit, cui jam per annos XVII non sine plebis ac nobilitatis magno favore præfuit; qui etsi plurima pro defensione Ecclesiæ suæ vario eventu bella gessit, in quibus modò strenui militis, modò fortissimi Ducis officium implevit; nunquam tamen domi aut sacerdotalia munia, aut civilem administrationem neglexit; corpore pulchro & supra communem staturam eminenti, animo magno & perliberali; cujus palatium illustribus semper hospitibus patuit; quæ ijsdem verbis transcripsit Schedelius. Non eo facilè tum magnificentior inter Principes in Imperio, qui aliquando in comitia Principum ascendit, secumque ut auctor Chronici Belgij retulit, viginti quinque Doctores deduxit, quos omnes ingentis pretij, & unius coloris vestitu exornavit; præter Comites, Barones, & militares viros, quos eodem cultu coloreque vestium produxit. Par mensæ, ferculorumque splendor, quæ non nisi argenteis lancibus inferebantur. Sed ea magnificentia & liberalitate diœcesin Successori obæratam oppignoratamque reliquit, belli Coloniensis fomitem. Inter pietatis ac religionis monumenta posterorum etiam animis impressa, celebris est feria VI post octavam Paschatis Theophoria Coloniensis, & in hunc diem magno populorum concursu frequentata, quam Theodoricus Archiepiscopus primùm instituit, ad Hussitarum hæresin, quam prius oppugnârat, Christianorum precibus extinguendam; quo die simul divinum officium de lancea & clavis, piâ vulnerum Christi memoria, ac veneratione peragi voluit. Quemadmodum multa hujusmodi in synodis salubriter ab eo statuta reperiuntur. Nec ullum Archiepiscopi funus, uti id auctor Chronici Tremonensis describit, majori omnium ordinum comitatu Zontio deductum Coloniam, delatumque in Basilicam; ubi ante sacellum & corpora trium Regum sepulchrum ejus honoratissimo inter alios Archiepiscopos loco conspicitur. Or-

Lib. de statu Europæ cap. 39.

Theodorici obitus & elogium.

Theophoria Coloniensis à Theodorico instituta.

Ortus erat ex antiqua & celebri Mörſanorum Comitum familia ad Rhenum, quorum ſedes & hæreditarium caſtrum in Oppido Mörs, quod Reinbercæ cum explicato circum comitatu objacet. Stirpem hujus familiæ Hieronymus Henninges dedit in lucem. Clarus poſt majores ſuos Fridericus Comes Mörſanus, qui circa annum 1400 vixit, genuitque ex Hochſtratana conjuge Theodoricum Archiepiſcopum Colonienſem, Henricum Monaſterienſem, & Walramum primùm Trajectenſem poſtulatum, pòſt Monaſterienſem Epiſcopos, ac Vincentium horum fratrem, à quo ſtirps propagata per Joannem Comitem; huic verò, quia nulla maſcula proles ſuperfuit, per Elizabetham filiam, Wilhelmo Comiti Weidano denuptam, Comitatus ceſſit Weidanis. Et hic ille Wilhelmus Comes, cujus frater Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus, & Fridericus Monaſterienſis Epiſcopus; quorum uterque ob Lutheranam hæreſin à Pontifice, ut tempore memorabitur, exauctoratus. Sed & Wilhelmo Comiti Weidano nulla maſcula proles relicta; eòque per filiam Annam, Wilhelmo Comiti Newenario datam in matrimonium, comitatus denuo Morſanus, in familiam Newenariorum Comitum tranſijt. Sed & horum Comitum familiâ haud multò poſt extinctâ, Comitatus in Auriacorum poteſtatem venit. Ita verò veteres ac nobiles illi Comites, poſtquam hæreſin admisêre, una ſecum familias ſuas, tot Archiepiſcopis & Epiſcopis illuſtres, ſepulchro intulêre. Nihil à Caroli M. ævo glorioſius, quàm Comitum & nobilium filios paſſim deligi Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ex his dignitatum gradibus Electores & Imperij Principes conſpici; donec tot per Saxoniam extinctis Epiſcopatibus, & ad Principum familias adactis, nulli jam nobilium Comitumve familiæ ex his Epiſcopum ac Principem Imperij amplius per electionem ſperare fas ſit. Theodorici familia.

Alter Metropolitanus, quem hic annus feria quarta Paſchatis è vita mortalium extulit, fuit Gerhardus Comes Hojanus Bremenſis Archiepiſcopus, vir, ut auctor Chronici Sclavici perhibet, ſimplicis & candidæ indolis, pacisque per omnem vitam ſtudioſiſſimus; qui nec turbis Oſnabrugenſibus, nec bello Monaſterienſi, nec alijs, quæ Hojani Comites geſsêre, ſe miſcuit. Tres tum ſimul Hojani Epiſcopi, Gerhardus Bremenſis, Albertus Mindenſis, & Ericus Oſnabrugenſis, parum frugi. Fraterne Gerhardus fuerit Erici & Alberti Epiſcopi, an patruus, incompertum habeo; quòd à Reusnero & alijs in ſtirpe Hojanorum prætermiſſus. Obitus Gerhardi Hojani Archiep. Bremen. ſis.

Admiratur Crantzius nihil quoque Gerhardum Archiepiſcopum tentaſſe in repetendo Delmenhorſtio; id enim caſtrum in conſpectu urbis Bremenſis poſitum unâ cum oppido & toto dominio primùm Bremenſi Eccleſiæ 6000 marcis oppignoratum, deinde ab Ottone Oldenburgenſi Comite, poſtquam Nicolaus ejus filius Bremenſis Archiepiſcopus delectus fuit, Bremenſi Eccleſiæ tranſcriptum.

Sed

Sed neque poſt Balduinus, Nicolai ſucceſſor; neque Gerhardus Hojanus, qui Balduino ſubrogatus, nobile illud patrimonium Eccleſiæ ſuæ, quod jam Oldenburgici Comites invaſerant, & pro quo tum Gerhardus & Mauritius fratres Oldenburgici Comites decertabant armis, unquam repetere comperti ſunt: ſeu id Cæſaris auctoritate; ſeu inter partes transactum fuerit. Fatetur Crantzius in obſcuro relictum. Sanè quæ Hammelmannus in hanc rem adfert, magnus Oldenburgicorum patronus ſcriptor, non expediunt controverſiam.

Gerardo Canonicorum ſuffragiis ſubrogatur Henricus Comes Schwartzenbergius,

Gerhardo Archiepiſcopo datus Succeſſor Canonicorum ſuffragiis Henricus Comes Schwartzenbergius, fulgentiſſimus ea tempeſtate Epiſcopus; quem mox ab electione quindecim Germaniæ Principes cum ingenti procerum & vaſallorum multitudine in urbem & Baſilicam introduxêre, rarâ profecto inaugurationis magnificentiâ. Tam ſpectatæ virtutis ſub ingreſſum Epiſcopus; quem triennio ab hinc Monaſterienſium quoque Epiſcopum in locum Henrici Mörſani delectum memorabimus. Is exinde utrumque ampliſſimum Epiſcopatum admirabili prudentia, fortitudine & felicitate adminiſtravit.

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XVIII.

SIMON III

Comes Lippiensis

XXXVII,

EPISCOP. PADERBORN.

Annus Christi 1463.

Pij II Pont. 6.
Friderici IV Cæsar. 24.
Simonis III Episcopi Paderb. 1.

POsteaquam excessu Theodorici Mörsani Archiepiscopi mors duas Episcoporum sedes vacuas fecerat, Colonienſis III Calend. Aprilis una suffragiorum consensione subrogârunt Rupertum, Ludovici Comitis Palatini ac Ducis Bavariæ filium, rejecto Ducis Burgundiæ patrocinio, qui pro Ludovico Borbonio Episcopo Leodienſi, & Ducis Cliviæ, qui pro Henrico Schwartzenburgico sollicitabat. Paderbornenſes pari concordia in locum Administratoris sibi proprium Episcopum sublegêre Simonem Comitem Lippienſem, Bernardi VI Comitis fratrem, quos duos filios Bernardus V. Comes Lippienſis sustulerat ex Elizabetha Mörsana

Trithem. in Chron. Chron. Colon. Gelen: in Sacrar. Brusch. in Episc. Paderb. Kersenbræ in Catal. Episc. Piderittus in Chron. Lippiens. Stemma Mörsan. Cranz.

lib. 11. Metrop. c. 47.

sana, Theodorici Archiepiscopi sorore. Verùm ex quo Cathedrali Collegio, aut quo gradu dignitatis, vel virtutum merito delectus sit, nemo eorum temporum, quantumvis vicinorum, prodidit. Quanquam nihil verisimilius sit, quàm Simonem è Collegio Paderbornensi à Canonicis suis eo nomine III Paderbornensium Episcopum, & quartum ex familia Comitum Lippiensium post Bernardum IV, Simonem I, & Bernardum V. Episcopos nostros, sublectum fuisse, id quod eodem mense Februario, statim post obitum Theodorici Administratoris, factum docent tabulæ pridie Cathedræ S. Petri consignatæ; quibus certis legibus, ut mos est, inter Simonem electum, & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, cæterosque ordines utrimque servandis convenit. Et hoc ipso etiam anno à Pio II confirmatum Episcopum, aliæ literæ indicant, quibus Brakelensibus mense Decembri, pridie D. Thomæ, vetera privilegia, electi & confirmati Episcopi nomine, instaurat. Itaque Simon magna ordinum concordia, & popularium gratulatione exceptus inauguratusque, Administrationem Episcopatus adiit; &, quod ex aliis literis constat, haud multò post etiam solemni ritu sacerdos & Episcopus consecratus est.

Simon è comitibus de Lippia deligitur Episcopus Paderbornensis.

Interim per id tempus anni Lemgoviæ, quæ civitas est Comitatus Lippiensis, & jurisdictionis sacræ Episcopi Paderbornensis, præclarum ordinis D. Francisci de Observantia Cœnobium cum æde sacra condi cœptum, liberalitate Joannis Mollenbeckij, armigeri Paderbornensis diœcesis. Extant hac super re apud nos donationis tabulæ, ab Archidiacono Lemgovienſi, Paderbornensis diœcesis, mense Majo consignatæ; quibus armiger fundator domum suam, & amplum construendi Cœnobij ac templi fundum Franciscanis Patribus provinciæ Colonienſis transcribit. Ducta subinde ex Hammonienſi Cœnobio Colonia Monachorum Lemgoviam; & locus excoli habitarique cœpit, magno urbis bono, fructuque sacrorum. Sed vixdum uno sæculo constitit florens hoc Cœnobium. Quippe quòd tempestate Lutheranæ hæresis, anno Christi 1561, non modò per insolentiam Magistratus & civium injurias ejecti religiosi viri; sed & templo, & bibliotheca, & omnium sacrorum ornatu spoliati sint.

Fundatur Lemgoviæ Cœnobium PP. de Observantiâ.

Annus Christi 1464.

Pauli II Pont. 1.
Friderici IV Imp. 25.
Simonis III Ep. Pad. 2.

Magnis exinde animis uterque Episcopus Administrationem suæ diœcesis exorsus. Ac Ruperto Colonienſi Archiepiscopo, ne quid liberius pro sua auctoritate ageret, certæ primùm leges præscriptæ. Quam in rem comitia hoc anno post festum corporis Christi sunt convocata, in ijsque præter cætera statutum, ne bellum ullum sine ordinum consensu suscipiat: fœdera cum urbe Colonienſi, Episcopatu

Literæ de concordiâ ordinum ducatûs Westfal. sub Ernesto Archiep. anno 1590.

scopatu Monasterienſi, Ducatu Montium, ac Tremonienſibus, aliisque inita sanctè colat; neque alia cum aliis sine ordinum voluntate contrahat, Satrapiam Bilsstenianam & Fredeburgensem; Cæsaris præterea insulam, Archiepiscopatui servet. Id quod & scriptor Cliviæ inter Rupertum & Joannem Cliviæ Ducem hoc anno confirmatum refert; additque his pactis convenisse simul, ut Susatum & Sanctensis urbs Cliviæ relinquatur. Interim Cleinsorgius Pij II Pontificis decretum anno 1462 editum producit, quo jubetur Susatum & media pars urbis Santensis Colonienſi Ecclesiæ ex integro restitui. Fesi nimirum Colonienses bellis superioribus, veritique potentiam Clivii, maluerint pacis causâ nobiles hasce urbes Clivio relinquere, quàm in præsens pro jure repetere.

Concordia inter status & Rupertum Archiep. Colon. *Teschem. part. 2. fol. 279.*

His inter ordines ducatus Westfaliæ transactis, Rupertus 400 procerum & aulicorum comitatu stipatus, Tremoniam ingressus; magnificè à Magistratu exceptus est. Inde Recklinghusana toparchiâ inspectâ, ad Rhenum se contulit, & pacis fœdera cum Cliviæ & Geldriæ Ducibus firmavit; quale & cum Episcopo nostro adversus Hassiæ Landgravium iniit, ut ex proximo bello constare poterit.

Ac Simon Episcopus, quem Crantzius sub initia Episcopatûs multos æmulos, multumque negotij habuisse scribit cum nobilibus vicinis ac prædonibus, tam ad auctoritatem sibi asserendam, quàm ad infestos hostes coërcendos, pro ingenio militari sagum induit. Quare fœdere cum vicinis Episcopis inito, Hassos sibi primum ulciscendos sumpsit, sat gnarus expertusque, quantum hæc gens, Theodorico Archiepiscopo bello Susatensi & Monasterienſi occupato, non modò Diœcesi Paderbornensi, sed & Colonienſi, vicinisque Episcopis damnum ad præsentem diem intulisset. Id cùm excelsi animi Princeps ferre ultro non posset, Bernardum Comitem Lippiensem, virum, ut Crantzius scribit, corpore procerum, animo fortem, bellis fortunatum, & omni militari virtute præstantem, in belli societatem attraxit. Conjunxerunt se ex fœdere Rupertus Colonienſis Archiepiscopus, Conradus Osnabrugensis, Ernestus Hildesienſis Episcopus, Abbas Fuldensis, alijq; proceres ac nobiles, quorum auxiliaribus copiis in unum contractis, anno jam in hyemem labente, Hassiam ingressus arma circumtulit, agros arcesq; nobilium cumprimis, qui ex privato bello commune fecerant inter Principes, vastando: Oppida arcesque, quæ ereptæ erant, ad diœcesin repetendo: conturbata Paderbornensis Ecclesiæ jura in veterem statum asserendo. Ludovicos Landgravius, qui hac irruptione ad restitutionem & compositionê æquitatis sollicitabatur

Crantz. l. 11. Metrop. cap. 47. Dilich. in Chron. Hass. Spangeberg. in Chron. Piderit. in Chron. Lipp. & Simon. Episcopo Cleinsorg. in Chron. Wittius in Chron. Fabritius lib. 7. Bellum Simonem Ep. Paderb. inter & Landgravium Hassiæ.

batur, arma armis opponit; imploratáque aliorum Principum ope, postquam à Wilhelmo Saxoniæ Duce XVIII militaribus turmis fuit confirmatus, sub veris initia Paderbornenses fines ingressus, Libenaviam, Kruckenbergam, Helmwardehusiam, ceteraque limitanea Hassiæ Oppida evastat. Castris demum circa Ederen pagum explicatis, firmatoq; ejus loci cœmiterio, prædatoriis incursionibus diœcesin infestat. Mox congestis spoliis trans Dimolam se in Hassiam Landgravius recipit. His denuo provocatus Simon Episcopus noster, Provincialium suorum & fœderatorum militem colligit factaque in Hassiam irruptione, Oppida & pagos pervastat; ac pars militum ad Wolffhagense Oppidum progressa, omne circum pecus abigit. Id cum Oppidani excursione facta repetunt, octaginta eorum simul capti in prædam venêre, ingenti post lytro redempti. Id verò bellum cùm inter Episcopum & Landgravium non nisi mutuis agrorum incursionibus traheretur, haud multò post vicinorum Principum interventu compositum est. Is tum temporum mos erat, languente Cæsaris auctoritate & judicio, injurias tumultuariis armis ulcisci; dum alternorum damnorum saturi, vicini Principes arbitri postulati lites componerent. Auctor est Dilichius in Hassiæ suo Chronico, Simonem Episcopum nostrum hoc bello adactum à Landgravio Episcopatu se abdicare, eumque in Hermannum fratrem transferre, à quo deinde Driburgi ad obitum captivus sit attentus. Qui tam absurdus est error, quàm certum est, Simonem exinde per XXVIII annos liberè Episcopatum gessisse, atque anno demum 1459 ultro ob paralysin & corporis invaletudinem Hermannum Landgravium, cùm jam Colonienſium Archiepiscopus esset, adjutorem adsciviſſe. Quemadmodum hæc tempore memorabuntur.

Raynaldus in histor. Eccles. Karchov. in Chron. Tremon. Westhov. in Chron. Spangeb. in Chron. Nauclerus.

Pontifex ad bellum Sacrum Christianos excitat, sed irrito eventu.

Gloriosius per hæc bellum sollicitabat Pius II Pontifex adversus Turcas, continuatis ad omnes Reges & Principes literis; Ijs licet oblanguentibus, aut intestinis armis dissidentibus, ultro tamen ex omnibus Germaniæ provinciis ad signum crucis convolavêre armati homines, Pontificis indulgentiis & sacrorum præconum voce excitati; quos inter per Westfaliam alia signatorum turma Monasterio, alia Hammonia, alia Tremonia, alia ex aliis Westfaliæ urbibus confluxit. Hi postquam Francofurtum venêre, ac nullis ad tam longinquam expeditionem stipendiis instructi essent, nec Ducem è Principum numero haberent, Burgundo, quam Pontifici promiserat, fallente fidem, dissoluti redière domum. Interim aliarum gentium ingens multitudo sub vexillo crucis convenerat Anconam; quæ

Campanus de comitiis Ratisbo.

cùm

cùm ſine duce & ordine adeſſet, commeatumque & ſtipendia à Pontifice peteret, nec Pontificis ærarium ſine Regum, & Principum ope ſufficeret, & hi dimiſſi redière in provincias ſuas. Nec multò poſt Pontifex cùm torpentem Reipub. chriſtianæ machinam bellicam in Turcas movere non poſſet, curis & dolore conſumptus Anconæ, quo belli promovendi cauſa conceſſerat, in pervigilio Virginis in cœlum aſſumptæ exceſſit è vita; ſubrogatusque Pontifex Paulus II, gente Venetus, ex nobili Barborum familia, ſed moribus & corporis habitu & virtute multò illuſtrior, qui, Platina teſte, tanquam alter Aaron in publicum forma humana auguſtiore prodibat. Et ille inter primas curas Pontificatûs nihil ſollicitiùs habuit, quàm bellum adverſus Turcas. Jam enim Mahometh II Turcarum Imperator torrentis inſtar, poſt captam Conſtantinopolim, Bulgariam, Serviam, & quidquid ad Savum amnem & Danubium extenditur, plerasque deinde Ægæi maris inſulas, & regnum Boſniæ Chriſtianis eripuerat: demum expugnato Trapezunto, & Davide Imperatore in triumphum ducto, duo florentiſſima Græcorum imperia Bizantinum & Trapezuntinum per diſcordiam Latinorum & Chriſtianorum Principum conjunxerat, undique Chriſtianis formidabilis. Ungariam ne raperet, obſtitit injecta Matthiæ Corvini Regis fortitudo.

Moritur Anconæ.

Succedit Paulus II.

Turca Chriſtianis infeſtus plures inſulas & regna diripit.

Annus Chriſti 1465.

Pauli II Pont. 2.
Friderici IV Cæſar. 26.
Simonis III Epiſc,. Paderb. 3.

Non deſtitêre per hæc diſſidia & bella inter Chriſtianos Reges & Principes in Gallia, Hiſpania, Belgio, Saxonia, aliisque regnis. Rheni verò inferioris tractus, qui hactenus quieverat, novo motu concuſſus eſt, captivitate Arnoldi Geldriæ Ducis, quem Adolphus filius 9. Jannuarij in Oppido Gravia ex inſidiis intercepit, raptumque media hyeme noctu è lecto nudum per quinque milliaria in tetrum carcerem conjecit, Patris vitam & gubernationem pertæſus. Impium id factum, quod Paulus Pontifex literis ad filium datis vehementer deteſtatus, & multos Principes miſeratione commovit.

Trithem. in Chron. Chron. M. Belgi. Heida in hiſtor. Ultrat. Pontan. lib. 9. Geldriæ Teſchem. Arnoldus Geldriæ Dux à filio ſuo Adolpho captivus detinetur.

Hæſit interim Dux per quinquennium captivus, dum à Burgundio liberatus, priſtino Geldriæ imperio reſtitueretur. Alter hic Geldriæ Dux Egmondanæ ſtirpis, poſt Reinoldum Naſſovicæ familiæ, quem filius captivum abduxit. Quapropter ſicut ob ejuſmodi impietatem filiorum in parentes Ducatus Geldriæ à Naſſoviis ad Egmondanos; ita ab Egmondanis ad Burgundicam familiam

transiit, venditione nimirum bis mille centenorum aureorum, quam Arnoldus hic post exhæredatum filium Carolo Duci Burgundiæ, anno MCCCCLXXII, VII Idus Septembris fecit; in quem & jus suum Gerhardus Clivius acceptis 820000 aureis transtulit; quo constaret Deum impia filiorum in parentes facinora justa familiarum pœna ulciſſi.

Trithem. in Chron. Spanhei. Chron. Monast. Ertwinus in Chron. Osnabrug.

Felicior optimorum Episcoporum gubernatione Westfalia, in qua duo præstantes Episcopi, Joannes Bavarus Monasterienſis, & Conradus Diepholtius Osnabrugensis Episcopi, omnem curam convertêre in Clericorum Collegia & religiosorum Cœnobia ad pristinos severitatis mores revocandos. Sane Conradus Osnabrugensis Episcopus primò Monasterium Iburgense Ordinis D. Benedicti secundum præscripta Bursfeldensis societatis formavit; deinde quatuor alia Virginum Cœnobia, Hertzbrockense, Montis S. Gertrudis, Malgardense, & Oisense in ordinem redegit.

Conradus Ep. Osnab. Monasteria suæ Diœcesis reformat.

Multò ferventior in hoc pio opere Joannes Bavarus Monasterienſis Episcopus, totius diœcesis suæ Cœnobia ad meliorem vivendi formam reduxit; interque hæc Leisbornense Cœnobium Bursfeldiensi congregationi sese inserere, ab eáque disciplinæ formam recipere jussit. Evocatus in hanc rem novus Abbas Henricus Clivensis, Cœnobioque impositus. Cæteris, qui hanc formam arctioris vitæ recusârunt, extra septa Monasterij concessa pristinæ libertas vitæ, ne cæteros conturbarent. Haud dissimili studio Simon Episcopus noster, postquam bellum Hassicum fuit compositum, quietiori animo sacra civiliaque in pristinum statum reponenda sumpsit; inspectaque diœcesi, prima illi cura fuit, de idoneis sacerdotibus Parochiis imponendis. Quam in rem synodum cleri convocavit; in eáque mores Parochorum & Cleri, qui per bella superiorum temporum, & absentiam Theodorici Administratoris, multum corrupti erant, emendandos suscepit. Rude & incultum sæculum, quo & studia literarum elanguerant, & pietas refrixerat, & prisca illa juventutis cleriquè institutio sub eruditis Episcopis & scholarum moderatoribus propè interciderat; postquam armorum magis, quàm literarum amantes expetiti Episcopi, & nobilitatis major ratio in Canonicis recipiendis, quàm eruditionis habita fuit. Nec vana Crantzij querimonia, quam hìc ad tempora Simonis Episcopi nostri adscripsit. *Hoc unum*, inquiens, *habuit Paderbornensis Ecclesia, quòd Præpositum sustinuerit, etsi hodie veneretur, plebeio genere oriundum, utriusque juris doctorem, virum sine controversia præcipuum, cùm inter Canonicos non patiatur, nisi ordinis Ministerialis. Servant idem multæ Ecclesiæ, Magdenburgensis, Hildesmensis, Halberstadiensis, Mindensis, Osnabrugensis, Monasterienſis. Sed nulla inter omnes obstinatior est in illare, quàm Monasterienſis. Aliæ patiuntur Doctores aut Licentiatos ob doctrinam, ut Ministerialibus comparentur: Monasterienſis verò nequaquam sinit quemvis inseri præter hoc genus Nobilium aut Ministerialium.*

Synodus Diœcesana à Simone Ep. Pad. celebrata, ad reformandum clerum.

Annus

Annus Christi 1466.

Pauli II Pont. 3.
Friderici IV Cæsaris 27.
Simon. III. Episc. Pad. 4.

Annus insequens transtulit ex optimis Westfaliæ Episcopis Joannem Bavarum Monasterienſem Episcopum ad Magdenburgenſem Archiepiscopatum. Obierat ante biennium Fridericus Archiepiscopus, ex antiqua Comitum Bichlingiorum familia ortus; sed virtute multò illustrior. Quippe qui omnia Pontificalia munera, ex quo sacerdos & Episcopus consecratus fuit, per se diligentissimè explevit; cui incredibilis labor fuit, tam in clero, quàm in utriusque sexus Monasteriis ad religiosæ viræ institutum reducendis. Præsul, qui non modò parci cibi & potus, vitæque castissimæ erat; sed & jejuniis & cilicio quotidiano corpus affligeret. Tanti hunc fecit Nicolaus Cusanus Cardinalis ob exploratas virtutes, ut palam contestatus sit, se unum reperisse in Germania virum, quem Episcopi munere ante omnes dignissimum censeret. Quare & vitam non sine publicâ sanctitatis famâ clausit; quod Crantzius, Langius, cæterique scriptores prodidêre. Eo mortuo, cùm de successore ageretur, qui vestigiis Friderici insisteret, Canonici unâ prope omnium suffragatione postulavêre Joannem Bavarum Monasterienſem Episcopum; seu quòd id, ut auctor Chronici Sclavici scribit, Fridericus ante obitum petierit; sicut ipse Fridericus Guntheri antecessoris sui commendatione ad Archiepiscopatum pervenerat: seu quòd fama ipsa præstantissimum per Saxoniam Episcopum Bavarum expetendum commendârat Canonicis. Sed quantis Bavarus votis expetebatur à Magdenburgenſibus, tantùm ipse Bavarus per biennium obluctatus, retentusque à Monasterienſibus, qui ægerrimè à se Episcopum suum divelli patiebantur. Tandem Pontificis sententia jussus est Magdenburgenſem Archiepiscopatum capessere; qui hoc anno à Stephano fratre Colonienſi Canonico, & Marchione Brandeburgenſi summa omnium ordinum gratulatione Magdenburgum introductus, 19. Februarij Archiepiscopatum adiit; eumque exinde in decimum annum pari, qua Fridericus, gubernationis laude, & fama sanctimoniæ clarus gessit. Adeo nunquam per Saxoniam defuêre sanctissimi Episcopi; quales etiam horum temporum fasti multos ex aliis sedibus exhibent.

Joannes Monast. Episc. transfertur ad Carhedram Magdeburg. Mortuo non sine fama sanctitatis Friderico.

Monasterienſes in locum Joannis Bavari delegêre Henricum Schwartzenburgicum, Bremenſem Archiepiscopum; sed eâ lege propositâ, ut Bremenſem Archiepiscopatum Administratoris, Monasterienſem verò diœcesin Episcopi titulo gereret, tanti potentiam & splendorem sui Episcopatus fecêre Monasterienſes ante dignitatem Archiepiscopi. Et Schwartzenburgicus, postquam id à Pontifice quoque

Crantz. lib. 11. Metrop. c. 52. Chron. Monast. Kersenbroc. in catal. Episc. Henricus Schwar-

tzenburgicus Archiep. Bremensis eligitur Episcopus Monast. Ejus magnifica inauguratio.

fice quoque approbatum fuit, hac lege Monasterienſem Episcopatum admisit, scripsitque se deinceps Administratorem Ecclesiæ Bremensis & Episcopum Ecclesiæ Monasterienſis. Nec multò post, quàm hæc transacta sunt, Schwartzenburgicus 20 Junij à Paulo II Pontifice confirmatus. Secuta est festo Conceptionis B. Virginis inauguratio, quæ magna pompa est habita; introductus enim à Ducibus Cliviæ & Geldriæ cum magna Comitum & procerum extraneorum multitudine, comitatuque equestris ordinis, qui ad Principem suum salutandum convenerant. Universum agmen bis mille ac centum equitum fuit, multumque in hac pompa datum splendori familiæ Schwartzenburgicæ, atque ipsi Episcopo, cui avia Ducis Burgundiæ, & mater Adolphi primi Ducis Cliviæ filia erat. Major etiam familiæ gloria à Gunthero Schwartzenburgico Romanorum Rege electo. Ab hoc abauo cæteri ordine Henrici Comites, proavus, avus, & parens Henrici Episcopi. Magnificus Episcopus, ac Princeps sago, togaque, qui Bremensem Archiepiscopatum per 33, & Monasterienſem exinde per 30 annos præclara cum laude administravit. Vir capacis ingenij, & ingentis animi, eaque semper auctoritate, & potentia armorum cinctus, quam nec domestici turbare, nec exteri hostes lacessere ausi.

Osnabrugi in Synodo damnantur clandestina matrimonia.

Celebrem hoc anno synodum habuit Osnabrugi Conradus Dipholtius Episcopus, in qua præter cætera, quæ in ea præclarè statuta sunt, damnantur ab Episcopis clandestina matrimonia, omnique usu sacrorum interdicuntur, quotquot secus contraxerint matrimonium; sicuti id præter alios retulit Godeschalcus Holenius celebris per id tempus Osnabrugi ex familia D. Augustini Theologiæ professor, & Orator ad populum scriptorque libris clarus.

Salutaris per hæc animorum armorumque conjunctio fuit inter Henricum Monasterienſem, Conradum Osnabrugenſem, & Simonem Paderbornenſem Episcopos, ad pacem inter Rhenum & Visurgim firmandam. Ac Simon Episcopus noster postquam cum Hassiæ Landgravio in concordiam & amicitiam venerat, utiliter de religione per Parochias & Cœnobia in Hassia & comitatu Waldecensi disposuit; interque alia Monasterio Wolkendinghusano Canonicorum Regularium D. Augustini in comitatu Waldecensi, quod jurisdictioni Paderbornensis Episcopi affertum, turbata jura restituit. Id verò Monasterium, quod tum cœtu religiosorum hominum celebre erat, ita post Lutherana & Calviniana hæresis, sicut cætera omnia per Hassiam & Waldecensem Comitatum, extinxit, ut ne vestigium quidem, nisi ex nostris fere tabulis supersit amplius.

Simon Ep. Cœnobio Wolkendinghusano sua jura restituit.

Castrum ad Dynastia Patbergensium paulatim ad

Hoc præterea anno MCCCCLXVI, ut ex tabulariis Bredelarienſis Cœnobij retulit Jungelinus, Dominica die ante festum D. Catharinæ, Dominus Conradus de Patberg castrum suum & domum tradidit Ruperto Colonienſi Archiepiscopo Bavariæ Duci. Quæ res in

Cœno.

Cœnobio Bredelarienſi, præſente Theodorico Abbate, multisque, qui ſubſcripsêre, teſtibus, transacta eſt. Ita verò celebre illud caſtrum & Dynaſtia Padbergenſium, quæ feudum erat Paderbornenſis Eccleſiæ, ſenſim tranſijt in poteſtatem Colonienſium, armis & viribus præpotentium; quod ob id Simoni Epiſcopo diſſimulandum fuit; florebantque tum adhuc Ruperti Archiepiſcopi res, quando hæc quarto ejus principatus anno geſta ſunt. diœceſin Colonienſem devolvitur.

Annus Chriſti 1467.

Pauli II Pont. 4.
Friderici IV Cæſar. 28.
Simonis III Ep. Pad. 5.

Novos exinde motus concivit Bohemia, nobilis Imperij pars, per hæreſin denuo turbata. Nam poſtquam anno ſuperiori Paulus II Pontifex Georgium Podibratium Bohemorum Regem in publico Cardinalium ſenatu hæreſis damnaverat, regnoque exuendum pronunciârat, quòd ea, quæ in auguratione jurârat, perfidè violaret: hoc præterea anno quia hæreſin Wiclefitarum & Huſſitarum palam fovere, ſacra Catholicorum & jura perturbare, armis Tyranni in modum Catholicos obruere non deſtitit; Pontifex feria v. cœnæ Domini eandem ſententiam palam repetijt in Regem, populumque à religione juramenti fideique exſolvit, & fœdera, quæ Rex cum aliis Principibus inierat, reſcindenda pronunciavit. Qua ſuper re Pontifex literas dedit ad Fridericum Imperatorem, ad Matthiam Ungariæ & Caſimirum Poloniæ Reges, ad Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, Magdenburgenſem, Saltzburgenſem Archiepiſcopos, cæteroſque Germaniæ Epiſcopos ac Principes. Miſſi ſubinde Legati & præcones ſacri in Germaniam; qui amiſſo tantiſper bello Turcico populum ad ſignum crucis & bellum adverſus Bohemiæ Regem invitarent. At Germani, ſeu quòd veſtigia priorum bellorum Bohemicorum terrerent, ſeu quòd inteſtinis armis diſſiderent, parum his Pontificis literis & præconum tubis commoti ſunt. *Nauclerus Generat. 4. Meibom. l. 4 Cromer. l. 26 Dubra. Raynaldus in hiſtor. Eccleſiaſt.* Bohemiæ Rex hæreticus à Pontifice excommunicatur.

Omnium horum malorum auctor Rockizana, ſceleratus presbyter & Huſsitarum ſignifer; qui cùm Regem haberet in poteſtate, & indignè ferret ſe ab Archiepiſcopatu Pragenſi, quem hactenus tot annis affectârat, repelli, ipſe contra pacta auſus Huſsitarum hæreſes reſuſcitare. Communio quidem ſub utraque ſpecie à Concilio Baſileenſi promiſſa erat Bohemis, ſi modò in cæteris ſe Catholicis conformarent; ipſe verò palam, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie eſſe de neceſsitate ſalutis, contendere; nec Chriſtum ſub altera ſpecie integrum contineri, populo perſuadere; Euchariſtiam poſtulare pueris præbendam: damnare poteſtatem Eccleſiaſtiam: Horas Canonicas, imaginum cultum, aquæ luſtralis uſum, ceterasque Eccleſiæ cæremonias explodere: inter ſacrificium Miſſæ & Sacramentum Euchariſtiæ nullum *Cochlaus in hiſtor. Huſſ. lib. 12. Diſput. in Rokizan apud Caniſ. Raynald. in hiſtor. Eccleſ. ad annum Chriſti 1465.* Hæreſes Bohemorum à Rockizana presbytero ſuſcitata.

nullum discrimen agnoscere: Sacrificium Missæ vulgari lingua celebrare; eò etiam impietatis progressus, ut Anabaptistarum in modum homines aqua baptismatis retingeret. Sed nulla re magis anxij Hussitæ, quàm quòd Episcopos non haberent, à quibus sacerdotes etiam crearentur; hinc aliam hæresin commentus Rockizana, docebat, nullum esse discrimen inter potestatem ordinis & jurisdictionis, profanosque etiam homines ad divinissima Sacramentorum ministeria admitti posse; & quæ ejusmodi multa & nefanda erant Rockizanæ dogmata, vel ex hæresi Wiclefi, vel ex proprio cerebro fabricata.

Trithem. in Chron. Spanhei. Serrar. lib. 1. c. 14. & lib. 5. in Dethe. Ursberg. Paralip. Sebastian. Franck. Clemsorg.

Virus id Bohemicæ hæresis per id tempus etiam Germaniam afflarè cœpit. Repertus enim tum Joannes Burchardus de Wesalia superiori ortus, Erfurtensis Academiæ doctor & Wormatiensis Concionator, qui scriptis dictisque hæreses suas, ex Hussitarum sentina depromptas, palam profiteri & docere ausus; ob quas libri ejus haud multò post publicè damnati & in rogum conjecti sunt, quadriennio antequam Lutherus nasceretur; uti ad annum Christi 1479 memorabitur. Fassusque post Lutherus se ex prædamnati hujus hominis libris dogmata sua, hausisse, vulgasseque in publicum.

Joannes de Wesalia Germaniam hæresi infecit.

Clausit hoc anno xv Junij vitam Philippus Dux Burgundiæ, cognomento Bonus, rebus per 48 annos gestis inter Germaniæ Principes celeberrimus, eòque hactenus à Gallis, Hispanis & Germanis aut pacis arbiter, aut belli socius sæpe imploratus; quòd nemo illi tum facile vel justitia, vel magnitudine animi, vel potentia armorum se comparandus offerret. Unicum ille reliquit filium tot provinciarum hæredem, Carolum cognomento Audacem, inquietum & turbulentum caput, mortaliumque pugnacissimum; qui statim, ut gubernationem provinciarum adijt, imploratus á Leodiensi Episcopo, urbi Leodiensi bellum intulit adegitque ad pacem petendam.

Moritur Philippus Bonus Dux Burgundiæ.

Annus Christi 1468.

Pauli II Pont. 5.
Friderici IV Cæsaris 29.
Simonis III Episc. Pad. 6.

Cranz. in Wand. lib. 12. c. 37. Raynald. in histor. Eccles.

Quæ interea Fridericus Imperator, sollicitante Pontifice, Imperij comitia indixerat, ea sub initium hujus anni Norimbergæ Principum & Ordinum accessu frequentissima habuit. Multa in ijs maximique momenti sunt agitata; quæ mox inter ipsa consilia diffluxêre; quòd Germaniam omnem prius pacatam vellent Principes, quàm vel adversus Turcas, vel Regem Bohemiæ cruce signatorum exercitum educerent. Igitur pace in quinque annos per universam Germaniam sancitâ, Fridericus Imperator, pro veteri religiosissimorum Cæsarum pietate, Romam voti causa profectus, quàm honorificentissimè amantissimeque à Paulo II exceptus, Natalitia Christi cum pontifice celebravit, ipsoque sacratissimo die Ss. Eucharistia è Pontificis manu

Comitia Norimbergensia irrita.

Cæsaris in Italiam discessus.

Naucl. Raynaldus in histor.

ficis manu refectus est. Mos erat Ministrantibus & communicantibus cum Pontifice calicem quoque præberi; quod tum Pontifici visum intermittere, ob Hussitarum hæresin, contendentium alteram speciem necessariam esse ad salutem. Peractis, sacris, Pontifex & Imperator ad palatium & Concilium digressi, multa inter se de bello Turcico & Bohemico contulêre, quæ & consequentibus diebus in Senatu Cardinalium & Oratorum pluribus agitata sunt; sed cassо, ut hactenus omnia, successu; Turca interim unam provinciam post alteram Christianis eripiente.

Sanxerant Principes Imperij Norimbergæ per quinquennium pacem, quam ne quidem hoc ipso anno præstare potuerunt. Enim vero Leodienses violata, quam priori anno pepigerant, pace, iterum rebellando ad arma prosiliunt, capto etiam Ludovico Episcopo suo. Id quia hortatu Ludovici Regis Galliæ eos feciſſe compertum erat, Carolus Dux Burgundiæ, subito cum Rege fœdere inito, ipsum Regem secum ad Leodienses oppugnandos deduxit, junctisque armis 30 Octobris expugnavit. Urbs florentissima muro nudata, direpta & incensa; simulque inaudita crudelitate sævitum in cives, cæsiq; nullo ordinis, ætatis, sexusve discrimine incolæ. Quadraginta hominum millia sine ulla miseratione trucidata memorantur, præter duodecim millia mulierum. Cæteri in sylvas profugi urbem vastam inter incendij ruinas reliquêre, Trojano excidio haud dissimilem: Quẽadmodum hæc à multis scriptoribus relata sunt. Eo furioso bello regiones ad Mosam longè, lateque pervastata; terrore etiam ad Rhenum perlato, quem haud multò post Burgundi etiam armis concussum memorabimus.

Annales Flandriæ. Chron. M. Belg. Nauclerus Gener. 49. Trithemius in Chron. Sponh. Langius in Chron. Citiz. Fisen. in hist. Leod.

Excidium Leodiensium.

Et quia per Westfaliam inter Rhenum & Visurgim omnia adhuc tranquilla erant, invenio in fastis Episcoporum, singulos in reducenda Cleri & Monachorum diciplina occupatos; quos inter Henricus Schwarzenburgicus Monasterienſis Episcopus Cœnoby Ægidiani Virgines exvaga solutaque vita restrinxit, & claustro arctius inclusit; idquod Joannem Bavarum cum Transaquanis feciſſe diximus. Verisimile habeo tum primùm duo illa celebria Monasteria, quæ â prima institutione Cononicæ Virgines vixerant, ad D. Benedicti institutum traductum fuisse. Hunc in modum Simon Episcopus noster postquam cætera diœcesis suæ Cœnobia ad meliorem formam redegerat, vetusquoque Herisiense Collegium Canonicarum Virginum inspexit; & has ubi laudabilem vitam agere comperit, in pristino instituti sui cultu, reliquit; omnia etiam privilegia, quæ â majoribus, & Bernardo cum primis Episcopo, acceperant, instaurando.

Henricus Episcop. Monast. Cœnobium Ægidianum reformat.

Annus Christi 1469.

Pauli II Pont. 6.
Friderici IV Cæsar. 30.
Simonis III Ep. Pad. 7.

Chron. Minden. ad Meibom. vditum. Chron. Minden MS. ex Biblioth. Mallengrot. Crantz. l. 11. Metrop. c. 53. Piderittius in Chron. Lipp.

Bellum Mindense ob rejectum Coadjutorem Henricum Schawenburgicum

Anno subeunte Simon Episcopus noster ad Mindense bellum ex sociali fœdere evocatus est. Belli hujus causa ab Chronici Mindensis scriptore refertur data ab Alberto Comite de Hoja eorum Episcopo, quòd is Fridericum Ducem Brunswicensem in castrum montis receperit; id quod Schawenburgici Comites ob vicinam invisamque Brunswicensium potentiam indignè tulerint. Verius alius scriptor belli causam indicat ex dissidio inter Capitulum & Episcopum. Nam postquam Episcopus, senio jam confectus delegit Coadjutorem Henricum Comitem Schawenburgicum, Præpositum Hildesiensem in monte S. Mauritij & Canonicum majoris Ecclesiæ, virum hunc rejecêre. Ex quo dissidio inductus Episcopus alium Coadjutorem designavit, Comitem Oldenburgicum. Quam familiæ suæ injuriam interpretati Schawenburgenses bellum intulêre Mindensibus; atque hoc anno Mindam etiam urbem, quæ pertinaciter Schawenburgicum Coadjutorem aspernabatur, aggressi sunt. Venêre que in hujus belli societatem cum Adolpho & Erico Comite Schawenburgico Ernestus Hildesimensis Episcopus, horum Comitum frater, Bernardus Comes Lippiensis, & Simon frater, Paderbornensis Episcopus, Joannes Comes Ritbergensis. Accessêre Hervordienses, Lemgovienses, multique è nobilitate Westfaliæ viri, arma & spolia sectantes. Copiis in unum contractis, cœpta in pervigilio D. Jacobi magnis animis obsideri Minda, premique ex duobus castrorum locis. Nihil his territi cives, qui & subsidiarium militem scripserant, & Ducem Brunswicensem cum auxiliari manu intro miserant in urbem, crebris eruptionibus obsidentes magis fatigabant, quàm fatigarentur. Et cùm obsidio inter alternas clades & damna traheretur, pax certis legibus convenit; quibus etiam Henricus Comes Schawenburgicus Coadjutor receptus, is qui haud multò post Alberto etiam in Episcopatu Mindensi successit.

Chron. M. Belgii Trithem. in Chron. Spanh. Teschem. Pontan. in Gelr.

Dissidium Archiep. Colon. & Canonicorum, quod in apertum deinde bellum erupit.

At longè gravius ac funestius bellum, ex dissidio inter Rupertum Colonien sem Archiepiscopum ac Metropolitani Collegij Canonicos, hoc anno exortum est ad Rhenum, quo non modò Westfalia, sed totum Imperium conturbari cœptum. Delegerant nimirum Canonici ante sexennium in locum Theodorici Archiepiscopi sui è cœtu suo Rupertum Palatinum Ludovici Palatini Electoris filium, Friderici verò Electoris fratrem, præteritis aliis in Metropolitano Collegio multò dignioribus ad tantum munus capessendum; quales memorantur Stephanus Dux Bavariæ, Joannes Bavarus Monasterien sis Episcopi frater, Comes Nassoviæ, Comes Wirtenbergius, Comes Mauritius de Spiegelberg, insignis ea tempestate Orator & Poëta, Pontificis etiam judicio quovis Episcopatu dignus: præterea Hermannus Hassiæ Landgravius, alijque præstantes in eo Collegio viri; sed his neglectis, major pars delegit Rupertum, corporis staturâ parvum, mente vagum, & venationi plus æquo deditum; cui tamen

tamen præter splendorem familiæ, alia ingenij & virtutum ornamenta non deerant. Sed hunc potissimum juniores elegerant, seu quòd in aliis severitatem timerent, ne in arctiorem Cleri disciplinam adstringerentur; seu quòd tum alter alteri dignitatem non faveret, distrahendoque suffragia, sorte potius, quàm communi consilio ageretur; seu quod verius reputatum fuit, ut ab ipsis regeretur, quorum suffragiis electus esset; id quod tamen longè aliter accidit. Quippe Rupertus postquam imperio admotus fuit, neglectis Canonicis, delegit primarios ministros & Consiliarios ex sæcularium hominum ordine, viros plerosque minus idoneos, penes quos omnis gubernatio fuit. Inde à primis statim annis offensio Canonicorum, Archiepiscopi contemptio, & querelæ adversus ministros. Huic malo ut mederetur Fridericus Palatinus Elector, Archiepiscopi frater, viros sapientes submisit è suis, quorum opera & prudentia Metropolim administraret, sed cùm hos priores ministri non ferrent, excluderentque à consiliis suis, res in alias turbas prolabi cœpit. Quanquam ipse Archiepiscopus ita pessundatus erat, ut à sapientissimis viris in pristinum statum ægre admodum erigi posse videretur. Nam ob aulæ magnificentiam & bella, quæ gesserat Theodoricus Archiepiscopus Ruperti antecessor, omnia propemodum castra, Oppida & telonia ita vel oppignorata, vel abalienata erant, ut vix duo millia florenorum ex annuis proventibus restarent Ruperto. Inter oppignorata verò castra & Oppida alia tenebantur à proceribus & nobilibus, alia à Capitulo, alia ab urbe Colonienſi, alia ab aliis creditoribus; qui cùm ægre sibi hæc è manibus subtrahi paterentur, omnes hos simul offendere necesse fuit.

Rupertus Archiep. Electoris Palatini copiis adjutus plura diœcesis suæ loca oppignorata recuperat.

Ex his rerum angustiis ut Rupertum fratrem suum eriperet Fridericus Rheni Palatinus, clarus ea tempestate opibus ac militari potentia Imperij Elector, submisit Martinum Ruystenbachium, & Buckium, plebei quidem generis virum, sed militia præstantem, cum delecto exercitu in Colonienſem diœcesin. Horum consilio & militari fortitudine, uno procurrentis fortunæ impetu, ut Trithemius tradit, Archiepiscopus occupavit Bonnam, Novesium, Andernacum, Lechnidrium, Bruelam, Nutbergam in Eiflia, Rimbachium, Diehartium, Gudenaviam, Zonsium, Kempenam, Cæsaris Insulam, Heesbergam, cæteraque diœcesis castra, Oppida & telonia, quæ universim supra viginti numerabantur; atque ita oppignoratam & convulsam diœcesin restituit in integrum. Ac ne creditoribus & possessoribus horum de injuria castrorum Oppidorumque queri fas esset, rationes inijt, reperitque per versuras Lombardico & Judaico modo introductas, ita omnia supra summam quotannis augeri, ut nulla unquam redimendi spes esse posset; nisi aliter, quod factum est, ex æquo bonoque constitueretur. Qua rerum mutatione & instauratione diœcesis, sicuti multorum optimatum animos sibi devinxit,

qui indignè ferebant, patrimonium Ecclesiæ inter tot iniquos possessores distrahi; ita aliorum, in se concitavit invidiam & iras, quòd ægre hæc è manibus suis extrahi paterentur. Quare conspiratione inter se inita, occultum cum Duce Clivensi fœdus ineunt; in quòd etiam præter alias quasdam civitates Colonia & Novesium convenêre. Quo comperto, Rupertus Archiepiscopus fœdus cum Adolpho Geldriæ Duce contrahit adversus Cliviæ Ducem, veterem diœcesis hostem, & rebellium fautorem. Ac Rupertus id eo consilio egit, ut Sasatum, Sanctos, Rhesam, & Aspeliam à Clivio erepta repeteret: Gelder, ut Embricam, Limarsiam, Wachtendoncham, aliaque loca Clivio ante hæc obligata recuperaret. Fœdus id sociale ab utriusque provinciæ ordinibus magna animorum consensione & conspiratione firmatum; subscripsêreque cum Ruperto Archiepiscopo Gumprechtus Nuenariæ Comes, hæreditarius diœcesis Præfectus, Joannes Reiferscheidius Salmæ Comes, hæreditarius Mareschallus, Philippus Virneburgius Pincerna, Joannes Hembergius Camerarius, Henricus Drachenfelsæ dominus, duo Friderici ab Halse, alijque equites ac primarij è nobilitate. Oppida præterea Andernacum, Bonna, Lintzium, Rhenoberca, Kempena, Arwilera; His accessit totius Ducatus Westfaliæ nobilitas, Joannes Haetzfeldius eques, Wildenbergæ dominus & Mareschallus Westfaliæ, Theodoricus Blittersberg eques, Joannes Haetzfeldius Wildenbergius præfectus Bilstenij & Wildenbergæ, Gothardus Furstenbergius Satrapa Nehemensis, Wilbrandus ab Ense Walrensis, Henricus Wulfius à Ludinghusen, Bernardus de Goeren, Bernardus Westerholtius, & cum his tota prope nobilitas ducatus Westfaliæ. Adhæc Consules Oppidorum, Briloniæ, Gesekenæ, Rudenæ, Werlæ, Atlendoriæ, Mendenæ, Dorstenæ, Recklinghusium. Pari procerum, nobilium, & civitatum conspirantium numero subscriptum fœdus produxit Gelder, uti à Pontano memoratur. Armis utrimque consociatis, Gelder & Rupertus Cliviam ingressi vastant, & Wachtendoncham castrum Oppidumque obsidione incingunt: Clivensis qui hæc in se procudi senserat, Henricum Monasterienſem Episcopum in belli societatem trahit, reddita Dulmania & Stromberga, quæ loca ex priori bello adhuc tenebat; ipse deinde ingentem exercitum, ex Westfalia potissimum, ut auctor est Chronici Belgij, contrahit, quem trium millium equitum & quindecim millium peditum censuêre. His viribus in hostem movit, nec tamen aliud effecit Clivius, quàm ut annonam Wachtendonchæ importaret; at in ingressu à Geldro & Archiepiscopi copiis, quæ viæ publicæ limitaneum aggerem insederant, exinsidijs obrutus, fœda clade ad Sanctense Cœnobium cæditur. Quo ita dejectus Clivius, ut cum Geldro pacem componere, quàm pugnare amplius mallet. Et Gelder postquam Arnheimium, Duisburgum

Fœdus Archiep. cum Duce Geldriæ cui plures diœcesis Colon. & Ducatus Westfaliæ nobiles subscripsêre.

Dux Clivensis cæsus pacem cum Geldro init.

gum, aliaque loca recepit, Archiepiscopum destituit; cui nec Susatum, nec Rhesa, nec aliud, ex sociali bello redditum: sicuti politici Principes, dum suo lucro bella gerunt, Episcopos non nisi ad damna involvunt.

Bello hoc primùm clandestina Novesiensium conspiratio cum Duce Clivensi detecta, postquam animadversum, militem Archiepiscopi hostilem in modum repelli à Novesiensibus, ne propius urbi accederent, omniaque in gratiam Ducis fierent. Jam antè Consules Novesienses per versipellem hominem corrupti, & clam deducti erant ad Ducem, à quo benignè excepti, lautéque tractati, fœdus cum Duce adversus Archiepiscopum pepigerant. Quippe callidum Ducis consilium erat, Novesium haud secus, quàm cum Susato fecerat, per intestina inter Capitulum, & Archiepiscopum dissidia Cliviæ adjungere. Id quo certius procederet, Novesienses in fidem & patrocinium susceperat. Atque hæc postquam à Ruperto Archiepiscopo cognita sunt, primùm ille studuit cives adversus Consules & Senatum concitare, & suarum partium facere; sed illi jam à Magistratu occupati, incitatique adversus Archiepiscopum, dissidium bellumque quod paulò post ortum est inter Capitulum & Archiepiscopum, sua factione conspiratione que cum Capitulo incenderant.

Coron. Ab. Belgii. Conspiratio Novesiensium cum Duce Clivensi detegitur

Annus Christi 1470.

Pauli II Pont. 7.
Friderici IV Cæsaris 31.
Simonis III Episc. Pad. 8.

Sequitur per hæc annus septuagesimus fluentis sæculi, quo Machometes Turcarum Imperator, post tot regna & provincias Christianis ereptas, florentissimam Euboeæ insulam occupavit, expugnatáque chalcide, totius Græciæ propugnaculo, Italiæ imminere cœpit. Ad has increscentes quotannis Turcarum vires infringendas, Paulus II Pontifex pro suprema Christianæ Reipub. cura scripsit primùm ad omnes propè Europæ Principes; deinde ad Fridericum Imperatorem; auctorque illi fuit conventus Principum celebrandi; quem in annum sequentem Imperator indixit, cùm jam Turca Croatiam, Carinthiam, vicinasque Austriæ provincias percursaret.

Trithem. in Chron. Naucler. Gener. 30 Philosopho Brouverus l. 19. annal. Trevir. Cranz. in Wandal. Turcarum progressus contra Christianos.

Attinebat in hunc annum Adolphus Geldriæ Dux Arnoldum captivum patrem, de quo impio facinore postquam & Pontifex interpellatus fuit, scripsit ad Adolphum, hortatorque illi fuit, ut patrem libertati redderet. Id cùm ille aspernaretur, Pontifex simulque Fridericus Imperator Carolo Burgundiæ Duci in mandatis dedit, patrem è filij tyrannide liberaret. Ad quod Pontificis & Cæsaris decretum Carolus filium cum parente Hosdinum evocavit; quò postquam uterque accessit, multum pro arbitri munere primùm laboravit, ut in concordiam adduceret. Verùm cùm adeo pertinaciter obsiste-

Commine. lib. 4. Meierus in Flandriæ lib. 17. Pontanus in Geld. Raynald. in histor. Eccles.

ret

Dux Geldriæ captivum patrem recusans liberare, carceri ipse & demum funestæ morti traditur.

ret filius, ut palam ediceret, malle se parentem in puteum dejicere, & cum eo præcipitem in idem exitium se dare, quàm patri provinciæ partem permittere, indeque clam recederet; Carolus è fuga retraxit, & commutata patris in filium pœna, in carcerem conjecit. Pater libertati redditus, exhæredato filio, Geldriæ ducatum Carolo, ut supra diximus, vendidit; á quo mox armis occupatus, cæterisque amplissimis Burgundiæ provinciis conjunctus est. Impius in patrem filius etsi post longos carceris squalores à Gandavensibus liberatus, demum ad Tornacum trucidatur.

Carolus nobili Geldriæ provinciæ potitus, pro inexplebili dominandi cupidine nihil avidius habuit, quàm potentiam ad Rhenum explicare firmareque; ad quod opportune illi accidit, implorari à Ruperto Colonienſi Archiepiscopo, cui ob id pronus operam obtulit.

Chron. Warburg. MS. Simon Ep. Spiegelios ex Desenberg domat, & Desenbergam prius ereptã in feudum deinde dedit.

Nec Simoni Episcopo nostro hic annus sine intestinis nobilium turbis vacuus fuit. Potens per id tempus erat Spiegeliorum familia, quæ munitissimum Desenbergæ castrum in edito abruptoque monte insidebat, commune simul Castrensium domicilium, prædonumque receptaculum; ex quo, spretâ auctoritate Episcopi, modò Warburgenses, modò alij per diœcesin infestabantur. Simon Episcopus, qui & militaris ingenij excelsique animi Princeps erat, ulturus hanc Spiegeliorum & Castrensium insolentiam, contracto provinciali, & Bernardi fratris Lippiensis Comitis milite, Desenbergam obsidione claudit, admotisque bellicis machinis oppugnat. Protracta per assiduos insultus in decimum quartum diem obsidio; Restitêre obsessi fortiter, Hassiæ cumprimis Landgravij promissis auxilijs confisi. Atque is dum opem tardat, & illi ad extrema adducerentur, Spiegelij Simoni Episcopo supplices gratiam implorant; post etiam ipsi inter se discordes, pugnisque commissi, sese & castrum Episcopo dedunt id quod Episcopus, ne veterem & potentem Spiegeliorum familiam ac cæteram nobilitatem offenderet, Hassumque in se irritaret, ex ordinum consilio Spigeliis in feudum reddit.

Annus Christi 1471.

Sixti IV Pont. 1.
Friderici IV Cæsar. 32.
Simonis III Episc. Paderb. 9.

Auton. Camp. in Epist. tom. 2. Freh. Raynald. in histor. Eccl. Nauclerus Paralip. Vrsperg.

Aderat jam insequens annus, quo Fridericus Imperator ad VIII Calend. Maji Ratisbonæ comitia indixerat, quæ, si unquam, per id tempus Principum & Oratorum præsentia celeberrima fuêre. Accessêre enim cum Friderico Imperatore Adolphus Moguntinus, Joannes Trevirensis, Rupertus Colonienſis, Albertus Marchio Brandeburgensis, & Fridericus Palatinus Electores: Ludovicus Hassiæ Landgravius,

vius, Ernestus Dux Saxoniæ, Ludovicus, & Wolfgangus Duces Bavariæ; multi præterea alij Principes & Episcopi: Oratores Bohemiæ, Poloniæ, Ungariæ, & Ducis Burgundiæ; quanquam ex Saxoniæ Episcopis nullum præsentem reperiam. Aderat & Legatus Pontificis Franciscus Picolominius Cardinalis Pij II Pontificis nepos, cum Antonio Campano Episcopo Teramensi, à quo tota hæc ratio Comitiorum accuratè perscripta extat. Urgebantque hi ex Pontificis mandato bellum adversus Turcas, rati Cæsarem & Principes Germaniæ eò proniores fore, quòd jam Turca Carniolam Austriæ provinciam barbarum in modum percursando ferro, flammaque vastasset, abducendo etiam supra xx hominum millia in servitutem. Actum primo de pace Imperij, & intestinis Principum dissidiis armisque priùs componendis, sine quibus irrita foret expeditio in Turcas. Multæ deinde querelæ Legatorum auditæ; sed lentis frigidisque animis, ac non nisi decem armatorum millia decreta, quæ ad fines Germaniæ tutandos excubarent; è quibus tamen Imperator quatuor tantummodo satis esse censuit. Adeo jam effœtum, erat Imperij robur, seu, quod verius dixeris, intestinis armorum disidiis laceratum; quemadmodum palam in his comitiis dixit scripsitque Campanus Pontificis Legato additus. Germaniam quidem vastissimum & potentissimum esse regnum, sed omnem, quanta tum patebat, unum esse latrocinium; interque nobiles & Principes illum esse glorioſiorem, qui rapacior sit. Ita irritus hic conventus diffluxit. Neque enim bellum adversus Turcas processit: neque pax Imperij, quod unicè in his comitiis sollicitatum apud Imperatorem, consecuta est; seu quod ipse Cæsar privato commissus esset bello cum Friderico Electore Palatino, potente & bellicoso principe: seu quod languida & despecta esset Cæsaris potestas, sine priscis Cæsarum nervis & armis. Unde prædatoria & tumultuaria ubique bella.

Comitia Ratisbonensia celeberrima principum accessu, sed irrita dissensione &c.

Quale inter cætera hactenus fuit Ludovici Hassiæ Landgravii, diœcesin Paderbornensem infestantis. Sæpius inter Landgravium & Simonem Episcopum, positis armis, transactum; demum hoc anno inter eosdem pax per triginta tres annos sanctè utrimq; servanda certis legibus convenit; inter quas illæ primariæ, ut, si quæ lis inter Episcopum & Landgravium exorta fuerit, hanc consiliarij utriusq; Principis componant; quod si inter hos convenire non posset, deligantur alij arbitri partium intacti, quorum judicio uterque Princeps stabit: interim nulla hostilia permittantur, alterque alterius bono & defensioni studeat. Tabulæ horum pactorum post Dominicam, quam Lætare vocant, utrimque consignatæ. Et quia hisce bellis Cœnobium Bredelariense ordinis Cistertiensium in finibus illis situm, extremè vastatum erat, Simon Episcopus non modò liberalitate sua miseris subvenit, sed hasce literas commendatitias plenas commiserationе pro colligenda stipe impertiit.

Litera tabularij Paderborn. Pax sancita inter Simonem Ep. Pad. & Ludovicum Hassiæ Landgravium.

Simon Ep. Bredelarienſi Cœnobio subvenit.

Venerabili-

Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis, Archiepiscopis et Episcopis, ac honorabilibus viris, Abbatibus, Præpositis, Decanis et divinorum Rectoribus, nec non generosis et nobilibus, Ducibus et Comitibus, Baronibus et terrarum Dominis, ubilibet constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Simon Dei gratia Paderbornensis Episcopus reverentiam cum salute in omnium Salvatore. Inter malæ gentis nostræ, quæ videmus, specialiter mala Monasterii in Bredelar Ordinis Cistertiensis nostræ Paderbornensis diœcesis tacere non possumus, dolorosè vobis significantes, qualiter dictum Monasterium pridem fuit per illatas sibi in suis hominibus, rebus ac possessionibus malignorum injurias, violentias et rapinas facultatibus diminutum, et debitis aggravatum, ut ruinis succumberet, divina sua suspenderet, et hospitalitatem servare non posset, religionis invido omnium malorum latore Diabolo procurante, et adhuc diminutum et aggravatum existit, ut nisi sibi celebri remedio occurratur, ad finalem et miserabilem terminum deveniat incunctanter tale ac tantum, ut fiat solitudo domus Domini et cubilia Monachorum vertantur in delubra bestiarum, præsertim cum dictum sit Monasterium in finibus constitutum, ubi lis continua est, et pax est rara, ubi inquieti sunt liberi, et perversi difficillime corriguntur: Cupientes igitur in his, ut possumus, Monasterio supradicto consulere, et malis ipsius majoribus obviare, religiosos viros, præsentium exhibitores, dicti Monasterii conventuales ad vestram diœcesim et terras perfidelium eleemosynis petendis de vestra gratiosa permissione confisi duximus dirigendos, ut per eas sibi illatas et traditas eidem super his malis consulatur, et etiam obvietur, religionis avido, omnium bonorum auctore Domino largiente: quapropter universitatem vestram obsecramus in Domino Jesu quatenus eosdem religiosos, dum præmissa occasione ad vos accesserint, benignè admittatis, et vestris literis admittifaciatis, illius alienigeni Regis vestigia comitantes, qui ad reædificationem templi Dei, munera sua misit, et de suis realibus ampliora præstare decrevit. Ut autem pro temporalibus seminatis imposterum æterna metantur, volumus, ut omnes, et singuli, qui dicto Monasterio in Bredelaer per manus dictorum religiosorum de bonis suis sibi ac Deo collatis destinaverint, vel destinari procuraverint, efficiantur participes et consortes omnium bonorum, quæ in sæpe dicto Monasterio, nec non omnium Monasteriorum, tam Monachorum, quam etiam Monialium ordinis Præmonstratensis, in divinis officiis, disciplinis, hospitalitatibus, cæterisque bonis operibus, dignabitur operari clementia Salvatoris, quæque per hoc generalem remissionem et veniam quadraginta dierum indulgentiarum, dummodo suis in hac parte judicibus id placuerit, verè pœnitentes et confessi de injunctis pœnitentiis consequantur, quam ipsis et eorum cuilibet de meritis patronorum nostrorum Sanctorum Kiliani Martyris, et Liborii Episcopi et Confessoris confisi duximus concedendum, præsentibus tantum post annos tres à data eorum minimè valituris. Datum in civitate nostra Paderbornensi nostro sub sigillo præsentibus appenso, anno Domini Millesimo, quadringentesimo, septuagesimo primo, in crastino Sanctorum Philippi et Jacobi.

Hoc

Hoc ipso quoque anno Hildesiensis Ecclesia periculoso schismate conturbata. Quippe post obitum Ernesti Episcopi Schawenburgensis Comitis pars Canonicorum, eaque potior, delegit Henningum de Hausen Decanum, virum è nobilitate Saxoniæ virtute præstantem: pars verò Hermannum Hassiæ Landgravium, Canonicum Colonienſem, & Præpositum Aquisgranensem, postulavit. At Henningus facta electione Romam properavit, & à Pontifice coram confirmationem obtinuit, à quo & Episcopus consecratus; inde festinato Hildesium regressus, reperit militarem ordinem & vasallos arma sumpsisse pro Landgravio introducendo, multaque in hanc rem castra & oppida occupasse. Stabat interim pro Henningo Capitulum, urbs, & Bertholdus Verdensis Episcopus. Extant apud nos tabulæ feria IV post Pascha obsignatæ, quibus Simon Paderbornensis Episcopus, Ericus, Henricus, & Antonius Comites Holsatiæ & Schawenburgenses, & Bernardus Comes de Lippia fœdere se illigant cum Hildesiensi Capitulo adversus Duces Brunswicenses, Wilhelmum Seniorem, ejusque filios Wilhelmum & Fridericum; ut rectè scripserit Cranzius, Brunswicenses partes Landgravii adversus Henningum suscepisse, Verum lis hæc magnis partium studiis accensa cùm in magnum diœcesis exitium vergeret, Hermannus Langravius, qua erat modestia, & pacis amore, ultro electioni suæ cessit, relicto Episcopatu penes Henningum. Et hic ille Hermannus Hassus, Ludovici Landgravii frater, quem postea Colonienſis Ecclesia Archiepiscopum, & Paderbornensis Administratorem sortita est.

Chron. Hildesii MS. Chron. Sclavon. Cranz. l. 12. Metrop. c. 8 Lesner. in Chron. MS. de Episc. Hildes. Schisma Ecclesiæ Hildesiensis ob binos Episcopos electos.

Cranz. l. 12. Saxon. c. 19. & l. 13. Metrop. cap. 6. in Wand. l. 13. & 20. Chron. Sclavon. Hamelman. in Chron. Oldenburg. Chron. Monast. Vbbo Emm. lib. 26. Histor. Frisiæ.

Famosus per id tempus prædo Gerhardus Comes Oldenburgicus, Christani Regis Daniæ frater; à quo, postquam ab Holsatiæ administratione depulsus erat, auxilio Saxonicarum urbium iram vindictamque convertit in Hamburgensium, Lubecensium, Bremensium, aliorumque locorum mercatores; quos interceptos captivosque cum mercibus Delmenhorstium abripiebat. Nihil uspiam tutum in publicis viis, nihil intactum ab hoc prædone; literas quidem securitatis ille dederat, sed ea fallacia compositas, ut quoties luberet fidem fallere posset. Qua super re cùm sæpius Lubecenses, Hamburgenses & Bremenses frustra questi essent, operam Henrici Monasterienſis Episcopi & Bremensis Administratoris implorârunt; ictoque cum his fœdere, Henricus Episcopus Gerhardo Comiti bellum movet, & Delmenhorstium obsidet, opportunè simul vetera ejus arcis jura ad Ecclesiam repetiturus, ex quo Delmenhorstiũ cum Toparchia Nicolai Bremensis Archiepiscopi patrimonium ab eo Bremensi Ecclesiæ donatum erat, abreptumque postea per vim & injuriam à Comitibus Oldenburgicis. Igitur magnis impensis atque animis obsidio cœpta, demandataque Gunthero Episcopi fratri; quæ dum remissiùs trahitur Gerhardus per ignota viarum commea-

Gerardi Comitis Oldenburgici deprædationes, ob quas ab Henrico Ep. Monast. bello impetitur.

commeatum importat. Ob id quia in præſens expugnatio difficilis reputata, interveniente Henrico Schwartzenburgico Comite, Epiſcopi patre, actum de pace, quæ hac lege convenit, ut Gerhardi nepotibus, quorum ille tutor erat, Delmenhorſtium relinqueretur, & Gerhardus Comes ſe in poſterum à prædis & latrociniis contineret.

Mors Pauli II Pont. in cujus locum ſuccedit Franciſcus Roboreus, Sixtus IV dictus.

Poſteaquam v. Calend. Auguſti Paulus II repentina morte extinctus eſt, Cardinales concordibus ſuffragiis ſubrogavêre Franciſcum Roboreum, qui ex ſupremo Franciſcanorum magiſtro jam ante in Collegium Cardinalium ob eminentem ſcientiam & gubernandi prudentiam cooptatus erat. Is exemplo antecedentium Pontificum nihil ſollicitiùs habuit, quàm bellum adverſus Turcas.

Annus Chriſti 1472.

Sixti IV Pont. 2.
Friderici IV Cæſar. 33.
Simonis III Ep. Pad. 10.

Raynald. in hiſtor. Eccleſ. Onufrius Paulus Lang. in Chron. Citicen. Pontificis labor & ſollicitudo pro edomando Turca.

Igitur anno proximo, qui ſæculi hujus erat ſeptuageſimus ſecundus, auxiliis Venetorum & Ferdinandi Neapolitani Regis, validam in mare claſſem produxit, commotus cumprimis Venetorum precibus, quorum orator, ut Paulus Langius retulit, coram Pontifice expoſuit, Turcas jam brevi tempore duo imperia, quatuor regna, viginti provincias, & ducentas florentiſſimas urbes Chriſtianis eripuiſſe. Valuitque hæc claſſis non tam ad provincias repetendas, quàm ad Turcarum impetus ſuſtinendos.

Nauclerus Trithem. in Chron. Spanh. Chron. Tremon. Wittius in Chron. Chron. Colon. Heiſter. in ſuffrag. Chron. M. Belgij Trithem. in Chron. Sponheim.

Torpentem adhæc Germaniam ferale Cometæ ſidus ſub initium anni exterruit, longa, & horrifica coma ex Auſtro in occidentem porrectum, unde poſt XIII dies in Septentrionem ſe flexit; qua in plaga multo tempore perſtitit, peſtilentiæ, famis, & cruentorum malorum fatale prodigium; quæ mala haud multò poſt per Germaniam conſecuta ſunt.

Novum inter Archiepiſc. Colon. & Canonicos diſſidium.

Nam præter bellum quod hoc anno inter Ludovicum Galliæ Regem & Carolum fratrem Burgundumque exarſit, novis quoque turbis diœceſis Colonienſis ac Rhenus commovêri cœpit, quæ in bellum Noveſienſe, & Ruperti exauctorationem exiêre. Enim vero Rupertus Archiepiſcopus licet cum Clivenſi Duce utcumque jam conveniſſet, & iniquos poſſeſſores armis etiam fratris fregiſſet; novo tamen multoque graviori diſſidio cum Metropolitano collegio colliſus eſt. Synodum ille Bonnæ indixerat, ad quam Clerus convocatus. Indignati ob id præſules

&Ca-

& Canonici Metropolitani, quòd non alio loco synodum quàm Coloniæ in urbe & Basilica pro veteri more habendam dicerent, eòque accedere detrectavêre. Gliscentibus exinde simultatibus inter Archiepiscopum & Metropolitanum Collegium, missus est sub exitum Junij à Friderico Palatino fratre Coloniam Wormatiensis Episcopus, qui res in concordiam componeret. Idem per Legatum Pontificis tentatum; sed omnia casso labore, nec sine nova Archiepiscopi injuria: nam cum Wormatiensis Episcopus nave vectus adverso Rheno Bonnam repeteret cum Henrico Ravennavio Archiepiscopi suffraganeo, Bernardo Laner à Breidbach Abbate Tuitiensi, cæterisque Archiepiscopi ministris; occurrit secundo flumine ad Rodenkerkam aliud navigium armatis hominibus impletum, à quibus ocius jubentur ad ripam vertere. Expositi invaduntur spoliantur, & captivi rapiuntur. Qua injuria exacerbatus Archiepiscopus, quòd ex composito hæc à Canonicis agi crederet, iubet omnes eorum fruges ac vina per agrum Colonienſem intercipi, & ad arces suas convehi. Multis exinde offensionibus, ut fit, accensa odia inter Archiepiscopum ac Metropolitanos Canonicos.

Facem hujus mali subjecêre Novesienses; nam quòd occultam conspirationem alerent cum Duce Clivensi, ut supradiximus, Rupertus Archiepiscopus veritus, ne pravo Susatensium exemplo ex patrocinio Clivensis se toti in ejus potestatem darent, consilia agitabat, aut vi, aut astu intercipere Novesium; datumque id negotium Buckio militiæ præfecto; cui se in hanc rem patrandam obtulit Wesselus Duranus, civis Novesiensis: is factus secretorum particeps crebro commeabat Coloniam inter & Novesium, per quem & Archiepiscopus civium animos sollicitabat in suas partes. Buckio & Durano adjunxit se Scapius. His exequendi facinoris potestas data ab Archiepiscopo, & mox comparata instrumenta, quibus portas aperirent & militem introducerent. Præmissus in hanc rem Duranus in urbem. Sed ille repente in alium proditorẽ versus, omnia Magistratui detexit, literis etiam Archiepiscopi, quas ad Buckium dederat, prolatis; quibus publicè lectis, incredibile quis furor civium exarserit in Archiepiscopum. Interim horum ignarus Buckius & Scapius, nave militibus instructa, Zonsio descendunt Novesium; quibus Novesienses armati occurrunt, ac priusquam nave exscenderent, captos in vincula abripiunt, quæstionibus subjiciunt, & urbis intercipiendæ machinationem fateri cogunt. Quæ ubi ad Archiepiscopum relata fuêre, mittit ille Novesium Stephanum Bavariæ Ducem Canonicum Colonienſem, & Vincentium Mörsanum Comitem, qui suo nomine ad omnia æqua se civibus offerant, moneantque ne quid severius in captivos statuant. Quibus spretis, Magistratus Buckium & Scapium in forum productos capite ple-

Initia belli Novesiensis.

ctunt, ſectosque in partes ad quatuor urbis portas ſuſpendunt. Qua Conſulum civiumque audacia exacerbatus Archiepiſcopus ad Carolum Burgundiæ Ducem proficiſcitur, auxiliumque adverſus rebellem urbem implorat. Hinc jam texi cœpit belli ad Noveſium tela, quod totum poſtea Imperium concivit ad arma.

Litera tabularij Paderb.
Litera Corbej
Pace cum Haſſis firmata bene diœceſin Paderb. Simon Ep. adminiſtrat.

Longè tranquilliorem hoc anno Diœceſin ſuam habuit Simon Epiſcopus noſter; qui poſtquam cum Haſſis, perpetuis Eccleſiæ hoſtibus, tranſegerat, multa ſalubriter conſtituit. Nam pacem caſtrenſem certis legibus firmavit cum Spegeliis, & quotquot Deſenbergam caſtrum hactenus inquieti nobiles & caſtrenſes inſidebant; & quod multò laudabilius fuit, cultum divinum per omnes Paderbornenſis civitatis Eccleſias ordinavit, ut literæ hac ſuper re relatæ teſtantur. Severis etiam pœnis animadverſum in Sacerdotes corruptæ vitæ; quos inter Canonicus quidam Huxtarienſis è Collegio S. Petri à Simone Epiſcopo in judicium, rogatu Hermanni Boneburgi Corbeienſis Abbatis, protractus. Is verò quia multorum criminum compertus, Epiſcopus Abbati poteſtatem fecit ttahendi in carceres, bonis ejus inter Epiſcopum & Abbatem diviſis. Demum, quæ animorum concordia erat & Canonicorum, mutuum inter ſe pactum fecêre; ſervandi propugnandique vetera Cathedralis Collegii privilegia, jura, & conſuetudines vitæ introductas. Quam in rem publicum paderbornæ congreſſum menſe Octobri indixêre. Adquem cum Simone Epiſcopo convenêre Henricus de Haxthauſen utriusque juris doctor & Præpoſitus majoris Eccleſiæ, Conradus de Elmeringhauſen Decanus, Lubertus Weſtfalen Præpoſitus in Buſtorpe, Engelbertus judex Prior, Theodoricus Weſtfalen Scholaſticus, Henricus de Jmmeſen, Theodoricus de Varenſeil Camerarius, Hermannus Spiegel, Conradus de Haxthuſen Archidiaconus in Steinheim, Bernardus de Malsberg, Joannes de Galen Cantor, Theodoricus de Haxthuſen Vicedominus Monaſterienſis, Recquinus de Kerſenbrock Archidiaconus ſedis Hathuſanæ, Otto de Oynhauſen Archidiaconus Huxtarienſis, Antonius nobilis de Holſtein, & Schowenburg Comes Theſaurarius, Everhardus de Elven, & Ravenno de Valckenberg, Canonici, aliique. Et hi tum primores erant Collegij Cathedralis, priſcæ claræque omnes nobilitatis viri, quorum conſilio & auctoritate pactum cum Simone Epiſcopo initum eſt & in publicas relatum tabulas. Atque hic ille Haxthuſen inter Canonicos Præpoſitus eſt, vir excellentis doctrinæ, qui inſignem Canonicis Bibliothecam legavit, ſed ea lege, ut ſi quis ex familia ſua doctrinæ gradum ſumeret, ad ipſum rediret. Adeò tum indecorum non erat, nobiles ex equeſtri etiam ordine Doctorum laurea inſigniri; falliturque Crantzius, qui per id tempus Præpoſitos Paderbornenſis Eccleſiæ ex plebeja familia producit.

Annus

Annus Christi 1473.

Sixti IV Pont. 3.
Friderici IV Cæsar. 34.
Simonis III Episc. Paderb. 11.

Trithem. in Chron. Spond. Naucler. Volateranus Ursberg. Paralip. Rudolph. agricola lib. 2. rerum German. Chron. M. Belgii Annal. Flandria Brouver. lib. 19. annal. Trevir. Raynald. in histor. Eccles.

Tandem & Fridericus Imperator anno hoc consequente, cùm Turca è Bosniæ regno erumpens Carinthiam, Stiriam, & hæreditarias Austriæ provincias latè populando pervageretur, scripsit ad Pontificem, mitteret Legatos suos Augustam, quòd ea in urbe Principum conventum indicturus esset ad Turcarum dominatum reprimendum; Pontifex postulata Cæsaris ad Cardinalium senatum retulit; in quo Franciscus Picolominius Cardinalis obstitit, palam elocutus, jam decem hujusmodi Germanorum conventus intra non multos annos institutos, neque aliud in iis actum esse, quàm quòd Romani in invidiam vocati sint, tanquam specie belli Turcici Germaniam emungerent.

Comitia Treviris ab Imperatore indicta.

Cæsar nihilominus, quòd jam paries Austriacus arderet, Treviri in hanc rem publica Imperij comitia indixit; ad quæ cum Maximiliano filio magnoque Principum Comitatu ex Austria profectus, lustratoque Argentorato, Friburgo, Basilea, Colmaria, Tabernis, cæterisque Germaniæ urbibus, Moguntiam descendit. Assectati Cæsarem Adolphus Moguntinus Archiepiscopus, Aistadensis Episcopus, Albertus & Ludovicus Duces Bavariæ, Carolus Marchio Badensis, Comes Wirtenbergensis, magnusque Comitum & procerum numerus. Magnificè exceptus Moguntiæ ab Archiepiscopo Metas contendit, Trevirim petiturus; quem ubi Metis adesse didicit Carolus Burgundiæ Dux, magnoque desiderio teneretur conveniendi Cæsarem, Metas salutatum præmisit Davidem Episcopum Ultrajectensem, & Engelbertum Nassoviæ Comitem: Cæsari exinde XXVIII Septembris Trevirim ingressuro occurrit ipse Carolus comitatu prorsus regio, qui Cæsaris exæquaret. Cæsare in urbem & palatium deducto, Dux urbem Imperatori cedendo regressus est ad D. Maximini Cœnobium; Eo post in congressu multa de bello Turcico, alijsque, in publico senatu Principum tractata, multa etiam secretis colloquiis inter Cæsarem & Ducem; è quibus illud proditum refertur, petiisse Cæsarem Mariam unicam Caroli heredem filiam Maximiliano filio suo dari in matrimonium: contra Ducem nihil contentiùs egisse, quàm ut resumptis priscis honorum titulis Rex Burgundiæ saluraretur, simulque Vicarius Imperij crearetur. Quæ si Cæsar faceret, pollicitus est ultra se omnes Imperij hostes domiturum, & quæ Imperio detracta essent, armis recuperaturum. Monitus erat à Galliarum Rege Cæsar, ne Carolo fideret, aut Regem Burgundiæ diceret. Ac satis constabat, quàm, regno Burgundiæ inter Galliam & Imperium interjecto, utrique perpetuus & infestus hostis futurus esset. At Cæsar qui non minus

Cæsar à Duce Burgundiæ magnificè Treviris excipitur.

nus potentiam, quàm Dux regnandi gloriam ambiebat, se ea facturum promisit, cùm Maximiliani Ducis filiam duxisset. Erant præterea postulata ejusmodi, quæ sine Principum consilio & assensu Imperator diceret se præstare non posse. Quare Cæsar non salutato Duce Coloniam proficiscitur, quo non leviter offensus Dux, odium concepit in Cæsarem, quod haud multò post effudit ad Rhenum. Cæterum quibus officiis & muneribus certârint inter se Cæsar & Dux, qua ostentatione opum; qua epuli magnificentia, ferculorum multitudine, ac luxu plusquam regio, ministrorumque splendore exceperit Dux Cæsarem in celebri D. Maximini Cœnobio, quod nostra memoria à Gallis funditus eversum vidimus, Rudolphus Agricola, auctor Chronici Belgij, Browerus & alij non sine admiratione posteritatis descripsêre.

Cæsar Coloniæ haud minus, quàm Treviri magnificè exceptus à Magistratu, clero, & populo, multisque muneribus tam ipse, quàm Maximilianus filius, ac ministri primarij honoratus, atque dum istic hæsit in hospitio, Agrippinensium sumptibus est habitus. Ibi Cæsar cùm jus diceret, & controversias ad se delatas decideret, tum nihil impensius habuit, quàm ut ardentia inter Rupertum Archiepiscopum & Metropolitanos Canonicos dissidia, quæ in apertum bellum eruperant, ex æquo componeret. Nam postquam Canonici didicêre imploratum ab Archiepiscopo Carolum Burgundiæ Ducem suæ diœcesis tutorem, exterisque se armis opprimendos; & illi fœdus inter se percussêre defensionis, in quod magna pars nobilium, Colonia, Novesium, & aliæ etiam civitates nomen dederunt; imperatumque Capituli nomine Ordinibus, ne alij quàm Metropolitano Capitulo fidem & obsequia præstarent (Extra hanc conspirationem fuêre ordines, ducatus Westfaliæ, quòd in fide Ruperti Archiepiscopi persisterent) simul miles scriptus, quo se suaque tuerentur. Et quia caput rei gerendæ deerat, convocato concilio, delegêre è suo Collegio Hermannum Landgravium, fratrem Ludovici & Henrici Landgravij (quorum ille Cassellis, hic Marburgi imperitabat) diœcesis defensorem; factaque promissio, siquidem diœcesin fortiter propugnaret, fore ut exauctorato Ruperto ab se Archiepiscopus eligeretur. Et quia in Landgravio familiæ potentia simul quæsita, quam Palatinis objicerent, Landgravius quoque fratris auxilijs adjutus, armatus diœcesin ingreditur, arcemque Poppolsdorfianam annona militari repletam expugnat, subactaque Bonnâ & Andernaco, Lintzium aggreditur, quod à communi fœdere desciverat, & Ruperti militem receperat.

Canonici Colon. cum confœderatis contra Archiepiscopum suum conspirant.

Hac rerum mutatione, & adversariorum successu perculsus Rupertus Archiepiscopus, cùm Friderici Palatini viribus, quibus hactenus pugnârat, Hassos sibi objici videret, multò vehementius Burgundiæ Ducis auxilia sollicitare cœpit. Quare sub initium Augusti

Archiepiscopus Ducis Burgundiæ opem implorat.

Zutpha-

Zutphaniam profectus Burgundum convenit, questusque de injuriis sibi illatis & rebellione suorum, totum se in clientelam Ducis dedit. Lætus Burgundus, subactâ jam Geldriâ, offerri sibi novi belli, exporrigendique ad Rhenum Imperij occasionem, prolixè omnem operam Archiepiscopo addixit, certò etiam spondens, se eum in pristinum dignitatem repositurum, omnesque rebelles pro merito castigaturum; sed prius sibi Cæsarem conveniendum, qui tum Trevirim accessurus erat. Quare hoc anno auxilia distulit. Interim Archiepiscopi miles ducibus Martino Ruyssenbachio, & Friderico Hussio Novesium obsidere molitus, haud procul ab urbe in vicinis pagis considet, agros Novesiensium depopulando. At dum securiùs incautiúsque miles poculis & somno indulget, erumpunt noctu cum stipendiario milite Novesienses, & totum illud agmen obruunt, cæduntque, paucis fuga elapsis: Ruyssenbachius & Hussius ex letali vulnere haud multò post exspiravêre, reliqui cum triumpho captivi Novesium introducti.

Archiepiscopi miles cæditur à Novesiensibus.

Non his dejectus Archiepiscopus, arma instaurat. At Cæsar qui Coloniæ versabatur, medio Decembri mittit Brulam ad Archiepiscopum honoratæ legationis viros, interque hos Episcopum Eistadensem, à quibus monitus rogatusque, à bello desisteret, se æquum inter partes judicem fore; sed quia longiùs res processerat, contracto jam cum Burgundo belli fœdere, nec Rupertus Cæsari fideret Palatinis infesto, Legatos sine responso remisit, hoc solum prolocutus, se propediem Cæsari rationem factorum daturum. Quatriduo post, missis Legatis, planius mentem exposuit, renunciando Cæsari, hujus dissidij bellique cœpti causam non penes se, sed Metropolitanum Capitulum residere, à quo conspiratio & fœdus adversum se initum, & Defensor diœcesis Landgravius sit delectus, habere illos Hassum, se Burgundum disceptatorem. Quo superbo responso satis intellexit Cæsar, quæ contexti belli magnitudo à contumace Archiepiscopo & irato Burgundo immineret. Quare & ipse ad apparatum belli consilia sua convertit. Auctum periculum à Clivensi Duce, quem per id tempus Burgundici belli socium habebat in subigenda Geldria. His quoque motibus haud leviter ducatus Westfaliæ concussus; multumque ordines perplexi hærebant, utri se parti conjungerent; quos tamen in fide Archiepiscopi sui, quam semel jurarant, constantius permansisse Colonienſium annales perhibent.

Cæsar pacem inter Archiepiscopum & Canonicos tentat, sed frustra.

*Obitus Alberti Hojani Ep. Mind. *Granz. lib. 11. Metrop. c. 53. Chron. Mind. à Meibom. editum. Chron. Mind. à Pistor. editū Chron. Mind. MS.*

*Obijt & hoc anno festo D. Marci Albertus Mindensis Episcopus, Hojanus Comes, in castro Petershagio, postquam supra xxxvi annos, primùm Coadjutor Willebrandi Haltermontij Episcopi, ac deinde ab ejus obitu Successor diœcesin illam administrarat. Quem etsi Crantzius, ut supra etiam monuimus, otio & ventri deditum, nec magnæ frugi Episcopum tradat, ut is scriptor liber est in carpenda Præsulum sacrorum vita; auctor tamen Chronici Mindensis, qui sub

Cui succedit Henricus Schawenburgicus.

sub id tempus vixit, virum non modò corporis habitu moribusque decorum, sed eruditum piumque celebrat, qui diligentissimus fuerit in Canonicarum horarum precibus, cultuque divino persolvendo; quanquam civilibus bellicisque negotiis, magis se quam religioni excolendæ impenderit. Funus è castro Mindam à vasallis & militaribus viris deductum, & à clero honorificè exceptum, conditumque in Basilica ad pedes antecessoris. Exequijs, quæ à suffraganeo ejus habitæ fuêre, Fridericus Brunswicensis multique proceres interfuêre. Successorem nactus est 3. Calend. Augusti Henricum Comitem Schawenburgicum, Adolphi Comitis Holsatiæ & Schawenburgi fratrem, Præpositum Hildesiensem; uti jam ante id, bellum, cui Simon Episcopus interfuit, transactum retulimus, neglecto Oldenburgico, quem Albertus adjutorem adlegerat. Et Henricus, ut eum Crantzius commendat, Præsul animo tranquillus, modestus, quique nulli unquam detrimento fuerit, pacis non minus, quàm religionis amans. Quare haud multò post in Cœnobio Mollenbeckano Episcopus consecrari voluit. Inde Episcopi munus auspicatus, rogatu fratris Adolphi, quæ extremæ ejus ante mortem preces fuêre, dissolutas vagasque Monasterij Overkerkani Virgines nobiles intra claustri disciplinam restrinxit. Hunc in modum cætera per diœcesin, quæ ab antecessore multum neglecta erant, ad pristinam religionis formam reduxit.

Qui Monasterium Overkerkanum ad arctiorem disciplinam adducit.

Auctor Chron. Belgici Pontus Henter. l. 5. rerum Burgund. Chron. Colon: Chron. Novef. Chron. Monast. Trithem. in Chron. Mejer. in Flandr. Crantz. lib. 12. Sax. Browver. in annal. Trevir. Chron. Tremon.

Annus Christi 1474.

Sixti IV Pont. 4.
Friderici IV Imp. 35.
Simonis III Episc. Paderb. 12.

Bellum subinde, quod affectum diximus, & tot scriptoribus celebratum est, anno proximo, qui sæculi numerabatur septuagesimus quartus plenis flammis erupit obsidione Novesij. Ac Cæsar postquam omnibus pacis consilijs frustra tentatis didicit, ingenti apparatu bellum versari, nihil quoque consultius habuit, quàm urbem Colonienſem totius Rheni propugnaculum concitare, armareque adversus Burgundum; quam in rem multa Agrippinensibus privilegia dedit, traxitque in belli societatem. Inde sub initium anni in superiorem Germaniam profectus, hyemem quoque in apparatu belli consumpsit. Post discessum Cæsaris Burgundus literas dat ad Rupertum Archiepiscopum, quibus certum facit, se cum universis Belgij & Burgundiæ auxiliis brevi adfuturum; atque ad hanc promissi fidem præmittit Aræburgium cum copiis, quibus Rupertus non modò cætera, quæ possideret, loca tueretur, sed hostes suos infestare posset. Subinde feciales mittit ad Colonienses & Novesienses, quibus se magno fastu urbes ingressurum denunciat: se totius diœcesis Advocatum tutoremque delectum esse; ac nisi Archiepiscopo suo in omnibus sese submittant, fore ut brevi cum exercitu ante urbem adsit, & ad obedi-

Cæsar Coloniam contra Burgundum animat, & copias è Germania colligit.

Burgundus, missis Legatis, Colonienses & Novesienses ad subjectionem sollicitat.

ad obedientiam compellat, id quod omnibus simul ordinibus denunciari velit; scire ipsos quàm potentem totius Europæ hostem lacesserent, Ducem videlicet Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Limburgi, & Luxenburgi, Comitem Flandriæ, Hollandiæ, Artesiæ, Hannoniæ, Zelandiæ, Zutphaniæ & Boloniæ, Dominum Frisiæ, Picardiæ & Mechliniæ, Marchionem sacri Imperij; qui cùm se Regi Franciæ & Regi Romanorum parem ferat, tum omnibus hisce simul formidabilem: stare ante oculos eorum Leodium nuper Caroli viribus excisum: viderent Colonienses ne excidium eorum in suam quoque urbem trahant: justa Ducem suum Advocatum diœcesis poscere, obedientiam videlicet civium erga suum Archiepiscopum, qualem cùm Leodienses recusarint suo Episcopo, imploratum se adfuisse & ab urbe dignas ruinæ pœnas exegisse; eandem hic causam agi. Quæ cùm superbè exposuissent feciales, tum Ducis insignia celebrioribus in urbe locis affixêre. Ad quæ modestè Colonienses, se Imperij esse cives, urbemque non alium quàm Cæsarem agnoscere Dominum, in ea fide se mansuros. Nec aliud à Novesiensibus responsum. At vix Legati urbe excesserant, cùm tantus plebis furor exarsit, ut Ducis insignia palam refigerent, & luto defœdarent. Hunc motum conspiratio publica consecuta, scriptus miles, implorata vicinorum urbium auxilia, præmunita urbs, & omni annonæ provisu instructa. Idem Novesij factum: utrobique Burgundus hostis proclamatus. At quia Novesium petebatur à Burgundo, firmandæque potentiæ prima belli sedes ad Rhenum, collatis in unum consilijs, Metropolitani Canonici & cives de præfecto urbis imponendo solliciti, Hermannum Hassiæ Landgravium, virum manu & consilio promptum, delegêre; qui & ultro se obtulit ad defensionem urbis. Additus illi Gerlofus Breidenbachius & Joannes Lieskirchius, expertæ virtutis milites, quos cum copijs provincialibus & urbis Colonienſis Novesium misêre. His accessit Everhardus Wittenius cum centum & triginta equitibus in Westfalia conscriptis. Hi Novesium ingressi urbis propugnationem suscepêre, omnemque hyemem & vernum tempus in muniendo Novesio & ordinanda militia insumpsêre. Et jam præter cives tria millia præsidiariorum peditum, & quingenti equites numerabantur in urbe; quæ vallo firmo, altis fossis, mœnibus validis, turribus circum multis, portis magnificis, & propugnaculis recens excitatis præmunita erat. Qua verò parte Orientem respicit, alveus ab Rheno deductus mœnia præterlapsus, & insulæ binæ inter Rhenum & urbem interjectæ, ob humentia & palustria loca, hosti difficilem accessum faciebant. His munimentis confisi intrepidi hostis adventum excepêre.

Novesio Hermannus Landgravius Hassiæ præfectus imponitur.

Novesium firmatur.

At Burgundus postquam Luxenburgi intellexit, qua contemptione Legati sui Coloniæ & Novesij excepti essent, irarum plenus in Brabantiam festinavit, copiasque omnes, quas per hyemem

Burgundus Novesium obsidet.

longè latéque apud diversas nationes conscripserat, ineunte Julio Trajectum ad Mosam convenire jubet, quibus, ut ab Heutero relatum, exercitus sexaginta millium bellatorum conflatus: auctor Chronici Belgij centum millium fuisse perhibet, sequebatur exercitum ingens turba præfectorum rei tormentariæ, fossorum, fabrorum, Sacerdotum, mulierum, calonum. Hac hominum multitudine per Juliacensem agrum progressus, Novesium v. Calend. Augusti obsidere cœpit. Exercitus omnis in quatuor nationes & castra divisus, Gallos, qui Picardi majorem partem erant, Italos, quos Longobardos dicebant, Anglos & Belgas, quibus Burgundi, Geldri, Leodienses, cæterique accensebantur. Accesserant ex Germania Rupertus Archiepiscopus, Fridericus Palatinus Ruperti frater, Engelbertus Nassovius Bredæ dominus, Vincentius Comes Mörsanus, quisque cum suis copijs. Nam Wilhelmus Dux Juliæ & Joannes Ducis Clivensis filius spectandi causa in castris versabantur. Inde castra circum explicata secundum quatuor urbis plagas & nationes militum; Dux ipse tentoria fixit in Cœnobio Augustinianorum, quod versus meridiem urbi objacebat; ibi ille postquam per fecialem urbis deditionem frustra postulasset, & leges militares per castra evulgasset, totam æstatem & hyemem permansit, nunquam vestibus exutus, nunquam lecto usus, sed somnum sedendo capere, ut ad omnem belli casum expeditus esset: ibi quotidie cum proceribus sacrificio Missæ interesse, & preces Canonicarum horarum clerici instar quotidie recitare. Magnus Princeps & maximis exæquandus, si modò temeritas, & insana quædam proferendi imperij cupiditas abfuisset.

Urbe undique incincta clausaque, cœpit ex singulis castris oppugnatio, provectæ vineæ, admotæ machinæ, verberata mœnia, turres & portæ assiduis tormentorum ictibus; quæ omnia incredibi fortitudine excepêre Novesienses, ductu hortatuque Landgravij, nunc erumpendo victores, nunc victi. Insula quæ inter urbem & Rhenum porrigitur, modò à Picardis & Italis occupata, firmataque aggere: modò ejecto hoste recepta, magno obsessorum commodo; quod per eam ex Rheno importaretur annona, & supplementa militum à Colonienſibus laborantibus submitterentur.

Cæsar comitia indicit pro liberando ab obsidione Novesio & defendenda Colonia.

Tandem & Cæsar, cùm Novesium in angustias contrahi nunciaretur, captoque Novesio Coloniam periclitari, experrectus, comitia Augustæ Vindelicorum indicit ad initium Julij. In ijs ex decreto Principum mittit literas ad omnes Jmperij ordines, cum mandato contrahendi militem, quo singuli Novesio subveniant, & Imperij fines tueantur. Celebres ea tempestate erant bellatores Albertus Elector Brandeburgicus, quem Pius II Pontifex Achillem Germaniæ appellat, Albertus Saxoniæ, & Henricus Monasterienſis Episcopus, his Aquila, insigne Jmperij, à Cæsare transmissa; mandatumque, ad horum Ducum signa & auspicia cæteri Principes se conjungerent. Subinde & a Cæsare

Cæsare missæ literæ ad Burgundum, quibus monebatur, bello cœpto absisteret, aut omnes Imperij vires in eum commovendas, detrahendaque, quæ intra Imperium possideret bona: sed nihil his flexus Burgundiæ Dux, pertinacissima obsidione urbem premere non destitit.

Crantz. in Saxon. lib. 12. c. 12. & in Wandal. lib. 13. c. 11.

Commodum per id tempus Christianus Rex Daniæ ex Romana peregrinatione reversus in Germaniam, Cæsarem ac Principes in Augustanis comitiis accessit; rogatusque est, arbiter esse vellet inter Burgundum & dissidentes ad Rhenum partes. Quod pacis componendæ munus Rex pronus admisit. Sed vix dum ille per Saxoniam in Holsatiam redierat, regnum prius suum post longam absentiam aditurus, cùm denuo Cæsaris literis admonitus, iter ad Rhenum & Burgundum componendum suscepit. Assectati Regem Fridericus Dux Brunswicensis, Joannes Dux Saxoniæ, Lawenburgicus, Magnus Dux Megapolitanus, Gerhardus Regis frater Comes Oldenburgensis, Adolphus Gerhardi filius, Joannes Raesfeldius Præpositus Osnabrugensis. Hoc splendido comitatu postquam Rex diœcesin Osnabrugensem & Paderbornensem transgressus, Susatum pervenit; ubi monitus est à fidis hominibus, excubare in insidiis turmam Colonienſium & Westfalorum, ad hoc intentam, ut Regem Regisque comitatum in prædam abducat. Quare deflexo ad Luppiam itinere, pridie D. Martini Lipstadium acceleravit; atque istic Marcanorum nobilium comitatu, & præsidio equestri stipatus, primò Essendiam, deinde Dusseldorpium tutò deductus est. Nihil tanto hospite gratius fuit Wilhelmo Juliæ & Montium Duci; à quo magnificè exceptus, traductusque est per Rhenum ad Burgundum in castra. Multa inter Regem & Burgundum in tentorio pertractata de pace; sed cùm Burgundus, obstinacissimæ mentis Dux, ad nullas pacis leges se deduci pateretur; Rex infecta re Coloniam profectus, celebratoque istic festo Regum, Cæsaris, qui jam ad Rhenum accesserat, conveniendi opportunitatem exspectavit. Hunc deinde Andernaci accessit; relatisque, quæ apud Burgundum egerat, cœpit & apud Cæsarem pacificationis negotium resumere: at cùm istic quoque Colonienſium animos exacerbatos reperiret, extrema contra Burgundum urgentium, irritis consiliis post quinque hebdomadarum inanes labores secundo Rheno devectus in Daniam rediit.

Hammelm. Chron. Oldenb. pag. 3. Rex Daniæ ex Romana peregrinatione redux arbiter deligitur inter dissidentes ad Rhenum.

Atque ista licet Rex Daniæ Christianus, Regum Christianorum ea tempestate religiosissimus, syncera mente, optimoq; pacis studio pertentârit; apud quosdam tamen in suspicionem occulti cum Burgundo fœderis icti venit; quod sanè magna tanti Regis calumnia factum. Id magis à Danis Suecisque, quorum ille sapientissimus Rex fuit, recoli velim, quo majorum instituto Romam profectus; quo cultu religionis limina Apostolorum inviserit; quo honore Sixtum IV Pontificem, & in eo Apostolicam Sedem veneratus sit; quibus Cardinalium & præsulum obsequiis exceptus sit; quæ Catholicæ religionis & pietatis impressa ubique vestigia reliquerit; uti hæc à Romanis & gentis nostræ scriptoribus relata sunt.

Chron. Sclavon. quod alij Lubecens. dicunt.

Interim quæ Regi ex occulto cum Burgundo fœdere aspersa fuêre, ea locum habent in Gerhardo ejus fratre Oldenburgico Comite, disparis indolis homine. Is enim, ut supra retulimus, hostilibus armis commissus cum Henrico Monasterienſi Episcopo, & Anseaticis civitatibus, quarum mercatores cùm furiosus prædo contra pacta & promissa non desisteret divexare, mercesque eorum intercep-tas convertere in arces suas; rursum Henricus Episcopus adjutus Hamburgensium, Lubecensium, Brunswicensium, aliarumque urbium viribus (quibus & Frisones accessêre) Gerhardum armis aggressus, castrum, quod super Visurgim exstruxerat, receptaculum prædarum, expugnat, & solo æquat: quadraginta, qui in eo prædones, capti; mox etiam capite mulctati. Simul Harpstedium castrum ad fines Monasterienſis diœcesis à Lubecensibus expugnatum everſumque. Postremum Oldenburgum castrum atque Oppidum, Comitum sedes, obsessum, & per XIV dies acerrimè oppugnatum. Quibus cùm extrema Comitum ruina immineret, miserati sortem Comitis, intervenêre Episcopus Osnabrugensis & Verdensis, Comes Teclenburgicus & Hojanus; fideque pro Comite interposita, Episcopum Monasterienſem ab obsidione ad pacis tractationem deduxêre. Locus tractandi Wildeshusium designatum; eò postquam cæteri omnes convenêre, solus Gerhardus Comes non accessit, vulpinis, ut scribunt, artibus se subducendo, ne quam satisfactionem Episcopus & mercatores poscebant, præstare cogeretur. Prorogatus conventus in diem D. Walburgis, citatusque denuo Comes elusit omnes; quòd per id tempus in castris ad Novesium apud Burgundum versaretur; à quo magnis honoribus excultus, equestribus publicè insignibus decoratus, Frisiæ utriusque, quam Burgundus subigere meditabatur, præfectus nominatus est. Et quum in intimam Burgundi familiaritatem penetrasset homo versipellis & turbidus, literis minarum plenas impetravit à Burgundo ad Monasterienſem Episcopum, quibus jubebatur Comitem bello intactum relinquere, damna illata restituere, castra arcesque reddere; quæ ni faceret, brevi se ultorem adfore. Accensa hæc offensionis causa fuit inter Episcopum & Burgundum, ut, qui jam à Cæsare, transmissa Imperij Aquila, supremus belli præfectus per inferiorem Saxoniam nominatus erat, eò ardentius bellum contra Burgundum appararet. Accesserat altera offensio inter Burgundum & Monasterienſem Episcopum ex comitatu Zutphanenſi, quem Episcopus Monasterienſis sexaginta aureorum Rhenensium millibus oppignoratum habebat. Ac Cæsar, ut Henricum Episcopum sibi arctius devinciret adversus Burgundum, scriptis literis illi potestatem fecerat, occupandi arcem & Zutphaniam, ac vetera urbis privilegia nomine Imperij tuenda; id verò indignè tulit Burgundus, qui in subigenda Geldria occupatus, se Geldriæ Ducem, & Zutphaniæ Comitem scribebat. Ægre adhæc Cæsar, & Geldriæ

Henricus Ep. Monast. bello committitur cum Gerardo Comite Oldenburgico.

Adducitur ad tractatus pacis; quos tamen consuetis fraudibus eludit Comes Oldenburgicus.

Causæ offensionis inter Burgundum & Henricum Ep. Monast.

Pontan. lib. 9. & 10. Histor. Geldriæ Chron. Monast.

driæ ordines, multique Principes patiebantur, Geldriam exuto Adolpho Duce, exclusisq; Adolphi filiis Carolo & Philippo, quos Burgundus captivos tenebat, ab avita majorum possessione depelli, & transferri ad Burgundum, hominem Gallicæ nationis, & formidabili potentia regnandique libidine Imperij Principibus imminentem; quæ res, ut mox referemus, tanta conspiratione concitavit omnes Imperij ordines ad arma, adversus Burgundum ab obsidione Novesiensi depellendum. Et Henricus Monasterienſis Episcopus, etsi avia Burgundica natus esset, Imperij tamen integritatem defensionemque ante sanguinis vinculum habuit, quòd ipsi non minus, quàm cæteris Principibus suspecta esset vicini hujus potentia; Burgundumque non minus, quàm Francum olim, amicum mallent habere quam vicinum: videbaturque alter Henricus Leo fastu & dominatu omnibus intolerabilis rediisse ad vitam.

Annus Christi 1475.

Sixti IV Pont. 5.
Friderici IV Cæsar. 36.
Simonis III Ep. Pad. 13.

Procedebat per hæc in alterum annum, Christi videlicet Mcccc lxxv, Jubileo celebrem obsidio Novesij ingenti partiũ contentione. Nihil per hyemem intermissum ab hoste in oppugnando, nihil ab obsessis in propugnando. Erat in castris Burgundi omnium rerum abundantia ex libera annonæ subvectione; aspiciebantur in singulis fora mercatorum, & venalium ex omni genere mercium, tanquam continuæ circa urbem nundinæ celebrarentur. Contra in urbe sensim omnis annona contrahi in angustias; carnibus cæterisque absumptis; à Quadragesima equis pasti tam incolæ quàm præsidiarij, quos supra trecentos & quadraginta brevi fames in cibum rapuit; at cùm frumenta suppeterent, cætera tolerabilius habuêre; incitatisque inter se animis, cives ac milites, quæ interdiu tormentis & machinis dejecta erant, noctu reparabant, nova etiam propugnacula objiciendo. Juvit & Rhenus obsessos: is xiii Februarii effusus per insulam ejecit Longobardos; nudumque jam erat latus illud ab hoste, quo cognito, Colonienses, submisso Wilhelmo Aræbergo, ex adversa Rheni ripa castra locant, quibus per navigia annona & miles importatus. Subinde decimo sexto Calend. Martij penetravêre per media hostium castra vicini Cæsaris milites in urbem, qui Cæsaris nomine certam spem subsidii brevi adfuturi intulêre. Hoc nuncio mirificè confirmati Novesienses ad omnia extrema se animavêre, hortatore cumprimis Hermanno Landgravio urbis præfecto; ejus nimirum affabili liberalitate, & invicta constantia, cives, juxta ac milites ad omnes labores & pericula alacres trahebantur: nec sua mulierum deerat fortitudo, ligna, lapides, calcem importantium ad lacunas murorum implendas. Cæsar

Continuatio obsidionis Novesiensis.

Cæsar Imperij vires colligit ad tutandum Novesium.

Cæsar, qui sub exitum Novembris anno superiori Andernacum advenerat cum copiis suis, post auditum Daniæ Regem, cognitamq; ex eo Burgundi pertinaciam in aspernanda pace, nihil sollicitiùs habuit, quàm Imperij vires ad se trahere; evocatique mox accessêre Andernaci Cæsarem Adolphus Nassovius Moguntinus, Joannes Marchio Badensis, Trevirensis Archiepiscopus, Albertus Marchio Brandeburgensis, & Albertus Dux Saxoniæ, Electores Imperii. His accessêre Episcopi Matthias Eistadensis, Spirensis, & Wormatiensis; præterea Sigismundus Dux Austriæ, Ludovicus, Albertus & Fridericus Duces Bavariæ, Henricus Hassiæ Landgravius; quibus se conjunxêre quinquaginta fere Comites Imperij, ultro ad hoc bellum convolantes, singuli cum copiis suis. Cæsar tam valido exercitu instructus belli Duces in consilium advocat; quo decretum; superiorem Rheni ripam & Colonienſem diœcesin purgare; eò Lintzium primùm aggressi, in quod Rupertus Archiepiscopus & Burgundus bis mille Picardos introduxerat propugnatores. Tentârat id quidem antea Henricus Hassiæ Landgravius & Andernacenses cives; sed tam hi, quàm Landgravius cum insigni clade repulsi erant; mœstaque gemebat Andernacensis civitas, media fere civium parte ad Lintzium amissa.

Lintzium oppugnatur.

Quare ad Lintzium omnis vis bellica adacta; ibique Albertus Marchio Brandeburgensis, Germaniæ Achilles, tot bellis & prœliis clarus, supremus militiæ castrorumque Dux à Cæsare nominatus titulo Mareschalli Imperatoris, Albertus Dux Saxoniæ Signifer Imperij renunciatus, alij aliis militiæ muniis & honoribus decorati. Inde 18 Calend. Februarij Lintzium oppugnari cœptum, multo labore & jactura militum; quòd Oppidum acerrimè defenderent Picardi, numero & militari prudentia præstantes. Sustentata fortiter per octo hebdomadas oppugnatio, dum Nonis Martij ad extrema deducti Cæsari se dederent. Versa mox omnis vis bellica in cætera Oppida & castra, expugnatumque intra octo dies Negiomagum, post Erpelia, & Rolandseckium, ex quo Rex Daniæ in transitu tormentorum ictibus petitus erat.

Cæsar Coloniam venit, & compositionem per Nuncium Apostolicum tentat.

Pacato in hunc modum Rheno superiore, Cæsar lentis itineribus Coloniam descendit; quam urbem 13 Calend. Aprilis, postridie videlicet Palmarum, omni ferè sacrorum Præsulum ac Principum comitatu magnificentissimè ingressus, cœpit de summa rei altiora consilia agitare; & quia per id tempus Agrippinam accesserat Alexander Forolivienſis Episcopus, Pontificis Legatus, consultum habuêre, per Apostolicæ Sedis Legatum Burgundum ad concordiam deducere, omnemque belli controversiam, sicuti Susatensi bello factum erat, ad judicium Pontificis vocare. Suscepit Alexander Legationem ad Burgundum in castra profectus, multisque Ducis animum pertentavit; & cùm in nullam partem obstinacissimum Burgundi animum reflecteret, quòd diceret se sine insigni nominis sui probro à cœpta

Novesienſi

Novesiensi obsidione desistere non posse, irritis consiliis Coloniâ ad Cæsarem rediit. Tum verò Cæsar missis quaqua versum nunciis & literis, accersere urbium imperialium auxilia, postulare ad dicendam causam, quotquot è Germanis Burgundo militarent, percellere edictis contumaces, citare non modò Rupertum Archiepiscopum, sed & Joannem Cliviæ & Wilhelmum Juliæ Duces, quorum alter socialium cum Burgundo consanguineo armorum, alter submissæ annonæ reus agebatur. Sprevêre Rupertus Archiepiscopus & Cliviæ Dux Cæsaris minas: Juliacensis se stitit, & in necessitatem temporum retulit submissam à se annonam; qua excusatione acquievit Cæsar.

Speculatores à Brandeburgico emissi à Burgundo male excipiuntur.

Hærebat interim Cæsar cum exercitu circa Coloniam cum Alberto Brandeburgico supremo militiæ præfecto: mittuntur quadringenti equites & trecenti pedites, speculatum Burgundi ad Novesium castra. Qua super re certior factus Burgundus, misit obviam expeditos militiæ suæ viros; à quibus totum illud Brandeburgici agmen malè exceptum, disjectumque: cæsi octoginta, capti quadraginta, cæteri fuga dispersi, pars in arcem Hulekenradam recepta ægre vitam subtraxit.

Exercitus Cæsaris augetur copiis à Principibus & Comitibus Westfaliæ Saxoniæque submissis.

At dum Cæsar per tres hebdomadas Coloniæ subsisteret: augebatur indies copiis undiq; submissis ex Thuringia, Saxonia, Hassia. Accessêre ad cæteros Comites Waldecensis, Everstenius, Benthemensis, Lippiensis, quisque suis copiis instructus; quibus suas iunxêre Episcopi Westfaliæ, & Saxoniæ Mindensis, Osnabrugensis & Paderbornensis, Hildesiensis, cæterique. Haud inferiores copiæ advenêre ab urbibus Imperialibus. Submisit Colonia tria millia, Aquisgranum ducentos quinquaginta milites, totidem ferè Tremonia, ductore Sigebodo Beswordio nobili & militari viro: longùm cæterarum urbium auxilia referre, aut quæ Carolus Marchio *Badensis*, aut Henricus Hassiæ Landgravius, aliique Principes adjunxêre. Quibus confirmatus Cæsar III Nonas Maji movit cum exercitu in Burgundum; sed gradu lento, ac non supra horæ spatium, quòd Monasterienſem Episcopum exspectaret. Igitur primis castris è regione Mulhemii consedit, alteris in Niehem & Monheim, terriis ad Woringam; ubi Henricus Monasterienſis Episcopus ex altera Rheni ripa accessit cum lectissimo octo millium exercitu, è Monasterienſi & *Bremensi* diœcesi contracto. Equites peditesque uno omnes indumento coloris viridis venatorum instar convestiti erant, unde in castris Episcopus militari joco Henricus viridis appellatus. Monasterienſi Episcopo, ea tempestate bellicosissimo Principum, copias suas junxerant urbes Hamburgum, Lubeka, *Brema*, cæteræque fœderatorum urbium; censebaturque universim exercitus Episcopi sedecim millium, quocum ad Woringam Rhenum trajecit, & Cæsari se conjunxit.

Cæsar cum exercitu suo Novesinum movet.

Cui ad Woringam cum exercitu 16 millium se conjungit Henricus Ep. Monast.

Cæsar bellicosi Principis & tot præstantium copiarum accessione confirmatus, x Calend Junij, feria III post Dominicam Trinitatis,

tatis, rectâ movit in hostem; & vix unius horæ intervallo castra à Burgundi castris metatus cum instructissimo & numerosissimo exercitu consedit; quem alij supra centum millium supraque fidem augent, alij verò propius sexaginta, alij quadraginta millium armatorum censuêre. Orator Regis Neapolitani apud Burgundum in castris Cæsaris exercitum quadraginta millium peditum & sedecim millium equitum numerat. Burgundi exercitum plerique triginta millium producunt. At Cæsar carris nudo exercitui prætextis vix dum se communire cœperat, cum Burgundus lectissimo equitatu, & peditatu instructus se ad prælium obtulit, acie in sedecim ægmina distributa, tormentisque per certa & commoda loca dispositis, singulos ad pugnam fortiter ineundam inflammavit, stricto ense obvolitando. Stabant Germani incomposiți, nec leviter perculsi. Tum verò, cæteris cunctantibus, Henricus Monasterienſis Episcopus, producto in medium equitatu Westfalico, primò hostium impetum fortissimè sustinuit; mox copiis Colonienſium, Tremonienſium, & cæterarum urbium advolantibus in auxilium, Burgundum terga vertere, ac ducentis quinquaginta circiter amissis equis, peditibus verò quadringentis, retro in castra cum damno reverti compulit. Nihil Burgundo acerbius fuit, quàm à consanguineo Episcopo hanc cladem inferri. Hæc constans Colonienſium, Tremonienſium, & nostratium qui in castris præsentes fuêre, relatio est. At Belgici scriptores, à quibus omnia Burgundi Ducis sui gentisque facta jactanter extolluntur, referunt Burgundum, relicta ad Novesij obsidionem parte militum, III Idus Maji cum sedecim millibus processisse obviam ad castra Cæsaris, & ad pugnam se obtulisse; tum verò Monasterienſem Episcopum pari fere militum numero erumpentem cum clade rejectum in castra. Alius jactantior eorum scriptor perhibet, Burgundum per octo dies perstitisse ad castra Cæsaris insultantem provocantemque Cæsareos, ac dum Cæsar prælii copiam non faceret, simulata fuga Novesium versus recessisse; tum verò prodeuntibus demum & insequentibus Moguntino & Trevirensi Archiepiscopis, Monasterienſem per medios cuneos penetrasse, & caput Burgundo objecisse, nulla tamen memorabili clade utrimque pugnatum, id quod x Junij factum scribit. Contra Balanus acerrimè utrimque pugnatum asserit, donec Cæsar sub vesperum receptui cani juberet. Mejerus insolentissimus scriptor Germanos cum ingenti clade in castra fugatos contendit. At quàm hæc fluxa fide narrentur, satis constat, quòd hæc x Calend. Junij acta velint, quo die Cæsar primùm movit Woringa in hostem. Et quàm non maligno calamo intet Belgas hosce Mejerus scriptor Monasterienſem Episcopum perstringit, calumniando Pastorem, qui oves suas doceat bella, seditiones, furta, spolia & latrocinia. Stolidus Censor! tanquam nulli Germaniæ Episcopo inter Principes cooptato fas sit arma sumere adversus communem Imperij hostem, quem à Cæsare ad justum bellum pro limite

Cõortâ pugnâ, Burgundus ab Ep. Monasterienſi fugatur.

Imperij

Imperij defendendo evocatum ignorare non poterat; id si crimen erat, etiam Moguntinus, Trevirensis, cæteriq; Episcopi, qui castra Cæsaris secuti sunt, proscribendi, & omnibus Germaniæ Episcopis arma detrahenda, ut Episcopatus omnes in vicinorum spolium venirent. Hæc obtrectatio in Burgundum Ducem suum, turbulentissimum Europæ caput, & raptorem tot provinciarum convertenda. Sed & alia Episcopo Monasterienſi privata justaque belli causa erat adversus Gerhardum Comitem Oldenburgensem, famosissimum ea tempestate prædonem, quem Burgundus in castris suis alebat militem, suoq; patrocinio inflammabat in Episcopum, & fœderatas Saxoniæ urbes; atque ut per eum inferiorem Saxoniam turbaret, Frisiæ præfectum dixerat, multa Monasterienſi Episcopo multa fœderatis urbibus minatus. Interim fortitudine & constantia Monasterienſis Episcopi, quod maximè usſit scriptores Belgicos, fractus Burgundus, cùm videret se adversus totam Germaniam ægre bellum susscipere posse, pronior ad pacem esse cœpit. Quo animadverso, Alexander Forolivienſis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, ad Burgundum in castra profectus, omnem belli controversiam ad inducias deduxit. quæ & multis legibus præscripta juratáque pridie Nonas Junii. Conventumque præterea, ut omnis controversia inter Archiepiscopum & Metropolitanos Canonicos referretur ad pontificis tribunal decidenda. Tum demum obsidio Novesienſis post decem mensium acerrimam oppugnationem soluta, quam si Burgundo in alterum mensem proferre licuisset, haud dubium urbe potitus fuisset; ita omnia in urbe fame & ærumnis absumpta erant, ita portæ, & mœnia lacerata, jacebantque extra urbem septendecim turres prostratæ. Summa verò urbis hujus gloria Hermanno Hassio Landgravio attributa. Subinde quoque per has inducias Fridericus Cæsar & Carolus Burgundiæ Dux in privatum arcanumque Collegium venêre, in quo Cæsar, id quod Treviri cœperat, de matrimonio inter Maximilianum filium & Mariam Burgundi filiam unicam tot provinciarum heredem pertractavit, transactumque inter Cæsarem & Burgundum. Sed tam arcana hæc erant, ut nec ad Principum Imperij, nec præfectorum militiæ aures pervenirent. Hinc omnium penè Principum animos hæc pax offendit, seu quòd pauci introspicerent pacis arcana, Cæsaremque suspectum haberent; seu quòd bello hoc nihil germanici nominis gloria dignum actum palam quererentur; Cæsari si lubitum fuisset, potuisse Burgundum certo prælio vinci delerique: inanes esse tot expensas, & tot Principum vires in unum coactas: traductusque palam Albertus Brandeburgicus Achilles ille Germanicus, alijque, quòd corrupti muneribus hostem è manibus labi passi fuissent. At nemo pace illa offensior, quàm Monasterienſis Episcopus cui pro ingentibus belli

Inducia & demũ pax promulgatur

Solvitur obsidio Novesienſis.

Agitur inter Cæsarem & Burgundum de matrimonio Maximilianum inter & Mariam Burgundicam contrahendo.

belli expenſis & fida opera arx & urbs Zutphanienſis à Cæſare occupanda retinendaque data erat, dum ſexaginta aureorum millia redderentur, armis ille ſuis victum Burgundum ad alia pacta adigi volebat.

Nova diſcordia inter Epiſcopum Monaſterienſem & Burgundum ex militum inſolentia coorta.

Quanquam per ipſas inducias alia inter Monaſterienſem Epiſcopum & Burgundum offenſio ſuborta, quæ totum fere pacis negotium turbaſſet. Erant Monaſterienſibus ſtativa in extrema parte caſtrorum, qua Picardis proximè excubabant. Hic miles Epiſcopi per militarem ludum haſtæ oblongæ pileum imponere, in quem certatim ſcloporum glandibus jaculati; ut genti mos eſt, erectæ in altum perticæ ſignum ligneæ avis imponere, artemque jaculandi probare: at dum ictus incautius portati in Picardorum caſtra, quibus nonnulli ſauciarentur, moniti Monaſterienſes deſiſterent ab hoc noxio vicinis ludo; illi his contemptis multò petulantiùs evibrare tela, & in Picardorum etiam capita detorquere. Qua inſolentia tota Picardorum gens irritata; factaque inter ſe conſpiratione, ſub ſerum veſperum involant in caſtra Monaſterienſium, obvios quosque aut ſomno captos in tentoriis trucidando, & per tota caſtra magna ſtrage graſſando. Implorabant turbati opem Brandeburgici; & cùm ab illo nihil præſidij eſſet, eo Picardorum furore ſeptingenti, aut, ut alij, mille Monaſterienſium aut obtruncati ſunt, aut Rheno ſubmerſi. Quos inter Gerhardus Keppelius priſcæ apud Monaſterienſes nobilitatis Dynaſta Hermannus unicum familiæ heredem filium amiſit, is qui poſt, condito Wederano Carthuſianorum Cœnobio, Chriſtum heredem bonorum ſcripſit. Magnopere hoc perfidum contra pacta facinus commovit Principes cæteros in caſtris, ac nullum magis quàm Epiſcopum Monaſterienſem, quem pari doloris ſenſu exacerbabat jactura ſuorum & injuria ſibi cumprimis irrogata. Hinc diluculo convenire Cæſarem, accuſare Brandeburgicum negati ſubſidij, adire cæteros Principes, ſollicitare militiæ præfectos ad vindictam perfidiæ. Nihil non egit Cæſar, ut Monaſterienſem Epiſcopum placaret. Brandeburgicus ſe excuſabat, quòd citra Cæſaris imperium ſibi caſtris ſuis egredi non licuerit. Non his acquievit Monaſterienſis Epiſcopus, ſed miſſo ad Burgundiæ Ducem feciali ad prælium evocavit. Audax facinus, ſed quo Germanos omnes priori victoria feroces, utroque pugnam ſpirantes trahebat; quòd jam antè nihil indigniùs ferrent, quam Burgundum ſine prælio dimitti. Quæ poſtquam ad Cæſarem relata fuêre, juſſit ille pro Imperatoria auctoritate Monaſterienſem ab armis abſtinere; quem exinde multis honoribus & donis exornavit; inter quæ vexillum aureum Aquila Imperij inſignitum fuit, id quod ad ſepulchrum ejus in Baſilica ſuſpenſum memorant omnes faſtorum Monaſterienſium ſcriptores. Non enim illo bello Brandeburgicus, ſed Monaſterienſis Epiſcopus Achillis Germaniæ nomen ſuſtinuit.

Cranz. l. 11. Saxon. c. 13. Wittius in Chron. MS. Chron. Monaſt.

Rebus

Rebus ad Novesium compositis, Cæsar & Burgundus eodem die in pervigilio Apostolorum castra solverunt. Ac Burgundus ut fœderato Anglorum Regi Gallias ingresso occurreret, bellumque sociale adversus Galliarum Regem susciperet, in Belgium cum exercitu movit; Galliarumque Regem ad inducias novem annorum Anglus & Burgundus compulêre. Cæsar dimissis Principibus in suas provincias, Aquisgranum tetendit, collocuturus cum Margaretha Angla, quam tertiam duxerat Burgundus conjugem, Mariæ filiæ novercam. Opportunè hic quæsitus congressus ad firmandum matrimonium, quòd jam inter Ducem, & Cæsarem consignatum erat. Aquisgrano Cæsar Coloniam & Novesium digressus utrique urbi amplissima dilargitus est privilegia, illi ob fidam belli operam, huic ob constantiam, miramque defensionis fortitudinem; ex qua palmarem laudem promeritus Hermannus Hassiæ Landgravius urbis propugnator, is qui ob præclara belli decora confirmatus diœcesis Gubernator, & Ruperto in Archiepiscopatu subrogatus fuit, delectusque post illa etiam Paderbornensis Ecclesiæ nostræ Administrator.

Hermannus Landgravius Hassiæ Diœcesis Coloniensis gubernator confirmatur.

Pace hac læti plerique; sed non perinde Rupertus Archiepiscopus. Huic enim, cùm de tota controversia à Pontifice intra annum decerneretur, tantummodo Ducatus Westfaliæ, & eis Rhenum Brulense Oppidum, Kempena, & alia quædam haud magni momenti loca relicta; cætera potestati Metropolitani Collegij, Gubernatoriquè ejus Landgravio asserta. Inde Rupertus æger animi in Ducatum Westfaliæ, ad fidos sibi hactenus ordines secessit, aut Werlis plerumque, aut Arnsbergæ commoratus.

Inter has turbas excessit è vita 14 Calend. Septembris Gerhardus Dux Juliæ & Montium ac Comes Ravensbergensis, anno principatus quadragesimo, vir belli pacisque artibus non minus, quàm pietate egregius; à quo præter alia religionis monumenta superest Cœnobium Crucigerorum Dusseldorpij in Oppido conditum. Genitus is erat Wilhelmo Montium Duce ac Comite Ravensbergensi, postquam is, ut supra retulimus, multis casibus jactatus Paderbornensi Episcopatu se abdicârat. Gerhardo successit Wilhelmus filius, qui ob senium patris viribus corporis & mentis imminuti, gubernationem susceperat.

Moritur Gerhardus Dux Juliæ & Montium. *Teschem. pag. 445. Strithag. in Tetrad.*

Sustulit & hic annus sexto Septembris Adolphum Nassovium Moguntinum Archiepiscopum, ac Metropolitanum nostrum, cui Metropolitani Canonici indicto comitio ipso die S. Martini subrogârunt Diethericum Jsenburgicum, Præsulem quem ex Schismate ante rejecerat Pontifex. Is exinde in septimum annum Ecclesiam Moguntinam præclarè administravit, instituta etiam dotataque Moguntiæ omnium scientiarum Academiâ; quo constaret sæpe per dissidia electionis præstantissimos præsules repelli, quos probata virtus ad publica Ecclesiæ munia resumere suadeat.

Obitus Adolphi Nassovij Archiep. Mogunt. cui subrogatur Diethericus Jsemburgicus.

Obitus Joannis Bavari Archiep. Magdenburg. antea Episcopi Monast.

Extulit & hic annus alterum Archiepiscopum Joannem Bavarum Magdenburgensium Primatem, virum quem Trithemius scribit devotum ac sanctum, Crantzius religiosissimum Pontificem appellat, quemque, ut supra diximus, conspecta virtus per totam Saxoniam ex Monasteriensi Ecclesia ad Magdenburgensem transtulerat.

Apud Monasterienses floret Hermannus à Langen.

Eminebat per id tempus, Henrico Schwartzenburgico Episcopo, Hermannus Langius Decanus, tam generis claritudine ex prisca Langiorum familia, quàm religione & doctrina clarus. Quippe qui utriusque juris laurea publicè decoratus, Cleri decus & forma erat. Adeo tum nondum puduit in ea Ecclesia Canonicos ex equestri ordine Doctorum gradibus insigniri. Langius Decanus Rudolphum Langium ex fratre nepotem misit Romam latinis & græcis studiis altioribusque scientiis excolendum, à quo deinde politiores literæ, depulsa barbarie, per Westfaliam longè latèque propagatæ fuerunt; Et mirum quot Academiæ, quot publica literarum gymnasia hoc turbulento seculo Erfurti, Lipsiæ, Treviri, Coloniæ, Moguntiæ, Heidelbergæ, Tubingæ, aliisque per Germaniam locis sint institutæ; tanquam insciticia & barbaries morum, quæ per longa bella irrepserant, humanitate literarum essent depellenda.

Annus Christi 1474.

Sixti IV Pont. 6.
Friderici IV Imp. 37.
Simonis III Episc. Paderb. 14.

Barlandus. Henterus. Mejerus in Annal. Flandriæ Raynald. in histor. Eccl.

Burgundus Lotharingiam invadit.

Anno Christi nascentis proximo transiit cum Burgundo bellum ab Rheno in Lotharingiam; adacto enim Rege Galliarum ad induciias, Carolus Burgundiæ Dux, terror Regum & Principum, per initia anni Nanceium expugnat; fugienteque in Gallias Renato Lotharingiæ Duce, totam prope Lotharingiam invadit. Qua victoriâ elatus Burgundus, arma in Helvetos transfert: at hos ille dum crudeliùs tractat, quingentis etiam Helvetiorum in furcam actis, totam in se gentem irritavit; à quâ bis prælio victus, & in turpem fugam compulsus est. Helveti ut probrum genti illatum vindicarent, ex iisdem funibus totidem Burgundos suspenderunt. Ea Helvetiorum victoria erectus Renatus Lotharingiæ Dux, Nanceium & omnem fere Lotharingiam recuperat. His cladibus jactatus Burgundus, iraque æstuans, in Belgium redit ad novum exercitum instaurandum.

Persistit in hostilitate Rupertus Archiep. Colon.

Eo nunc quietior Germania, ex quo turbulentus & formidabilis hic Princeps alibi suos hostes cladesq; habuit. Nec tamen per hæc quievit Rupertus Colonensis Archiepiscopus, seu quòd Burgundi promissis magnam spem aleret recuperandi diœcesin: seu quòd pertinacia mentis pacem retrectaret. Ac licet hoc anno morte subtractum amiserit Fridericum Palatinum, Electorem fratrem; non tamen destitit miles ejus ex Brula Oppido infestare Colonienses. Qua insolentiâ excitus

excitus Hermannus Hassiæ Landgravius, diœcesis Gubernator, Ruperto Meckenheimium, Morenhovium, & Adendorpium eripit. Nec in Westfalia Ruperti miles quietus, bellum Simoni Episcopo movit; id verò qua ex causa exarserit, aut quo exitu gestum sit, non satis proditum, nisi quòd inscriptio templi Rudensis memorabile fecerit,

Bellum movet Simoni Ep. Paderb.

Justior belli causa Henricum Monasterienſem Episcopum ad arma concivit adversus Gerhardum Oldenburgicum Comitem. Is prædo postquam anno superiori ex castris ad Novesium egens, atque ut auctor Chronici Lubecensis scribit, ad costas maceratus, redijt in Comitatum suum, cœpit pro ingenio ad explendam inopiam rapinis se dare; illatusque cum prædatorio agmine in Frisiam, multa spolia congessit; quibus offensi Frisones, ducentos ex his & quinquaginta obtruncárunt, cæteris in fugam dispersis. Inde ut ex Bremensium ac cæterorum mercatorum spoliis vitam aleret, erexit ad Visurgim castrum prædonibus repletum infestumque, ne cuiquam libera in mare navigatio esset. Id verò mox à Bremensibus, ope Henrici Monasterienſis Episcopi & sui administratoris, eversum: capti prædones, & ex his viginti quinque capite mulctati. Nec tamen à prædis quiescebat, Gerhardus Comes; quare rursum implorato Episcopo Monasterienſi, copias illi suas junxêre, & Amerlandiam Comitis regionem ingressi, vastatis omnibus, cum ingenti præda rediérunt. Post quæ moniti Bremenses ab Episcopo, ut eadem, qua secum intrassent, via rutius regrederentur, dum salubri spreto consilio, angustoque per paludes tramite, & à Comitis milite infesso, Bremam repetunt, in manus hostium incidérunt: mox quingenti Bremensium civium obtruncati, magno luctu urbem replevêre: ceteri Delmenhorstium captivi abducti; quibus ingenti post lytro vita stetit. Adeo unus hic prædo omnem illam regionem infestam tenuit; donec ab Episcopo tandem Monasterienſi, expugnato Oldenburgo & Delmenhorstio, subigeretur.

Chron. Selav. Hammel. in Chron. Oldenb. p. 8. Chron. Monast.

Comitis Oldenburgici insolentia ab Henrico Ep. Monast. reprimitur.

Annus Christi 1477.

Sixti IV Pont. 7.
Friderici IV Imper. 38.
Simonis III Ep. Pad. 15.

Naucler. Pontan. Heuter. Barlandus. Pontan. in Geld. Trithem. in Chron. Sponh. Brovver. in annal. Trevir.

Insequenti per hæc anno novum casum magnamque rerum mutationem aspexit Europa ex funere Caroli Burgundiæ Ducis. Is licet iterata clade Helvetica & Lotharingica fractus, reparato tamen exercitu, in Lotharingiam movit, Nancejum, quod anno superiori amiserat, aspera hyeme non magnis viribus circumsedere ausus. Quæ postquam explorata, Renatus Lotharingiæ Dux, validis Helvetiorum & Germanorum copiis instructus, præferocem hostem aggreditur, & Nonis Januarij bipartito agmine ad Jarvillam invectus

Carolus Dux Burgundiæ prælio ad

Burgun-

Nanceium vincitur & occumbit.

Burgundum prælio vincit; in quo Burgundus ipse occubuit, magnæ fragilitatis humanæ exemplum. Nam qui omnibus Europæ Regibus hactenus formidandus fuerat, momento fractus, & ab omnibus desertus, nudus & limo coopertus jacuit inter cadavera, triplici vulnere deformis, ac tertio demum die ægre repertus agnitusque.

Maria Burgundi filia Maximiliano Cæsaris filio in matrimonium datur.

Extincto Burgundo, magnum certamen exortum est inter rivales pro Maria filia, quam unicam reliquerat tot provinciarum hæredem. Ludovicus Galliarum Rex offerre Carolum filium: Joannes Dux Cliviæ agere pro Joanne filio: Adolphus Dux Cliviæ, Davensteinij dominus, cujus tum magna in aula Burgundica erat auctoritas, insinuare Philippum filium; verùm quòd jam Treviri, & in castris ad Novesium Burgundi filia pacta erat in matrimonium Maximiliano Cæsaris filio, & Belgæ in hunc propenderent; transijt filia in nuptias cum Maximiliano, & cum his ampla illa Burgundicarum provinciarum hæreditas cessit Austriacis; non tamen sine magna Burgundicæ domus & Belgij concussione. Nam Gallus repulsâ exacerbatus, ruptis, quas in novem annos fecerat, inducijs, ducatum Burgundiæ subigit, Flandriam, & Artesiam incursionibus infestat, alia loca proditione, alia armis occupat. Flandri Galliæ Regis imperium exosi, ut se tuerentur, Adolphum Geldriæ ducem è carcere Cortracensi, in quem à Burgundo conjectus erat, educunt, ac copijs suis præficiunt; is verò dum Tornacenses Gallico præsidio animosos incautius lacessit, & pugnat, cæditur ab his 11 Calend. Augusti; digna, ut retulêre, Numinis pœna; quòd Patrem suum in vincula conjecerit. Filios interim binos reliquit, Carolum & Philippum, pro quibus in Ducatum Geldriæ reponendis decertatum est.

Geldri deficiunt à Burgundis.

Quippe Geldri, quòd coacti Burgundum receperant, simul per id tempus arma corripiunt: præfectos à Burgundo impositos ejiciunt, nativumque Ducem, quod gentibus insitum, Carolum Adolphi filium, Gandaui captivum, repetunt; quam in rem Catharinæ Adolphi sorori imperium Geldriæ deferunt, Legatosque ad Mariam Burgundi filiam mittunt. Qua legatione cùm nihil impetrarent, Regem Galliarum, Ludovicum Borbonium Leodiensem Episcopum, Hermannum Landgravium Colonienſis diœcesis Administratorem, ac postremùm etiam Henricum Monasterienſem Episcopum implorant; à quibus licet prolixè patrocinium auxiliumque promitteretur; tum nemo ferventius hanc causam suscepit, quàm Monasterienſis Episcopus. Ille enim, quòd Zutphaniam comitatumque sexaginta millibus florenorum à Friderico Cæsare addictum oppignoratumque haberet, dum ab Imperio hæc pecuniæ summa, quam ad impensas belli fecerat, refunderetur, post Burgundi excessum, vires quàm maximas contrahit; & quod bello Novesienſi prohibitus erat, Zutphaniæ comitatum unâ cùm urbe atque arce in deditionem accipit, nihil Cæsarem veritus, palamque contestatus, non nisi pignoris loco

&

& Imperij nomine se comitatus possessionem capere; redditurum veris heredibus, & his quidem Egmondanis, postquam belli sumptus, quos bello Novesiensi fecerat, ex æquo persoluti fuerint. Neque Geldri & Zutphanienses sunt oblu&tati; quòd his nihil gratiùs esset, quàm generosum & præpotentem sibi Episcopum obtingere defensorem; à quo cùm ad Novesium Burgundus primùm bello fractus victusque sit; tum à nullo etiam spem certiorem, liberandi se à servitute Burgundica, sibi offerri lætabantur.

Maximilianus Coloniæ splendidè habetur.

Inter hos motus Maximilianus Cæsaris filius à patre dimissus in Belgium, exeunte Junio, cum splendido Principum ac procerum comitatu Coloniam accessit. Deduxêre florentissimum Principem Diethericus Moguntinus & Joannes Trevirensis Archiepiscopi, Episcopus Metensis, Albertus Dux Saxoniæ, Henricus Hassiæ Landgravius, Carolus & Christophorus Marchiones Badenses, alijque procerum. Substitit integro mense Coloniæ, liberalissimè habitus à Magistratu. Inde Calend. Augusti à Maria sponsa invitatus in Brabantiam descendit; ubi effusis obviam Belgij proceribus, Lovanij, Bruxellis, ac per cætera Oppida ingenti populorum lætitia excipitur. Gandavum ubi perventum, XV Calend. Septembris ingenti pompa & magnificentia nuptiæ inter Maximilianum & Mariam celebratæ sunt.

Chron. Colon. Canonici Colonienses cum urbe conspirant contra Rupertum Archiepiscopum suum.

Læta hæc agebantur apud Ubios, cùm inter Archiepiscopum eorum & Hermannum Landgravium diœcesis Gubernatorem adhuc turbidis decertaretur armis. Quippe Metropolitani Canonici, quibus maximè invisus erat Archiepiscopus, postquam Carolum Burgundiæ Ducem, & Fridericum Palatinum Electorem, Archiepiscopi fratrem, duos summos illos & potentes Archiepiscopi patronos morte subtractos conspexêre, junctis cum urbe Colonienſi viribus, Rupertum aut ad saniora consilia deducendum, aut diœcesi ejiciendum statuêre. Quam in rem Hermanno Landgravio Gubernatori in mandatis datum, Rupertum armis aggrederetur. Nec ille cunctatus, adulto Junio procedit in campum; primoque impetu Urdingam intercipit. Inde castris Linnensi Oppido & castro admotis, utrumque post arctam obsidionem expugnat. Pati successu arx Oedana capta, & thesaurus, qui istic repertus, victori cessit. His adversis inopinatisque perculsus Rupertus Archiepiscopus, qui per id tempus intra Kempense Oppidum se concluserat, clanculum in Westfaliam profugit; facta tamen prius Kempensibus civibus potestate sese hostibus, si urgerentur, dedendi; nec enim velle se, ut fidum hactenus sibi Oppidum sui causa damnum pateretur. Veritus per hæc Wilhelmus Dux Juliæ & Montium, ne vicinorum concitatione belli flamma latius serperet, arbitrum se obtulit, & Berchemij conventu instituto, rem ad inducias deduxit. Post ubi de pace in has leges agi cœptum, uti Rupertus ultro se Archiepiscopatu abdicaret, & duobus castris ac trium millium florenorum annua pensione contentus viveret, obnitentem habuêre Rupertum, quòd secum reputaret, quàm

gravis

gravis casus esset, ex Archiepiscopo, & Imperij Electore in privatam vitam redire; idque eò acerbiùs accidit, quòd nulla adhuc Pontificis sententiâ, ad cujus tribunal tota controversia Cæsaris & Principum consensu delata erat, prædamnatus ad ejusmodi extrema ut geretur.

Initia Cœnobij Wederani à Gerhardo Keppelio fundati.

Aucta hoc anno diœcesis Monasterienſis celebri Carthusianorum Cœnobio Wederano, id quod Gerhardus Keppelius, ex veteri & equestri Keppeliorum familia ortus, condidit. Natus is erat Hermanno Keppelio, cui Merveldia conjux, filia Henrici Merveldij, in dotem attulerat castrum Wederanum, haud procul Dulmaniæ Oppido situm. At Gerhardus, ducta in matrimonium Hildegunde ex equestri Voetiorum familia, susceperat unicum hæredem filium Hermannum; quem postquam, ut supradiximus, bello ad Novesium amiserant: sepulto Novesij filio in primaria æde, positoque luctu, cœpêre Christum hæredem bonorum scribere. Quæ pia consilia dum apud se agitat Gerhardus, multumque sollicitus versat, quem ordinem sacrum introduceret, obtulêre se in somno duo religiosi viri, habitu Carthusianorum, visi ducta supplicatione circuire, & Gerhardum quocunque incederet, semper sequi. Quo cœlesti monitu confirmatus, Henricum Episcopum adit, apertoque consilio, assensum impetrat. Inde evocatis è Wesalienſi Carthusia Jacobo Holtwileio, & Joanne Ketwichio Sacerdotibus, castrum illis in Cœnobium transmutandum feria iii post Pentecosten transcribit. Cœptum inde templum, Cœnobij domicilium, & amplum illud ædificium incredibili successu proferri, nec minus religiosorum hominum affluxu impleri; quibus se ipse Gerhardus Keppelius sumpto religioso habitu adjunxit. Vir civili prudentia, militaribus artibus, rebusque bello Monasterienſi gestis inter proceres ejus diœcesis spectatissimus, eóque tutor Comitum Benthemensium, & Mareschallus Cliviæ etiam delectus, ac Henrico Episcopo cumprimis carus. Hildegundis conjux, viri exemplo, Schuttorpium in solitudinem sacram cessit, Deo vitam suam consecrando, sæpeque etiam Wederenæ Carthusianos patres invisendo, dotandoque, quæ supererant, bonis. Magna id quidem nobilitatis invidiâ factum, quæ nihil ægrius ferre solet, quàm castra nobilium converti in claustra religiosorum; sed hanc invidiam suppressit utriusque donatoris pietas, & spectata vitæ sanctitas. Obijt verò Keppelius altero statim conditi Cœnobij anno; Conjux verò ad annum 1494 superstes excessit xv Septembris. Florentissimum inde totius Saxoniæ Cœnobium viris religiosissimis ad nostra usque tempora, ac speculum, constante religionis cultu disciplinaque sanctioris vitæ, omnium per Westfaliam Monasteriorum.

Annus Christi 1478.

Sixti IV Pont. 8.
Friderici IV. Cæsaris 39.
Simonis III Ep. Pad. 16.

Conti-

Continuatæ in sequentem annum turbæ inter Colonienses. Quantum enim Metropolitani Canonici ex conventu Berchemij instituto urgebant Rupertum ad abdicationem Archiepiscopatûs, tantum ille obsistebat, ne cum probro nominis sui & familiæ omni se potestate exuere cogeretur, quòd nihil adhuc à sede Apostolica adversum se pronunciatum esset. Et quia Westfaliæ quoque ordines adversum se concitari didicit, consultum habuit in Bavariam proficisci & familiæ suæ patrocinia ob vim & injurias sibi illatas implorare. Iter id circa Pentecosten ex Oppido Werlensi est ingressus. Qua super re cùm Metropolitani Canonici certiores facti essent, novasque turbas vererentur, si in Bavariam penetraret; festinatis nunciis ac literis clam monuêre Henricum Hassiæ Landgravium, rogâruntque Rupertum communem secum hostem iter per Hassiam carpturum interciperet. Et Rupertus dum horum insçius Hassiam ingreditur, ex insidiis per Landgravij ministros interceptus, abducitur in arcem Blanckenstenianam. Ea in arce, quam Hassi in edita rupe ad Lonam fluvium munitissimam habent, per biennium captivus hæsit; & demum inter carceris ærumnas vitam miser, & ab omnibus suis desertus clausit. Attamen Sixtus Pontifex, postquam illi captivitas denunciata fuit, indignè tulit injuriam Archiepiscopi; alteroque mox anno misit in Germaniam duos Legatos Episcopos, Forolivienssem & Merienssem, cum severi mandati literis, 18 die Aprilis datis, quibus præscribebat, quæ per Legatos apud Fridericum Imperatorem, quæ apud Hassiæ Landgravium & Imperij Principes in causa Archiepiscopi agi vellet, id tamen caverent, ne ob captivitatem Archiepiscopi quenquam Principum ad arma concitarent, sed in omnibus à se extremum responsum exspectarent. Legati postquam omnia tentârant, Cæsaremq; sibi adversantem haberent (cujus assensu refert Langius captum Rupertum) irrito opere Romam regressi sunt. Nec tamen sine manifesta Numinis vindicta hæc Archiepiscopi captivitas fuit, quòd, ut auctor Mindensis Chronici perhibet, Henricus Hassiæ Landgravius mox à patrato facinore fœdo lepræ morbo infectus fuerit, in quo & vitam post sexennium miserabiliter consumpserit, stirpe etiam nulla relicta, quæ per Ludovicum fratrem propagata est. Tam exosum Deo scelus, violentas manus injecisse in unctos sacrorum præsules. Scio plerosque scriptores iniquiores esse in Rupertum Archiepiscopum, sed quantum hæc vindicta Numinis in Landgravium ejus innocentiæ argumentum? aut quando Cleri æmulatio, populi lævitas, & temporum malitia cessavit optimos etiam vexare Episcopos.

Chron. Colon. Trithem. in Chron. Sponheim. Langius in Chron. Citiz. Wittius in Chron. Kleinsorg. Rupertus Archiep. Colon. à Landgravio Hassiæ captivus detinetur & moritur.

Pontan. l. 10 Pont. Heut. Teschemach p. 284. Chron Clev.

Agitabatur & Geldria continuis suis motibus, quòd ordines haud secus, quàm Clivij & Juliacenses suum proprium nativumq; ducem exposcerent exosi Burgundicum Imperium. Quapropter cùm omnes Belgii provinciæ Maximilianum Cæsaris filium ex connubio Mariæ suum Principem reciperent, soli se Geldri subtraxêre; sed

Turbæ in Belgio à Geldris excitatæ.

sed mox ipsi discordia inter se fracti. Quam enim Adolphi ad Tornacum cœsi ultimique Ducis sororem Catharinam delegerant Gubernatricem Geldri, addito illi Friderico Duce Brunswicensi militiæ præfecto, hos Guilielmus Egmondanus Adolphi patruus ferre noluit, occupatoque Arnheimio, jus tutoris & gubernatoris sibi vendicavit. Ægro id animo ferebat Henricus Monasterienſis Episcopus, alter ex occupato Zutphaniæ Comitatu Geldriæ propugnator, & magnopere ad concordiam hortabatur, ne per intestina dissidia in potestatem Burgundorum venirent. Geldri ut huic malo occurrerent, detulêre Joanni Duci Clivensi Geldriæ præfecturam; sed cùm hunc Neomagenses alijque veteres Clivorum hostes non ferrent rejicerentque, relictum est imperium Geldriæ penes Catharinam & Brunswicensem. Quo Clivius haud secus, quàm Guilielmus Egmondanus offensus contulit se ad Maximilianum Austrium, omnemque operam prolixè obtulit ad subigendam ei Geldriam; qua re lætus Maximilianus, omne quoque armorum suorum imperium Clivensi detulit, quo comperto, Geldri, ut erant pugnacissimi, in fœdus conjurant: arma induunt: Hermannum Landgravium Gubernatorem Colonienſem, Ludovicum Borbonium Leodienſem, & Henricum Monasterienſem Episcopos ad submittenda ex fœdere subsidia sollicitant; à quibus uti & à Joanne Palatino alijsque, haud spernendæ copiæ auxilio venêre. Accessit Vincentius Comes Morsanus alter Brunswicensi militiæ præfectus à Geldris adjunctus. Ad hunc modum novum per inferiores Rheni provincias, & Westfaliam exardere cœpit bellum; idetsi communem pacem multis malis turbaret, commodum tamen erat; quòd ad id inquieta capita convolarent, à quibus hactenus Westfalia & Saxonia intestinis armis infestabatur. Quippe publica semper bella privatorum tumultuariorumque bellorum fuêre levamenta; sicuti per id tempus Simon Episcopus noster, cæterique per Westfaliam præsules pacatas habuêre diœceses suas: neque alia de his, quam pacis studia, excultæque religionis opera produntur.

Annus Christi 1479.

Sixti IV Pont. 9.
Friderici IV Imper. 40.
Simonis III Ep. Pad. 17.

Pontan. lib. 10. Geldr. Heuter. Teschem. Chron. Sponh. Chron. Monast. Geldria oppugnatur, à Maximiliano.

Proximo dehinc anno bellum Gelricum accensis undique flammis erupit. Quippe Maximilianus, ingentis & juvenilis animi Princeps, ne Geldriam sibi à cæteris Belgij provincijs subtrahi pateretur, comparato exercitu ad Mosam movit; præterque copias, quas pater Fridericus Cæsar submiserat, junxêre se Joannes Dux Cliviæ, Wilhelmus Dux Juliæ & Montium, Adolphus Nassoviæ, Guilielmus Nuenariæ, Philippus Virnenburgius, cæterique Comites ac proceres Germaniæ, quos Imperatoris filij nomen & belli

belli gloria exciverat : horum viribus confirmatus, mense Februario Ruremundam, Bomeliam, Insulam, multaque ad Mosam Geldriæ loca expugnat. At subinde bello Gallico avocatus Maximilianus, imperium subigendi Geldros reliquit Clivensi Duci. Et ille magnis animis ipsam Geldriam, validum totius provinciæ munimentum, in quo Catharina Gubernatrix sedem fixerat, aggressus est. Jamque ex duobus propugnaculis Oppidum tormentis verberabat ; cùm Neomagenses, compertâ negligenti castrorum custodiâ, adjunctisque sibi cæterorum Geldrorum viribus, Clivensem adorti ab obsidione in turpem fugam depellunt. Alternis inde cladibus, & Oppidorum expugnationibus decertatum est, fortiterq; res Gelriæ agebat Brunswicensis supremus militiæ præfectus.

Henricus Ep. Monast. à Geldris supremus militiæ præfectus deligitur.

Verùm dum is per antecinerales ferias lautius vino genioque indulget, mente captus in phrenesin incidit, eòque in suam provinciam remissus. In ejus deinde locum ordines subrogârunt Henricum Monasterienſem Episcopum ; quemadmodum id in literis 8. Octobris datis significant Ludovico Francorum Regi. *Postquam, inquiunt, Principis Brunsvicensis solamen atque auxilium nobis subtractum est, reasumpsimus vires, et Patrem in Christo Reverendissimum ac Dominum illustrem Henricum Zuartzenburg, Ecclesiæ Monasterienſis Episcopum, ac Ecclesiæ Bremensis Administratorem, qui non solum viros Ecclesiasticos laudabiliter regit, sed etiam suarum terrarum ac Reipublicæ persecutores acriter armis coërcet, eundem humiliter rogavimus, ut pro sua inolita consuetudine, dictis Orphanis auxilium ferre et terrarum Gelriæ in se assumere gubernationem vellet, considerato, quod idem ut Ecclesiasticus Princeps esse justitiæ fautor debeat ; et quia liberis Orphanis sanguine admodum propingus sit, ac ditiones insuper possideat Gelriæ contiguas, ideo et nobis præstare auxilium posset quam maximum. Hæc et similia Reverendissimi Patris et illustris Domini Henrici interiora commoverunt, isque considerans oppressionem, et defensionem suorum consanguinei et consanguineæ, nec non devastationem inclitæ terræ Gelrienſis, gubernationem assumpsit terræ ante dictæ, cui et Oppida et castra, aliaque fortalitia sive propugnacula, quæ sub tutione Ducis Friderici stabant, unanimes nomine consanguinei et consanguineæ ipsius aperuimus, eidem simili conditione jusjurandum fidelitatis eorum nomine præstitimus, sentientes juxta dispositionem Reverendissimi Patris ac Domini Deo annuente longe melius hanc patriam servari posse, ac hostibus bellum moveri, quam hucusque factum sit.*

Rogant deinde Regem, ne pacem fœdusque cum Austrio, aut cum Duce Clivensi inire velit, nisi de consilio & consensu Reverendissimi in Christo Patris, ac illustris Principis Domini Henrici Episcopi Monasterienſis. Hæc Ordines Geldriæ cum præclaro Episcopi elogio ad Regem Galliarum ; quibus Rex Galliarum, literis ad Catharinam Gubernatricem die 7 Novembris datis, inter cætera his verbis respondit, haud minori commendatione Episcopi.

Sed quia Deo placuit, ut tanto viro Duce videlicet Brunsvvicensi Respublica vestra orbaretur, plurimum gaudemus, quod in ejus absentis locum consti. tuistis Reverendissimum in Christo præcharissimum consanguineum vestrum Episcopum Monasterienssem, et eum in Rectorem ducatus Gelriæ ac Guber. natorem elegistis, qui nobis non solum gratus, verum etiam gratissimus est, utpote qui nobis de ejus æquitate, nobilitate, prudentia, ac fide omnes summa pollicemur, quique grates ipsi multiplices referimus, quod onus vestræ admini. strationis non renuerit, et infinitis hac in re laboribus haud pepercerit. Laudat deinde fœdus Rex, quod cum eodem Monasterienssi Episcopo cæterisque Ecclesiasticis viris sese inijsse scribunt.

Henricus Episcopus Administrationem Gelriæ laudabiliter susscipit.

Hac Ordinum Geldriæ protestatione, delataque totius Geldriæ gubernatione, Henricus Episcopus, qui jam Zutphaniæ comitatum, nobilem provinciæ ejus partem tenebat, ingentibus animis imperium susscipere, ordinare militiam, spem facere omnibus non modò tuendi servandique ducatum hæredibus Adolphi filiis, sed & recuperandi cætera, quæ vel Austrius, vel Clivius abstulisset; eaque multo animosius aggressus est, postquam Ludovici Galliarum Regis commendatio & patrocinium accessit. Læti Gelri tanti Principis gubernatione succesSuque rerum. At Henricum Episcopum tam periculosa molientem in ipso opere turbavêre suæ diœcesis ordines, urbs cumprimis Monasterienssis, quæ tum magnum sibi in Episcopos imperium vendicabat, Cathedrale Capitulum, & tota propemodum nobilitas. His ubi compertum, Episcopum, se inconsultis, tam arduum gubernatoris munus susscepisse, quo & Cæsarem, & Maximilianum Austrium, & omnes Belgarum ordines sibi adversantes habiturus, bellumque periculosissimum ex conjuncta Gelriæ provincia in Monasterienssem diœcesin protracturus esset; obstitêre una voce omnes, extremaque illi minitari cœpere. Et ille, ubi se metu periculoque sui Principatus amittendi, dum aliena curat, circumventum didicit, res Gelriæ languidiùs tractare cœpit, & tutiora consilia circumspicere, quibus sese susscepto Gubernatoris munere exuere posset; id quod anno etiam proximo fecit.

Urbs & Status Monasterienssis, Henricum à Gubernatione Gelriæ abstrahunt.

Longè illustrius hujus anni factum Dietheri Moguntini Archiepiscopi, ac Metropolitani nostri, in supprimenda hæresi, quæ per superiorem Germaniam serpere cœpit, auctore Joanne Burchardo, è Wesalia superiori orto, celebrique Theologiæ Doctore, & apud Wormatienses Concionatore. Is jam ab annis aliquot, ut supra quoque monuimus, pestilentes hæreses partim à Waldensibus, partim ab Hussitis, alijsque damnatis sectis hausstas, tam editis libris, quàm voce sparserat in vulgus, non sine magno Germaniæ superioris turbamento. Hæreses autem hæ memorantur à Trithemio: Prælatos Ecclesiæ non habere auctoritatem condendi vel aliquid addendi ad ea, quæ Christus & Apostoli præceperunt, imo nec Pontifices nec Apostolos talem potestatem accepisse à Christo. Nulli hominum quantumcunque

Serrarius lib. 1. c. 34. in Mogunt. & lib. 5. in Diethero Trithem. in Chron. Sponh. Raynald. in Hist. Eccles.

Damnatur hæresis Joannis de Wesalia, & quæ illa?

tumcunque sancto, docto vel erudito fas esse verba Christi vel Evangelium exponere; sacram adeo scripturam nunquam adhuc per sanctos Patres eo spiritu expositam, quo primitus tradita, & exposita fuit. Indulgentias nihil esse aliud quàm pias fraudes & deceptiones Christianorum; quare stultos & fatuos esse, quotquot pro indulgentijs Romam proficiscuntur, quas domi, si doleant de peccatis, obtinere possunt. Mandata Ecclesiæ, Pontificis, & aliorum Prælatorum non obligare ad mortale peccatum; eò quòd nullam habeant potestatem condendæ legis. Peccatum originale non esse nec fuisse in ullo homine, ideoque nec parvulos in eo concipi, nec ob id damnari. Omnes presbyteros re ipsa esse Episcopos & Pontifices, soloque nomine & hominum distinctione differre. Pontifices, Episcopos, & Sacerdotes nihil conferre ad salutem; eò quòd fide, concordia, & pace salventur homines, sine Sacerdotum ministerio. Jejunium quia à Christo institutum non sit, non obligare: nec Ecclesiam in ijs obligare posse, quæ à Christo præcepta non sint; cùm non habeat auctoritatem canones & leges condendi. Extremam unctionem è numero Sacramentorum rejiciendam; eò quòd per homines, non per Christum instituta sit; quare oleum manere, sicut ante fuerit. Adhæc cùm nusquam in scriptura sacra legatur Spiritum S. à filio procedere, Græcis potius sapientibus accedendum esse, qui docent Spiritum S. à Patre tantum procedere. Ecclesias errare posse, ac sæpe erraſſe. Plura hujusmodi falsa dogmata de horis Canonicis, festis Sanctorum diebus, de continentia Clericorum, de Ecclesiæ benedictionibus abrogandis disseminabat in vulgus. Ad hasce igitur depravatissimas hæreses, quæ intra suam Metropolim proserpebant, extinguendas, Dietherus Archiepiscopus Burchardum Moguntiam postulavit; convocatisque ex Academia Heidelbergensi, Colonienſi, ac suâ in concilium eruditissimis viris & Doctoribus, Burchardum hæresis convictum damnavit, jussitque palam falsa dogmata revocare. Tum verò libri, quos conscripserat, spectante Archiepiscopo, publicè in ignem conjecti exustique sunt; ipse in Cœnobium Augustinianum pœnitentiæ causa relegatus incluſusque, in quo haud multò post mœrore consumptus interijt.

Haud absimilis per id tempus impostor, homo Tympanotriba & pecorum pastor in Franconia finxit, sibi B. Virginem oblatam, in mandatis dedisse, ut publicè depravatam cleri & populi vitam reprehenderet. Is igitur hominum cœtus colligere; nunc in templis nunc ex fenestris ædium, qua erat facundia, perorare ad populum: Sacerdotes & religiosos vocare in invidiam; populo prohibere, decimas & census solvere; eòque etiam vesaniæ progressus est, ut palam doceret, Episcopis & Sacerdotibus parendum non esse, quòd his nulla à Deo potestas data esset; & quæ hujusmodi falsa dogmata ad vulgi aures perorabat, tanto hominum concursu, ut ad triginta sæpe millia hominum

Castigatur hæresis impostoris cujusdam in Franconia.

Naucler. Gen. 50. ad ann. 1476. Trithem. in Chron. Spanh.

hominum ad hunc armentarium, ac novum, ut vocabant, vatem audiendum confluxerint: & quia rudis literarum erat, addunt à tergo adstitisse fugitivum Monachum, qui argumenta concionis suggesserit quæ ille pro simulata pietate & facunda audacia proferret ad populum. Ea hominis vesania cùm in publicas turbas vergeret, Rudolphus Herbipolensis Episcopus hominem captivum abripuit, & in rogum conjecit. Sicuti hæc multis ad annum 1476 denarrant Nauclerus & Trithemius eorum temporum scriptores. Prona tum quidem tempora ob corruptos cleri populique mores ad hæresin; sed ea adhuc Episcoporum vigilantia constantiaque erat, quæ malum in fomite extingueret; id quod altero abhinc sæculo, non multò pòst, cùm jam vomica illa vitiorum matura esset, Lutheri audacia turbisque perruptum est.

Annus Christi 1480.

Sixti IV Pont. 10.
Friderici IV Imp. 41.
Simonis III Episc. Paderb. 18.

Bellum posthæc, quod inter Geldros accensum diximus, majori apparatu à Maximiliano Austrio sumptum; ægre enim hanc nobilem provinciam sibi à Burgundiæ & Belgij imperio avelli patiebatur; quòd jam Philippum filium ante biennium ex Maria conjuge suscepisset heredem. Igitur sub initium veris cum valido exercitu Geldriam ingressus, multa Oppida & castra expugnat, totam subacturus Geldriam, nisi bellum cum Rege Galliarum, qui in Luxenburgi ducatum irruperat, accessisset. Ab ejus discessu alterna fortuna pugnatum, hortante cumprimis Geldros Henrico Monasterienſi Episcopo. Non destitit interim Maximilianus extrema minari; quibus alia Oppida nutare, alia se in fidem Maximiliani offerre; missusq; Adolphus Nassovius, qui Sacramentum fidei exciperet. Quo animadverso Henricus Monasterienſis Episcopus, cùm & proceres plerique ad Maximilianum transirent, ne iram Cæsaris & Maximiliani, bellique vindictas in se traheret, ultro se Geldriæ præfectura abdicare cœpit; Cliviæq; etiam Duci avunculo reconciliatus, in diœcesin suam rediit.

Henricus Ep. Monast. abdicata Geldriæ præfectura, in Diœcesin suam redit.

Subinde hoc anno postridie D. Jacobi, seu, ut alij, postridiè Jduum Junij, moritur in carcere Hassico, ærumnis & mœrore confectus, Rupertus Colonienſis Archiepiscopus, anno ætatis LV, sacræ præfecturæ XVII. Corpus Bonnam transvectum, humatumque in Basilica S. Cassij, hac brevi inscriptione appositа. Anno Domini MCCCCLXXX, XVI mensis Julij, obiit Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus, D. Rupertus Archiepiscopus Colonienſis, cujus anima feliciter requiescat. Ab ejus excessu, postridie D. Laurentij, omnium Metropolitanorum concordibus suffragiis, Hermannus Hassiæ Landgravius, is, qui jam per octennium diœcesin administrarat, designatusq;

Moritur in carcere Rupertus Archiep. Colon.

Cui succedit Hermannus Hassiæ Landgravius.

signatusque erat successor, throno Archiepiscopi impositus, eo nomine IV, cognomento Pacificus, Præsul religione & magnitudine animi ea tempestate percelebris; qui quam in propugnatione urbis Novesiensis immortalem laudem consecutus erat, eam pari constantia Archiepiscopatum administrando per omnem vitam tenuit. Bellis defunctus Archiepiscopus, omnia ad pacis & religionis studia retulit. Quo virtutis aspectu cùm se omnibus percarum redderet, tum etiam Paderbornenses movit, ut suæ diœcesis, etiam vivo Simone Episcopo nostro, Administratorem adlegerent, id quod tempore referemus.

Canonici Cathedrales Paderb. decernunt, nullum deinceps in suum Collegium admittere, nisi nobili genere natum.

Cæterum ut per Westfaliam, ita per diœcesin nostram omnia quietè agebantur, concordia cumprimis ordinum cum Simone Episcopo, & Cathedralium Canonicorum auctoritate, qui ex illustrium & militarium virorum familiis orti, seclusis aliis, Collegium soli jam ab annis aliquot tenebant. Et postquam compertum, nobilitatem singulorum, quæ tot consanguineis familijs innexa erat, plurimum valere ad diœcesis incolumitatem adversus potentiores domi forisque conservandam; convocatis per Decanum singulis in Concilium, statuêre communi sententia, nullum deinceps in Collegium suum Cathedrale admittere (id quod in alijs hujusmodi Collegijs obtinuerat) nisi qui vel de Principum, vel Comitum, vel militarium genere & parentibus natus esset. Id decretum sicuti hoc anno XVI Septembris condidêre, ita Romam ad Sixtum Pontificem confirmandum misêre; à quo eadem prorsus forma, qua transmiserant, approbatum recepêre. Credo equidem nostros Monasterienses exemplo provocatos, qui jam à Sixto Pontifice idem privilegium pro Ecclesia sua impetrârant. Diploma verò Sixti IV Pontificis Paderbornensibus datum ejusmodi est.

Quod decretum Sixtus PP. approbat.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Pia et antiqua Sedis Apostolicæ consuetudine ea, quæ pro decore et venustate Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium, provide processisse comperimus, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus. Sane pro parte dilectorum filiorum, Decani et Capituli Ecclesiæ Padebornensis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum ipsi insimul, ut moris est, Capitulariter congregati, proinde attendentes, quod ad Canonicatus et præbendas, aut dignitates, personatus, et officia ejusdem Ecclesiæ personæ nobiles de Principibus atque Comitibus, vel saltem militaribus parentibus procreatæ, per quas jura et bona temporalia ipsius Ecclesiæ Paderbornensis verisimiliter valerent defensari, plurimum recipiebantur et recipi consueverant, statuerunt et ordinarunt ad finem, et effectum, ut jura, et bona, nec non libertates, immunitates, et honores Ecclesiæ præfatæ melius defenderentur et conservarentur, quod in dicta Ecclesia ad Canonicatus et præbendas, aut dignitates, vel personatus, vel officia hujusmodi nullus deinceps reciperetur, nisi de nobili seu illustri, vel saltem ex utroque parente de militari genere de legitimo matrimonio procreatus

foret,

foret, et talem se prius per testes fide dignos, qui etiam militares forent, coram dicto Capitulo probaverit, quodque etiam ad Canonicatus et præbendas, dignitates, personatus, vel officia hujusmodi in futurum recipiendi jurarent, prout ipse Decanus et singulares personæ dicti Capituli jurârunt, quod liberè aut sponte in receptionem alicujus ad Canonicatus et præbendas, dignitates, personatus, vel officia hujusmodi non consentirent, nisi juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, et statutum prælibatum; et si forsan aliquis auctoritate quarumcunque litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus, in quibus per quascunque clausulas, eisdem litteris insertas, forsan statuto et ordinationi prædictis quomodolibet derogari contingeret, ad Canonicatus et præbendas, aut dignitates, aut personatus, seu officia hujusmodi, extunc se peteret admitti, quod talis si eidem, obedientia et reverentia Apostolicæ Sedis et Legatorum ejus semper salvis, receptio et admissio denegari non posset, ante remissionem et deceptionem suam hujusmodi ultra solutionem consuetam, et per qualificatos, ut præmittitur, dari solitam, sexaginta marcas argenti puri ad fabricam nec non conservationem et melioration librorum jocalium et paramentorum, ad divinum cultum in eadem deputatorum, fideliter et integre convertendas omnino solvere, et dicta ac alia statuta dictæ Ecclesiæ in eorum admissione jurare tenerentur, prout in quodam instrumento publico desuper confecto, seu quibusdam litteris patentibus sigillo Decani et Capituli præfatorum appensione munitis hæc omnia plenius continentur. Quare pro parte eorundem Decani et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro potiori præmissorum stabilitate statutum et ordinationem hujusmodi confirmare et approbare, ac alias in præmissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui instrumentum seu literas prædictas inspici et examinari diligenter ac præsentibus inseri fecimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, statutum et ordinationem prædicta, ac omnia et singula in dictis instrumentis seu litteris contenta, sine tamen præjudicio illorum, quibus in Canonicatibus et præbendis ipsius Ecclesiæ jus ante hujusmodi statutum et ordinationem erat quæsitum, eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus et approbamus, supplentes omnes et singulos defectus tam juris quam facti, si qui forte intervenerunt in iisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis approbationis et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum: Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, octuagesimo. VI Januarii Pontificatus nostri anno decimo.

Magno hæc splendore Ecclesiæ & nobilitatis commodo agebantur, quæ exinde sola honorificentissima & opulentissima Sacerdotia occupavit, multumque familias suas simul extulit. Verùm per id tempus magna simul egestate conflictabatur Ecclesia Paderbornensis, ob damna, quæ à centum, ut queruntur, annis ex continua

bellorum

bellorum vastitate passa erat; ut nec ad fabricam Ecclesiæ, nec ad ornamenta sacrorum annui census suppeterent amplius. Ad hanc igitur inopiam sublevandam, Decanus convocatis Canonicis aliud decretum fecit, quo præscriptum singulis, antequam sacerdotia minora adirent, duas argenti puri marcas penderent, quarum altera fabricæ Ecclesiæ, altera suppellectili sacrorum cederet; id quòd altero Sixti IV. Pontificis diplomate hoc anno V Idus Decembris confirmatum est.

Decernitur in Capitulo, singulis argenti marcas pendendas antequam beneficiorum possessionem adeant.

Inter supremos Ordinis Teutonici Magistros per Livoniam, qui è nobilitate Westfalorum sumebantur, admotus erat huic sacræ præfecturæ Bernardus de Borch, ortus è Borchiorum familia, quæ in diœcesi nostram ajoribus clara est. Is hoc anno ordinis militiam duxit in Ruthenos; quod hi in Livoniam irrumpentes, prædis, flammis & cædibus barbarum in modum desævirent; nam & fœminis ubera præsecta, viris viscera exsecta, infantes palis affixi, captivi in ardentes fornaces conjecti. Quare Borchius Plescoviam progressus sed plura tentavit, quàm effecit. Acriores in vindicta Sueci, Russiam que victores ingressi, parem cladem vastitatemque intulêre. Et Borchius exinde haud multum gratus suis, abductusque Simonis patrui Revalensis Episcopi consiliis, is enim postquam in Ecclesia Hildesiensi multa turbârat, in Livoniam delatus, affectando totius Livoniæ Archiepiscopatum, Borchium supremum Magistrum concitavit adversus Rigensem Archiepiscopum; quem hic non modò multis injuriis cum cæteris Clericis tractavit, sed & in captivitatem demum abreptum detinuit. Hisce commotus Archiepiscopus, Borchium Magistrum anathematis vinculo perstrinxit; qui deinde triennio abhinc, cùm non desisteret vexare Archiepiscopum & Clerum, exauctoratus est. Sed inveteratum Livoniæ malum dissensio, æmulatioque inter supremos Magistros & Episcopos, quod Livoniam in ruinam impulit; donec Lutheri hæresis ingressa pulcherrimam Westfaliæ palæstram, & florentissimam christianæ militiæ Rempublicam pessundaret.

Chron. Slavon. ad an. 1479. &c.

Bernardo de Borch supremus Ordinis Teutonici Magister.

Annus Christi 1481.

Sixti IV Pont. 11.
Friderici IV Imp. 42.
Simonis III Episc. Paderb. 19.

Annus tandem insequens inferiori Germaniæ pacem quietemq; dedit. Quippe Maximilianus Austrius, pactis cum Rege Galliarum induciis, compressaque per Hollandiam Homatorum & Asellinorum factione, quos passim Houckios & Cabeliavos dixêre, florentissimo Principum & procerum comitatu cinctus Sylvam Ducis cum Maria conjuge & Philippo filio concessit; contractoque istic totius Belgij exercitu, ingressus Geldriam, vi ac terrore armorum subegit. Ac postquam Neomagenses ceterorum

Pontan. l. 10. Geldriæ. Teschemach.

Maximilianum Belgium subigit.

Raynald. in histor. Eccl.

capita, 17 Calend. Julii Maximilianum recepêre Principem suum, cætera quoque Oppida fidem illi dixêre: supererat Venlona & Zutphania; illa vi adacta ad obsequium: hæc ubi ab Henrico Monasteriensi impetrârat exsolvi à juramento fidei, ultro quoque Austrio se submisit.

Moritur Joannes Dux Cliviæ.

Nonis exinde Septembris moritur Joannes Dux Cliviæ & Marchiæ Comes, gesto principatu per triginta quatuor annos, bello Susatensi, Colonienſi & Monasterienſi, Theodorico Archiepiscopo, ac fratribus Henrico & Walramo Monasterienſium Episcopis, ut supra retulimus, perpetuus hostis, multumque infestus, exituvitæ, ad quam piè se composuit, quàm turbulentis armis commendatior. Patri successit Joannes filius eo nomine II Dux Cliviæ, & Marchiæ Comes.

Chron. Selavi. Chron. Monast. Hammel. in chron. Oldenburg. Cranz. l. 12. Metrop. c. 11. & 12. Litera MS. Pat. Mauric. ex Spirens. tabulario.

Post depositam Geldriæ præfecturam ab Henrico Monasteriensi Episcopo repetitum bellum adversus Gerhardum Oldenburgicum Comitem, hominem ac prædonem per omnem vitam turbulentissimum. Is post cæteras prædas, quas toties perfidus abjurârat, anno superiori per juratos suos Hamburgenſium cæterarumq; urbium mercatores spolijs divexare cœpit; è quibus Hamburgenſes XIV interceptos capite mulctârunt; ipse per hæc Comes XXI mercatores captivos abduxit, à quibus sex millia florenorum expressit. Haud minus denuo Wildelshusanis Episcopi civibus infestus, obvia illorum pecora & bona in prædam rapiebat; quibus illi provocati castrum ejus Vlesborchium prædarum receptaculum expugnant & diruunt: templum, in quod prædones profugerant, incendunt: pars flammis suffocati, pars, quorum supra XI fuêre, capti, mulctatique. Haud aliter quàm lupus semper reversus ad ingenium, jam in trigesimum annum grassabatur Comes.

Henricus Ep. Monast. bellum contra Gerardum C. Oldenburgicum instaurat.

His irritatus Henricus Monasterienſis Episcopus, arma resumit; atque ea ut firmiori auctoritate præmuniret, rem ad Fridericum Cæsarem defert. Cæsar prædonem latronemque publicum bello persequi jubet, facta etiam potestate expugnandi castrum Delmenhorstianum. Hac Cæsaris auctoritate fretus Episcopus, exercitum, quem ex bello Novesienſi & Geldrico instructissimum habebat, contrahit, divisumque in duas partes movet adversus Comitem Oldenburgicum, larèque regionem depopulatus, Oldenburgum Comitis sedem circumvallat. Jamque castra firmare, vineas ducere, machinas bellicas admovere, & omni oppugnationis appatatu imminere spectabatur; cùm Gerhardus Comes sibi metuere & circumspicere, in quod se & familiam suam periculum conjecisset, atque ut eo se in præsens homo callidus eximeret, omni se imperio exuit, & in Adolphum, & Joannem filios transfert. Hi mox in castra ad Episcopum progressi, abdicationem patris in se factam exponunt, supplicesq; se Episcopo ad omnia offerunt, rogando,

Delmenhorstam obsidet.

ne

ne patris culpam ab insontibus filiis exigere velit: nihil sibi unquam cum paternis consiliis factisque commune fuisse, ac Patrem damnata priori vita velle pœnitentiæ causa Cœnobium ingredi; sibi verò nihil aliud propositum esse, quàm pacem & bonam amicitiam cum vicinis colere, & damna mercatoribus cæterisque resarcire, id se sancta fide polliceri & jurare paratos esse. His permotus Episcopus militem ab obsidione Oldenburgi abduxit, certus etiam omni bello abstinere cum Comite. At postquam in regressu intellexit Guntherum fratrem in obsidione ad Delmenhorstium à præsidiariis telo confossum, Calend. Decembris occubuisse, exacerbatus statuit non prius obsidionem Delmenhorstanam solvere, quàm vindictam à prædonibus exegisset; ideirco per sævam licet byemem arcta obsidione premi jussit, dum altero se anno, quod referemus, Episcopo dederet. Funus Guntheri fratris Bremam deductum, & honorificentissimè compositum est in Basilica.

Annus Christi 1482.

Sixti IV Pont. 12.
Friderici IV Imp. 43.
Simonis III Episc. Paderb. 20.

Bellum, quod hactenus inferiorem Germaniam turbârat, Mars ad interiora Belgii contraxit; abrupitque multis adversis casibus fortuna Maximiliano felicitatis cursum. Nam primum hoc anno, qui seculi octuagesimus secundus, amisit Mariam conjugem, 15 Calend. Aprilis extinctam, morbo & morte ex lapsu cum equo contracta. Ab ejus excessu, Gandavenses Philippum filium, quadriennem puerum, abdicato Patre, Belgarum Principem renunciant, tutelamque pueri committunt Adolpho Clivio, Ravensteinij domino; communicatoque cum ceteris Belgarum proceribus consilio, hoc unum agebant, ut Maximilianum in Germaniam retruderent. Inde novi motus, odia utriusque gentis, conspirationes cum Gallo, belliqueintestini semina. Nec rebellantis populi in Episcopos arma defuêre. Occisus sacrilegè cum Leodiensium plausu à Guilhelmo Arœburgio Ludovicus Borbonius Leodiensis Episcopus; & David Burgundi filius, Ultrajectensis Episcopus, sede sua pulsus. Utriusque impium & sacrilegum facinus Maximilianum ad justa arma commovit, bellumq; simul Leodiensi & Ultrajectensi peperit.

*Quietiori mortis genere hoc anno VIII Maji abijt è vita Dietherus Moguntinus Archiepiscopus, Metropolitanus noster, Academiæ Moguntinæ & Arcis conditor, vir magnis Episcopi virtutibus exornatus. Cui Metropolitani Collegij suffragiis sublectus administrator Albertus, Ernesti Ducis Saxoniæ & Misniæ Marchionis

Heuter. Lz. Annales Flandriæ. Moritur Maximiliani conjunx.

Belgæ Maximilianum rejiciunt, unde novi belli semina.

*moritur Dietherus Mogunt. Archiep. Cui succedit Albertus Dux Saxoniæ.

chionis filius, juvenis XVIII annorum, & à Sixto Pontifice approbatus. Magna innocentis juvenis, à Diethero Archiepiscopo enutriti, exspectatio erat; sed mors in ipso ætatis flore, gesto per biennium munere, extinxit.

Moritur Conradus à Diepholt Osnabr. Ep.

Inter Westfaliæ Præsules vitam hoc anno, vigesimo die Maji, clausit Conradus Diepholdus Osnabrugensis Episcopus, ex quo septem & viginti annos ac menses undecim Episcopatum illum rara virtutis commendatione administrarat. Præsul, si quisquam, pacis amantissimus, qui non nisi uno bello cum Mindensi commissus arma sumpsit; major etiam à religione & pietate illi laus, à quo omnia Episcopatus Cœnobia ad veterem disciplinam reducta; itáque omnis ejus vita comparata erat, ut Cleri juxta ac populi forma esset; eòque non facilè Episcopus à multis annis majori desiderio in ea Ecclesia amissus. Hujus in Divos cultu B. Reineri, qui arctissimam sanctissimamque vitam inter recluses Osnabrugi egerat, ossa è tumulo levata, translataque in Cathedralem Ecclesiam, ac publicæ veneration expositafuêre; è cujus aperto sepulchro, suavissimus odor, præter cætera miracula, viri sanctimoniam testari compertus. Utti Ertwinus scriptor & Consul ejus urbis, qui coram omnia spectavit, posteritati tradidit. Conrado Diepholdio in ea sede successor datus Conradus Comes Ritbergensis, eo nomine III, & XLIX ejus loci Episcopus, patre Conrado Comite genitus. Romæ is per multos annos juventutem excoluerat in omnibus literarum disciplinis & religionis studio. Inde in Germaniam reversus, Coloniæ inter Metropolitanos Canonicos ob spectatam pietatem & scientiam cooptatus erat. Atque ibi cùm omnis virtutis specimen dedisset, dignum habuêre Osnabrugenses Canonici, quem hoc anno præ cæteris ambientibus Iburgi delectum in rhrono Episcopi collocarent. Fuit autem hic Conradus Episcopus, quod in Genealogia Comitum Ritbergensium à Reusnero prætermissum est, frater Joannis Comitis Ritbergensis, & Margaretæ Friderico Duci Brunswicensi denuptæ, cui Lutherus orationem de Pœnitentia anno 1519 dedicavit.

Qui ossa B. Reineri è tumulo levata ad Cathedralem Ecclesiam transtulit.

Conrado succedit in Episcopatu Osnab. Conradus III Comes Ritbergensis.

Henricus Ep. Monast capit & diœcesi Monast. adjungit Delmenhorstam.

Cæterum Henricus Monasterienſis Episcopus, quam obsidionem castri Delmenhorstani anno superiori cœperat, constanter per asperam hyemem produxit; neque remitti voluit, etsi Joannes Oldenburgicus, Gerhardi filius, semel atque iterum obsessis annonam intulisset; sed eò pressius Episcopus expugnationi institit, coëgitque, ut 13 Calend. Februarii certis conditionibus, quibus & liber egressus permissus, Episcopo se dederent. Castrum, etsi cum Oppido bonisq; in conspectu urbis Bremensis positum sit, Monasterienſi tamen Ecclesiæ perpetuo possidendum dedit; eòq; D. Paulum & insignia Monasterienſis Ecclesiæ præfigi jussit. Sicuti hæc Crantzius, Chytræus, & Monasterienſium fasti testantur. Causam hujus donationis Monasterienſibus factæ, præteritis Bremensibus, adferunt; quòd

diœce-

diœcesis Monasterienſis impensis & armis expugnarit, & Bremenses rogati auxilium detrectarint; falliturque Hamelmannus, qui utriusque diœcesis armis expugnatum, & utrique ex parte assertum tradit. Munitissimo hoc castro in potestatem Episcopi redacto, veriti Oldenburgici Comites, Adolphus & Joannes, ne cæterorum quoque jacturam facerent, iterum supplices adiêre Episcopum; impetratoque partium conventu, iterum de pace dominica post festum D. Laurentij transactum est inter Episcopum & Comites, etiam Gerhardi patris nomine; juratumque à Comitibus se perpetuum renunciare juri suo in castrum & Comitatum Delmenhorstanum: nec unquam se bellis aut alijs damnis infestaturos Episcopum, aut Successores. Transactioni huic, cujus literæ supersunt, subscripsêre testes, fideique assertores, Collegium Canonicorum, Consiliarij atque ordines Comitatus Oldenburgici, interque hos etiam Nicolaus Comes Teclenburgicus. Quæ cùm alias, tum anno 1494 novis literis post festum D. Francisci consignatis firmata sunt, & omnium superûm hominumque fides advocata ad fallacem hunc & inconstantem Comitem revinciendum. Constituerat Episcopus Gerhardum Comitem cum filiis ex omni Comitatu ejicere, ut auctor Chronici Sclavici tradit; sed aliorum Principum rogatu filijs Oldenburgum cum paterno Comitatu reliquit. Hac jactura bonorum mulctatus Gerhardus Comes, cùm se omnibus invisum cerneret, deserto paterno solo, in Scotiam peregrinus abijt ad Jacobum Regem fratris sui Christiani generum. Nec multò post pro vago ingenio in Germaniam reversus, Osnabrugi aliquamdiu sedem fixit. Neque hic diu quietus, anno 1492 exorto inter Henricum Ducem & urbem Brunswicensem bello, Duci operam suam impendit. Ea expeditione facta, retulit se denuo in Comitatum Oldenburgicum; atque ut constaret Lupum pilum mutare non mentem, novas rursum turbas concire cœpit Henrico Monasterienſium Episcopo; quibus denuo provocatus Episcopus Comitatum Oldenburgicum armatus ingreditur, filiumque ejus Joannem ad novum Juramentum adigit, quo pollicitus est, se neque patrem toties perfidum recepturum intra Comitatum, neque ulla armorum subsidia subministraturum: adhæc nihil se unquam juris aut in Delmenhorstanum castrum, possessionesque aut in Harpstedium sibi vendicaturum. Qua publicâ pacis transactione rursum perculsus Gerhardus Comes, in Cœnobium Rastedense secessit, certo pollicitus, se inter Monachos quietem aliquando capturum. Sed nec istic diu constitit, quasique conscientiæ furiis agitatus, in Galliam profugit; eo, quòd præferebat, consilio, ut Compostellam expiandorum scelerum causa peregrinationem susciperet; quo in itinere anno demum 1500 inter ærumnas extinctus est.

MS. P. Mauritii de Büren ex Archivo Spirensi.

Annus

Annus Chriſti 1483.

Sixti IV Pont. 13.
Friderici IV Imper. 44.
Simonis III Ep. Pad. 21.

Hunter. l. 2. Chapeavil. t. 3. c. 42. Annal. Holland. Heida in Davids Chron. Sclavoniæ.

Tanta per id tempus erat celebritas nominis Henrici Monaſterienſis Epiſcopi, ut Maximilianus Burgundiæ Dux, quod auctor Chronici Sclavici tradit, ultro ſe ex integro obtulerit ad pacem amicitiamque firmandam. Quanquam quibus legibus hæc concordia ſancita, apud nullum ſcriptorem repererim; neque an unquam ſexaginta millia aureorum, quæ bello Noveſienſi impenderat, pro quibus & Zutphaniæ Comitatum à Friderico patre ac Imperatore oppignoratum habebat, compenſata ſint. Hæc Henrici Epiſcopi amicitia Maximiliano opportuna erat, quando duplex hoc anno bellum illi fuit; alterum adverſus Leodienſes, quos valido exercitu adortus fregit, & ſupplices veniam petere adegit: alterum adverſus Ultratrajectenſes, quos ſedecim millium exercitu 13 Calend. Julij aggreſſus eſt, circumvallataque urbe, mœnia tormentis verberare oppugnareque non deſtitit; dum laceratis circum mœnibus per hiantes lacunas obſeſſi periculum ſuum inſpicerent; quibus fracti victique ſub finem Auguſti ſe Maximiliano permiſêre, veniam præteritorum conſecuti precibus Salisburgenſis Archiepiſcopi, aliorumque Principum. Inde poſtridie Nonas Septembris urbem victor ingreſſus, Davidem Epiſcopum ſedi ſuæ, è qua depulſus erat, & honori reſtituit; præclara veterum Chriſtianorum Principum exempla imitatus, quibus laudabilia ſemper arma fuêre, quæ contra rebelles cives pro Epiſcopis ſumpsêre.

Leodienſes & Ultrajectenſes à Maximiliano domantur.

Quieſcebat per hæc vicina Weſtfalia, nondum plagis, quas ex vaſtitate ſuperiorum bellorum acceperat, perſanatis: Cliviæ præterea & Juliæ Ducibus, à quibus hactenus exagitata fuerat, bellis hiſce Belgicis abreptis. Quare & Epiſcopis per Weſtfaliam ſalubrius otium negotiumque fuit curandorum ſacrorum; quos inter Simon Epiſcopus noſter hoc anno ad pietatis cultum augendum apud *Bilfeldienſes*, ſuæ in Comitatu Ravensbergenſi jurisdictionis ſacræ incolis facultatem dedit, erigendi ædem ſacram in vicini Oppidi monte S. Jodoci, ubi Divus ille in vicino Oppidi loco ob cœleſtia beneficia magno incolarum & peregrinorum hominum affluxu colebatur, multis donis & oblationibus factis, ex quibus certus Sacerdos ſacris iſtic operandis, & domus pro peregrinis recipiendis ordinata. Qua ſuper re ejuſmodi literæ Simonis Epiſcopi adſunt.

Simon Ep. facultatem dat Bilveldienſibus erigendi ædem S. in honorem S. Jodoci, eamque ædem viſitantibus 40 dierum indulgentias largitur.

Simon Dei et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Paderbornenſis ſpectabilibus et prudentibus nobis in Chriſto dilectis Johanni Nagel et Johanni de Neſſelrode Officiatis pro tempore Comitatus et diſtrictus Ravensbergenſis, nec non proconſulibus, Conſulibus, et univerſitati hominum Opidi Bilveldenſis ſalutem

salutem in Domino sempiternam. Sicuti alias nomine et pro parte vestri significatum et expositum nobis extitit, utriusque sexus Christi fideles duobus fere annis proximis in monticulo upp deme Loyckhuserberge vulgariter nuncupato, prope et extra dictum Opidum Bilveld. situato, in honorem S. Jodoci passagia multa, de remotis etiam, feciisse oblationes et munera pro loci constructione et divinis ibidem peragendis dedisse et obtulisse, usque in et ex hoc commotos et dubios aliqualiter fuisse, demum tamen sub spe boni in dicto monticulo in honorem sancti Jodoci domunculam unam, in qua pro peregrinis illinc confluendis officium missarum in portatilibus saltem celebraretur, et hujusmodi munera et oblationes reciperentur, erexisse, presbyteros etiam ad hoc deputasse; Timentes tamen malignum spiritum in dicto loco, qui prophanus est, hominibus sua arte illudere posse, ut in eodem monticulo Capellam cum uno altari in honorem Omnipotentis Dei, suaque præcelsæ genitricis Virginis Mariæ, totius cœlestis curiæ, et S. Jodoci dotare, fundare, ædificare, erigere, construere, et per Vicarium nostrum in Pontificalibus consecrari facere, et uni presbytero ydoneo juxta tenorem fundationis desuper edendæ committere, ita quod Capella ipsa distinctum beneficium ab Ecclesia parochiali in Braeckvvede, infra cujus limites ipsa Capella sita est, censeatur et habeatur, et quod sit de jure patronatus Comitis Ravensbergensis adjutorio Christi fidelium illic confluentium (de consensu tamen Pastoris in Braeckvvede) possitis et valeatis: Quodque hujusmodi dotationem, fundationem, erectionem, constructionem, consecrationem, et jus patronatus auctoritate nostra ordinaria pro nobis et successoribus nostris admittere approbare, annuere et concedere, bonaque temporalia per Christi fideles forsan pro hujusmodi dotatione et constructione donanda, aut pie eroganda mortificare, eaque libertati Ecclesiasticæ ascribere, et decretum nostrum ordinarium interponere velimus et dignemur, debita cum instantia supplicatum extitit. Nos vero divinum cultum adaugere cupientes, obque singularem honorem et reverentiam S. Jodoci, ea omnia præmissa, quodque interim, quod Capella ipsa ac altare in eadem consecrata non fuerint, in portatilibus in eadem celebrare possit, pro nobis et successoribus nostris admittimus, annuimus, concedimus, et approbamus, bonaque temporalia præmisso modo forsan ad hæc eroganda tenore præsentium mortificamus, et Ecclesiasticæ ascribimus libertati decretum nostrum ordinarium tenore præsentium desuper interponendo, omnibusque Christi fidelibus de peccatis suis contritionem habentibus, qui ad præmissa manus suas porrexerint adjutrices, auxiliaque, consilia et favores ad ea præstiterint, et dederint, vel non habentes, unde concederent, Capellam ipsam in honorem S. Jodoci cum humili prece visitaverint, vel si visitare non potuerint, quinque pater noster et totidem ave Maria in honorem S. Jodoci oraverint, totiens, quotiens id fecerint, eis, et eorum cuilibet de Omnipotentis Dei misericordia, auctoritateque Beatorum Petri et Pauli Apostolorum confisi quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Unum tamen hys præmissis adjicimus, quod si passagium et confluxum peregrinorum hujusmodi forsan post festum Michaëlis anni Domini Milleſimi quadringenteſimi octuageſimi quarti

mi quarti rursum perdurare, vel forsan invalescere contigerit, ex tunc, quid. quid ibi in pecunia oblatum fuerit, præter id, quod missarum tempore in altari offertur, quod ex hoc nobis tertia pars pecuniarum cedat et obveniat, de qua tertia parte Capellarius et structuarii pro tempore ipsius Capellæ singulis annis super festo Michaëlis illi, quem Successores nostri, aut nos ad hoc cum pleno mandato ad locum miserint, sub eorum conscientiis respondebunt, fraude et dolo in hys penitus semotis et seclusis. In majus robur præmissorum sigillum nostrum pro nobis et successoribus nostris præsentibus jussimus appendi. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, octuagesimo tertio, in Vigilia Palmarum.

Montem hunc postea Alexander VI Pontifex, rogatu Wilhelmi Juliæ & Montium Ducis Comitisque Ravensbergensis, Patribus D. Francisci de Observantia incolendum attribuit, id quod hoc diplomate confirmatum.

Mons S. Jodoci prope Bileveldiam auctoritate Ponitficis PP. de Observantia incolendus traditur.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filiis, Thesaurario Padeburnen. et Decano Bilveld. Padeburn. diœcesis Ecclesiarum salutem et Apostolicam benedictionem. Piis supplicum votis, iis præsertim, quæ divini cultus augmentum, et religionis propagationem, ac animarum salutem respiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis, sane pro parte dilecti filii Nobilis Wilhelmi Ducis Juliacensis et Montensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse zelo devotionis, quam ad ordinem fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum gerit, accensus, ac cupiens terrena in cœlestia, et transitoria in æterna felici commercio commutare, desideret pro religionis propagatione et divini cultus augmento in monte S. Jodoci prope Bilveldiam Padeburnen. diœcesis, unam domum pro usu et habitatione perpetuis dictorum fratrum construere et ædificare, seu construi et ædificari facere, si ad id sibi Sedis Apostolicæ auctoritas suffragetur. Quare pro parte dicti Ducis, qui cum Comes Ravensbergensis existit, nobis fuit humiliter supplicatum ut sibi in aliquo loco ad id decente et ydoneo unam domum cum Ecclesia, Campanili, campana, Refectorio, dormitorio, ortis, ortaliciis, et aliis officinis necessariis juxta morem dicti ordinis pro perpetuis usu et habitatione dictorum fratrum construendi et ædificandi, seu construi et ædificari faciendi licentiam concedere, aliasque in præmissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dictum ordinem in visceribus gerimus caritatis, præfatum Ducem à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, præfato Duci in dicto monte in aliquo loco ad id concedente et ydoneo unam domum cum Ecclesia, campanili et campana, Refectorio, dormitorio, ortis, ortaliciis, et aliis officinis hujusmodi juxta morem dicti ordinis pro perpetuis usu et habitatione dictorum

rum fratrum sine alicujus præjudicio construendi, ædificandi, seu construi et ædificari faciendi, ipsisque fratribus dictam domum, postquam constructa fuerit, pro eorum usu et habitatione hujusmodi recipiendi, et in ea perpetuo habitandi, plenam et liberam auctoritate nostra licentiam concedatis. Nos enim domum hujusmodi postquam sic exstructa et ædificata fuerit, ac omnibus et singulis fratribus in ea pro tempore habitantibus, quod omnibus ac singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, gratiis, indulgentiis, et indultis, quibus aliæ domus dicti ordinis earumque fratres in genere utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum; uti, potiri et gaudere libere ac licite valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus: jure tamen parochialis Ecclesiæ, et cujuslibet alterius in omnibus semper salva. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente sub excommunicationis pœna, ne prædicti, vel cujuslibet alterius ordinis mendicantium fratres ad habitandum nova loca recipere, seu jam recepta mutare præsumant, absque Sedis prædictæ licentia speciali faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujusmodi mentionem, nec non statutis et consuetudinibus dicti ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo primo, septimo Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno decimo.

Id decretum ne quid moræ, impedimentumque haberet, mox aliis Alexandri Pontificis literis demandatum Joanni Nagel Thesaurario Paderbornensis Ecclesiæ. Demum Julius II Pontifex anno 1507 Patres ex monte in ipsum Bilfeldense Oppidum transtulit, in quo ad nostra tempora per omnes hæresis turbas magno Catholicorum solatio fructuque florens Cœnobium persistit.

Exitus hujus anni fatalis funestusq; fuit Germaniæ ortu Martini Lutheri, quem Saxonia nostra IV Idus Novembris Islebii, quod Oppidum est comitatus Mansfeldici, in lucem protulit, orbis portentum & exitium religionis per Saxoniam & Germaniam. Parentes illi fuêre Joannes Lutherus & Margaretha Lindemanna, homines plebei generis & infimæ sortis; ab his puer Islebij ad triviales scholas traductus, indicia statim pertinacis & turbulenti ingenii dare visus est; quando, ut Melanthon scribit, per æmilium quendam, cùm manibus & pedibus obluctaretur, deportatus fuit in scholas; domi non minus quàm in scholis disciplinæ impatiens, semel iterumq; profugit; quo factum, ut die quodam horis antemeridianis decies & quinquies à magistro virgis castigaretur. Primis istic literarum rudimentis leviter imbutus, anno ætatis decimo quarto Magdenburgum transmissus est à parentibus; sed nec illic ultra annum versatus in literis, Isenacum, quæ Thuringiæ est civitas, parentum consilio traducitur, quòd ea in urbe consanguineos haberet, quorum subsidio aleretur

Ortus Martini Lutheri *Cochlæus in actis Luth. Ulenberg. in vita Lutheri c. 1. & 2.*

in studiis. Quæ spes cùm parentes multum falleret, necesse habuit Lutherus tam Isenaci, quàm Magdenburgi mendicatò vivere, & panem ostiatim quærere. Interim ille, ut erat ingenii acris ad omnes disciplinas capiendas, præter humaniores literas etiam Musicam didicit, ac voce non minus quàm cheli fidibusque expeditus, penetravit in notitiam & familiaritatem opulentioris viduæ, quæ capta oblectamentis Musices Luthero mensam suam communem fecit. Ea in consuetudine, si quidem casta fuit, hausisse fertur illud Epicureum & familiare Lutheri dictum: Nihil in terris dulcius, quàm amor mulierum, cui hæc felicitas concessa est à superis.

Annus Christi 1484.

Sixti IV Pont. 14.
Friderici IV Imp. 45.
Simonis III Episc. Paderb. 22.

Raynald. in histor. Eccles. Pont. Heuter. l. 2. Spondan. Chron. Sclavon. Moritur Sixtus IV Pont. succedit Innocentius VIII.

Annus proximus pridie Idus Augusti sustulit Sixtum IV Pontificem, gesto per XIII annos Pontificatu. Cui haud multò post subrogatus Innocentius VIII, patria Genuensis, ex Cardinali presbytero & Episcopo Amalphitano, vir per virtutis & honorum gradus ad supremam dignitatem provectus, prudens ac sagax, æquique servantissimus; sed qui in conturbatam Rempublicam christianam incidit, ex intestinis Regum ac Principum dissidiis armisque. Quos inter Fridericus Imperator bellum jam à multis annis gerebat cum Matthia Corvino Ungariæ Rege, tam pernitiosum Reipublicæ Christianæ, quàm opportunum Turcarum Imperatori, hoc anno in Moldaviam irrumpenti.

Belgæ, & inprimis Gandavenses, Maximiliano rebelles.

Haud minus fœdum bellum erat Maximiliano filio cum Belgis; quo factum, ut neque filius patri, neque pater filio subvenire posset. Gandavenses pertinaciter stabant in tutela filij sibi vendicanda, quàm Maximilianus pater sibi asserebat; & quia pars Belgarum Gandavensibus, pars Maximiliano hæsit, ortum est civile bellum, qua provincia adversus provinciam, civitas adversus civitatem arma sumpsit, & plebs in nobiles, & subditi in Principes insurrexêre. Nec Galli modò implorati à Belgarum rebellibus; sed & Margaretha Maximiliani filia trimula abducta in Galliam, invitoq; parente, Delphino Regis desponsa. Quam in rem multa, ut fit, malignè questi adversus Maximilianum, annuos videlicet provinciarum reditus abeo distribui inter Germanos & Burgundos, ijsque publica munia patêre; sibi onera & contemptum relinqui. Haud levem nomini suo maculam aspersit Philippus Dux Cliviæ. Nam hujus fidei cùm Maximilianus exercitum commisset adversus rebelles, ipse rebellium magis quàm Maximiliani causam agere visus est. quemadmodum Engelbert⁹ Clivius anno superiori arma adversus Maximilianum cum Ultrajectensibus sumpserat. At quæ erat clementia Maximiliani, uterq; in gratiam receptus, fidam post operam præstitêre Maximiliano.

Annus

Annus Christi 1485.

Innocentij VIII Pont. 1.
Friderici IV Imper. 46.
Simonis III Episc. Pad. 23.

Raynald. in histor. Eccl. Naucler. Gen. 50. Lang. in chron. Citizen.

Haud minus, qui sequitur annus, turbulentus fuit dissidiis & pugnis Christianorum Principum; nihilq; Innocentium Pontificem magis sollicitum habuit, quàm ut per oratores Regum & Principum, qui salutatum se venerant Romam (quos inter Moguntini, Trevirensis, aliorumque Archiepiscoporum Legati fuêre) Principes in concordiam compositos commoveret adversus Bajazethem Turcarum Imperatorem, iterum in Moldaviam prorumpentem. Ungariam interim à Turcis intactam servabat Matthias Corvinus, belli fulmen, terrorq; Turcarum; sed ille postquam multis cladibus præliisque secundis attritum Turcarum Imperatorem adegerat ad inducias, arma vertit in Fridericum Imperatorem Romanorum, bellis Turcicis sibi infestum. Ac postquam multa Austriæ oppida & castra expugnârat, ipsam Viennam Imperatoris sedem aggressus, post sex mensium arctissimam obsidionem, ingravescente annona, ad deditionem compulit; eamque pridie festum corporis Christi triumphali pompa ingressus est. Hunc in modum conversa fortunæ scena, Fridericum Imperatorem Ungariæ regnum affectantem tota fere Austria exuit. Aspernabantur ceteri è regio sanguine Matthiam Corvinum, quòd ex militari genere ortus, ad Ungariæ regnum provectus esset; sed ille ostendit non sanguine sed virtute Reges creari; quippe qui fortitudine bellica & armorum felicitate omnes per id tempus Europæ Reges superabat, non passus Turcas intra regnum suum pedem inferre; visumque multis, si cæteri Christiani Principes cum hoc bellicosissimo Rege conspirassent, Turcam insatiabilem Christiani sanguinis belluam ex omnibus rursum provinciis occidentalibus depelli potuisse.

Matthias R. Ungariam contra Turcas defendit.

Imperatori Friderico infestus, Austriam invadit, Viennam occupat.

Fridericus Imperator seu ad leniendum dolorem ex amissa Vienna, seu ad Principum auxilia sollicitanda simulque ad convenien-dum Maximilianum filium in Germaniam inferiorem descendit. Rhenoque secundo devectus, pridie Idus Decembris Coloniam Agrippinam ingreditur. Qua in urbe cùm magnificè exceptus esset à Magistratu & civibus, tum quadriduo post Hermannum Coloniensem Archiepiscopum regalibus donavit. Constructum ad id in foro antiquo splendidissimum pegma theatri in modum, in quo Imperator augustalibus ornamentis indutus, & Archiepiscopus Septemviri habitu decoratus prodiêre, circumfusa ingenti hominum multitudine ad spectaculum. Ibi Cæsar raro honoris exemplo Archiepiscopum publicè Electorem Imperij, Ducem Westfaliæ & Angariæ, Comitemq; Arnsbergæ renunciavit. Mox splendido diplomate omnia majorum privilegia ac jura solemni

Friderico Imp. Coloniam descendit, ubi Archiepiscopum regalibus donat.

Pontan. Heut. l. 2. Chron. Colon. Apologia Henrici Maximiliani. Pontan. l. 10. Geldria.

ritu roborata; id quòd anno regni Romani 46, Ungarici 27. Imperij 34 conſignatum exhibent Colonienſes. Vergente in exitum anno, Aquiſgranum profectus eſt, quo cognito, Maximilianus filius deductis jam ad pacem Gandavenſibus, relictâ filij tutelâ penes Adolphum Ravenſteinium, & bellicæ rei præfecturâ penes Philippum Clivium, & Engelbertum Naſſovium, cum ſplendidiſſimo procerum comitatu Patri, quem intra octo annos non viderat, occurrit. Præmiſſi ad excipiendum Maximilianum Gwihelmus Dux Juliæ & Montium, Marchio Badenſis, & Comes Wirtenburgius, inſigni equitatu, quos Cæſar conſecutus, filium excepit; collucutique aliquamdiu inter ſe, Aquiſgranum ingrediuntur. Qua in urbe Wilhelmus Dux Juliæ & Montium Comesque Ravensbergenſis ſolemni quoque ritu provinciarum jure & regalibus inſignitus.

Deinde Aquiſgranum, ubi Maximilianus filius occurrit.

At priusquam Cæſar in has provincias deſcenderet, ſub medium Octobris, Henricus Monaſterienſis Epiſcopus, Wilhelmus Dux Juliæ & Montium, Joannes Dux Cliviæ & Marchiæ Comes Tremoniæ ſolemnem conventum habuêre; actumque in eô inter tres potentes Weſtfaliæ Principes de pace inter ſe firmanda; conventumque, ne quis ſine alterius voluntate aut fœdus cum alijs faceret, aut bellum moveret. Nihil illo congreſſu lætius mutuis Principum conviviis, ludis, & decurſionibus equeſtribus, atque omnibus concordiæ & amicitiæ ſignis, Magiſtratu vinum & annonam affatim largiente. Nemo non erat, qui non aurea pacis tempora ſibi promitteret.

Fœdus Tremoniæ ineunt Henricus Ep. Mon. Wilhelmus Dux Juliæ, & Joannes Dux Cliviæ. *Chron. Tremon. Kerchovius Stanpefol⁹. Wittius in Chron. MS. Krantz. l. 12. Saxon. c. 36.*

Inter hæc haud levis offenſio orta inter Comites Ritbergenſes & Duces Brunswicenſes, quæ Weſtfaliam pertraxit in arma. Duxerat in matrimonium Fridericus Dux Brunswicenſis, Wilhelmi Victorioſi natu major filius, Margaretham Conradi Comitis Ritbergenſis filiam ac ſororem Conradi Oſnabrugenſis Epiſcopi, ſpe prolis, *qua* carebat. Quam cupidè id ſpectabat Fridericus, tam indignè ferebat Wilhelmus ejus frater, omni ejus patrimonio inhiando; & qua erat accenſus invidia, odioque ob haſce nuptias, Fridericum fratrem abripit in carcerem, obtendendo hominem eſſe mente captum, nec gubernationi idoneum; Margaretha verò non modò injuriosè tractata, ſed & è thoro fratris depulſa; quòd imparem diceret, quæ alto & regio ſanguini Brunswicenſium miſceretur. Hac familiæ ſuæ contumelia graviſſimè exacerbati Comites Ritbergenſes, Bernardus Comes Lippienſis, Simon Paderbornenſis Epiſcopus noſter, cæteriquè conſanguinei. Ortum ſubinde bellum Hildeſienſe inter Bertholdum Epiſcopum & civitatem, in quo Epiſcopi partes ultro ſuſcepit Henricus Dux Brunswicenſis, Wilhelmi filius, urbi ac civibus jam dudum infeſtus, Dux Pomeraniæ, Comites ac nobiles vaſalli Epiſcopi. Urbs ut ſe contra Epiſcopum & Brunswicenſes tueretur, implorat Hanſeaticarum vicinarum civitatum auxilia; à quibus militares copiæ ſubmiſſæ. Decertatum inprimis prædis,

Bellum gerunt Epiſcopus Oſnabrug. & Comes Ritberg. contra ducem Brunswicenſem ejus cauſa. *Chron. Hildeſ. Piderit. in Chron. Lippienſ.*

pagorum

pagorum vastationibus,& varia utrimque fortuna. Tum verò sollicitatus Ritbergensis ab urbibus fœderatis in auxilia, quem Brunswicensibus infestum non ignorabant. Et ille oblatam sibi ulciscendi occasionem adversus *Brunswicenses* arripiens, cum selecto, quem in Westfalia conscripserat, equitatu Hildesium properat, civibus subventurus. Quo comperto, Henricus Dux Brunswicensis cum milite ex Hassia & vicinis locis collecto occurrit Ritbergensi, inopinatèque inter Leinam & Deistriam ad Peutereum montem profligat. Inter cæteros captus ipse Comes abducitur.

Hac clade provocati acrius Hildesienses, Brunswicensium, Lunenburgensium, Goslariensium, Magdenburgensium, Halberstadiensium, Gottingensium, Embecensium, Hannoveraniorum, Northemensium, aliarumq; fœderatorum civitatum auxilia denuo implorant; à quibus cumulatæ copiæ submissæ. His Dux præficitur Bernardus Comes Lippiensis cognomento bellicosus, Simonis Episcopi nostri frater, qui & ipse in locum Comitis Ritbergensis sollicitatus cum expedito milite Westfalico Visurgim transgressus, civitatum copiis se junxit. His accessêre Conradus Osnabrugensis, Henricus Mindensis, Simon Paderbornensis Episcopi: Henricus Dux Grubenhagensis; Comites præterea Schawenburgicus, Hojanus, & Diepholdius. Tanto belli motu moleque itum non tam adversus Hildesiensem Episcopum, quàm *Brunswicenses*, adulciscendam injuriam Ritbergensi familiæ illatam; ardebatque jam tota inferior Saxonia flagranti bello, quod in alterum annum deprædationibus, incendiis, vastatione agrorum, alternisque cladibus protractum est. Postquam his malis utraque pars belligerantium fatura fuit, transactum de pace, qua Comes Ritbergensis & Fridericus Dux captivitate soluti, & Margaretha conjux libertati reddita: simul & Episcopus Hildesiensis cum urbe compositus, in gratiam redijt; nec enim alia hujus belli causa fuerat, quàm quòd Episcopus ab urbe Hildesiensi subsidia quædam ac tributa poscceret, quibus & Ecclesiæ suæ debita solveret, & castra oppignorata redimeret; id, tametsi Episcopus in vicem offerret urbi telonij sui fructus, cives pertinaciter detrectârunt, ea tum urbium etiam Episcopalium insolentia erat, & Principum suorum contemptus, ex fiducia & potentia fœderatarum civitatum. Quod malum nunquam postea magis exitiale fuit, quàm hæresis Lutheranæ tempestate, qua sibi imperium in ipsos Episcopos & religionem commutandam liberè sumpserunt.

Annus Christi 1486.

Innocentij VIII Pont. 2.
Friderici IV Imper. 47.
Simonis III Ep. Pad. 24.

Cæsar postquam Aquisgrani cum Maximiliano filio de Repub. collocu-

collocutus, ineunte anno, Coloniam profectus est. Assectati Cæsarem Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus, Leodienſis & Cameracenſis Epiſcopi, Wilhelmus Dux Juliæ & Montium, Joannes Dux Cliviæ, Marchiones Badenſes, Carolus Egmondanus Adolphi Geldriæ filius, & magna Germanorum Belgarumque procerum multitudo; quibuſcum pridie Epiphaniæ Coloniam ingreſſus, ſolemne trium Regum feſtum habuit, ad corpora Regum ſupplex. Ibi cùm Dux Cliviæ jura regalia peteret à Cæſare, ſicut Dux Juliæ Aquiſgrani impetrârat, Cæſar multum difficilis fuit, Archiepiſcopo Suſatum ac Sanctos repetente. Quocirca controverſia hac in aliud tempus dilata, cæterorum regalia conſecutus eſt.

Agrippinâ Cæſar & Maximilianus filius, conſcenſo navigio, 12 Calend. Februarij per Moguntinenſium fines adverſo Rheno Francofurtum ad comitia Imperij profecti. Quò poſtquam, ut Trithemius inquit, convenêre Bertholdus Moguntinus, Joannes Trevirenſis, Hermannus Colonienſis Archiepiſcopi, Philippus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, Erneſtus Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Brandeburgenſis, Septemviri, uno conſenſu XIV Calend. Martij Maximilianum Regem Romanorum creârunt, Principem XXVIII annorum: ſolus inter Septemviros Vladislaus Rex Bohemiæ, quòd vocatus non eſſet, ad comitia non acceſſit; qua ſuper re per Oratores vehementer queſtus eſt Cæſar apud Innocentium Pontificem. Facta electione, Cæſaris & omnium Principum decreto, integro decennio quies armorum ſancita. Lex ſæpius tentata, optataque magis, quàm ut inter Germanos vim obtineret.

Francofurto Cæſar & Maximilianus cum Septemviris iter Coloniam relegêre; Inde Aquiſgranum properatum ad coronationem Regis, quæ die nona Aprilis, Domina II poſt Paſcha, ſplendidiſſimo, ſi unquam, apparatu inſtituta. Quam in rem Norimberga Caroli M. allata corona junctusque Maximilianus Rex ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo, magna Principum ambiente corona, & ingenti applaudentis populi lætitia. Quippe Princeps decoro & ſpectabili corporis habitu, prudentia, fortitudine, multisque bellis feliciter geſtis clarus; ſeu ut Nauclerus ſcribit, *vir ſuavitate morum, rei militaris ſcientia inſignis, juſtitiæ amantiſſimus, ſingulari benignitate et clementia, omnibuſque regiis virtutibus exornatus, quem ſummis ex domo Auſtriaca Principibus haud immerito exæquaveris.* His rite Aquiſgrani magnaque pompa peractis, Septemviri ac Principes Cæſarem cum Maximiliano filio Coloniam deduxêre; ubi quatuordecim dies commorati, certatim epulis, ſpectaculis, ludis equeſtribus, & omni oblectamentorum genere animos exhilarârunt. Tum verò accidiſſe opinor, quod Monaſterienſes Scriptores de Henrico Epiſcopo ſuo memorant. Is inter cæteros Principes Coloniam acceſſerat tanta aulæ magnificentia, tantoque equitum numero, ut eo conſpecto Imperator admira-

Chron. Colon. Pontus Heuter. Annal. Holland. Cæſar cum Maximiliano filio Coloniam redit. *Pontus Heuter. Trithem. in Chron. Sponh. Crantz. l. 13. Saxon. Burchard. in Diariis Naucler. Gen. 50. Lang. in Chron. Æmilian. Cymb. Poëta apud Freh. in Encom. tom. 2. Brouver. lib. 19. Raynald. in hiſtor. Eccleſ. n. 42. & 43. Chron. Colon. Chron. Tremon. aliique.* Maximilianus Rex Romanorum renunciatur Francofurti. Deinde Aquiſgrani coronatur. Epiſcopus Monaſt. Coloniæ ſplendido Cæſa-

admirabundus dixerit, videri Episcopum illum non velle jus suum petere, sed in armis secum ferre, quibus extorqueat. Quo dicto Imperatoris cognito, Episcopus Imperatorem ad convivium, quod magnificè instruebatur, invitavit; Imperator ut ejus apparatum eluderet, eodem quo ipse die invitatus erat, Episcopum vocat ad epulum. Ad quæ Episcopus, à se primò invitatum esse Imperatorem; ideo par esse, ut Imperator prius ad se veniat, Et hæc ut denuo frustraret Imperator, vetuit per totam urbem Colonienſem ne quis Episcopo Monasterienſi aut ligna aut carbones venderet. Nihil his retardatus Episcopus, jussit quotquot in vicinia arbores reperiri possent succidi, quibus & focum instruxit, & cibos coqui imperavit. Paratis jam omnibus ad epulum, mittit, qui Imperatorem vocent, deducantque. Victus Imperator joculari licentia Episcopi cum tota aula & Principum comitatu accedit ad hospitium & epulum Episcopi. Ibi cùm regio ferculorum apparatu & ministrorum splendore, supra quàm ab ullo Electore exceptus recreatusque esset, non satis potuit demirari magnificentiam Episcopi, dignumque pronunciavit, cui tanta provinciarum præfectura obtigisset. rem convivio excipit.

Postquam geniales dies peracti, Cæsar & Maximilianus filius post mutuos amplexus XIII Calend. Junij discessêre; Cæsar in superiorem Germaniam profectus; Rex lustrato Novesio, inspectisque Burgundi Ducis ac Soceri vestigiis castrorum, iter in Belgium repetijt.

At nos perlustratis singularum diœcesium fastis, haud alium, præter Monasterienſem, ex Saxoniæ Westfaliæque Episcopis reperimus, qui pro veteri ritu Cæsarem toties ad inferiorem Rhenum Coloniæ præsentem salutârit, assectatusque sit; seu id oblanguescente jam in Cæsares observantia cultuque, seu scriptorum nostrorum negligentia omissum sit.

Neque etiam inter Simonis Episcopi acta quicquam aliud annotatum reperio, nisi quod bello Hildesienſi, ut supra diximus, in hunc annum extracto, fœdus cum alijs Principibus & Dynastis Westfaliæ instaurârit; sicuti id in Chronico Dasselenſi referur. Et verò quia Cæsaris res conturbatæ erant ex bello cum Ungariæ Rege, alienisque potius auxilijs indigebat, omnis incolumitas Episcopis Saxoniæ ex fœderibus petenda erat. *Chron. Hildes.*

Annus Christi 1487.

Innocentij VIII Pont. 3.
Friderici IV Imper. 48.
Simonis III Ep. Pad. 25.

Et Cæsar, quòd exitiali bello cum Matthia Corvino Ungariæ Rege involutus erat, Austriâ prope omni amissa, simulque ab Innocentio pontifice ad subsidia belli Turcici sollicitaretur, anno hoc proximo celebrem Norimbergæ conventum Principum habuit; ad quem *Naucler. Gen. 50. Cranz. Langius in Chron. Citiz. Ursberg. Paralip.*

Raynald. in histor. Eccl. Brouver. lib. 19. Annal. Trevir.

quem & urbium Jmperialium omniumque ordinum Legatos convenire voluit. Horum consiliis in unum collatis sancita est militaris disciplina, & cessatio civilium armorum per Germaniam. Jdem Spiræ in alio congressu Principum est imperatum; sed cassò successu. Postulata quoque necessaria adversus ingruentem hostium vim auxilia; quæ frigidè processêre. Unus tantumodo Albertus Dux Saxoniæ invitatus à Friderico Imperatore suo ære militem scripsit, ductoque exercitu in Austriam Matthiæ Ungariæ Regis ferociam fregit, depulsumque ab obsidione Strigæ ad inducias compulit. Tam languida erat Cæsaris auctoritas, quàm debilitati nervi, dissipato jam dudum & pessundato Jmperij ærario.

Cæsar Imperij Comitia habet Norimbergæ.

Pont. Heuter. l. 2. c. 12. Pont. l. 10. Histor. Gelr.

At in Belgio res multò turbatior esse cœpit, multisque adversis casibus conflictatus Maximilianus Rex: captum IV Calend. Maji Audomarum à Carolo Francorum Rege; prostratus Belgarum exercitus ad Bethunium, quem Philippus Clivius duxit, capto cæsoque nobilitatis flore. Accessit Gandavensium defectio à Rege, fœdaque rebellio duorum hominum concitatione; adeo pronum vulgus ad turbas, modò duces habeat. Spectabat hæc quieta Westfalia, quòd magna pars inquietorum capitum aut in Belgio, aut trans Visurgim militaret.

Conturbatus Belgii status.

Et Simoni Episcopo, ætate jam in senium vergente, nihil cura-

Lis de monte Jacobi inter Epis. Paderb. & Abbatem Corbeiensem componitur.

tius fuit, quàm pacem & bonam amicitiam colere cum vicinis. Quare hoc anno inter ipsum & Hermannum Bonebergium Abbatem Corbeiensem lis de monte Jacobi composita. Locus is in diœcesi Paderbornensi & territorio Corbeiensium situs, magno incolarum & peregrè venientium accessu ob cœlestia beneficia & miracula olim frequentabatur; istic verò quia Abbas veterem pietatem multis annis oblanguescentem restituerat, facilè impetravit à Sixto IV Pontifice procurationem sacrorum & oblationes, quæ largè tursum fiebant. Quod cùm juri Episcopi derogare visum, lis hac lege composita est, ut pars oblationum cederet Ecclesiæ, pars Episcopo, pars Abbati. Firmata præterea eo conventu amicitia & fœdus inter Episcopum & Abbatem, susceptique Episcopus patrocinium Abbatis adversus omnes turbatores & hostes Cœnobij.

Inter Westfaliæ Comites, qui Fridericum Jmperatorem omni genere obsequiorum assectati sunt ad Rhenum, reperio cumprimis commendari Everwinum Comitem Benthemensem, alterumque Everwinum Dynastam Steinfurdensem, patruelem Comitis. Quare cùm hi duo pactum gentilitium inijssent, ne quamdiu ex alterutro proles mascula supereset, Benthemensis comitatus, aut Dynastia Steinfurdensis per filias ad aliam familiam transferrentur, Cæsar id & Maximilianus Rex ratum habuêre; sicuti & à Carolo V. confirmatum est. Vi ejus pacti Arnoldus Steinfurdensis, etsi ex Everwino Comite filia proles fœcunda suppeteret, anno 1531, Comitatum Benthemensem adijt.

Annus

Annus Christi 1488.

Innocentij VIII Pont. 4.
Friderici IV Imp. 49.
Simonis III Ep. Pad. 26.

Naucler. Gen. 50. Trithem. in chron. Sponheim. Pont. Heuter. l. 2. Pontan. l. 10 hist. Geldr. Gerhard. de Roo. Crantz. l. 13. Saxo. Chron. Colon. Chron. Tremon. Langius in chron. Citiz. Spondanus. Raynald. in histor. Eccl.

Annus qui exinde sequitur Belgio turbulentissimus, & Maximiliano Regi calamitosissimus fuit, rebellione duarum in Flandria urbium, Gandavi & Brugarum. Ac Gandavenses primùm à Francis alijsq; concitati palam à Rege deficiunt, occupatoque Cortraco & aliis quibusdam locis, Philippo Maximiliani filio ac sibi juramentum fidei dicere jubent, rejecto Maximiliano patre ab omni tutela filii & gubernatione Belgij. Pessimo Gandavensium exemplo Brugenses tanquam rabie seditionis contacti, Maximilianum Regem, qui in eam urbem cum Legatis ordinum & aulæ quibusdam proceribus tractatum de pace cum Francorum Rege advenerat, facto omnium tribuum concursu in forum Nonis Februarij in arctam custodiam arripiunt. Ministrorum alij excitato in foro pegmate palam per Carnifices torti, alij capite plexi, alij in carceres abducti. Regi non semel præsentem mortem comminati sunt; quam cùm ille lacrymis deprecaretur, fuêre, qui commiseratione etiam moti in lacrymas furentem plebem continerent. Quanquam & Rex ipse resumpto animo auditus dicere, occiderent se; sed non ultimum è domo Austriaca futurum, qui inter rebellium manus occumberet. Efferatæ belluæ instar furebat Brugensium populus, inflammantibus furorem plebis Gandavensibus, à quibus primùm per literas rogati arctè Regem custodirent; deinde missis Legatis instigati ad pertinaciam, & conspirationem, & communis belli adversus Maximiliani Regis factionem.

Maximilianus in carcerem abripitur.

Id atrox ac barbarum facinus postquam increbuit, ante alios Innocentius Pontifex scriptis ad Brugenses literis jubet Maximilianum dimittant liberum; id ni fecerint, se in mandatis dedisse Hermanno Colonienſi Archiepiscopo, ut ipsos & omnes rebelles Flandriæ populos anathematis vinculo perstringat. Imperator tam inopino filij casu perculsus, misit Wormatiensem Episcopum in Belgium, qui Philippum nepotem, Maximiliani filium servaret, ne in perduellium manus veniret, Germanosq; Principes ad arma commoveret. Ferdinandus etiam & Elizabetha Hispaniarum Reges jam collocuti de jungendo matrimonio cum filia sua & Philippo Regis filio Oratores misêre de laxando Rege. Sed his omnibus spretis, Brugenses & Gandavenses consilia agitant de Maximiliano captivo Francorum Regi dedendo, & in Gallias transportando. Hac perduellium obstinatione accepta, Hermannus Colonienſis Archiepiscopus consceenso tribunali, divinæ & humanæ majestatis reos pronunciat, interdictoque omni sacrorum usu, extra communem christianorum cœtum proscribit.

Pontifex & Hispaniæ Rex laborant pro liberando Maximiliano.

At Fridericus Cæsar alijs armis perduelles aggressurus, mense Majo cum lectis è Germania superiori copijs ad inferiores Rheni pro-

Cæsar rebelles

Belgas domiturus cum numeroso exercitu ad Rhenum descendit.

vincias descendit. Numerabatur exercitus ille ter mille, centum & viginti quatuor equitum, peditum verò septem millium. Aderant multi Principes; quos inter Christophorus & Wolfgangus Duces Bavariæ, Albertus Dux Saxoniæ, Thuringiæ Landgravius & Marchio Misniæ, celebris ea tempestate miles & bellis Turcicis clarus, Fridericus Marchio Brandeburgensis; Comitum, Baronum, ac nobilium ingens multitudo; quibus copias suas junxêre quinq; & quadraginta nobiliores Imperij urbes. His accessêre Trevirensium, Colonienſium, Juliacensium, Montensium, Clivensium, ac Westfalorum agmina. Famæ adventantis exercitus perterriti Flandri, undiq; de pace acturi cum Rege Brugas confluunt, magnoq; promisso auri pondere, & noxam erroris deprecati, Maximilianum Regem post decem mensium captivitatem liberum dimittunt, sed coactum prius ad iniquissimas conditiones, quas à Rege subscribi voluêre. Magnum ad hanc pacem acceleran-

Quo cognito, Belgæ Maximilianum liberum dimittunt.

dam momentum attulit Albertus Saxoniæ Dux, à Cæsare in Belgium præmissus; cujus fortitudine & scientia expugnata frena Brugensium, cæsisque mille, septingentis & Sexaginta civium urbs magno luctu & trepidatione completa.

Cæsar iniquis pactis stare recusans, Gandavum obsidet.

Verùm Pater ad tam atroces filij injurias indignatus, quibus non modò familia, sed & Romani Imperii majestas læsa esset, negat aut se aut filium pactis his teneri; ulturusque primùm Gandavenses, urbem eorum circumpositis castris incingit, ac regionem latè pervastando, militi in prædam dedit. His offensus Philippus Clivius Ravensteinij dominus, quem pacis auctorem sponsoremq; ante fecerant, à Rege & Cæsare defecit ad Flandros, atque è Duce regij exercitus Ducem se novæ rebellionis & propugnatorem dedit. Quamobrem Cæsar Albertum Ducem Saxoniæ Belgij præfectum cum parte exercitus reliquit, ipse in Germaniam reversus ad novas copias conscribendas; arsitq; exinde bellum hoc civile in nonum annum, magnis utrimq; odiis & cladibus. Specie quidem libertatis hæc à se agi dictitabant Flandri, cùm re ipsa haud aliud esset, quàm populi insolentia & rebellio ex longo otio, luxu, fastuque nata; potuitque hæc scena rebellionis, quæ Philippo primo eorum Principe acta est, videri præludium ejus, quæ Philippo II Rege hæresin introduxit. Quemadmodum omnes urbium per Germaniam & Saxoniam rebelliones adversus Principes & Episcopos fuêre specie libertatis invitamenta hæresis.

Conventus Principum Tremoniæ.

Inter hæc celebris Principum conventus fuit Tremoniæ, ad quem Colonienſis, Monasteriensis, Osnabrugensis Episcopi, Dux Cliviæ, alijque Principes accessêrunt. Misêre quoque suos Legatos Susatenses, Groningenses, Essendienses, aliæque urbes. Inter cætera, quæ ad commune Reipub. bonum & concordiam poscebantur, res monetaria constituta, pretiumque auri, quod hactenus 20 solidorum erat, ad quindecim solidos contractum.

Cæsar postquam è Belgio Coloniam rursum accessit, nihil sollicitiùs habuit, quàm ut Geldros ex his Belgij turbis inquietos, atq; ad

Egmon-

Egmondanum Ducem respectantes in fide contineret, qua in re multum usus opera Ducum Juliæ & Cliviæ, qua Geldros à rebellione deterruêre. Ea quoq; in urbe scripsit Cæsar ad Magistratum & cives Monasterienses, rogando auxilia adversus perduelles Belgas. Ejusmodi literis cæteras quoque Westfaliæ & Saxoniæ civitates sollicitavit.

Referunt ad hunc annum Patres Franciscani de Observantia exordia Cænobij sui, quod in Durstenæ celebri ad Luppiam Oppido construxêre piorum hominum liberalitate; in quo opere maximam sibi conditorum partem vendicat ipse Senatus oppidi & civium munificentia. Magnopere per id tempus familia illa Franciscanorum Patrum florere visa, eòque à multis Principibus adamata, introductaque in Oppida & urbes.

Gonzaga de Orig. Franc. Initia conventus PP. Francisc. de Observantia Durstenæ.

Atque hic simul annus est, quo Simon Episcopus noster Oenopolii Paderbornensis vectigal, acceptis 1500 florenis, Magistratui Paderbornensis urbis expignoravit. Qua pecuniæ summa castrum Beverunganum ad Visurgim redemit è manibus Niehausanorum nobilium, integrumq; diœcesi restituit. Sub id tempus simul Simon Episcopus noster primarium & munitissimũ suæ diœcesis castrum Dringenberg, amœno in colle & loco ad ipsum Oppidum Dringenbergam situm, novis ædificiis & munitionibus instaurare cœpit; visusq; tum senio debilitatus sibi in eo habitationem parare, in quam haud multò post, ut anno proximo referremus, secesserit.

Simon Ep. Castrum Beverunganum redimit. Et Dringenbergense restaurat.

Annus Christi 1489.

Innocentij VIII Pont. 5.
Friderici IV Imp. 50.
Simonis III Episc. Paderb. 27.

Pont. Heuter. l. 3. Pontan. l. 10 hist. Geldr.

Maximilianus Rex postquam per consequentis anni initia in Hollandia versatus, ordines ejus provinciæ sibi multum devinxerat, iter in Germaniam instituit, collaturus cum Friderico Patre consilia; tum ut comitiis Imperii, quæ Francofurti indicta erant, præsens interesset. Ea deinde mense Augusto celebria fuêre, multæque in his Principum controversiæ sunt compositæ. At nihil in his comitiis ferventius à Cæsare actum, quàm ut Principum Imperij auctoritate & studio pax inter Maximilianum Romanorum, & Carolum VIII Francorum Reges conciliaretur; quæ missis ab Imperij Principum Legatis octavo die Octobris in has leges convenit. Philippi filii tutela sit penes Maximilianum Regem, atque ipse provincias gubernet, ut ante bella adiit. Quicunq; Gandavi, Brugis atq; Ipris in Magistratu fuêre ab exordio belli, pulla veste induti, capite pedibusq; nudi, & in genua provoluti, veniam deprecentur à Rege & Philippo filio, spondebuntque, nunquam se ejusmodi facinora machinaturos.

Comitia Francofurtensia, in quibus agitur de pace inter Maximilianum & Gallorum regẽ concilianda. Quæ & certis deinde conditionibus coaluscit.

Interim acerrimè pugnatum inter Philippum Clivium rebellium ducem, & Albertum Saxonem, quem Maximilian⁹ Belgij gubernatorẽ reliquerat. Clivi⁹, postquam Gallicis copiis adjutus, Bruxellas occupat, & magnam Brabantiæ partem ad se trahit. Restitit huic fortissimè Saxo, multisq; oppidis feliciter occupatis, cæsisq; Flandris, Clivijũ in angusti-

Clivij & Saxonis expeditiones in Belgio.

as compulit. Atque is licet post pacem inter Francum & Maximilianum initam invitaretur ad partes Cæsaris & Maximiliani à Legatis Imperij (id quod & Albertus Saxo in congressu ad Lovanium illi suaserat) homo tamen pertinax spernabatur omnem Cæsaris & Maximiliani oblatam gratiam.

Coloniensibus ob novum telonium Rhenus occluditur. *Chron. Colon. Brouver. lib. 19. & Annal. Trevir.*

Cœpit & inferior Rhenus hoc anno turbari. Obtinuerat Colonia à Friderico Imperatore ob fidam belli ad Novesium operam privilegium erigendi telonium; quo beneficio dum invitis Imperii Principibus frui attentat, omnium vicinorum Principum invidiam in se convertit. Indignatique cum primis Moguntinus & Trevirensis Archiepiscopi, Rhenique Palatinus, uno consensu navigationem fluminis prohibent. Controversia hæc altero anno in conventu Septemvirorum ad Cubam Rheni oppidum composita restrictumque inter arctos limites Colonienſium privilegium.

Simon Ep. administratione Diœcesis Paderb. se abdicat, eamque transfert in Hermannum Archiep. Coloniensem.

Tandem & Simon Episcopus noster, postquam in vigesimum septimum annum turbulentis temporibus administrasset diœcesin, è consilio assensuque Capituli, ultro se, quòd per ætatem invalidus, & ob paralysin, qua ab annis aliquot conflictari cœperat, minus idoneus esset, munere suo abdicare cœpit, adjutoremque admisit Hermannum Colonienſem Archiepiscopum à Capitulo delectum; retento tamen Episcopi nomine & dignitate, quoad vixit. Id quod hoc anno factum scribit Bruschius & Kerssenbrochius in fastis Episcoporum nostrorum, & verisimile faciunt Hermanni Archiepiscopi literæ ad præfectos diœcesis nostræ anno proximo scriptæ, quibus significat, sibi curæ fore, ne diœcesis Paderbornensis in tranquillitate & pace conturbetur; uti in hanc rem etiam à Simone Episcopo nostro arcem Dringenbergensem anno superiori instauratam diximus, in quàm post abdicationem gubernationis, quod omnes fatentur, habitationem transtulit, assignataque pensione annua, in quietiorem vitam secessit. Quanquam Trithemius, atque ex eo Wittius, Cleinsorgius, ac scriptor Colonienſis hanc abdicationem gubernationis à Simone factam ad annum 1496 rejiciant. Quæ tamen haud incongruè conciliaveris, si Hermannum Colonienſem Archiepiscopum primùm à Paderbornensibus tutorem, ac deinde pleno munere Coadjutorem delectum dixeris; adsunt enim apud nos literæ Hermanni Archiepiscopi post festũ Remigij anno 1496 datæ super confirmatione privilegiorum, quibus Coadjutor & futurus Administrator Successorq; inscribitur. Consultò sanè & duplici commodo Paderbornenses Hermannum, Hassiæ Landgravium & Colonienſem Archiepiscopum, Adjutorem delegêre, quocum simul patrocinium Landgraviatus Hassiæ & diœcesis Colonienſis turbatis hisce temporibus habituri essent.

Annus Christi 1490.

Innocentij VIII Pont. 6.
Friderici IV Imper. 51.
Simonis III Ep. Pad. 28.

Succe-

Succedit annus nonagesimus supra millesimum quadringentesimum, qui inter heroës hujus sæculi sustulit Matthiam Corvinum, Malleum, ut inquit Trithemius, Turcarum, & invictissimũ, ut eum appellat Bonfinius, Regem; quem alij Scriptores, cùm bellum contra Turcas appararet, ab ijs in hebdomada sancta veneno sublatum tradunt. Post excessum Regis duo cumprimis æmuli in affectando Ungariæ regno, Maximilianus Romanorum Rex, & Vladislaus Poloniæ Regis filius, Bohemiæ Rex. Obtendebat Maximilianus haud secus quam Fridericus Pater Ungariam ex dotali jure conventuque, ex quo Sigismundi Imperatoris & Regis Ungariæ filia, Alberto Cæsari denupta, Regnumque illud in domum Austriacam intulerat. Prævertit autem Vladislaus, quòd & se hæredem præferret; quem proceres XI Calend. Octobris apud Albam regalem Regem salutârunt. Quare Maximilianus contracto per Germaniam exercitu supra viginti millium, convertit se in Austriam repetendam; quam hoc anno magnam partem cum ingenti nominis gloria recuperavit, Viennâ etiam civium studio apertâ redditâque Maximiliano. Unde victor Hungariam ingressus multa Oppida & castra Ungaris eripuit, expugnataque Alba regali, sepulchrum Matthiæ Regis cæsorum hostium sanguine aspersit. Inter Germaniæ Saxoniæque Principes, qui ad militiam Maximiliani Regis convolârant, Wilhelmus Hassiæ Landgravius cum mille equitum legione, ex nobilitate Hassiæ & Westfaliæ conscripta, Cæsari ac Maximiliano Regi se obtulit, còque ob res præclarè gestas in Ungaria unà cum Sigismundo Marchione Brandeburgico, Gregorio & Christophoro Ducibus Bavariæ magnis honoribus decoratus.

Trithem. in Chron. Sponh. Naucler. Gen. 50. Pont. Heuter. lib. 4. c. 2. Bonf. decad. 4. lib. 8. Raynald. in histor. Eccles.

Post obitum Matthiæ Corvini de regno Hungariæ contendunt Maximilianus & Vladislaus Regis Poloniæ filius. Maximilianus Austriam & Viennam recuperat.

Nec segniùs res acta in Belgio. Quippe post varias clades Flandris illatas, Albertus Saxo & Nassovius Comes, quos Belgio per absentiam suam præfecerat Maximilianus, Brugas per circumposita castra fame & armis ad deditionem compellunt, interque alia secundum pacta Turonensia jussi sunt Brugenses atra veste, capiteque & pedibus nudi supplices veniam deprecari, ac mulctam quinquaginta millium florenorum pendere; id quod etiam à Langio in Chronico Citizensi traditur.

Heuter. l. 4. Aremberg. Histor. Bavar. p. 2. lib. 9. Pont. Heuter. l. 4. Langius in Chron. Citiz.

Albertus Saxo Brugas occupat.

Interea summa prædonum armorumque quies per Westfaliam auctoritate Hermanni Landgravii Colonienſis Archiepiscopi & Henrici Monasterienſis Episcopi, penes quos tum dominatus Westfaliæ erat. Quam in rem multum contulit pax, quæ ab utroque Episcopo ac cæteris colebatur cum Duce Cliviæ & Juliæ, quorum ille Marchiæ comitatum, hic Montium ducatum in visceribus Westfaliæ tenebat, nobilitate ferè otiosa (à qua ejusmodi tumultuaria bella concita alebantur) aut ad exteram militiam digressa.

Initia Monasterij Bredensis prope Brakelenam.

Accessit hoc anno ad cæteros religiosorum cœtus per diœcesin Paderbornensem nova congregatio sacrarum Virginum ordinis D. Augustini

Augustini in Breda haud procul Oppido Brakelensi, liberalitate duorum nobilium fratrum Bernardi & Theodorici de Asseborg; à quibus postquam fundum prædiumque dono accepêre, ædem sacram & domicilium construere cœpêre; traductæque Virgines ex congregatione Hervordiensi ejusdem instituti. Hanc Virginum congregationem Simon Episcopus noster hisce tabulis ratam habuit.

Literæ Simonis Ep. quibus fundationem Monialium in Breda comprobat.

Simon de Lippia Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Paderbornensis, devotis nobis in Christo dilectis, Rectrici, Sororibus et conventui Sororum Oppidi Hervordensis nostræ diœcesis, vulgariter op dem Hollande nuncupatarum, ordinis S. Augustini salutem in Domino sempiternam. Expastorali officii nobis injuncti debito inter cætera tenemur, ut his, quæ pro divini cultus religionisque incremento profutura noscuntur, partes nostræ sollicitudinis interponamus, eaque benigno favore prosequamur. Sane relatione veridica didicimus, vosque laudabilem congregationem vestram in humilitate Deo serviendò per morum honestatem, operumque bonorum studia, ac virtutum plantaria, quæ apud vos exuberant, plurimos ædificare, ac de operibus manuum vestrarum victum et amictum absque ullius præjudicio laboriosè quærere. Quare fuit nobis pro parte vestra per fideles nobis dilectos Bernhardum et Theodoricum fratres de Asseborgh humiliter supplicatum, quatenus in villagio, vulgariter up der Breden nuncupato seu appellato, prope et extra muros Opidi nostri Brakele situato, in curiis, quas ibidem acceptastis, religiosam domum, et congregationem novam, et oratorium cum juribus, altaribus, et cimiterio, pro missis et divinis officiis ac sepulturis morientium sororum et Confessoris ibidem agendum, dummodo sub clausura et reformatione vivant, et quòd altaria non habetis, in portatilibus celebrari facere valeatis, possetis ædificare, instituere, et dotare, nostra ordinaria auctoritate dignaremur gratiose concedere. Nos igitur supplicationibus vestris hujusmodi inclinati, ut in prædictis curiis, et locis aliis vobis forsan imposterum designandis, cui nos nomen vallis præsentationis Mariæ imponimus, congregationem novam sororum Ordinis S. Augustini per Rectricem sororum Confessoremque gubernandam et discutiendam atque dirigendam, atque oratorium cum altaribus et cimiterio pro Missis et divinis officiis ac sepulturis morientium sororum in formatione seu anno probationis existentium, et Confessoris congregationi vestræ in Hervordia, in statutis, habitu, moribus, professione, et modo orandi, non dissimilem possitis auctoritate nostra instituere, ædificare et fundare, præsentium tenore liberam concedimus potestatem et facultatem. Anno Domini millesimo, quadringentesimo, nonagesimo, die lunæ quinta mensis Aprilis.

Procurationem hujus congregationis commisit Episcopus Rectoribus Cœnobij in Bodeken & Blomberg, quorum idem vitæ genus erat secundum institutum D. Augustini & congregationem Windesheimensem. Mirum quàm multæ hujusmodi Virginum congregationes per Westfaliam in Oppidis & pagis per id tempus accumulatæ, in quas ingenuæ & tenuis fortunæ Virgines se dedêre, vitam passim nendo, texendo, & laboris industria trahentes; quæ ut in

Oppido

Oppido intraque clausura laudabiles, ita in villis & pagis multis periculis obnoxiæ fuêre.

Annus Christi 1491.

Innocentij VIII Pont. 7.
Friderici IV Imper. 52.
Simonis III Episc. Pad. 29.

Naucler. Gen. 56. Trithem. in chron. Sponheim. Heuter. l. 4. c. 4.

Anno vertente, quòd jam Pater ob senium ad publicas curas minus idoneus esset, omnesque ad florentem filij fortunam respicerent, Maximilianus Rex comitia Imperij Norimbergæ indixit; quibus per absentiam patris, magna Principum atque omnium ordinum gratia atque auctoritate, præsedit. In his comitijs præter cætera comprobatum est Principum decreto matrimonium Regis cum Anna filia Ducis Britanniæ, missique in hanc rem Legati Principum auctoritate. Quod ubi Carolus Francorum Rex rescivit, armatus Britanniæ Ducis provinciam ingressus, filiam Ducis Maximiliano desponsatam vi præripuit in matrimonium, nulla, ut Nauclerus inquit, honestatis jurisve habita ratione; veritus nimirum Gallus, ne sicut conjugio cum filia Burgundi Belgium, ita cum hac Britanniam traheret ad Austriacam potentiam Gallis unicè invisam. Mox & Margaretam Maximiliani filiam à Flandris Carolo Regi oblatam, ac solo hactenus verbo contractam patri remisit. Inde nova offensio novumque bellum inter Reges.

Comitia Norimbergensia à Maximiliano celebrata.

Bonfinus. Raynald. in histor. Eccl. Pont. Heuter. l. 4. c. 4.

At Maximilianus in præsens rebus Ungaricis intentus, in Vladislaum Ungariæ Regem arma parabat. At dum Principes Imperij, abhoc bello alieni ne per id Turca invalesceret, Pontifex simul ac Casimirus Poloniæ Rex Vladislai pater, missis ad Cæsarem & Maximilianum Legatis, pacem sollicitant; quæ in has præcipuè leges convenit. Vladislaus regnum Ungariæ retineat; eo sine filijs legitimis mortuo, ad Maximilianum recidat: interim penes utrumque regni titulus resideat, centies mille nummorum pendat. His tam feliciter transactis, urgebat Innocentius Pontifex per Legatos commune bellum adversus Turcas, quod alio exercitu Ungari, Bohemi & Poloni, alio Germani gererent. Salutaribus, sed irritis consilijs hæc agebantur. Quare per dissidia Christianorum Turcæ in Carniolam, Windonam, Marcam, Ciliam, Carinthiam ac Stiriam irrumpentes, multa hominum millia utriusque sexus in captivitatem abduxêre; at non impune. Quippe Maximilianus irruptione cognita hostem, Duce Eberstenio Comite, ingenti cum clade receptisque prædis ex Austriæ provincijs ejecit.

Pacem certis legibus ineunt Maximilianus & Uladislaus.

Neque in Belgio per hæc destitum pugnari inter Albertum Saxonem, & Clivium Gandavensium rebelliumque caput. Accessit nova belli flamma, Carolus Egmondanus è captivitate Gallica dimissus, qui Geldriam sibi paternam hæreditatem Gallicis auxilijs vendicare cœpit.

Westfa-

Kerchov. presbyt. in chron. Tremon. Chron. Colon. Wittius in Chron. Spormach. in chron. Lunenſi. Teſchemach

Weſtfaliam vicinasque Rheni provincias vel ipſa fames quietas fecit; ea verò tanta fuit, ut paſſim, fabæ, piſa, lentes, ſiliquæ, glandes in panes excoctæ inediam explerent; qua & multi mortalium per agros extincti ſunt. Ortum id malum partim ex continuis ſuperioris anni pluvijs, quibus fruges corruptæ fuerunt; partim ex divitum civiumque in Oppidis avaritia, qui frumentum compreſsêre. Quare cùm ſecundo Luppia frumenta vehérentur in Rhenum, agreſtes homines fame ſtimulati naves rapuêre in prædam.

Ingens in Weſtfalia fames.

Inter Epiſcopos, quorum tum fama virtutum celebris erat, eminebat Colonienſis & Monaſterienſis; quorum uterque nihil impenſiùs habuit, quàm per pacis otium diſciplinam Cleri & Cœnobiorum inſtaurare; ſicuti hoc anno Colonienſis Monachos Tuitienſis & Dunewaldenſis Monaſterij ad veterem formam reduxit; & Brulæ Franciſcanis Patribus de Obſervantia inſigne Cœnobium condidit.

Antiſtites Colon. & Monaſt. clerum & cœnobia reformant.

Florebat per id tempus Coloniæ Wernerus Rolevingus, ortus ex pago Laer diœceſis Monaſterienſis, atque anno ætatis XXII Carthuſianorum arctiſſimam vitam amplexus, multisque ſcriptis libris, & fama etiam ſanctitatis clarus, vixit ad annum ſecundum conſequentis ſæculi. Monaſterij haud minus inclareſcebat Rudolphus Langius, ex equeſtri Langiorum familia, Canonicus Cathedralis Eccleſiæ, à quo, poſtquam Româ redierat, politiores literæ per Weſtfaliam mirificè coli cœpêre. Multum is adamatus honoratusque ab Henrico Epiſcopo, hoc anno ex typis Monaſterienſibus Joannis Limburgij poëmata ſua in lucem dedit.

Trithem. de ſcript. illuſt. Germ. Petr. in Biblioth. Carthuſ. Florent hoc tempore Wernerus Rolevinch Rudolphus Langius.

Annus Chriſti 1492.

Innocentij VIII Pont. 8.
Friderici IV Imper. 53.
Simonis III Ep. Pad. 30.

Trithem. in chron. Sponh. Heuter. l. 4. Naucler. Gen. 50. Pont. l. 11. Chron. Col. Brouver. in annal. Trevir.

Nulla exinde Imperij pars turbatior, quàm Belgium & Geldria. Nam cùm Maximilianus Romanorum Rex Germanicis Ungaricisque negotijs occupatus teneretur, Gandavenſes Duce Philippo Clivio cœptâ rebellione tumultuantur. Ac Clivius, licet Adolphi Patris aliorumque precibus invitaretur ad pacem, eâ tamen rejectâ, ſe Galli clientem profitetur, atque ex Sluſa munimento regios infeſtat; ſparſo etiam in vulgus libello, quo malam cauſam peſſimis argumentis obvelare conatur. Præter Hocxios & Cabillavios, quorum alij Maximiliano, alij Clivio hærebant, nova præterea rebellium factio in Hollandia coorta, qui ſe Caſenbrotios appellabant, queſti ſe adeo Maximiliani Regis exactionibus exhauſtos, ut præter panem & caſeum nihil ad inopem vitam relictum; eò, poſtquam ad arma perventum, in ſignis militaribus panem & caſeum circumtulêre, Geuſiorum proludia. Hi facta conſpiratione Harlemium occupant; quam urbem ſæviendo in Magiſtratum ſedem belli delegêre. Quos tamen

Novi in Belgio motus & factiones.

brevi

brevi Albertus Saxo multis præliis disjecit; & qua erat felicitate armorum, Gandavenses ad pacem coëgit, oppugnataque Sluſa, Clivium ſubactum in gratiam recepit.

Gelriam Carolus Egmondanus repetit.

At longè gravior rebellionis procella Geldriam concuſſit, poſtquam Carolus Egmondan⁹, animoſus XXIV annorum juvenis à Gallis dimiſſus, Gallorumq; & Vincentij Comitis Mörſani auxiliis præmunitus, cœpit Geldriam majorum provinciam repetere. Is Calend. Aprilis Ruremundam, mox Venlonam, ac deinde Neomagum ingreſſus ingenti omnium gratulatione excipitur, & Dux Geldriæ ſalutatur; cui & cetera ferè Oppida, factâ à Maximiliano defectione, juramentum fidei dixêre. Auctor eſt ſcriptor Chronici Tremonienſis Carolum Egmontanum & Henricum Monaſterienſem Epiſcopum Tremoniæ conveniſſe; haud dubium, quin collatis conſiliis Carolus veterem Geldriæ patronum & conſanguinei Epiſcopi auxilia implorârit; ſed ille tam metu Cæſaris & Maximiliani Regis, quàm Capituli atque ordinum ſuorum, à quibus jam ante Geldriæ illi bella interdicta erant, ab hac armorum ſocietate manum retraxit.

Cæſar ſubſidia belli ſollicitat, ſed cunctantes Imperij Principes habet. *Trithem. in chron. Spon. Brouver. in annal. Trevir.*

Ad hos motus, qui à Gallis incendebantur, Cæſar & Maximilianus Rex menſe Septembri Confluentiæ conventum habuêre; ad quem ubi quatuor ampliſſimi Septemvirorum proceres ac reliquarum civitatum Oratores acceſſêre; Cæſar de bello adverſus Galliarum Regem ſuſcipiendo egit, ad vindicandas injurias filio Regi illatas: at Principes alieni à bello, quod ob raptum unius fœminæ gerendum eſſet; & cùm de tributis bellique ſubſidiis, quæ ad cætera bella poſtularentur, ſollicitaret Rex ac Cæſar, lentos quoq; habuêre Principes.

Moritur Innocentius PP. ſuccedit Alexander VI. *Raynald. in hiſt. Eccleſ. Marian. Volater. Naucler. Gen. 50.*

Medio anni tempore, XXV nimirum Julij, feſto D. Jacobi, vitâ defecit Innocentius VIII Pontifex, lectusque eſt in ejus locum non ſine ambitus infamia III Idus Auguſti Rodericus Borgia Cardinalis, gente Hiſpanus, qui Alexandri VI nomen ſumpſit. Præſul magnis quidem naturæ dotibus ornatus, ſed multis corruptis moribus, ſeu, ut Langius noſter, *vir ævo grandis et mirus, in quo vitia æquabant virtutes*, inter tot optimos, qui anteceſſêre, & ad hunc diem conſecuti ſunt Pontifices, labes Apoſtolicæ ſedis.

Bellum Henrici Ep. Monaſt. cum Friſiis. *Vbbo Emmius lib. 30. Hiſtor. Friſiæ.*

Nihil per hæc turbarum in Weſtfalia præter bellum, quod Henricum Monaſterienſem Epiſcopum cum Eduardo Friſiisque geſſiſſe refert Emmius; cauſa belli nulla adſcripta, niſi quòd ex libidine bellandi & prædandi auctor tradat, Monaſterienſes ex Weſterwoldio agro in Groninganos & Reidanos irrupiſſe, inde rapto agmine Wimeram, Bonam, Bundam vicos ad Dullarti oras diripuiſſe, Weneram præterea inſigne forum apud Reidanos petiiſſe, atque illic pulcherrima dona templi abſtuliſſe, ſpoliato fano

ignem incendiarium præsulem injeciſſe; & quibus non calumnijs integerrimum virum insectatur hæreticus ille scriptor, ubique in Episcopos maledicus, qui res suas magnis verborum fumis, nullo fere auctore producto, uti pro ingenio virulentus, pleraque fingit.

Ejus veriores causæ.

Sed justiores belli causas cognoscet hic scriptor ex querelis Henrici Episcopi ad jurisdictionis Ecclesiasticæ violatores & perturbatores perscriptis. Quàm in rem ipsas Pontificis literas hactenus nondum in publicum prolatas hoc loco interest producere.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ad ea libenter attendere, per quæ patratores excessuum debite puniantur, ut illa, quæ ad eorum comprimendam potentiam provide sunt inventa remedia, sortiantur effectum, suæ solicitudinis partes adhibere. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Henrici Episcopi Monasterienſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ecclesia Monasterienſis ab ejus primeva fundatione, sive à tanto tempore, citra quod de ejus contrario memoria hominum non existit, habuit habereque consuevit Ecclesiasticam jurisdictionem in certis Frisiæ partibus, et in illis nonnullas præeminentias, præposituras nuncupatas, personis etiam Laicis præsertim nationis Frisiæ conferri et committi solitas, et talis præpositura, dignitates, personatus, administrationes, officia, vel beneficia Ecclesiastica in aliqua Metropolitana, Cathedrali, Collegiata, conventuali, Regulari, seculari, vel curali Ecclesia, Capella, Leproſorio, Oratorio, Xenodochio, aut aliquo alio loco Deo dedicato non existunt, et in cujuslibet Præpositurarum hujusmodi limitibus respective ipse Henricus et pro tempore existens Episcopus Monasterienſis suas constitutas sedes habet, ad quas suos Officiales foraneos congruis temporibus anno quolibet ad cognoscendum de causis ad forum Episcopale pertinentibus mittere consuevit, et ipsi Officiales sine assistentia, favore et adjutorio eorundem Præpositorum propter immanitatem, ferocitatem, et rebellionem hominum dictarum partium ad exercitium jurisdictionis hujusmodi, ut verisimiliter creditur, non admitterentur, qui quidem Præpositi nullam jurisdictionem in Clericos, sed tantum in Laicos infra limites earundem Præpositurarum habent, et Coadjutores Cooperatores, et Defensores jurisdictionis Ecclesiasticæ Monasterien. existunt: nec consueverunt tales præposituræ, tanquam tituli beneficiales alicui Ecclesiastico conferri, vel assignari, seu pro talibus impetrari, aut sub aliquibus regulis Cancellariæ Apostolicæ vel concordatis Nationis Alamaniæ quomodolibet comprehendi, et hy, qui præpositurис præfatis præfici soliti fuerunt, Laici uxorati frequentius quam Clerici existunt, quibus conceduntur ad finem, ut protegant, tueantur, et defendant jurisdictionem Ecclesiasticam Monasterien. hujusmodi in partibus illis, absque eo, quod habeant in personas Ecclesiasticas jurisdictionem, seu coactionem aliquam, ut præfertur; Et si Ecclesia Monasterienſis tales præposituras, et Præpositos non haberet, nullatenus adulteria, incestus, hereses, sortilegia, superstitiones, excessus, crimina, et delicta cohibere et corrigere posset. Sed propter multiplices hominum excessus pateretur plurimas tribulationes, molestationes, inquietationes, et

alia

alia detrimenta. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, ex hujusmodi assistentia delinquentium excessus puniantur, et provideatur, ne alii ad delinquendum inducantur, timentes relictorum suorum punitionem, pro parte dicti Henrici Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut consuetudinem assistentiæ hujusmodi hactenus laudabiliter observatam approbare, et inposterum observari debere, decernere, aliasque in præmissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui ad illa, ut tenemur, libenter intendimus, per quæ locorum ordinarii, et alii præsidentes officiis, ad quos spectat, commissa crimina liberius punire valeant, et sic puniendo illis et aliis eorum exemplo similia committendi audaciam interdicant, præfatum Episcopum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac præeminentiarum, sive coadjutoriarum, et præposituraruum hujusmodi alias qualitates, et situationes pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, consuetudinem assistentiæ prædictam hactenus, sicut præfertur, laudabiliter et inconcusse observatam auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus et confirmamus, ac prout hactenus observata extitit, etiam in futurum observari debere, dicta auctoritate decrevimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo tertio, Nonas Februarii Pontificatus nostri anno primo.

A. de Maffeis

M. de Theobald. Jo: de Regio Jo: de Cardona. L. de Alteriis Jo: de Bostys, Cherarus, D. Sirrano.

Habuere ejusmodi præposituras supra sedecim Episcopi Monasterienses in Frisia: nec aliam ob causam cum sæcularibus è nobilitate viris, præter morem Ecclesiæ, communicatæ fuerunt, quàm ut Episcopos & ministros Episcoporum juvarent ad jura Ecclesiæ defendenda, effrenemque illum populum in officio, & obedientia continerent. Et quæ non molestiæ Episcopis cum Frisijs, quæ suis Principibus & Regibus toties rebelles fuêre? sicuti postremum etiam Maximilianus Rex Alberto Saxoniæ Duci, ut auctor est Langius, ob merita & res præclarè gestas Frisiam donavit, siquidem gentem illam ad obedientiam deducere posset. Nunquam genti illi de libertate satis consultum videri potuit, nisi postremum admissa hæresi, ab omni se obedientia Ecclesiæ Catholicæ exsolveret.

Annus Chriſti 1493.

Alexandri VI Pont. 1.
Friderici IV Imp. ultimus.
Simonis III Epiſc. Paderb. 31.

Bonfin. Naucler. Spondan. Heuter. Cuſpinian. Trithem. in chron. Sponh. Chron. Colon. Wittius in chron. Brouver. lib. 19. Pontan. l. 11.

Innocentium Pontificem Fridericus Imperator anno proximo ſecutus, mortalitatem Lintzij in Auſtriâ implevit. Dies mortis ab alijs Calendæ Auguſti, ab alijs ſeptimus Septembris, ab alijs vigeſimus Septembris notatur; veriſimilius, qui XIV Calend. Septembris obiiſſe tradunt; quo calculo regnavit à prima electione Francofurti facta annos LIII, menſes IV, dies XVIII; ab eo verò anno, quo Romæ coronatus Cæſar, XLIII, menſes V. rara temporum regnandi diuturnitate & felicitate, quæ poſt Octavium Auguſtum nulli exinde Cæſarum obtigit. Annum ætatis explerat LXXVIII; neque facilè etiam Cæſar, qui majori continentia cibi potusque vixerit, vino modico, eoque diluto in cæna uſus, rariſſimè extra eam. Multa in hoc Cæſare laude digna, ſicut commendat Æneas Sylvius. Animus ſedatus & tranquillus, ingenium perſpicax, memoria tenax, fervor religionis ingens, pacis & otij cupiditas, caſtus torus; ſicuti hæc pluribus etiam refert Naucleus, Langius, alijque Scriptores. Corpus Lintzio Viennam deportatum, & mauſolæo, quod ſibi parârat, illatum. Rogatus aliquando Cæſar, quid optimum in vita mortalium eſſet, reſpondit, felix vitæ exitus; ad quem & ipſe totam vitam compoſuit. Quapropter & omnibus Sacramentis ſibi rite procuratis pridie Nativitatis B. Virginis, quam ſemper ſtudioſiſſimè coluerat, exceſſit.

Obitus Friderici Imp.

Naucler. Gen. 50. Trithem.

A patris morte Maximilianus Romanorum Rex imperium auſpicatus eſt; quanquam is in diplomatis ab anno 1486, quo Romanorum Rex eſt renunciatus, annos regni ſui numeret. Nondum pacem Maximilianus ſolemni ritu in tumulum compoſuerat, cùm Turcæ poſt ingentem cladem Ungaris illatam menſe Octobri in Croatiam, & hæreditarias Auſtriæ provincias irruunt, abductis x. millibus in ſervitutem; quod ubi Maximiliano renunciatur, poſito luctu, dilatoque funere, quod fortiſſimi militis erat, exercitum XX. millium contrahit, quo in Turcas invectus, è provinciis ſuis eos ejecit.

Trithem. in chron. Sponh. Bonfin. Cromer. l. 30 Pont. l. 11. Heuter. l. 5.

Juſtis funebribus patri perſolutis, Maximilianus in cœtu Oratorum, quos Pontifex & Chriſtiani Reges ac Principes Viennam miſerant, de pace inter Chriſtianos Principes, & bello Turcis inferendo conſtanter egit. Aclicet belli Turcici conſilia evanuerint, pax tamen præſente Pontificis Legato cum Rege Francorum, magno & Imperij & Belgij bono, proceſſit. Traductaque jam in partes Maximiliani Clivio, rebellium Duce, Albertus Dux Saxoniæ Belgij Gubernator omnem militem convertit in Geldriam, ferro flammaq; omnia pervaſtando. Qua rerum mutatione conſternatus Carolus Dux Geldriæ receptus, in Lotharingiam profugit ad affinem Ducem.

Pacem Maximiliano cum Rege Francorum init.

Cœpit

Cœpit & hoc anno Westfalia suis turbis concuti. Fomes belli Nicolaus Teclenburgicus Comes; is rejecta uxore, quam habebat Wilhelmi Ducis Juliæ & Montium consanguineam, introduxerat concubinam, qua cum flagitiosè vivebat. Ea injuria matris & probro familiæ offensi filij, Otto & Nicolaus, quorum uterque absens à domo paterna, Otto in aula Episcopi Osnabrugensis, Nicolaus apud Wilhelmum Juliæ Ducem versabatur; & hic à Juliæ Duce stimulatus, instructusque militari manu, castrum Teclenburgum latenter & improviso intrat, patrem ex pellicis lecto abripi jubet in carcerem, ipse thesauris & castro potitus se possessorem facit. Flagitium Comitis etsi pœna dignum puniendumque censeretur ab omnibus; attamen quia à filio fiebat, patre in tetrum carcerem detruso; indignatus non modò Otto frater, sed & vicini Principes ac Comites, Conradus Osnabrugensis, Henricus Monasterienſis Episcopi, Comes Lippiensis, Schawenburgicus, Ritbergensis, ducto exercitu, urbeque Osnabrugensi tormenta submittente, Teclenburgum obsident, oppugnantque; vi deinde deturbaturi Nicolaum filium, & Patrem liberaturi è carcere. Quæ dum magno Westfaliæ motu aguntur, intervenit Wilhelmus Dux Juliacensis, & magna procerum multitudo; horum opera projecta concubina, filius reconciliatus patri, & fratres in gratiam redière; pactisque mutus, attributa est Nicolao fratri Lingensis toparchia, quàm incoleret, cætera Comitatûs fratres post obitum patris ex æquo dividerent. Sublato deinde patre, Ottoni Teclenburgum & Comitatus cessit, Nicolao Lingensis Toparchia. Inquieta semper capita Teclenburgenses Comites, neque novum in illa familia patres impiè tractari à filiis, quando Nicolaus Comes Teclenburgicus, horum filiorum avus, Ottonem patrem suum captivum duxit & in carcerem detrusit.

Wittius in chron. Chron. Osnabrug. Chron. Monast. Litera Conradi Episc. Osnabrug. à quo hoc anno hæc gesta asserantur. secus quàm Wittius, qui ad annum 1498. refert.

Turbæ in Westfalia exortæ ob Comitem Teclenburgicum à filio in carcerem detrusum.

Annus Christi 1494.

Alexandri VI Pont. 2.
Maximiliani IV Imper. 1.
Simonis III Episc. Pad. 32.

Maximilianus dehinc Imperator, ducta Ænoponti in matrimonium Blanca Galeatii Ducis Mediolanensis filia (quæ magnam quidem pecuniæ vim in dotem, sed nullam prolem attulit) in inferiorem Germaniam descendit cum Imperatrice, transitâque Moguntia, Bertholdum Moguntinum Archiepiscopum in comitatu habuit, quo cum Coloniam pervenit; ubi medius incedens inter Hermannum Colonienſem, & Bertholdum Moguntinum Archiepiscopos, à Clero & Magistratu IV Calend. Julij magnificè exceptus est. Inde lustrato Aquisgrano, Trajectum ad Mosam petiit, obviumque habuit Philippum filium & Margaretham filiam, quibuscum in Belgium profectus. Et verò cùm toto Belgio pacato, una Geldria tumultuaretur, excitus à Carolo Egmondano Cæsar, è Brabantia ingenti cum exercitu ad

Trithem. in chron. Pont. Heuter. l. 5. Pontanus lib. 11.

Cæsar Coloniam & in Belgium descendit.

Neomagum oppugnat.

ad Mosam movit, expugnatáque Ruremondâ, Neomagum Geldriæ factionis caput est aggressus. Oppugnata summa vi urbs, sed infelici successu; quod Trithemius ad ultionem divinam retulit, ob militum sævitiam, qua Gelriæ incolas tractârunt. Quare Cæsar in Brabanti. am regressus, Ordines ad inaugurationem Philippi deduxit, cui & solemni ritu juramentum fidei dixêre. Ita verò Cæsar, cui totius Imperij cura, ac moles incumbebat, partem oneris Belgicæque administrationis transtulit in filium; abruptaque tandem est armata illa lis de tutela filij.

Philippũ filium inaugurari curat.

Carolus Egmondanus rursum Gelriæ inhiat.

Inter hæc Carolo Egmondano facta spes ex clementia Cæsaris obtinendæ Geldriæ, qui ob id ex Lotharingia ad Cæsarem sese Graviæ commorantem contulit; multumque confisus patrocinio Imperatricis & Alberti Saxoniæ Ducis, jus suum obtendere cœpit, eòque Cæsarem commovit, ut quatuor Imperij Electorum arbitrio rem decidendam committeret; quod cùm & ab ipso Carolo admissum probatumque esset, stare debuit haud secus quàm ipse Cæsar sententiæ periculo. Post ubi Electores Carolo Geldriam abjudicavêre, quòd neque Arnoldus avus, neque Adolphus pater unquam clientelari Cæsaris beneficio Geldriam obtinuerint, armaque præterea contra Imperium gesserint; Carolus, animantibus Gelriæ civitatibus, ad arma rediit, quocum & ordines novum fœdus adversus Maximilianum pepegêre. Ad hunc modum bellum Gelricum, quod multis turbis & damnis affecit Westfaliam, protractum est.

Scilerus in chron. Pyrmont.

Descriptio Comitatus Pyrmontani.

Post turbas inter Teclenburgicos Comites consopitas, oritur altero hoc anno lis nova apud Paderbornenses ex obitu Mauritij Comitis Pyrmontani. Situs est comitatus hic in diœcesi Paderbornensi intra Brunswicensem ducatum & Comitatum Lippiensem unomilliari à Visurgi, Emmera interfluente. Olim præter Oppidum Luiden octoginta pagis excultus; quibus bello Susatensi vastatis, exustisque, decem tantummodò supersunt. Quemadmodum hæc Joannes Scilerus, arcis Pyrmontanæ præfectus, in erudito Chronico Pyrmontano, quod ex tabularij literis contextum, accuratè descripsit.

Sedes Comitum antiquitus fuit in monte Schelle haud procul à castri præsentis loco; post Comites in ipso Oppido Luiden sedem habuêre. Nam quod nunc castrum Pyrmontanum conspicitur, vallo fossisque præmunitum, à Comite Spiegelbergio anno 1526 demum exstructum. Castro adjacet celebris fons acidularum & salubrium aquarum, quem anno demum 1552 prorupisse volunt, qui multò exinde concursu hominum longè latèque accedentium in hunc diem frequentatur, multisque præsens morborum medela est, eòque vallis benedictionis B. Virginis appellatus. Propè etiam fons ferventis aheni in modum ebulliens haud multò post profiliit, aquis turbidis adeoque noxiis, ut vapore, & halitu transvolantes aves sæpè enecet; eòque nec ad potum nec alium humanum usum utilis. Tam prope se noxia & salubria terræ viscera egerunt.

Origo

Origo Pyrmontanorum Comitum ob vetustatem, sicut cætera omnia, valde obscura. Crantzius, atque alij primum Comitem à Carolo M. ex Gallia introductum, & loco impositum, idque peregrino nomine confici volunt. Quanquam id nomen non tam Gallicum sit, quam ex Græca voce πῦρ, quod ignem sonat, compositum, montem igneum dicat; nisi à Pierre, quod Gallis est Lapis & Petra, Pyrmontium petrosum montem indicet, sed hæ conjecturæ. *Crantz. l. 1. Metrop. c. 25. lib. 12. Wand. c. 24.*

Primi Comites Pyrmontani.

Primum à Carolo M. Comitem impositum Seilerus in Chronico Pyrmontano Mauritium vocat; ab eo Eitolonem filium & Ernestum Comites introducit. Sed quàm illa fabulis similia, tam obscura Comitum series ad annum 1000, à quo ex vetustis Godeschalcus, Wernerus, Hermannus, atque alij proferuntur à Seilero. Sanè in literis Falckenhagensibus reperio anno 1260 consignatis, Hermannum & Godeschalcum Pyrmontanos Comites inter liberales ejus Cœnobij conditores. Inde jam explicatior & constantior horum Comitum series (interque hos Bodo XLI Corbeiensis Abbas) ad Henricum Comitem Pyrmontanum. Is ducta in uxorem filia Comitis Diepholtij, genuit Mauritium & Joannem. Mauritius Clero adscriptus Colonien sis Ecclesiæ Præpositus fuit; Joannes familiæ stirps ex Anna Simonis III Comitis Lippiensis filia suscepit circa annum 1432 Henricum, virum militarem Lubecensis urbis præfectum, ac Mauritium, filios; & quia neutri hæres, uterque postremus familiæ fuit. Vixit quidem diu in matrimonio Mauritius Comes cum Margaretha filia Comitis Nassovij; sed cùm nulla illi proles nasceretur, bona patrimonij convertit in dotanda Cœnobia & ornamenta Ecclesiæ. Demum hoc anno 1494 Ludæ in Oppido excessit è vita, conditus in veteri, & suburbano Oppidi templo, ubi hæc tumuli inscriptio legitur.

Mauritius ultimus Pyrmontij Comes obit Ludæ.

Ultima Mauritii Pyrmonti clara propago.
Hac Comes illustri pace quiescit humo.

Et hunc Mauritium postremum familiæ, sicuti cæteros, qui antecessêre & secuti sunt, Comitatum Pyrmontanum feudi titulo & beneficio habuisse, testantur literæ Simonis Episcopi Anno 1482 consignatæ, & ipsius Mauritij rescriptum. Quare idem Simon Episcopus cùm Comitatus Pyrmontanus eo vivente rursum vacuus recidisset ad Ecclesiam Paderbornensem, feudi beneficio transtulit in Bernardum fratrem Lippiensem, qui certa etiam Episcopi fratris gratia subnixus, Comitatus possessionem cœpit. Verùm obstitit Hermannus Colonien sis Archiepiscopus, qui sibi ejus Comitatus donationem, seu ex feudo suæ Ecclesiæ, seu ex ducatu Westfaliæ vendicabat; eòque rem per multas lites & congressus deduxit, ut Comiti Lippiensi cedendum fuerit; datusque est comitatus Pyrmontanus jure clientelari Friderico & Mauritio fratribus Spiegelbergijs Comitibus. Juvit, quòd Fridericus natus esset Joanne Comite Spiegelbergio & sorore

Comitatus Pyrmontanus feudum Ecclesiæ Paderborn.

De eo lis inter Episcopum Paderb. & Archiepiscop. Colon.

sorore Joannis Comitis Pyrmontani : Et Mauritius Pyrmontanus, quem aliqui cum Mauritio Spiegelbergio confundunt, Canonicus Colonienſis & Præpoſitus Embricenſis, magno tum loco erat apud Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum, ob præclaram prudentiæ & doctrinæ famam. Quippe magnus ea tempeſtate poëta, Orator, Hiſtoricus, ac Theologus, eòque magnis encomijs celebratus à Rudolpho Agricola. Nam cum illo & Rudolpho Langio in Italiam profectus audierat Franciſcum Philelphum, Theodorum Gazam, aliosque linguæ Latinæ & Græcæ inſtauratores Magiſtros. Hæc ſubinde controverſia integre transacta inter Simonem Epiſcopum & Hermannum Archiepiſcopum, poſtquam biennio abhinc Hermannus Adminiſtrator Paderbornenſis Eccleſiæ ſolemni ritu ſuſceptus, ſed ea lege, ut Comitatus Pyrmontanus maneret feudum Eccleſiæ Paderbornenſis. Quibus deinde mortalium caſibus, poſteſſorumque brevi & infelici exitu, Comitatus Pyrmontenſis tanquam Sejani equus à Spiegelbergijs, cæſo ad S. Quiritium Philippo Spiegelbergio poſtremo ejus ſtirpis hærede, ad Comites Lippienſes, ab his ad Gleichenſes in Thuringia Comites, poſtremumque ad Waldecenſes pervenerit, & ab his ab Epiſcopis Paderbornenſibus repetitus ſit, ſuis locis memorandum erit.

Simon Ep. ætate provectus & conſanguineorum amore abreptus malè Diœceſin adminiſtrat.

Primam hujus longæ ad noſtra tempora controverſiæ, malorumque viam aperuit Simon Epiſcopus noſter, quòd, cùm Pyrmontanus Comitatus pleno planoque jure recidiſſet ad Eccleſiam noſtram, ſuorum amore abreptus transferre conatus eſt in familiam Lippienſem, quæ jam ante prodigalitate Paderbornenſium Epiſcoporum ex illa familia ampliſſimam Comitatus partem feudi titulis ac beneficijs obtinuerat, ac paulo etiam ante Comitatum Sternebergenſem avulſerat. Adeo ad corruptam ætatem perventum, qua Epiſcopi magis familiæ opem ſplendoremque, quàm Eccleſiæ ſuæ patrimonium quærebant.

Sed & alijs malis hoc languido & morbis depreſſo Epiſcopo afflicta Eccleſia Paderbornenſis, quod multis Canonici Cathedralis Eccleſiæ, & totus Clerus Alexandro Pontifici ſupplices exponunt; queſti caſtra, oppida, villas, aliaque loca & bona, proventus & cenſus, contempta omni jurisdictione ſacra, à profanis libere in prædam rapi, Clerumque ad ſummam inopiam redigi. Poſt quæ Pontifex miſeratus calamitoſum ſtatum diœceſis, Conſervatores ac Judices cum plena poteſtate nominavit, à quibus ejuſmodi raptores ſacrorum in jus vocarentur, & cenſuris Eccleſiaſticis ad reſtitutionem compellerentur. Qua ſuper re Alexandri Pontificis literæ apud nos ſervantur, Romæ apud S. Petrum ſexto Idus hujus anni datæ; eas verò, quia prolixæ, nec aliud quàm Apoſtolicæ Sedis patrocinium continent, hic proferre ſuperſedeo. Et ſatis hæc commonſtrant, quàm exigua fuerit Simonis Epiſcopi auctoritas, à quo ne Clerus quidem ejus à publicis injurijs defendi potuit.

Annus

Annus Christi 1495.

Alexandri VI Pont. 3.
Maximiliani IV Imper. 2.
Simonis III Episc. Pad. 33.

Annum proximum sæculi nonagesimum quintum illustrem fecit Maximilianus Cæsar primis suis, quæ habuit, comitijs Wormatiæ indictis. Ea, si unquam, celeberrima fuêre. Nam præter Bertholdum Moguntinum, Hermannum Coloniensem, Joannem Trevirensem, cæterosque Electores, adfuêre Principes quadraginta quinque, Comites sexaginta septem, ingens, ut inquit Trithemius, Episcoporum, Principum, Abbatum, atq; omnium Imperij ordinum, procerum, & Legatorum multitudo, qui ritu veteri consedêre in conspectu Imperatoris throno suo sublimis. Protracta comitia à mense Aprili in Septembrem. Capita deliberationis fuêre bellum Turcarum, & Carolus Galliarum Rex, qui cum instructissimo exercitu Italiam ingressus, Neopolitanum regnum, Apuliam, multaque loca torrentis instar occupârat; ob quæ Imperator à Pontifice & Italiæ Principibus imploratus. Placuit quidem Principibus ad utrumq; bellum suscipiendum leve quinquennij tributum indici; verùm cùm Principum pars major duo primum necessaria poscerent, pacem domesticam Imperij, & nervum pecuniæ tantis bellis parem, consilia hæc irrita diffluxêre.

Naucler. Gen. 50. Trithem. Pont: Heuter. lib. 5. c. 4. Ursberg. Paralip. Serrar. in Mogunt. Brovver. lib. 19. annal. Trevir.

Comitia Imperij à Maximiliano Wormatiæ indicta.

Inde Cæsar & Principes, consilijs ad Rempublicam conversis, rem longè celeberrimam, publicum videlicet Jmperij tribunal & judicium, quod *Cameram Imperialem* dicunt, instituêre. Auctor ejus Bertholdus Comes Hennebergius Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster. Is qui Archicancellarius Jmperij diu aulam Jmperatoris secutus, viderat quanta Jmperatoris fatigatione, & populorum molestia, & rei difficultate causæ per Jmperium litigantium deferrentur ad Cæsarem decidendæ, perfecit, sua eloquentia ac sapientia apud Cæsarem Maximilianum & Principes Jmperij, ut Spiræ tribunal illud erigeretur. Delecti plerique Barones, Nobiles, ac juris scientissimi cognitores & judices causarum: præscripta jurisdictionis forma, & ad certa capita dilucidè redacta. Qua judicij institutione nullum præsentius remedium fuit adversus tumultuaria bella tandem è medio tollenda, quibus tot annis Germania, & cumprimis Saxonia nostra miserandum in modum dilacerata fuit. Quemadmodum hæc ex Comitiorum decretis planiùs recognosci poterunt.

Camera Imperialis Spiræ erigitur.

Jn his præterea comitijs judicium Westfalicum, quod secretum vocant, emendatum, & ad formam à Carolo M. institutam reductum est; nimirum ut non nisi viri ingenui, prudentes, & legum periti deligantur præsides; ac ea tantùm crimina puniantur, quæ legibus Carolinis præscripta sint; serventurque præterea, quæ à Theodorico Coloniensi Archiepiscopo, jubente Sigismundo Augusto, & quæ

Judicium Westfalicum ad antiquas leges reducitur.

à Friderico Jmperatore sancita sunt, Quæ satis simul indicant per id tempus judicium illud Carolinum occultumque adhuc valuisse.

Annus Christi 1496.

Alexandri VI Pont. 4.
Maximiliani I Imper. 3.
Simonis III Ep. Pad. 34.

Heutterus Chron. Colon. Trithemius in Chron. Reynaldus in Hist. Eccl. Ursperg. Paralip. Contanus.

Tranquillissimus annus Germaniæ Jmperio consecutus; postquam in Germania pax publica Wormatiæ sancita, & Belgium omne Philippum Maximiliani filium inauguratum Principem suum recepit. Hinc ille exeunte Aprili è Belgio in Germaniam profectus, & sub initium Maji Coloniæ magnificentissimè exceptus, Viennam properavit, quam pridie Calend. Julij attigit, ubi cum Maximiliano Cæsare Patre de rebus domus Austriacæ & Burgundiæ collocutus, Oenipontum Pater & filius concessêre. Inde Philippus festinatis itineribus in Belgium regressus, Liræ in Oppido Brabantiæ Joannam Aragoniam Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ Regum filiam 12 Calend. Novembris sibi jungit, fortunatissimo matrimonio; quo Hispaniam, Indiam, & complura regna in domum Austriacam intulit; patri connubio non infelicior, qui cum Maria Burgundi filia Belgio auxerat familiam suam. Cæsar post discessum filij expeditionem in Italiam sumpsit, invitatus ab Alexandro Pontifice, Venetis, & Duce Mediolanensi Sfortia. Ac postquam Mediolani in Basilica D. Ambrosij ferrea corona fuit insignitus, Romam parabat ingredi, ut à Pontificis manu auream coronam caperet; at digno ad hanc rem apparatu nervoque destitutus, iter in Germaniam relegit, pollicitus se Cæsarum more pro magnificentia rediturum. Et jam Gallorum fortuna prociderat in Jtalia. Quippe qua felicitate Neapolitanum regnum occupârat, eadem levitate amiserat Carolus Rex in Galliam regressus. Quo Gallorum recessu fœda illa lues, quam alij ab origine Jtalicam, alij Gallicam dixêre, latè per Gallias, Hispaniam & Germaniam ad Rhenum proserpsit.

Cæsar ferrea, de more, coronâ Mediolani insignitur.

Wilhelmus Heda in histor. Ultrajaj. Moritur David Episc. Ultrajectensis.

Supremus quoque hic annus vitæ fuit Davidi Ultrajectensium Episcopo, 16 Aprilis; ex quo per xxxix annos & ix menses Episcopatum illum varia fortuna administrárat. Quem virum etsi in multis reprehendas, hoc uno tamen laudabilis fuit, quòd oppida, arces, & nobilissimam illam diœcesin integram, & ab omni onere liberam, D. Martini patrocinio, Ecclesiæ suæ reliquerit. Indictis pòst mense Majo eligentium comitijs, ab Episcopo Monasterienſi, Duce Juliacensi, & Comite Benthemensi commendatus Philippus, Ducis Clivensis frater, Chori Trajectensis Episcopus, quem alij Engelbertum vocant; at concordibus omnium suffragijs delectus est Fridericus Marchio Badensis, Colonienſis Ecclesiæ Thesaurarius, patrocinio cumprimis Maximiliani Cæsaris, quòd Caroli Marchionis ex sorore Friderici III Jmperatoris filius esset.

Cui succedit Fridericus ex Marchionibus Badensibus.

Et hoc

Et hoc anno in Paderbornensi Ecclesia nostra mutatio. Gubernârat jam in xxxiv annum Simon Episcopus diœcesin; sed quia & senio confectus, & paralysi, alijsque morbis depressus jacebat, quo minus, ut res & tempora poscebant, diœcesin administrare posset, id quod hactenus Canonicorum & ordinum consilijs pertractatum erat, delectus est, consentiente tandem Simone, Hermannus Colonensis Archiepiscopus Coadjutor Episcopatus, qui & certo Successoris jure Administrator Episcopus subrogaretur. Atque hæc electio ut primùm Alexandro Pontifici perscripta, expositumque quanto diœcesis bono id factum esset, Pontifex hisce rescriptis ad Capitulum literis electionem ratam habuit. Hermannus Archiep. Colon. eligitur Coadjutor Pad.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis, Capitulo Paderbornensi salutem et Apostolicam benedictionem. Hodie assumptionem per venerabilem fratrem nostrum Synonem Episcopum Padeburnensem senio confectum de persona venerabilis fratris nostri Hermanni Archiepiscopi Colonensis in ipsius Episcopi Coadjutorem in regimine et administratione Ecclesiæ vestræ Padeburnensis, quam diu illi præesset, de consilio, et consensu majoris et sanioris partis vestrum factam de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica confirmavimus et approbavimus, ipsumque in Coadjutorem præfati Episcopi dedimus, constituimus, et etiam deputavimus cum plena, libera, et omnimoda voluntate et potestate gerendi et exercendi omnia, quæ ad officium ipsum quomodolibet pertinent de consuetudine vel jure, ac cedente vel decedente dicto Symone Episcopo, seu regimen et administrationem dictæ Ecclesiæ alias quomodolibet dimittente, et illa quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacante, ex hodii, prout ea tunc, et è contra eundem Hermannum Archiepiscopum perpetuum Administratorem in eisdem Spiritualibus et temporalibus dictæ Ecclesiæ de simili consilio etiam constituimus et deputavimus, ac constitutum et deputatum fore decernimus, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Hermannum Archiepiscopum ex tunc tanquam Coadjutorem præfati Symonis Episcopi, et eodem Episcopo cedente vel decedente, seu regimen, et administrationem prædicta alias quomodolibet dimittente tanquam Administratorem dictæ Ecclesiæ, ac Patrem et Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore et exhibentes cum his, quæ ad dictæ Coadjutoriæ officium pertinent, eo durante, et deinde tanquam administratori Ecclesiæ prædictæ obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ejus salubria monita et mandata suspiciatis humiliter, et efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam, quam idem Coadjutor, et deinde Administrator rite tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo sexto, tertio Id. April. Pontificatus nostri anno quarto. Cujus electio à Pontifice probatur.

Inde Hermannus Colonensis Archiepiscopus solemni ritu Coadjutor receptus, introductusque post festum D. Remigij, privilegia

Brakelensium, Warburgensium, aliarumq; civitatum confirmat. Tum verò Simon Episcopus in arcem Dringenbergensem ad quietam privatamque vitam secessit, retento tamen Episcopi nomine & honore, quando & hoc anno, ut supra diximus, mense Octobri diploma dedit Blumbergensi Cœnobio PP. Augustinianorū Episcopi nomine consignatum, quo eidem donationes certas fecit pro Episcopi potestate.

Annus Christi 1497.

Alexandri VI Pont. 5.
Maximiliani I Imper. 4.
Simonis III Episc. Pad. 35.

Trithem. in Chron. Sponh. Chron. Holland. Pont. Heut. lib. 5. Bontan. l. 11. Histor. Clivia. Teschem.

Turbæ Belgicæ à Carolo Egmondano motæ.

Publicam dehinc Imperij inferiorisq; Saxoniæ pacem conturbavit anno consequente Carolus Egmondanus. Quam ægre is hactenus se à Ducatu Geldriæ, quam ab avo patreq; sibi vendicabat, depelli patiebatur; tam pertinaciter se objecit sententiæ quatuor Imperij Electorum, à quibus illi ducatus abjudicatus erat. Hic igitur collectis ad Mosam consPirantium copijs, incursare Geldriam, sollicitare ordinum & urbium animos, & omnia novis rebellionum turbis involvere. Proni omnes, cumprimis Neomagenses, quòd proprium Ducem mallent, quàm Burgundico Belgicoque imperio comprehendi. His ad Philippum Archiducem prolatis, qui per id tempus apud Hollandos inaugurabatur, misit ille Albertum Saxoniæ Ducem, supremum militiæ suæ præfectum, cum exercitu in Geldriam. Ejus bellica fortitudine Leredamum à Carolo receptum; Oppida præterea expugnata, & provinciæ ferro flammaque vastatæ, dum flagrans hoc bellum ad inducias deduceretur.

Crantz. l. 13. Saxon. c. 23. Chron. Monast. Kersenbr. in Episcopo Monast. Langius.

Expeditio Henrici Ep. Monast. contra Frisios.

Alterum hujus anni bellum inter Henricum Monasterienſem Episcopum, Edsardumque Frisiæ Comitem ac Frisios. Frisij quippe, uti Crantzius inquit, fluxa fide populus, ruptis, in quas ante biennium convenerat, pacis conditionibus, redière ad ingenium & insolentiam, jura sacra ac civilia violando, Episcopi ministros injurijs vexando, liberam Amasis navigationem impediendo & quæ ejusmodi cum Edsardo Comite veteres ac graves erant controversiæ; postea quam Ulricus ejus pater, primus ejus loci Comes, Oppidum Embdam & arcem, verum Ecclesiæ Monasterienſis peculium, ut supra retulimus, ac cætera bona invaserat, averteratque à patrimonio D. Pauli, neque clientelari quidem beneficio accipere dignabatur. Hæc magnanimum & fidum Ecclesiæ Episcopum commovêre, ut majori quàm unquam apparatu armorum Frisios aggredi, & jura Ecclesiæ suæ possessionesque bonorum restituere in integrum decerneret. Verùm dum ad hanc expeditionem ingentibus se animis accingit, alieniſſimo tempore, & magno omnium suorum luctu, nono Calend. Jannuarij, in ipso pervigilio Natalis Christi, sumptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis, è mortalium vita eripitur; sicuti hæc Rudolphus Langius certus & præsens rerum Scriptor consignavit.

In qua moritur.

gnavit. Corpus, sicuti vivus petierat, delatum in Basilicam Monasterienſem, conditumque ad aram D. Pauli, quam ante chori ingreſſum columnis, arteq; elegantem conſtruxerat; tumulus etiam cæteris magnificentior è nigro marmore paululum ſupra terram erectus, cippoque lamina ex Orichalco impoſita, cui Epiſcopi effigies & inſignia impreſſa. Supra è tholo ſuſpenſum aureum vexillum, aquila nigri coloris decorum, donum à Friderico Imperatore ob res ad Noveſium fortiter geſtas tranſmiſſum. Cùm alia, tam hoc à Langio epitaphium adſcriptum.

Ænea Pontificis ſpectans monumenta Viator,
Noſce Aquilas, magni Cæſaris arma tuli.
Viribus Harpſtedium cœpi prædone fugato,
Et Delmenhorſti mœnia ſæva nimis.
Senſerunt Friſiique truces mea tela, vel armis
Edocui vinci, quod potuêre meis,
Hinc morior læto ſucceſſu: Quique ſuperbis,
Diſce mori, properat mors cita, diſce mori.

Geſſit Archiepiſcopatum Bremenſem annis tribus antequam Epiſcopus Monaſterienſis legeretur. Inde utrumque Epiſcopatum per annos triginta duos adminiſtravit; poſitoque Archiepiſcopi titulo, poſtquam Monaſterienſis Epiſcopus factus, Adminiſtratorem ſe Bremenſem, & Epiſcopum Monaſterienſem ſcripſit, raro ſanè exemplo. Tanti Epiſcopatum Monaſterienſem fecit, adeoque dilexit Monaſterienſes, ut apud eos maximam vitæ pàrtem egerit, eorumq; Eccleſiæ Delmenhorſtium tranſcripſerit, quod, ut Crantzius inquit, Monaſterienſium viribus expugnârat. Queſti quidem Bremenſes, negligi ſe, & Monaſterienſes coli; at poſtquam vita exceſſit, & ſucceſſorem Joannem, cognomento Rode, nacti ſunt; tum primùm magnis deſideriis repetitus Henricus Epiſcopus; quemadmodum præſentem virtutem faſtidimus, amiſſam requirimus. Nam Langij teſtimonio omnibus Epiſcopi & Principis virtutibus conſpicuus fuit; qui religione, bellica fortitudine, liberalitate, clementia, ac pietatis ſtudio omnes ejus ætatis præſules antegreſſus, quique Geldrorum ordinum judicio res Eccleſiaſticas & civilia pari ſemper virtutum laude adminiſtrarit. Vir magnæ auctoritatis apud Cæſarem, & Principes Imperij, in quo regius familiæ animus & ſpiritus illuxerit. Ejus ſeveritate prædones caſtigati, caſtra raptorum everſa, publica viarum & mercimoniorum ſecuritas reddita; expugnatoque caſtro Delmenhorſtano, tanta per eas regiones tranquillitas parta fuit, ut publicæ pacis conditor appellatus ſit. Nihil jam attinet res ab eo domi bellique geſtas repetere, quas magnam partem hiſtoricæ narrationi inſcripſimus.

Crantz. l. 12. Metrop. c. 23.

Succeſſorem in Epiſcoparu Monaſterienſi habuit Henric⁹ Conradū Comitem Ritberg. Oſnabrugenſem Epiſcopum; quem inſtituta matura

Crantz. l. 12. Metrop. c. 24. Chron. Monaſt.

Kersenbroc. in catal. Episcop. Monast. Henrico in Episcopatu Monast. succedit Conradus Comes Ritberg. Ep. Osnabrug.

matura deliberatione Canonici concordibus suffragiis postulavêre, virum, ut inquit Crantzi⁹, insignem; sed ea lege, ut quemadmodũ Henric⁹ Episcop⁹ fecerat, abdicato Episcopi Osnabrugensis titulo, se Episcopum Monasterienſem, & Osnabrugensis Ecclesiæ Administratorem scriberet. Id cùm Monasterienses suæ dignitati, diœcesis opulentiæ, & armorum potentiæ deferri vellent, non recusavit Conrad⁹ Episcop⁹, Ac ne, ut Henric⁹ Episcopus fecerat, exteris se armis implicaret, ea simul lege admiserant, ne sine consensu Capituli & ordinum bella & res majores momenti susciperet. Id frenum tum temporis adhibendum ordines consultum habuêre. Scriptum deinde ad Alexandrum Pontificem; qui cùm electionem gubernationemque harum duarum Ecclesiarum sub uno rectore comprobaret, altero anno solemni ritu introductus est. Adeo jam ante hæresin ob temporum injurias invalescere cœpit, ut duo Episcopatus cum primis per Westfaliam & Saxoniam unius Episcopi regimini permitterentur.

Ac Simon Episcopus noster etsi in privatam vitam abierat, *hoc* tamen anno pro retenta Episcopi auctoritate mille & centum florenis oppigneraverat castrum & Wigboldum Calenbergium Wolfio & Ravenoni fratribus Calenbergiis: in quem verò usum pecuniam illam converterit, in literis suppressum est.

Annus Christi 1498.

Alexander VI Pont. 6.
Maximil. I. Imp. 5.
Simonis III Ep. Pad. 36.

Trithem. in Chron. Sponheim. Pont. Heut. lib. 5. Annales Holland. Langius in Chron. Pontan. lib. 11. Cæsar bello Helvetico & Geldrico occupatur.

Cæsar dehinc anno proximo duplici bello involutus, quorum alterum fuit Helvetium in superiori Germania, alterum in inferiori Geldricum. Quam ob rem Friburgi in Brisgoa mense Junio Principum comitia indixit, quæ magno Principum & procerum conventu celebria fuêre; actumq; in his de bello Turcico, Helvetico, & Geldrico, quæ majoribus Principum promissis, quàm factis, cassum exitum habuêre. Nihilo tamen minus Cæsar ad inferiorem Rhenum profectus Geldriam invasit, multasque munitiones deditione accepit; sed mox in superiorem Germaniam ob bellum Helveticum evocatus, Philippo filio & Alberto Duci Saxoniæ expeditionem belli Geldrici commisit: quibus Dux Juliæ, & Cliviæ ex fœdere cum Cæsare Friburgi inito suas copias junxêre: quam tamen belli molem Carolus Egmondanus, copiis Gallicis adjutus, Gelrique magnis animis alternaque fortuna excepêre.

At Cæsar, quòd Juliæ & Cliviæ Duces offendere, & abiis Juliæ ac Montium Ducatus, quos Alberto Saxoniæ Duci promiserat, avertere non auderet, alio consilio Albertum Saxonem perpetuum & hereditarium Frisiæ gubernatorem fecit; siquidem gentem illam, quæ ab omni Imperio Belgico se exemptam ferebat, subigere

subigere posset. Quam provinciam cum susciperet Albertus Dux, novum inde bellum Frisiæ annis proximis excitatum est.

Inter hæc moritur hoc anno Nonis Martii Simon Paderbornensis Episcopus noster in arce Dringenberg, sicuti hunc annum & diem obitus in Necrologio Cathedralis Ecclesiæ, Cœnobii Gerdensis & Abdinghoviani, & ab aliis consignatum habemus; fallitq; nos Pideritius, qui I Novembris obiisse scribit. Funus Paderbornam deductum, ubi in Cathedrali Ecclesia obscurum tumulum nactus; quemadmodum res ab eo gestæ in obscuro jacent, tametsi in annum trigesimum sextum Episcopatum administrârit. Apud scriptores & in monumentis nostris modica ejus commendatio; præterquam quòd turbulentis temporibus diœcesin laudabili prudentia & moderatione gubernasse scribit Bruschius & Kersenbrochius. Gerdenses Virgines in fastis suis commendant ab eo Cœnobium suum ad meliorem formam redactum. Quid verò in cæteris pro disciplina Cleri & populi instauranda egerit, aut quas unquam synodos habuerit, Sacerdotes consecrârit, ac cætera Episcopi munia obierit, annotatum non reperio. Quare ex silentio scriptorum non tam laudis, quàm vituperationis materiam reliquit. Depravatum fluxumque in hæresin seculum, quod ab ignavia & insciția multorum Episcoporum originem habuit: videnturque hoc passim egisse, ut boni magis Principes, quàm Episcopi essent.

Necrologia Bruschius in Catal. Kersenbrochius. Pideritius. Obitus Simonis Ep. Paderborn.

Simone sublato, Hermannus Colonienſis Archiepiscopus pleno jure ac potestate Administrator Episcopatum Paderbornensem adiit. Is hoc anno pro Metropolitani auctoritate Conradum Monasteriensem ac provincialem suum Episcopum, post allatam Roma confirmationem, magno Comitum, procerum & nobilium comitatu post festum D. Lamberti diem introduxit; magnaque ordinum concordia & lætitia omnium inauguratio peracta est.

Miserat jam ante inaugurationem Conradus Monasterienſis Episcopus Gumpertum Newenariæ Comitem, eumque, ut literæ habent, Colonienſis urbis Advocatum, Legatum ad Maximilianum Jmperatorem. Atque hic postquam 24 Julij Conradi Episcopi nomine Friburgi in conventu Principum Cæsari fidem jurasset, obtinuit à Maximiliano Cæsare ampliſſimas literas, quibus utriusque Episcopatus jura regalia & privilegia Conrado instaurat confirmatque. Inter hæc, quod peculiariter nominatimque primùm voluit, Cæsar Conradum ut Monasterienſem Episcopum Delmenhorstio & Harpstedio investit, regalique donatione omnia utriusq; loci bona ac jura impertit; sicuti ea Henricus Episcopus à Friderico Cæsare jam ante obtinuerat, & post Conradum Ericus Monasterienſis Episcopus, Coloniæ anno 1521 Wormatiæ, & Fridericus de Weida Episcopus ab eodem Carolo V. Spiræ anno 1528, Franciscus de Waldeck Episcopus à Ferdinando I Romanorum Rege anno 1537 Cremptij

Ex Archiv. Burano tom. 4. Conrad9 Ep. Monast. regalia à Cæsare obtinet.

ac

ac postremùm etiam Wilhelmus Kettelerus anno 1554 Bruxellis die 27 Februarii à Carolo V. Cæsare impetravêre; è qua tamen possessione tot Cæsarum donationibus confirmata primùm per vim à Comite Oldenburgico, ac postremum sententia Imperialis judicij ut suis locis memorabilitur, extrusi Monasterienses.

Summa Westfaliæ hoc tempore tranquillitas, sub Hermanno & Conrado Episcopis.

Quod verò ad præsentem rerum statum, de quo agimus, hic cumprimis attinet; nihil ad tranquillitatem salutemque totius Westfaliæ optatius accidere poterat, quàm amicitia, summaq; concordia inter tot potentissimos totius Westfaliæ Episcopos & Principes. Nam cùm Conradus Hermannum Archiepiscopum coleret ut patrem, ac vicissim ille Conradum amplecteretur ut filium suum, quo amoris testificatione se mutuo compellabant; consecuta est una in pacem totius Westfaliæ conspiratio; nec repertus, qui se contra potentes hosce Principes comovere auderet; cùm Hermannus totam Colonienſem diœcesin, & ducatum Westfaliæ cum Episcopatu Paderbornensi, Conradus verò ampliſſimam diœcesin Monasterienſem cum Episcopatu Osnabrugensi in potestate haberet. Quare sub iis rectoribus non modò per Episcopatus, sed & per totam Westfaliam pacis tranquillitas & temporum felicitas fuit; ut non immeritò uterq; pacifici Principis nomen apud posteros reliquerit.

Annus Christi 1499.

Alexandri VI Pont. 7.
Maximiliani I Imp. 6.
Hermanni Colon. Archiep. Paderborn. Administr. 1.

Litera Paderborn. Hermannus Archiep. Monasterium Questelberg Crucigeris attribuit. *Vbbo Emmius lib. 35. Histor. Frisiæ.*

Altero dehinc anno, qui seculi hujus nonagesimus nonus erat, Hermannus Colonienſis Archiepiscopus Paderbornensem diœcesin ingressus, cœpit perlustrata diœcesi ea, quæ à Simone neglecta erant tam in sacris quàm civilibus, in meliorem statum reponere; à quo & hoc anno Monasterium Sanctimonialium Questelbergium in ducatu Westfaliæ prope Oppidum Medebacum, quòd inter ruinas suas propè consepultum jaceret, Crucigeris incolendum excolendumque datum.

Litera Monaster. Conrad9 Ep. Monast. bello Frisico insistit.

Nec indiligentior Conradus Monasterienſis Episcopus in procuratione rerum sacrarum. Sed quia prima illi cura erat in affecto bello cum Edsardo Comite Orientalis Frisiæ atque ipsis Frisiis componendo, omnia studia convertit in controversiis hujus belli, quæ de jure sacrorum per Frisios, navigatione per Amasin & libero Monasterienſium mercatu in Embdana urbe jam à multis annis intervenerant, transigendis. Multa in hanc rem per Legatos utriusque partis tentata tractataque. Ac licet de navigatione Amasis, & mercatu in urbe Embdana facilè convenerit, uti id Emmius refert, & prolixæ, quas legi, transactionis literæ docent; res tamen longæ difficilior fuit de

de jurisdictione sacra (quam à D. Ludgero omnes Episcopi Monasterienses per Frisia m habuêre amplissimam) & de jure in arcem Embdanam, atque ipsam urbem; qua super re perscriptum à nobis ad annum 1253. Major pars Canonicorum Cathedralium bello, quod Henricus Episcopus cœperat, insistendum urgebat, nec ad pacem fœdusque amicitiæ transeundum, quàm Embda & jura omnia Ecclesiæ Monasterienſi reddita essent. Quibus verò conditionibus inter Conradum Episcopum & Comitem Edsardum sit transactum, non perinde uti cætera, quæ convenêre, reperire licuit; neque Emmius hæreticus scriptor, neque alius quisquam ex illo hominum genere historicus hæc facile syncero calamo perscribit. Certa ex tabulario Monasterienſi requirenda sunt. Magnopere suspicor, eò quòd Edsardus Comes Elizabetham Ritbergensem Conradi Episcopi ex Joanne fratre neptem, uti Crantzius verius, quam Emmius, qui Conradi sororem scribit, in matrimonio habuerit, multum Edsardo Comiti indulsisse Episcopum, & vinculum affinitatis habuisse ante jura Ecclesiæ suæ repetenda; fœdus certè amicitiæ & pacis inter utrumque convenisse narrat Emmius.

Reusner. in gen. Ritberg. Chytraus l. 3. Chron. Westf. Emm. l. 35. in fine. Cratnz. lib. 12. Metrop. cap. 24. Pont. Heut. lib. 5. Pontan. lit. Chron. Holland. Chron. Colon. Teschem. Crantz. l. 13. Saxon.

Interim quiescente Westfalia sub imperio Hermanni Colonienſis, & Conradi Monasterienſis Episcoporum, omnia circum in Gelria, Clivia & Frisia perstrepebant armis. Nam cùm Maximilianus Imperator distentus esset bello Helvetico (in quo supra viginti millia bellatorum occubuêre) & Albertus Saxoniæ Dux Belgicæ militiæ præfectus Frisiam subigendam suscepisset; Carolus Egmondanus Gallicis viribus confirmatus, Neomagenses, Gelrique confœderati arma resumunt; totaque belli hujus vis in Juliæ & Cliviæ Duces, quos Maximilianus Cæsar Geldriæ ex pacto fœdere defendendæ præfecerat, incubuit, decertatum proinde incursionibus & deprædationibus magis quàm armis; dum interventu Regis Galliarum arma ad inducias venirent, Adeo una provincia Gelriæ tot Duces totumque Belgium fatigabat.

Duces Juliæ & Cliviæ pacem cum Gelris ineunt.

Pont. Heut. lib. 5. Crantz. l. 13. Saxon. c. 23.

In vicina Frisia haud minus tumultuatum intestinis dissidijs & factionibus; quarum altera Sciringerorum, altera Vercopejorum erat, cui & Groningenses se junxerant. Opportunum id accidit Alberto Saxoniæ Duci. Nam cùm illi ejusque hæredibus ob merita & stipendia, quæ trecenta florenorum millia erant, nondum persoluta, à Cæsare & Philippo Archiduce Frisia donata esset, multisque ad societatem belli invitaretur pertraherèturque, se ad Frisios subigendos paravit. Interque alios Edsardus etiam Frisiæ Orientalis Comes, quòd jam metu belli Monasterienſis liber esset, & profunda, ut Heuterus scribit, ambitione ad Imperium Groninganæ urbis & Ommerlandiæ aspiraret, Saxoni se ultro obtulit belli socium. Ac postquam arcanis inter utrumque pactis convenit, quibus pars Groningani agri Comiti promissa, bellum Groninganis primus intulit; sed

Frisij ab Alberto Saxoniæ Duce domantur.

ancipiti eventu; donec ipſe Saxo cum Gregorio & Henrico filijs, instructoque exercitu accederet. Quo territi Lewardenſes aliorumque Oppidorum cives ac populi, dicto fidei ſacramento, Albertum Saxonem Friſiæ Principem & Gubernatorem inauguravêre. Ac ne priſtinæ gentis libertati ac privilegijs derogaretur novo Saxonis Gubernatoris imperio, confectæ ſunt hac ſuper re publicæ tabulæ, quas ipſe Cæſar & Philippus comprobaret.

Reſiſtunt Groningenſes.

At cæteris pertinaciores Groningani, quòd jam antè Weſtfriſiæ dominatum impetraſſent à Maximiliano Cæſare, ac in totam Ollandiam urbs ſuum imperium haberet, detrectavêre imperium Alberti Saxonis; tractisque in unum quatuor armatorum millibus Comitem Edſardum ex oppidis ac finibus ſuis depellunt, bello in ipſam Friſiam Orientalem Comitis tranſportato. Magnatum ſpe magnisque conſilijs excitus Edſardus, ratus Groningam haud ſecus quàm Embdam ſibi ceſſuram. Sed nec Alberto Duci Groningam ſubigere conceſſum. Magno quidem ille animo, multoque apparatu altero poſt anno Groningam obſidere cœpit; verùm dum exploraturus ſitum locorum proprius urbi adequitat, manualis tormenti globo ſauciatus, ex vulnere capitis magnus ille bellator occubuit. Nullum ea tempeſtate bellum in Ungaria, Auſtria, Italia, Gallia, Germania, Belgio, cui ille non interfuerit. Belgæ *Rolandum*, Germani *dextram Imperii manum*, alij *Achillem Germaniæ* appellant. Quem ſecum deduxerat in Friſiam paternæ indolis & pietatis Georgium filium, hic ille eſt, qui Luthero infenſiſſimus, Catholicam religionem ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè propugnavit, Dresdæ demum inter primas hæreſis turbas furoresque extinctus.

Hunterus lib. 6. Pontan. lib. 11. Auctor Chron. Holland. Emmius Fabritius. Spang. in Chron. Mansfeld.

Moritur in obſidione Groningenſi Albertus Dux Saxoniæ.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
HAC SECUNDA
ANNALIVM
Paderbornensium
PARTE
CONTENTARUM.

A

Abbatibus non licet sine Imperatoris & Capitularium consensu feuda abalienare. pag. 80.

Abbenhusanum Castrum via c. Paderborn. præmunitur. p. 196.

Abdinghovianum Cœnobium renovat Fraternitatem cum Cluniacensi. p. 32. Bonis augetur à Bernardo IV. Episcopo Paderborn. p. 49. Dissensio inter Abbatem & Monachos. p. 497. Conspirant adversus Episcopum, ibid. & p. 498. Monasterium reformatur. p. 529.

Abel Slesvicensis Dux Ericum fratrem Daniæ Regem occidi curat. p. 66.

Academiæ in variis urbibus instituuntur. p. 728.

Adolphus Cliviæ Dux captivus à Colonien sibus abducitur, p. 439. Succedit fratri Engelberto in Comitatu Marcano, ibid. Liberatur è carcere, & Archiepiscopo Colon. reconciliatur. p. 440. Fratri Theodorico sine prole emortuo succedit in Comitatu Mors ano. p. 457. Agnetem Ruperti Palatini filiam sibi matrimonio jungit. p. 460. Colliditur cum fratre Gerardo ob Comitatum Marchiæ; uti & cum Theodorico Archiep. Colon. p. 545. Archiepiscopum accusat apud Cæsarem. p. 555. Cæditur ab Adolpho Montium Duce, perdito Castro Angehodano. p. 556. Initâ cum fratre pace totam Marchiam Cliviæ conjungit. p. 606. Susatensium partes tuetur. p. 627. Impetrat à Pontifice exemptionem locorum sui Ducatus à jurisdictione Archiepiscopi Colon. p. 629. Producto bello Susatensi tandem moritur. p. 647.

Adolphus Gelriæ Dux Parentem suum Arnoldum capit & in carcerem conjicit. p. 695. Pœnâ subsequente, p. 696. Fœdus cum Ruperto Archiepiscopo Colon. init, Cliviumque Ducem cædit. p. 704. Parentem captivum dimittere liberum recusans à Carolo Burgundiæ Duce in carcerem conjicitur. & Ducatu Gelriæ privatur. p. 706. A Flandris è carcere eductus copiis Belgicis præficitur, & cæditur, relictis binis filiis. p. 730.

Adolphi I. Marcani Comitis obitus & familiæ propagatio. p. 64.

Adolphus Marcanus subrogatur à Clemente V Pont. Theobaldo Episcopo Leodiensi p. 227.

Adolphus Marcanus Comes Coloniensi Archiep. infestus p. 308. Moritur. p. 312.

Adolphus Marcanus in Monasteriensi Episcopatu succedit Ludovico. p. 340. In urbe solenniter inauguratur. p. 342. Bellum gerit cum Ministerialibus Nobilibus; eosque tandem domat. p. 360. A Pontifice inscius Ecclesiæ Coloniensi præficitur: ejus gesta præclara, & commendatio. p. 362 Deinde abdicato Archiepiscopatu Montani Comitis filiam sibi matrimonio jungit. p. 364. Clivensi Comitatu potitur. p. 374.

Adolphus Montium Comes sine hærede obit, translato Comitatu ad Ottonem Ravensbergensem. p. 315.

Adolphus Montensis Dux Wilhelmum fratrem suum Episcopum Paderb. captivum ducit. p. 476. Subinde & proprium Parentem. p. 480. Patri reconciliatur, & Mareschallus Ducatus Westphaliæ creatur. p. 481. Pro filio Ruperto Iuliæ Ducatum impetrat. p. 543. Subacto Ducatu Barrensi capitur, & à filio liberatur. p. 544, Ducem Clivensem cædit, & Castrum Angehodanum occupat. p. 556. Moritur. p. 610.

Adolphus Nassoviæ Comes in Romanorum Regem eligitur operâ præcipuè & astu Moguntini Archiep. p. 171. Coronatur Aquisgrani p. 172. Alsatiam invadit, & rebelles domat. p. 173. Thuringiæ possessionem accipit. p. 174. Thuringiam & Misniam miserè devastat. p. 177. Crudelitas militum ejus. p. 178. Regi Angliæ fit stipendiarius. p. 179: Ideoque incurrit in odium Principum. p. 180. Vastat Alsatiam, & perfidiæ arguitur. p. 183. Imperium ei abrogatum transfertur ad Albertum Austrium. p. 185. In pugna contra Albertum perit. p. 186.

Adolphus Nassovius quietam Moguntini Archiepiscopatus possessionem, in locum infeliciter demortui æmuli Ludovici adit. p. 416. Hassum auxilio plurium Episcoporum & Principum ad conditiones pacis adigit. p. 422.

Adolphus Nassovius à Pio II. Pontif. Archiepiscopus Moguntinus renuntiatur. p. 684. Ab æmulo Diethero ac Friderico Palatino in fugam conjicitur, mox astu Moguntiam occupat. p. 686. Et Archiepiscopatum obtinet. p. 687. Moritur. p. 727.

Adolphus Schawenburgi & Holsatiæ Comes terna condit Franciscanorum Monasteria; ordinem ingreditur. p. 30. Et religiosè vivit. p. 66.

Adolphus Schwalenbergius benefacit Cœnobio S. Mariæ. p. 164.

Advocatia Huxariensis committitur à Thymone Abbate Corbeiensi ducibus Brunswicensibus. p. 108. Notanda de advocatiis. p. 109. Advocatiæ jugo liberatur Bilderbeca urbs diœcesis Monasterienſis. p. 110.

Ægidianum Cœnobium in urbe Monasterienſi ab Henrico Episcopo reformatur. p. 701.

Æneas Sylvius fit Pontifex vide. p. 679.

Ahusana Dynastia Monasterienſi diœcesi adjungitur. p. 458.

Albertus M. Coloniæ docet. p. 31.

Albertus Austriæ Dux Rudolphi Imperatoris filius bello proficit. p. 165. Adolpho Nassovio Imperatori se submittit p. 173. Eodem depositio in Imperatorem eligitur. p. 185. Aquisgrani coronatur, & Coloniensis Ecclesiæ privilegia confirmat. p. 186. Conjux coronatur. p. 187. Nurimbergæ conventum Principum habet, & Rudolphum Ducem Austriæ dicit. p. 188. Tullis cum Rege Francorum fœdus init. ibid. Hollandiam occupaturus à Comite Hannoniæ impeditur. p. 190. Lis componitur. p. 191. Electoribus Archiepiscopis bellum infert. p. 193. Et primò Moguntinum. p. 194. Subinde Colonienſem & Trevirenſem ad obsequium redigit. p. 195. Movet contra Wenceslaum Regem Bohemiæ. p. 198. Rudolphum filium Bohemis Regem dat. p. 203. In Thuringia cæditur. p. 208. Età sicariis occiditur. p. 212.

Albertus II. Austriæ Dux Sigismundi filiam in matrimonium accipit. p. 540. Hussitis expulsis moravos ad obsequium reducit. p. 569. Mortuo Sigismundo regno Bohemiæ potitur. p. 610. Rex primùm Hungariæ, tum Bohemiæ, denique Romanorum Imperator dicitur, & ab Eugenio Pontif. confirmatur. p. 612. Bohemos domat, Casimirum regni æmulum in fugam conjicit, & concilium Nurimbergæ indicit, inde Moguntiam transfert. p. 613. In Hungariam contra Turcas movet, & moritur, magno sui desiderio relicto. p. 616.

Albertus Brandeburgicus gravi bello colliditur cum Ludovico Bavariæ Duce. p. 679. 684. Boicam ingressus cæditur à Ludovico. p. 686. Achilles Germanicus dictus Aquilam, insigne Imperij, ab Imperatore submissam accipit. p. 718 Imperij Mareschallus dicitur, & Lintzium expugnat. p. 722. Ejus speculatores à Burgundis profligantur. p. 723.

Albertus Brunswicensis Dux adversantes sibi Asseburgicos è Ducatu pellit & persequitur. p. 81. Adjutores Gerardum Archiepiscopum Mogunt. captivum accipit, & Ebersteinium Comitem supplicio affici curat. p. 82. Cum Simone Paderb. Episcopo fœdus init. p. 93. Vincitur & captivus ducitur ab Alberto Thuringiæ Landgravio. p. 104.

Albertus Brunswicensis Ducis filius præficitur Ecclesiæ Bremensi Archiepiscopatu se abdicante Godefrido. p. 349.

Albertus Hojanus Comes succedit Willebrando in Episcopatu Mindensi, & mox bellum movet Episcopo Osnabrugensi. p. 609. Ejus obitus & commendatio. p. 715.

Albertus Hojanus ab Osnabrugensibus Administrator diœcesis eligitur. p. 654. à Pontifice submovetur. p. 662.

Albertus Saxoniæ Dux succedit Diethero in Archiepiscopatu Moguntinensi. p. 743.

Albertus Saxoniæ Dux à Friderico Imperatore Belgij præfectus dicitur. p. 758. Ejus expeditiones. p. 759. Brugenses domat. p. 761. Oppugnata Sluſa Clivium in gratiam recipit. p. 765.

Albertus Sternebergius Archiepiscopus Magbeb. Ecclesiam malè administrat. p. 417.

Albertus de Stûrmede diœcesin Paderb. infestat. p. 103. Ab Ottone Episcopo domatur. p. 139.

Albertus Thuringiæ Landgravius Thuringiam vendit Adolpho Nassovico Romanorum Regi. p. 173.

Albicus Regis Wenceslai Medicus homo avarus, succedit Sobinkoni in Archiepiscopatu Pragensi. p. 510.

Alena in diœcesi Monast. muro incingitur. p. 129.

Alexander IV Pontifex Wilhelmo Regi studiosissimus. p. 78. Curam gerit Ecclesiæ Paderb. Episcopo captivo, eidemque Ecclesiæ certas indulgentias largitur. p. 79. Rescindit pacta conventa Colonienſem Archiepiscopum inter & Simonem Paderborn. p. 90. & 91. Decernit, ut nisi exemptionis privilegia Corbeia ostendat, subsit jurisdictioni spirituali Episcopi Paderb. p. 92. Jubet Moguntiæ celebrari Concilium Episcoporum & moritur. p. 102.

Alexander V. à Concilio Pisano Pontifex renuntiatur, contradicente Cæsare, aliisque. p. 492. Moritur. 499.

Alexander VI. in Pontificatu succedit Innocentio VIII.

Alphonsus Castellæ Rex à quibusdam in Regem Romanorum eligitur. p. 95. Ab ingressu Germaniæ retardatur. p. 96.

Angeranum vetus Widekindi castrum ab Ottone Episcopo Paderb. oppugnatur & evertitur. p. 196.

Angliæ Rex Eduardus bellum movet Regi Galliarum p. 179. Vicarius Imperij constituitur. p. 289.

Animæ Sanctæ cultus in diœcesi Paderb. p. 485.

Annonæ Caritas p. 608.

Annus gratiæ datur Canonicis Paderborn. ab Ottone Episcopo. p. 177. Idem conceditur Canonicis Bustorffianis p. 180.

Annus Jubilæi à Bonifacio VII ingenti peregrinantium confluxu Romæ celebratur. p. 190.

Annus à peste & terræ motibus calamitosus. p. 314.

Apostatæ bini condignis supplicis affecti. p. 183.

Aquisgranum recusat admittere Wilhelmum Hollandiæ Comitem Regem Romanorum electum; sed vi adigitur. p. 59.

Archidiaconatus Paderbornensis diœcesis dividuntur. p. 14. 15. 16. Archidiaconorum privilegia comprobantur. p. 231.

Arelatense regnum à Carolo IV Imper. ad Regem Galliæ transfertur. p. 404.

Arensbergensium Comitum familia p. 34. Comitatus Colonienſi Ecclesiæ adjungitur. p. 373. Præfectura committitur Henrico Spegelio Episcopo paderb. p. 382.

Arnoldus Geldriæ Dux à filio suo Adolpho captivus detinetur. p. 695. à Carolo Burgundiæ Duce liberatus, eidem Ducatum Geldriæ vendit, impio filio exhæredato. p. 706.

Arnoldus Trevirensis Archiep. Imperij coronam defert Alphonso Regi Castellæ. p. 95. Moritur. p. 99.

Aroldense Cœnobium p. 161.

Asseburgica nobilium familia è Ducatu Brunswicensi pulsa in diœcesin paderb. deducitur. p. 81. Fundat Cœnobium Virginum in Breda prope Braculenam. p. 761.

Austriæ Ducatus familiæ Habsburgicæ asseritur. p. 141. Felicitas ex Imperatoria dignitate. p. 171.

B.

Bajazetes Turcarum Imperator ad Nicopolim fundit Christianorum exercitum. p. 454.

Balduinus Luxenburgicus Comes Archiepiscopus Trevirensis cum alijs eligit Henricum VII fratrem suum in Regem Romanorum. p 213. Favet partibus Ludovici IV Regis. p. 229. Archiepiscopum Colonienſem ad concordiam adigit 238. Iterum Archiepiscopus Moguntinensis eligitur; diœcesinque per triennium administrat. p. 226. Multum laborat in reconciliando Ludovico Cæsare cum Pontifice. p. 268. privilegiorum confirmationem à Cæsare impetrat. p. 271. Mors ejus & elogium. p. 332.

Balduinus de Ruisio Episcopus Osnabrugensis moritur. p. 150.

Balduinus Steinfurdensis Dynasta succedit Bernardo in Episcopatu Paderb. p. 296. Initia regiminis difficilia. p. 297. Bredebornense castrum Ecclesiæ suæ adjungit. p. 298. Braculensium privilegia confirmat. p. 300. Decretum fert de non recipiendis indignis ad Canonicatus: subsidia pro reparanda majoris Ecclesiæ fabrica efflagitat: Festum Conceptionis B. M. V. in sua diœcesi celebrari jubet. p. 303. Bustorffianum Collegium novis adjectis ædificiis exornat. p. 313. Tertiam partem castri Beverungani emit ab Henrico Spigelio Præposito Corbeiensi. p. 315. promovet pietatem erga venerabile Sacramentum. p. 320. Comitatum Swalenbergensem Ecclesiæ adjicit. p. 324. 325. Dynastiam Oldenburgensem pignoris loco accipit. ibid. Componit controversiam inter

Canonicos Huxarienſes & Rectorem Eccleſiæ, B. V. p. 327. Ab Archiepiſcopo Colonienſi emit jurisdictionem civilem civitatis Hervordienſis. p. 328. Statura Collegij Buſtorffiani approbat. p. 331. Reinetianum nemus Haſſiæ Landgravio oppignorat. p. 334. Binasque partes Caſtri Furſtenberg Hermanno Brenckio. p. 336. Eleemoſynis & ſacris functionibus ad mortem ſe parat. p. 340. Componit litem cum Comite Lippienſi ratione Comitatus Swalenbergenſis. p. 343. Caſtrum Levenowe diœceſi adjungit. p. 346. In Coadjutorem adlegit Henricum Spiegelium Abbatem Corbeienſem. p. 350. Conſecrat altaria templi Buſtorffiani & pietati vacat. ibid. Ejus obitus & commendatio, p. 351.

Baſileenſe Concilium indicitur ab Eugenio IV. p. 569. Sed quia in eo plura adverſus auctoritatem ſedis Apoſtolicæ præſcribuntur vult Pontifex illud Bononiam transferri p. 577. Adeſt concilio Sigismundus Cæſar improviſus. p. 581. Ferrariam à Pontifice patres avocantur. p. 613. Obnitente præcipue Theodorico Archiepiſcopo Colon. in comitiis Moguntinis Concilium Baſileæ retinetur, fruſtra contranitentibus Legatis Pontificiis. p. 614. Patres congregati (quorum Dux Arelatenſis Archiepiſcopus Cardinalis) dogmata ſua propugnant. ibid. Exauctoratoque Eugenio Amadæum Felicem V. nuncupatum ſubſtituunt p. 615. Idem concilium ſcriptis libris defenditur à Monacho Marienfeldenſi. p. 615. Diſſolvitur pace Germaniæ reſtituta, p. 652.

Beckemium diœceſis Monaſt. munitur, jure civitatis donatur, & Collegio Canonicorum inſignitur ad Epiſcopo Gerardo. p. 129.

Belgæ Maximilianum rejiciunt; unde nova belli ſemina. p. 743. Inter cæteros Gandavenſes Maximiliano rebelles. p. 750. Belgiæ ſtatus conturbatus. p. 756. 757. Maximilianum Principem captum liberum dimittunt. p. 758. Eidem reconciliantur. p. 759. Novi motus & factiones. p. 764. Novæque turbæ à Carolo Egmondano. p. 776. 778.

Bellum inter Albertum Thuringiæ & Henricum Haſſiæ Landgravium. p. 104. Inter Theodoricum Marchionem Landsbergenſem & Conradum Magdeburgenſem Archiep. p. 128. Funeſtum ad Rhenum. p. 163. Marchiones Brandeburgenſem inter & Thuringiæ. p. 225. Angliæ Regem Eduardum & Franciæ. p. 291. Comites Marcanum & Arensbergenſem. p. 328. Duces Gelriæ ac Cliviæ, uti & Luxenburgenſem & Comitem Flandriæ. p. 337. Inter fratres Reinaldum & Eduardum Duces Gelriæ; Epiſcopum Monaſt & Miniſteriales Nobiles. p. 159. Ducem Brabantiæ & Juliacenſem. p. 383. Ducis Juliacenſis cum Brabantinis, & Montenſis eum Clivenſibus. p. 455. Haſſi & plurium Epiſcoporum. p. 422. Ducum Montenſium & Clivenſium. p. 460. Inter Brunswicenſes & Comitem Lippienſem. p. 478. Archiepiſcopum Colonienſem & Epiſc. Paderbornenſem. p. 501. Hermannum Haſſiæ Landgravium & Archiepiſcopum Mogunt. p. 504. Bellum & pax inter Duces Brunswicenſes & Comitem Eberſteinium. p. 524. Brunswicum & Joannem Epiſcopum Hildeſienſem. p. 534. Inter Clivenſes Duces fratres ob Comitatum Marchiæ. p. 545. Recrudeſcit Marchiæ vaſtatione. p. 550. Componitur. p. 606. Bellum Friſonum & Bremenſis Archiepiſcopi. p. 551. Henrici Epiſcopi Monaſt. & Adolphi comitis Clivenſis. p. 581. Conradi Archiepiſcopi Mogunt. & Landgravij Haſſiæ. p. 582. Bellum Suſatenſe cum Archiepiſcopo Colon. p 624 Ludovici Ducis Bavariæ adverſus Albertum Marchionem Brandeb. p. 679. Fruſtra pacem ſuadente Imperatore inſtauratur. p. 680. Promovetur. p 684. Bellum Epiſcopi Oſnabrugenſis & Comitis Ritbergenſis contra Ducem Brunswicenſem. p 752.

Bellum ſacrum indicitur à Martino V. cui multi Principes Germaniæ nomen dant. p. 537. Promovetur adverſus Huſſitas. p. 538. Felici pugna p. 539. Subinde infelici ſucceſſu. p. 540. Fugatur denuo Catholicus exercitus. p. 541. Et iterum amiſſis impedimentis. p. 569.

Bendlagenſe Crucigerorum Monaſterium in diœceſi Monaſterienſi inchoatur. p. 611.

Benedictini Patres in Concilio Conſtantienſi urgent reformationem ordinis ſui. p. 527. Bursfeldenſem congregationem inſtituunt. p. 536.

Benedictus XI ſuccedit in Pontificatu Bonifacio VIII & moritur. p. 191.

Benedictus XII ſuccedit in Pontificatu Joanni XXII. p. 276. Fruſtra apud eundem agitur cauſa reconciliationis cum Ludovico Imperatore. p. 288. 289. Præficit Eccleſiæ Paderb. Epiſcopum Balduinum. p. 296. Moritur. p. 300.

Benedicto XIII Pontificatus abrogatur in Concilio Conſtantienſi. p. 527.

Bengelorum factio in Weſtphalia. p. 438. Reprimitur à Roberto Epiſcopo Paderb. p. 440.

Benthemenſi Comitatui Steinfurdenſis adjungitur. p. 539. Pacta utriuſque familiæ. p. 756.

Bernardus de Borch ſupremus Ordinis Teutonici Magiſter in Livonia. p. 741.

Bernardus ab Hôrde conſtruit in diœceſi Paderb. Bockenſe caſtrum. p. 385.

Bernardus IV Lippienſis Comes deligitur Epiſcopus Paderb. p. 2. Conſecratur Bremæ Epiſcopus à proprio fratre Gerardo. ibid. Communis vitæ inſtitutum inter Canonicos Cathedralis Eccleſiæ in ſtatum Canonicorum ſecularium transfert. p. 3. Initia Epiſcopatus turbida. ibid. Cum Eresburgenſibus tranſigit de jurisdictione Eccleſiaſtica. p. 6. Diœceſin reformat. p. 8. Succurrit Archiepiſcopo Bremenſi fratri ſuo in bello contra Stedingos. p. 9. Benefacit Cœnobio Marienfeldenſi. p. 17. 43. Eidem donat decimas in Orlinghuſen. p. 27. & ſylvam. p. 31. Benefacit quoque Cœnobio Hardehuſano. p. 24. 43. Egenis Miniſterialium ſuorum filiis ſuccurrit. p. 30. Ludovico Comiti Ravensbergenſi concedit jus Patronatus Capellæ Bilfeldienſis. p. 30. plures agros aſſignat Parochiæ Sandebecenſi. p. 32. Geismariæ templum Franciſcanorum conſecrat, & plura Gerdenſi Cœnobio bona confert. p. 35. Donat tria prædia Buſtorffiano Canonicorum Collegio. p. 37. Et bina prædia ejuſdem

ejusdem Præpositio p. 46. Decimas Monasterio Marienmunsterensi delargitur. p. 38. Monasterio Bodecensi benefacit. p. 41. Litem movet in Concilio Mogunt. de prærogativa sessionis. ibid. Fundationem Monasterij Holthusani comprobat & promovet p. 42. Fœdus fraternitatis renovat cum Cenomannis, & S. Juliani Reliquias obtinet. p. 44. Jus Advocatiæ Cœnobij Schildecensis transcribit Comiti Ravensbergensi. p. 46. Varias donationes facit Religiosis Ordinibus p. 46. Moritur. p. 51. Ejus laus. p 52.

Bernardus V. Comes de Lippia Præpositus Ecclesiæ Paderb. in Tutorem diœcesis eligitur. p. 19 Benefacit Wilbacensi Virginum Cœnobio. p. 241. Fit Episcopus Paderb. p 246. Convocat Vasallos. p. 247. Varia feudi titulo Comiti Ravensbergensi, aliisque concedit: Braculensium privilegia confirmat: vicinos sibi Comites & Nobiles adjungit: & obsessum urbem paderbornensem ad deditionem cogit. p. 248. Fœdus init cum Roberto Corbeiensium Abbate, & vetera Warburgensium ac Braculensium jura confirmat. p. 250. Facultatem dat Comiti Swalenbergensi transferendi bona. p. 251. Diœcesin perlustrat. p. 252. Plura Herisiensibus privilegia confert. p. 253 Synodum ritu antiquo celebrat. p. 255. Castrum & oppidum Vordense donatione Abbatis Marienmunsterensis Ecclesiæ Paderbornensi adjungit. p. 266. Redditis 5. Ecclesiis parochialibus, p. 258. Decimas à fratre receptas attribuit Cœnobio Marienfeldensi. p. 259. Et ratione villæ Monnighusanæ cum vidua de Horde convenit. ibid. Litem inter Lemgovienses & Gerdenses ortam componit. p. 262. Castrum Fürstenberg Militibus de Vernede oppignorat: castri Calenberg usum Militibus de Papenheim confirmat, & Xenodochio Paderb. proprium sacerdotem imponit. p. 263. Abbatem & Cœnobium Helmwardeshusanum ad obsequium compellit: decimas quasdam in parochia Hervordiensi Cœnobio Marienfeldensi donat. p. 264. Castrum Blanckenaum unà cum Abbate Corbeiensi præmunit. Arbiterque ab eodem & Themmone deligitur. p. 267. Decretum fert de non admittendis indignis ad Ecclesiam Cathedralem. p. 270. Cum Roberto Abbate Corbeiensi certis conditionibus castrum Beverungense construit. p. 271. Judicium Gograviatus oppignoratum redimit, & testamentum condit. p. 275. Pacem colit cum vicinis comitibus, & Parochiam Steinhagensem in comitatu Ravensbergensi instituit. p. 277. Castrum Krukenberg ab Archiepiscopo Colon. Walramo pignoris loco accipit: & castrum Hindenborg diversis nobilibus insidendum & separandum tradit. p 281. Locum designat in urbe pro ædificando Episcopali Palatio. p. 283. Statuit, ut Sacellum sanctissimi Sacramenti in oppido Bürano erigatur. p. 284. Castrum Krukenberg ei eripitur. p 286. Spiram ad comitia abit. p. 287. Intendit muniendo castro Krukenberg. p. 292, Obitus ejus & commendatio. p. 293.

Bernardus Lippiensis Comes captivum ducit Henricum Ducem Luneburgicum. p. 478.

Bernardus Comes de Lippia vendita media Lipstadij parte Duci Cliviæ partes Susatensium amplectitur. p. 631.

Bertholdus de Büren Westphaliæ Mareschallus constituitur. p. 275. Moritur. p. 292.

Bertholdus Hildesiensis Episcopus cum civitate colliditur. p. 752.

Bertrandus de Arvassanis Italus à Pontifice impetrat Episcopatum Paderb. p. 463. Introducitur in urbem, & mox excedit. p. 464. E castro Dringenbergensi captivus abducitur Neuhusium. p. 465. Causam suam Romæ agit. p. 466. Canonicos Anathemate absolvit, & in Italiam revocatur. p. 467.

Beverunganum castrum exstruitur. p. 271. De eodem castro certis conditionibus conveniunt Bernardus Episc. Paderb. & Robertus Abbas Corbeiensis p 272. Munitio utrimque urgetur. p. 275. Tertia pars emitur à Balduino. p. 315. Expugnata solo æquatur. p. 441. Ejus præfectura diœcesi Paderb. adjicitur. p. 472. Jura civitatis acquirit. p. 527.

Bilfeldiæ in comitatu Ravensbergensi fundatur Collegium Canonicorum p. 174. Mons S. Jodoci prope urbem à Pontifice incolendus traditur Patribus de Observantia. p. 748. Qui post in ipsam urbem transferuntur. p. 749.

Billerbeka uros diœcesis Monast. Advocatiæ jugo liberatur. p. 100.

Bitterus Raesfeldius prædator ab Episcopo Ultrajectino fugatur. p. 450.

Blanckenawensis arx à Roberto Abbate Corbeiensi in tutelam datur Theodorico Episcopo Paderb. p. 232. Munitur. p. 267.

Blomberga urbs conditur in diœcesi Paderb. p. 206. ibidem veneratio & veritas Eucharistiæ insigni miraculo comprobatur. p. 682. propterea que Monasterium Canonicorum regularium D. Augustini à corpore Christi nuncupatum in urbe instituitur. p. 683.

Boculenium castrum in diœcesi Mindensi exstruitur à Ludovico Episcopo; sed proditione transit ad Schawenburgicos. p. 311.

Bodecense Canonicarum Monasterium in diœcesi Paderb. à Bernardo Episcopo beneficiis afficitur. p. 41. Lis cum Clericis à Theodorico Episc. componitur. p. 228. Cœnobium à militibus Furstenbergicis incenditur. p. 379. Monasterio reformando studet Wilhelmus Episcopus Paderb. p. 484. Transfertur ad Canonicos Regulares. p. 489. Introducuntur. p. 496. Stabiliuntur. p. 497. privilegia à Theodorico Episc. confirmantur. p. 534.

Bodo Abbas Corbeiensis conjungitur cum Henrico Episcopo Paderb. p. 405. Moritur. p. 448.

Bohemi Hussitæ diversis sectis scinduntur & turbantur. p. 538. Sæpius Catholicorum exercitum profligant. 541. Cædunt Fridericum Ducem Saxoniæ; barbareque agunt cum captivis, aliisque Catholicis in Lusatia, ac Moravia. p. 552. In fugam denuo agunt ingentem Catholicorum principum exercitum: ac loco Ziscæ Ducem eligunt Procopium. p. 554. plurimas circum regiones vastant. p. 555. Iterum fugant

Catholi-

Catholicos interceptis omnibus impedimentis. p. 569. Mutuis tandem discordiis & cædibus attriti Sigismundum Regem repetunt. p. 607. Et Ecclesiæ restituuntur. p. 608. post obitum Sigismundi rursum turbantur. p. 620. Georgium Podibratium Hussitam Regem eligunt. p. 680. Exinde regnum vastatur. p. 699.

Boëmundi Trevirensis Archiepiscopi obitus. p. 189.

Bokense castrum in diœcesi Paderb. à Bernardo ab Hörde construitur. p. 385.

Bonifacius VIII Pontifex culpat Adolphum Romanorum Regem. p. 180. componit bellum inter Reges Galliæ & Angliæ. p. 183. confirmat privilegia Ecclesiæ Paderb. ibid. Albertum Regem ad dicendam causam Romam evocat. p. 188. Corbeiensium privilegia confirmat. p. 191. Albertum Cæsarem dicit. p. 194. Moritur. p. 201.

Bonifacius IX in Pontificatu succedit Urbano VI. p. 434. Indulgentias variis per Germaniam provinciis indulget. p. 453. plura præclarè statuit. p. 454. Hervordiensium Canonissarum privilegia confirmat. p. 458. Ejus depositio impeditur à Germanis. p. 469. Dato diplomate libertatem Ecclesiasticam propugnat. p. 479. Moritur. 484.

Borussia ad fidem Christianam traducitur. p. 45. Ob sævitiam Teutonicorum à supremo Magistro deficit. p. 663.

Braculena urbs diœcesis Paderb. confirmationem privilegiorum accipit ab Ottone Episcopo; & ipsa vicissim fidem suam Episcopo obligat. p. 166. Emitur ab Ottone. p. 190. Privilegia urbis confirmantur à Theodorico Episcopo. p. 222. Denuo instauratur. p. 234. Iterum à Bernardo V. p. 247. & 250. Mediam partem judicij civilis ab Henrico Spiegelio Episcopo pignoris loco accipit. p. 407. Sacerdotium in urbe fundatum à Theodorico Episcopo approbatur. p. 537.

Bredenborgense castrum diœcesi Paderbornensi adjungitur. p. 298.

Bredensis Monasterij Virginum in diœc. Paderbornensi initia. p. 761.

Bredevorda urbs diœcesi Monasterienſi adjungitur. p. 234. Iterum Geldro attribuitur. p. 255.

Breidlarienſe Monasterium diœcesis Paderb. confirmationem privilegiorum accipit ab Henrico Archiepiscopo Colon. p. 19. Item ab Ottone Episcopo Paderb. p. 197. Instauratur cura Simonis Episcopi Paderb. p. 426. p. 705.

Brenckhusani Virg. Monasterij in diœcesi Paderb. initia. p. 133.

Brenkianæ familiæ bellum cum Fürstenbergensi. 378.

Brixia subjugatur ab Henrico VII Imperatore. p. 224.

Brugenses in Belgio Maximilianum Principem suum in carcerem abripiunt. p. 757 Adventante Friderico Imperatore liberum dimittunt. p. 758. Maximiliano se subjiciunt. p. 759. Et ab ejus Duce Alberto Saxone domantur, ac mulctantur. p. 761.

Brula ad deditionem cogitur. p. 238. Coloniensibus civibus traditur. p. 240. In urbe conditur Monasterium PP. de Observantia ab Hermanno Archiep. p. 764.

Brunchorstanorum Comitum stirps extinguitur. p. 429.

Bruno Episcopus Osnabrugensis moritur. p. 101.

Brunonus Warendorpiensis Dominicani obitus. p. 262.

Brunsbergense Castrum ad Visurgim dejicitur. p. 179.

Brunswicensium & Lunæburgensium Ducum pugna. p. 429. Bellum adversus Corbeienses & Eversteinium Comitem. p. 254. Item cum Joanne Episcopo Hildesiensi. p. 534. Cum Rittbergensibus. p. 752.

Bulla aurea conditur. p. 336.

Burchardus Comes Schrapelovius Archiepiscopus Magdeburgensis à civibus trucidatur. p. 266. Ejus commendatio. ibid.

Burenæ Sacellum sanctissimi Sacramenti erigitur. p. 284.

Burensis familiæ quatuor fratres hæreditatem sum Ecclesiæ Paderb. vendunt p. 390. Dynastæ Burenses dimidiam partem castri feudum agnoscunt Episcopi Paderb. renuntiantque juri, quod habebant in castro & præfectura Wunnenbergensi p. 418. Cum eodem Episcopo fœdus castrense ineunt. p. 419. Partem castri oppignorant Wolramo de Brenken. p. 437. Conditiones duriores Episcopi admittunt. p. 438.

Bursfeldensis Congregationis Patrum Benedictinorum origo & progressus per Lxv Cœnobia. p. 556.

Bustorffianum Canonicorum Collegium in urbe Paderb. tribus prædiis augetur à Bernardo Episcopo. p. 37. Præfectura ejusdem duobus. p. 46. Beneficio Ottonis Episcopi accipit decimas in Husen. p. 142. Amerungenses decimas emit cum approbatione Bernardi Episc. p. 280. Decimas Husenses recuperat. p. 307. Novis adjectis beneficiis à Balduino Episcopo exornatur. p. 313. Canonici ab eodem facultatem impetrant venerabile Sacramentum supplicationis ritu in sua Ecclesia transferendi. p. 320. Et approbationem statutorum. p. 331.

C.

Cæsaris Insula per Theodoricum Archiepiscopum, à Gerardo Marcano empta, post hujus obitum Ecclesiæ Coloniensi asseritur. p. 685.

Calenberga castrum diœcesis Paderb. Ravennoni de Papenheim datur in feudum. p. 209. A Bernardo Episcopo confirmatur. p. 263.

Calixtus III in Pontificatu succedit Nicolao. p. 671.

p.671. Ecclesiæ Ultrajectensi præficit Davidem Morinorum Episcopum. p.672. Monasterienſi Joannem Bavariæ Ducem, p.674. A Principibus Germaniæ apud Imperatorem sine causa accusatur. p.677. Egregie laborat pro Christiana religione adversus Turcas conservanda. p.678. Ejus obitus & commendatio. p.ibid.

Calixtinorum hæresis in Bohemia. p.538.

Camera Jmperialis Spiræ erigitur. p.773.

Canonicorum Cathedralium Ecclesiarum communis & regularis vita variis in locis, uti & Paderbornæ laxatur. & in secularem permutatur. p.3. Canonicorum Paderbornensium controversia de Archidiaconis componitur. p.14. Canonici Regulares S. Augustini latè se diffundunt. p.533.

Carolus Andegavensis Comes Rex Siciliæ renunciatur. p.110. Vincit & gladio interimi curat Conradinum Conradi Regis filium, & Fridericum Austriæ Ducem. p.116. p.117.

Carolus Burgundiæ Dux Gelriæ Ducatum emit ab Arnoldo Duce. p.706. Friderico Imperatori Trevirim ingressuro occurrit. p.713. Quæ eum inter & Cæsarem acta. p.414. Auxilia spondet & submittit Ruperto Archiepiscopo Colonienſi adversus rebelles Civitates p.716. Coloniæ pet fecialem, ni se Archiepiscopo submittat, Bellum denuntiat. p.717. Novesium obsidet & oppugnat. p.718. Frustra ab Jmperatore & à Christiano Daniæ Rege monetur, ut ab obsidione desistat p.719. Ejus dominatus. p.721. Continuat obsidionem, pacisque consilia admittere renuit. p.723. Speculatores Alberti Brandeburgici in fugam conjicit ibid. Exercitui Cæsareo insultat; Sed ab Henrico Episcopo Monast. in castra repellitur. p.724. Pace promulgata & obsidione soluta cum Cæsare agit de contrahendo Matrimonio Maximiliani cum sua filia. p.725. Nova cooritur ad Novesium discordia cum Henrico Episcopo ob militum Burgundicorum insolentiam. p.726. Burgundus cum exercitu in Belgium movet & Galliæ regem ad inducias novem annorum adigit. p.727. Lotharingiam invadit. p.728. Prælio ad Nancejum vincitur & occumbit. p.730. Ejus filia Maria Maximiliano in Matrimonium datur. ibid.

Carolus Egmondanus Geldriam sibi vendicat. p.763. & Dux Geldriæ salutatur. p.765. Expellitur p.768. Redux denuo Geldriæ inhiat. p.770. In eaque novas turbas excitat. p.776 & 778.

Carolus VIII. Francorum Rex pacem init cum Maximiliano Belgarum principe. p.759. Filiam Ducis Britanniæ Maximiliano desponsatam sibi Matrimonio jungit p.763.

Carolus Moraviæ Marchio Regis Bohemiæ filius Jmperator à quinque Electoribus creatur, Bonnamque deducitur. p.310. Et post duplicem infelicem pugnam ibidem coronatur, p.311. A Ludovico Cæsare fugatur. p.312. Ejus devotio in Sacrificio Missæ. p.313. Guntherum æmulum Regem armis persequi statuit. p.316. Quo mortuo quietam regni possessionem accipit. ibid. Et Aquisgrani iterum coronatur. p.317. Facultatem dat Abbati Corbeiensi constituendi Freigravios & exercendi judicium secretum. p.318. Aquisgranensibus priorum Cæsarum privilegia confirmat. p.320. Jmperii insignia secum Pragam deportat; eandem nova Academia exornat; & à Moguntina Ecclesia per Clementem pontif. sejungit. p.321. Principibus ad Rhenum telonia donat, quæ tamen recipere cogitur. p.326. Jmperium summa industria administrat. p.328. Natalitia festa & comitia Moguntiæ celebrat. p.329. Ecclesiæ Mindensis privilegia confirmat & auget. p.332. Balduino Trevirensium Episcopo, parentat: Wenceslaum fratrem suum Ducem Lutzenburgensem creat' & in Jtaliam proficiscitur. p.333. Mediolani ferrea corona insignitur, & Romæ inungitur: Pisis periculum vitæ subit. ibid. Norimbergæ comitia indicit, & Archiepiscopo Colon. jus vetus per Ducatum Westphaliæ instaurat. p.334. Bullam auream condit. p.336. Ejus pietas erga reliquias Divorum; actaq; plurima. p.338. Pragam exornat; & ad preces Abbatis Corbejensis Joanni Rockio dat facultatem judicandi causas criminales. p.341. Decipitur à Rege Livoniæ, qui se baptismum susceperturum promiserat. p.342. Moguntiæ Comitia celebrat. p.343. Et publicè castigat luxum vestium in Cunone Canonico Moguntino p.344. Constitutionem edit super libertate Ecclesiastica Saxoniæ. ibid Henricum Episcopum Paderb. defensorem jurium & bonorum Ecclesiæ Hildesiensis constituit. p.360. Confirmat judicium in Monte Martis. p.366. In Galliis multa cum Urbano pontifice pertractat. p.367. Prædones domat. p.368. Wenceslaum fratrem Brabantiæ & Limburgi Ducem custodem defensoremq; viarum ad Rhenum constituit. p.369. Expeditionem in Jtaliam instituit. p.372. Fratrem Wenceslaum captivitate liberat; & mox solemni pompa Coloniam ingreditur p.386. Uti & Lubekam p.391. Colonienses cives damnat. p.391. Pro Wenceslai filii sui in Imperio successione laborat. p.392. Propterea multas urbes & telonia oppignorat. p.393. Westphaliam pertransit. p.398. Henrici de Hervordia ossa honoratiori loco condi jubet. p.399. Widekindo Mindensium Episcopo diploma largitur pro libertate Ecclesiastica. ibid. Widekindi Monumentum altius eductum exornat. p.402. Litem inter Abbatissam Hervordiensem & Saxoniæ Ducem dirimit. ibid. Paderbornæ excipitur, & in Belgium proficiscitur. p.403. Deinde in Gallias, ubi regnum Arelatense ad Caroli Regis Francisci filium transfert; reduxque in Bohemiam Pragæ moritur, relicto successore Wenceslao filio Imperii labe. p.404.

Carthusianorum Cœnobii Wederenæ in diœcesi Monast. initia & fundatio. p.732.

Christiani à Turcis profligantur ad Adrianopolin. p.368. Fœdifragi à Turcis cæduntur. p.627.

Christianus Daniæ Rex, ex Romana peregrinatione redux arbiter deligitur inter dissidentes ad Rhenum p.719.

Clemens IV Pontifex eligitur loco Urbani IV. p.108. Moritur. p.117.

Clemens V natione Gallus in pontificem eligitur; & binos Archiepiscopos, unum Moguntinæ, alterum Colonienſi Ecclesiæ præficit. p.201. Monasterienſi Ludovicum Episcopum. p.217. Concilium Viennense indicit. p.223. Engelbertum Episcopum Osnabru-

genſem Eccleſiæ defenſorem conſtituit. p. 224. Favet Roberto Angliæ Regi contra Henricum VII Imperatorem. p. 226. Obit. p. 229.

Clemens VI ſuccedit in Pontificatu Benedicto XII. & Ludovico Cæſari reconciliationem enixè petenti denegat. p. 300 Et iterum. p. 302. Infenſus manet Ludovico. p. 307. Eidem Imperium, & Henrico Moguntinum Archiepiſcopatum abrogat. p. 310. Flagellantium ſectam ſupprimit. p. 317. Jubilæum concedit. p. 321. Godefridum Oſnabrugenſem Epiſcopum ſedi Brenenſi imponit. p. 323. Oſnabrugenſi verò Joannem ab Hoet Doctorem. ibid. moritur. p. 327.

Clemens VII Antipapa p. 403. moritur. p. 453.

Clerici Regulares in communi viventes. Vide congregatio Sacerdotum &c.

Cliviæ Comites Duces creantur à Sigismundo Imperat. p. 529.

Cloppenburgenſis Arx Diœceſi Monaſterienſi adjungitur. p. 446. 458. Tota deinde præfectura. p. 472.

Colmaria Rudolpho Cæſari rebellis. p. 154.

Colonia. Ejus Baſilicæ initia. p. 60. Tumultus in urbe. p. 97. Cives contra Archiepiſcopum ſuum rebellant. p. 105. Diſſenſio renovatur. p. 111. Triumphant adverſus Archiepiſcopum. p. 164. Diœceſis vaſtatur. ibid. Cives apud Archiepiſcopum Trevirenſem conqueruntur de ſuo Archiepiſcopo. p. 240. Ac in eundem inſurgunt. p. 242. Certa edicta clero adverſa ſtatuunt; & obcirca interdicto ſubjiciuntur ab Archiepiſcopo Cunone. p. 375. & 376. Inter ſe graviſſimè diſſident. p. 382. Contra Archiepiſcopum denuo inſurgunt. p. 391. Tutium evertunt & exturunt. p. 394. Obſidentur ibid. Reconciliantur Archiepiſcopo p. 397. Colonienſis Univerſitas inſtituitur. p. 480. Turres S. Severini & SS. Apoſtolorum à Wilhelmo Montium Duce eriguntur. p. 489. Cives iterum cum Archiepiſcopo Theodorico colliduntur. p. 526. Pax, licet minime diuturna, componitur. p. 530. Theophoria in urbe à Theodorico inſtituta. p. 688. Colonienſium Canonicorum diſſidium cum Archiepiſcopo ſuo Ruperto. p. 702. renovatur. p. 710. cum fœderatis & civibus adverſus eundem conſpirant. p. 714. Qui Burgundiæ Ducis ſigna in urbe refigunt. p. 717. A Cæſare contra Burgundum animantur. p. 718. Privilegiis ornantur ab Imperatore. p. 727. Denuo cum Capitulo adverſus Rupertum inſurgunt. p. 731. Rhenus ijs occluditur. p. 760.

Cometa apparet in obitu Urbani IV pontificis. p. 168. Denuo peſtis & famis prænuntius. p. 232. Germaniæ iterum impendet. p. 710.

Comitia Spirenſia. p. 287. Colonienſia. p. 288. Francofurtenſia; in quibus decernitur, Cæſarem non teneri excommunicationis Pontificiæ ſententia. p. 289. Iterata ibidem comitia. p. 291. p. 406. p. 732. p. 626. Norimbergenſia & Eslingenſia. p. 460. Moguntinenſia; in quibus contra Eugenium pontificem pro Baſileenſi conventu pronuntiatum. p. 614. Decreta ejuſdem concilij malè approbata. p. 615. Ratisbonenſia. p. 706. Succeſſu irrito. p. 707. Trevirenſia. p. 713. Wormatienſia, & quæ in illis præclarè à Maximiliano ſtatuta. p. 773.

Conceptionis B. M. V. Feſtum per diœceſes Monaſterienſem & Paderbornenſem celebrari decernitur. p. 303. Item Corbeiæ. p. 340.

Concilia Metropolitanum Moguntinum, in quo lis mota à Bernardo Epiſcopo Paderb. de prærogativa ſeſſionis. p. 41. Oecumenicum Lugdunenſe, & quid in eo actum. p. 47. Electores Imperatoris in hoc Concilio non ſunt primùm inſtituti. p. 48. Lugdunenſe alterum. p. 125. Herbipolenſe & acta in eo. p. 158. Oecumenicum Viennenſe. p. 223. Piſanum & ejus acta. p. 492. Conſtantienſe. p. 516. Vide Conſtantienſe concil. Baſileenſe 569. Florentinum, in quo Græci cum Latinis reconciliati. p. 616.

Concordata Germaniæ. p. 646.

Confluentia urbs Archidiœceſis Trevirenſis cum Epiſcopo ſuo reconciliatur. p. 144.

Congregatio Sacerdotum in communi viventium auctore Henrico Ahuſio Monaſterij Coloniæ, & Weſaliæ inſtituitur. p. 473. Id inſtitutum approbatur à Concilio Conſtantienſi, & pontificibus. p. 474. Similes Virginum congregationes variis in locis inſtituuntur. ibid. Impugnantur, ſed à Concilio Conſtantienſi & Martino V. Pont. comprobantur. p. 532.

Cono ſuccedit Widekindo Mindenſi Epiſcopo. p. 103. Ejus obitus & encomium. p. 110.

Conradini & Friderici Ducum interitus. p. 116. p. 117.

Conradus II Diepholdius eligitur Epiſcopus Oſnabrugenſis in locum Rudolphi demortui. p. 673. Iburgenſe Cœnobium virorum & alia 4 Virginum in ordinem redigit. p. 696. In ſynodo damnat clandeſtina matrimonia. p. 698. Ejus obitus & præclarè geſta. p. 744.

Conradus de Emmeringhuſen erigit domum Hoſpitalarij Ordinis in Marienloo diœceſ. Paderbornenſis. p. 302.

Conradus Friderici II Imperatoris filius Eccleſiam divexat. p. 34.

Conradus de Hochſteden Comes eligitur Archiepiſcopus Colon. p. 34. Controverſia inter eum & Simonem Epiſcopum Paderb. ratione oppidi Saltzkotten componitur. p. 54. Plura ad ſe ſine juſtitiæ titulo attrahit. p. 55. Colonienſem Baſilicam ædificare incipit. p. 60. Fœdus init cum Engelberto Epiſcopo Oſnabrug. ibid. Jus advocatiæ in Cœnobio Flechtorpiano Waldecenſi Comiti aufert. p. 62. Caput Waldomarum Abelis Regis Daniæ filium. p. 66. Simonem Epiſcopum Paderb. bello captum Coloniam deducit. p. 76. Domum, in qua Wilhelmus Rex & Pontificis Legatus verſabantur, incendit. p. 77. Cogit Simonem captivum à minus æquas pacis conditiones. p. 82. & ſeq. Acta illa reſcinduntur à Pontifice. p. 90. & 91. Eligit in Romanorum Regem Richardum Anglum, & Aquiſgrani coronat. p. 95. Imperij adminiſtrationem à Richardo accipit. p. 97. Synodum

nodum provincialem celebrat. p. 99. Moritur. p. 102.

Conradus Marburgensis hæresis inquisitor hæreticos igni damnat zelo indiscreto. p. 21. Occiditur. p. 22.

Conradus Marchiæ Comes fundat Cœnobium Hordense. p. 301.

Conradus Mindensis Episcopus moritur. p. 30.

Conradus Montium Comes à Canonicis Monasterienſibus obtruditur Episcopus, exauctorato per vim Ottone. p. 204. Bello invadit Ludovicum Episcopum Osnabrug. p. 215. A Pontifice rejicitur. p. 217.

Conradus Oldenburgensis dynasta castrum suum vendit Balduino Episcopo Paderb. p. 325.

Conradus Reingravius Comes succedit Joanni Nassovio in Archiepiscopatu Moguntino. p. 536. Moritur. p. 604.

Conradus Rex turbat Germaniam. p. 38. 39. 40. Cæditur ab Henrico Landgravio Hassiæ. p. 50. Hæreses in Germania fovet. p. 61. Prælio vincitur à Wilhelmo Romanorum Rege, & Germania excedit. p. 67. Italiam infestat. p. 71. Moritur. p. 75.

Conradus II Ritbergensis Comes eligitur Episcopus Osnabrugensis in locum defuncti Balduini de Ruslo. p. 130. Ejus mors & elogium. p. 186.

Conradus III Ritbergensis Comes succedit in Episcopatu Osnabrugensi Conrado Diepholdio. p. 744.

Conradus IV Ritbergensis Comes & Episcopus Osnabrugensis succedit in Episcopatu Monasterienſi Henrico defuncto. p. 778. Regalia à Cæsare obtinet cum investitura Delmenhorstij & Harbstedij. p. 779. Sub ejus regimine magna in Westphalia tranquillitas. p. 780.

Conradi Satali Episcopi Verdensis Laus. p. 477.

Conradus de Susato Westphalus pro Gregorio XII in Concilio Pisano perorat. p. 492. Ab eodem Cardinalis renuntiatur. p. 505.

Conradus Wardenbergensis Episcopus Mindensis moritur. p. 181.

Conradus Westphalus ortus in oppido Vechta Archiepiscopus Pragensis Sigismundum Regem Bohemiæ coronat. p. 536. Deinde Hussitarum fautor & Calixtinorum sectæ propugnator. p. 538. A Martino Pontifice excommunicatur: ejusdem hæresis & infelix obitus. p. 552.

Conradi Winsbergij Archiepiscopi Moguntini obitus. p. 450.

Constantiense Concilium inchoatur. p. 516. prima in eo acta. p. 517. Successu felici. p. 522. Statuitur in eodem reformatio Ordinis S. Benedicti. p. 527. Unanimi consensu in Pontificem eligitur Martinus V. ibid. Concilij finis, de eoque judicium. p. 533.

Constantinopolis à Turcis capitur. p. 663.

Conventus Principum Saxoniæ. 108. Tullensis. 188. Merseburgensis. 198. Francofurtensis. p. 406.

Corbacense prælium, in quo XX millia Gallorum à Flandris cæsa. p. 195.

Corbeia. ejus possessiones ratas habet Pontifex Gregorius IX. p. 20. Contra exemptionem agit Simon Paderb. Episcopus apud Pontificem ex veteri jure. p. 93. Libertas in admittendis bonis patrimonialibus defenditur ab Urbano IV Pontifice. p. 150. Privilegia saltus Solingani & venationis à Rudolpho Imperatore confirmantur. p. 154. Et reliqua privilegia à Bonifacio VIII Pontifice. p. 191. Acquirit à Pirmontanis Comitibus decimas Huxarienses. p. 195. Blanckenoam in tutelam dat Episcopo Paderb. p. 232. Quæ etiam à Roberto Abbate & Bernardo Episcop. Paderb. munitur. p. 267. Ab ijsdem castrum Beverungense exstruitur certis conditionibus. p. 271. & 272. Impetrat à Carolo IV facultatem constituendi Freigravios, & exercendi judicium secretum. p. 318. Henricum Episcopum Paderb. Tutorem eligit. p. 371. Et cum eo fœdere jungitur. p. 405. Dissidium inter Abbatem & Monachos. p. 465. Bellum & pax cum Brunswicensibus. p. 524. Jura & privilegia à Martino V. Pontifice confirmantur. p. 546. Abbas eo tempore Mauritius Spiegelbergius Theodorico subrogatus. p. 547. Fœdus cum Hassis. p. 604. Et cum Brunswicensibus p. 605. Lis super monte S. Jacobi componitur cum Simone Episcopo Paderb. p. 756.

Cremona, se dedit Henrico VII Imperatori. p. 223.

Crucigeri possessionem Valckenhagensis Cœnobij in diœcesi Paderb. obtinent. p. 578. In diœcesibus Paderbornensi & Monasterienſi recipiuntur. p. 611.

S. Crux miraculis clara ad S. Animam in diœcesi Paderb. p. 485.

Cuno Falkensteinius Canonicus Moguntinus reconciliatur Gerlaco Archiepiscopo. p. 329. Publicè corripitur ab Imperatore ob luxum vestium. p. 344. Ex Archiepiscopo Trevirensi Coadjutor eligitur Engelberti Archiepiscopi Colonienſis. p. 371. Dissidentes componit. ibid. Multa præclarè agit. p. 372. Comitatum Arnsbergensem Ecclesiæ Colonienſi adjungit. p. 373. Rebellem nobilitatem domat. p. 376. Henricum Spegelium Episcopum Paderb. Mareschallum Ducatus Westphaliæ constituit. p. 376. Administratione diœcesis Colonienſis se abdicat. p. 379. Postulatur à Canonicis Moguntinis, sed Archiepiscopatum recusat. p. 381.

D.

Dalheimense Virginum Cœnobiũ in diœc. Paderborn. commutatur in Monasterium Canoni-

Canonicorum Regularium. p. 556. Ejus origo & destructio. p. 557. Opera & auxilio cumprimis Brobeckiani Nobilis, Ottonis Comitis Waldecensis, aliorumque opo in meliorem statum resurgit, ac in novum Monasterium à Winsheimensi congregatione erigitur. p. 559. Cœnobium cum pago fortuito incendio in cineres dissolvitur, & paulò post Nobilium beneficentia nobiliùs exsurgit. p. 608.

Dalhusana Parochia ab Ottone Episcopo Paderb. subjicitur Præposito Cœnobij Gerdensis. p. 202. Villa vero ab Eversteinienſibus Comitibus eidem Monasterio donatur. ibid.

Daventriæ ad Isalam Gerardus M. & Florentius Presbyteri celeberrimum Gymnasium instituunt. p. 431.

David Burgundi Ducis filius à pontifice Ultrajectensi Ecclesiæ præficitur in locum Rudolphi defuncti. p. 672. Moritur. p. 774.

Delbruggenses Colonienſem Archiep. & Clivenſem Comitem ſibi infestos repellunt cæduntque. p. 501. privilegiorum ſuorum oneroſorum confirmationem accipiunt ab Episcopo Theodorico. p. 546.

Delmenhorſtianum castrum ab Oldenburgenſibus Comitibus occupatum cur non restitutum Eccleſiæ Bremenſi. p. 690. Cedit Monasterienſi diœceſi. p. 779.

Desenbergenses Nobiles cæduntur à Warburgenſibus. p. 242.

Dietherus Nassovius ſuccedit Boëmundo in Archiepiſcopatu Trevirenſi. p. 189. Ad obſequium redigitur ab Alberto Cæſare. p. 195.

Dietherus Isenburgicus Comes eligitur Archiepiſcopus Moguntinus. p. 680. A Pontifice rejicitur ob varia crimina ipſi objecta. p. 684. Æmulum Naſſovium cædit. p. 686. Mox ab eodem Moguntiâ captra in fugam compellitur. ibid. Et cedit Archiepiſcopatu. p 687. Subinde demortuo æmulo in Moguntina ſede ſubrogatur. p. 727. Joannem Burchardum de Weſalia hæreticum pœnitentiæ cauſa Cœnobio includit. p. 737. Academiam & Arcem Moguntinenſem condit, ac moritur. p. 743.

Dominicanorum Laus & propagatio. p. 40.

Durſtenæ in Weſtphalia piorum hominum liberalitate conſtruitur Cœnobium patrum de Obſervantia. p. 759. Duſſeldorpij ad Rhenum inferiorem inſtituitur Collegium Canonicorum à Wilhelmo Montium Duce. p. 489.

E.

Eberſteinij Comites benefaciunt Cœnobio Gerdenſi. p. 13. Eocum ſedes in collis ad Viſurgim. p. 202. Beneficentia in Gerdenſe Monaſterium. ibid. Familia, & bellum cum Brunſwicenſibus. p 524. Adhæret Bertrando Epiſcopo Paderb. p. 465. Bellum gerit cum Brunſwicenſibus. p. 524.

Eduardus Angliæ Rex Vicarius Imperij conſtituitur. p. 289. Gallum bello adoritur. p. 291. Galliam vaſtat. p. 292. Francosque inſigni clade profligat. p. 311. A quatuor Electoribus Cæſar eligitur, ſed recuſat Imperium. p. 314.

Eduardus Angliæ Regis filius memorabili clade profligat & capit Joannem Galliæ Regem cum Philippo filio. p. 337.

Eduardus Gelriæ Dux occiditur, & frater ejus Reinaldus moritur Naſſovica ſtirpe ſucciſa. p. 384.

Egheſtorpianum Monasterium D. Auguſtini in Ducatu Luneburgico exſtruitur. p. 311.

Electores Imperatoris in Germania p. 37. Eorum origo inquiritur. p. 48. Diſcordes. p. 314. & 316. Ægrè ferunt binos Archiepiſcopos Colonienſem & Trevirenſem ab Eugenio IV Pontifice exauctoratum. p. 637.

D. Eliſabetha Thuringiæ & Haſſiæ Landgravia moritur. p. 17. Oſſa ejuſdem in magna Imperatoris & principum corona non ſine miraculis elevantur. p. 28.

Embrica victo Geldro aſſeritur Adolpho Cliviæ Duci. p. 337.

Emdenſis Comitatus Monaſterienſi Eccleſiæ adjunctus. p. 74. Et ab ea iterum avulſus. ibid. & p. 75.

Engelbertus Falkenbergicus Comes ſuccedit Conrado in Archiepiſcop. Colonienſi cognomine II. p. 103. Una cum Simone Epiſcopo paderb. componit litem inter Corbeienſem Abbatem & Waldecenſem Comitem p. 113. & 114. Colonienſes contra ipſum rebellant: capiturque à Wilhelmo Juliacenſi Comite. p. 115. Ejus liberatio ſtuſtra tentatur. p. 118. Captivitate certis conditionibus liberatur; quas tamen reſcindit Pontifex Gregor. p. 122. Moritur. p. 127.

Engelbertus Leodienſis Epiſcopus infeliciter pugnat contra Leodienſes. p. 310.

Engelbertus Marcanus Comes Bredevordam caſtrum captum deſtruit. p. 140.

Engelbertus Marchiæ Comes Weſtphaliam turbat. p. 224 Cliviæ Comitem bello invadit, ſed repellitur. p. 236. Reconciliatur Ludovico Monaſterienſi Epiſcopo. p. 239 Diœceſin Monaſterienſem vaſtat, & ejus Epiſcopum capit; ac pace concluſa iterum dimittit. p. 252 Romam proficiſcitur. p. 265. Redux moritur p. 267.

Engelbertus Marchiæ Comes in Paleſtinam pœnitentia ductus proficiſcitur. p. 310.

Engelbertus à Marcka Leodienſis Epiſcopus ab aliquot Canonicis eligitur Archiepiſcopus Colon. p. 360. A Pontifice præficitur Eccleſiæ Colonienſi impetrato etiam pallio. p. 364. Lipſtadium & Lipperadium Comiti Marcano oppignorat. p. 370. Adjutorem ſibi adſciſcit Cunonem Archiepiſcopum Trevirenſem. p. 371. Bruclæ obit. p. 372.

Engelbertus Marchiæ Comes.

Colonienſibus urbis præfectus deligitur. p. 394. Diœceſin vaſtat. p. 395. Monaſterienſem Epiſcopum bello infeſtat. p. 435. Moritur. p. 439.

Engelbertus Oſnabrugenſis Epiſc. fratrem Ottonem Teclenburgenſem Comitem ad pacis conditiones cogit; recipitque Advocatiam Oſnabrugenſem. p. 29. Fœdus init cum Conrado Archiepiſcopo Colon. p. 60.

Engelbertus de Wengede ſuccedit in Epiſcopatu Oſnabrugenſi Ludovico. p. 216. Domum exſtruit pro emeritis Paſtoribus & ſacerdotibus. p. 220. Defenſor Eccleſiæ à Clemente V. Pontifice conſtituitur. p. 224. Obit. p. 239.

Engerenſe Canonicorum Collegiũ diœceſis Paderb. transfertur Hervordiam. p. 298.

Eresbergum vide Mons Martis.

Ericus Daniæ Rex à fratre Abele interficitur. p. 66.

Ericus Hojanus Comes ſuccedit Joanni Diepholdio in Epiſcopatu Oſnabrugenſi. p. 611. Languide diœceſin adminiſtrans diſſidiis Canonicorum involvitur. p. 621. Exauctoratur, & à Comitibus de Hogſtein capitur. p. 623. A binis Canonicis Epiſcopus Monaſterienſis eligitur. p. 673. Moritur. p. 677.

Euchariſtiæ Sacramentum. Mos dexteris ſuper illud poſitis fœdera juramento confirmare. p. 238. In honorem hujus Sacramenti Bürenæ oppido diœceſis Paderb. Sacellum erigitur ob inſigne miraculum. p. 284. Ejus veneratio & veritas in oppido Blombergenſi diœceſis Paderb. inſigni miraculo confirmatur. p. 682.

Everardus a Deeſt ſuccedit in locum defuncti Gerardi Epiſcopi Monaſter. p. 129. Saſſenbergam præmunit. p. 179. A Teclenburgico & Marcano Comitibus vexatur. p. 189. Mors ejus & præclarè geſta. p. 192.

Everardus Marcanus Comes Weſtphaliam turbat. p. 171. Iterum p. 180. Pax inter ipſum & Archiepiſcopum Colonien. p. 182. Denuo Weſtphaliam & Diœceſin Monaſter turbat. p. 189. Electioni novi Epiſcopi Monaſterienſis ſe immiſcet p. 192. Rurſum Weſtphaliam infeſtat. p. 194. Uri & Archiepiſcopi Colon terras p. 199. Ab Ottone Epiſcopo Monaſterienſi ad conditiones pacis adigitur. p. 202. Obit. 216.

Everwini Benthemienſis Comitis Mors & laus. p. 671.

Eugenius IV. ſuccedit in Pontificatu Martino V. & Synodum Baſileenſem indicit. p. 569. Ad poſtulata Paderbornenſium, conſtitutione edita Parochiarum & Eccleſiarum uniones reſcindit p. 575. Concilium Baſileenſe transferri vult Bononiam p. 577. Albertum II. Regem Romanorum laudat, confirmatque. p. 612. Concilium Baſileenſe Ferrariam fruſtra transferre laborat. 614. A Concilii Patribus exauctoratur, adverſantibus ei maxime Ludovico Arelatenſi & Theodorico Colonienſi Archiepiſcopis. p. 615. Florentinum Concilium indicit, in quo Græci cum Latinis conciliati. p. 616. Theodoricum Colonienſem, & Jacobum Trevirenſem Archiepiſcopos excommunicat & exauctorat. p. 636. Ejus obitus. p. 645.

F.

Falkenbergii Nobilis inſolentia in diœceſi Paderb. p. 435.

Falckenhagen, v. Valkenhagen.

Fames in Weſtphaliâ. p. 764.

Felix V. ex ſabaudiæ Ducibus à Conſtantienſis Concilii Patribus in Pontificatu ſubſtituitur Eugenio. p. 615. proſcribitur p. 646.

Flagellantium ſecta per Germaniam ſerpit & ſupprimitur. p. 317.

Flandria de Gallia triumphat ad Corbacum. p. 195.

Flectorpienſis Eccleſia ab omni Advocatiæ onere liberatur. p. 62. Ab Hermanno Corbeienſi Abbate decimas impetrat. p. 68. Fraternitas B. V. priſtino vigori reſtituitur ab Epiſcopo Paderb. p. 687.

Florentius de Wevelinghoven à Pontifice ſubſtituitur Epiſcopus Monaſt. in locum Joannis Virneburgici. p. 365. Monaſterienſibus primùm ingratus, poſt acceptus. p. 366. Optimè regit, Dynaſtamque Steinfurdenſem ſibi conciliat. p. 375. Equeſtrem ordinem rebellem domat. p. 380. Iterumque adverſantem ſibi ſubjicit, ac Meppiam ad Confluentes Amaſis & Haſæ vallis & Muris incingit. p. 384. Reprimit inſolentiam Joannis Burgravii Strombergenſis p. 387. Præclara ejus opera in bonum diœceſis. p. 389. Caſtrum Strombergenſe cum Burgraviatu Diœceſi ſuæ adjungit. p. 395. Comitem Teclenburgicum ad pacem petendam cogit. p. 398. Nobiles & prædones opprimit, eorumque caſtra evertit. p. 405. Teclenburgicum Comitem & Burgravium Strombergenſem Rhedæ obſidet, Adjutoribusque Henrico Paderbornenſi & Theodorico Oſnabrugenſi Epiſcopis ad deditionem cogit. p. 406. Juſſu Urbani VI. pontificis ad Eccleſiam Trajectenſem transfertur: Ejus obitus, præclara laus. p. 404.

Fœdus inter Complures Principes & Urbes Imperij. p. 68. & p. 76. Fœdera varia à variis inita. p. 424. & p. 443.

Focco Friſonum Dux bello clarus. p. 551.

Franciſcanorum PP. templum Geiſmariæ conſecratur à Bernardo Epiſcopo Paderborn. p. 35. Ordo propagatur. p. 40.

Francofurtenſia Comitia. p. 454. Pax in urbe concluſa ſed non diuturna, ob ſocordiam Imperatoris. p. 456.

Fraternitas B.M.V. in Cœnobio Flechtorpienſi à Theodorico Epiſcopo Paderborn. priſtino vigori reſtituitur p. 687.

Fridericus II. Imperator in Palæſtinam diſcedit, & non multo poſt ſucceſſu parum glorioſo in Italiam remigrat p. 4. Ob rem malè actam incurrit in offenſionem ſummi Pontificis, & excommunicatur. p. 5. Pontific. & Eccleſiæ reconciliatur. p. 7. Urbium ac civium tributis & collegia reſtringit. p. 18. Henricum

ricum filium rebellem carceri includit: Isabellam sororem Henrici Regis Angliæ in matrimonium ducit: nobilissimumque conventum Moguntiæ habet. p.24. Ottonem Luneburgi & Brunswici Principem Ducem nominat. p.25. Capiti S. Elisabethæ Hassiæ Landgraviæ, dum ejus ossa elevantur, coronam auream imponit. p. 28. Fridericum Austriæ Ducem armis donat. ibid. Conradum filium adhuc puerum Regem dicit, ac in Italiam proficiscitur. p.31. Ecclesiam cum filio Conrado divexat. p.34. A Pontifice excommunicatus Germaniam turbat. p.36. 37. 38. Italiam vastat. p.45. A Concilio Lugdunensi Imperium ei abrogatur. p.47. Ejusdem sensus de fide. ibid. Et animus erga Episcopos ac sacerdotes p.48. Depositio ejus ingentes in Imperio motus edit. p. 49 Exauctorato subrogatur à quibusdam Henricus Hassiæ Landgravius. p.50. Eo mortuo Wilhelmus Comes Hollandiæ. p.58. Friderici Imperatoris mors & genius. p.65.

Fridericus Austriæ dux Austriam recipit. p 31. Tartaros cum clade rejicit. p.39.

Fridericus Austriæ dux à quibusdam Electoribus Rex Romanorum eligitur. p.229. Et Bonnæ coronatur p.230. Profligatur ab Æmulo Ludovico p.233. & p.234. Variis rursum locis cum eodem confligit. p.240. Bavariam vastat. p.243. Vincitur & captivus abducitur à Ludovico p.248. Liber dimittitur. p. 260. Moritur. p.268.

Fridericus IV Austriæ dux Rex Romanorum eligitur, frustra electionem disturbare moliente Gertio Westphalo, p.617. Solutis Moguntinensibus Comitiis in Austriam regreditur Ungariam Bohemiamque pacaturus. p.620. Aquisgrani à Theodorico Archiepiscopo Colonienſi coronatur. p.625. Francofurti Comitia celebrat, & quid in eis actum p.626: Comitia habet Norimbergæ p.628. Romæ coronatur, ducta in uxorem Leonora Regis Lusitaniæ filia. p.660. Comitia Ratisbonæ & Francofurti celebrat successu irrito p.666. Ulricum Frisiæ Orientalis Dominum Comitem Imperij creat. p.670 Comitiis indictis laborat pro impetrandis suppetiis contra Turcas. p.680. A rebellibus civibus Viennæ in sua arce obsidetur; & à Rege Bohemiæ liberatur. p.686 Romam proficiscitur. p.700. Multisque agit cum Pontifice casso successu. p. 501. Comitia celebertima Ratisbonæ habet eventu irrito. p.707. Comitia Trevitis indicit. & à Carolo Burgundiæ Duce prope urbem excipitur: à quo filiam unicam Maximiliano filio suo in matrimonium dari petit p713. Coloniam contra Burgundum animat & copias è Germania colligit. p. 716. Comitia indicit pro liberando Novesio. p.719. Coloniam cum exercitu venit. & compositionem per Nuntium Apostolicum tentat. p.722. Contumaces Principes edictis percellit, ac cum exercitu Novesium movet, p 723 pace ad Novesium promulgata agit cum Burgundo de matrimonio Maximiliani unici inter & Burgundicam contrahendo. p. 725. Et per Margaretham Anglam Burgundi conjugem rem perficit p 727. Colonienſibus & Novesiensibus ampla largitur privilegia. ibid. Bellum à multis annis gerit cum Corvino Ungariæ Rege. p. 750. Vienna à Corvino occupata Coloniam descendit. p. 751. Deinde Aquisgranum; ubi Maximilianus filius ei occurrit. p. 752. Cum Filio Coloniam redit. p. 754. Ab Henrico Episcopo Monasterienſi splendido convivio excipitur. p.755. Imperii Comitia habet Norimbergæ. p. 756. Ad Rhenum descendit contra Belgas pro liberando Maximiliano filio captivo. p. 758. Gandavum obsidet. ibid. Francofurti concilia indicit: In quibus pax inter Regem Galliæ & Maximilianum coalescit. p. 759. Subsidia à Principibus adversus Galliarum Regem frustra petit. p.765. Ejus obitus & commendatio p.768.

Fridericus Badensis Marchio succedit Davidi in Episcopatu Ultrajectensi. p. 774.

Fridericus Fürstenbergius convenit cum Henrico Spegelio Episcopo Paderb. p. 379. Fidam operam præstat Archiepiscopo suo in bello Tremonienſi. p. 427. Et in aliis bellis. p. 502.

Fridericus ab Hoerde fundat Lipstadij Cœnobium Eremitarum S. Augustini. p. 142. Moritur. p. 237.

Fridericus Bichlingicus Comes Archiepiscopus Magdeburgensis cum fama sanctitatis obit: cui jussu Pontificis succedit Joannes Bavarus Episcopus Monasterienſis. p. 697.

Fridericus Brunswicensis Dux Francofurto redux à prædonibus interimitur. p. 468.

Fridericus Brunswicensis Dux adhæret Hojano Comiti in rebellione Monasterienſium. p. 667. Capitur à Theodorico. p. 668. Et Coloniam abducitur. p. 669.

Fridericus Misniæ Marchio Imperium à 4 Electoribus oblatum admittere recusat. p. 314.

Fridericus Misniæ & Thuringiæ Marchio Saxoniæ Dux & Septemvir à Sigismundo Imperatore creatur. p. 544. Infeliciter cum Bohemis Hussitis pugnat. p. 552.

Fridericus Norimbergensis Burggravius á Sigismundo Imperatore Elector & Marchio Brandeburgensis dicitur. p. 529.

Fridericus Padbergius Nobilis Ecclesiam ac Diœcesin Paderb. infestat. p. 434. 438. Ad obsequium reducitur. p. 440. Castrum ejus obsidetur ab Episcopo Paderb p. 444.

Fridericus Palatinus Isenburgici electi Archiepiscopi Moguntini partes tuetur. p. 685. Nassovium profligat. p. 686.

Fridericus Sarawerdæ Comes fit Archiepiscopus Colonienſis. p. 380. Multa prudenter ordinat. p. 382. Wennemarum Fürstenbergium supremum Ducatus Westphaliæ Satrapam constituit. p. 383. Sua industria Ducem Juliacensem cum Cæsare reconciliat. p. 386. Urbem Colonienſem adversantem habet. p. 392. Eamque frustra oppugnat. p. 394. Arma & fœdera jungit cum Florentio Episcopo Monast. Henrico Paderb. & Abbate Corbeiensi. p. 405. Urbani VI Pontificis partes egregie tuetur; & Regalia ac privilegiorum confirmationem á Wenceslao Imperatore accipit. p 406. Episcopos Paderb. & Monast. sibi obnoxios reddit. p. 417. Colloditur cum

cum Duce Clivensi & Marcano Comite. p. 420. Tremoniam frustra obsidet. 427. Depravatos Cleri & religiosorum mores corrigit. p. 436. Bellum gerit adversus Adolphum Cliviæ Ducem p. 439. Reconciliatur cum Clivio & Marcano. p. 440. Studet conservandæ Cleri disciplinæ. p. 470. Adolphum Montium Ducem Marescallum Ducatus Westphaliæ creat. p. 485. Cum Clivensi Comite diœcesin Paderb. infestat. p. 500. Sed cum clade repellitur. p. 501 clademque ulturus bellum instaurat; quod tamen per arbitros componitur. p. 503. Moritur. p. 513.

Frisones à Wilhelmo Rege domantur p. 77. Rebellant. p 78. Eorum expeditio adversus barbaros, p. 119. Eluvio aquarum in Frisia. Pax Ecclesiæ Frisonibus restituitur ab Ottone Episcopo Monaster. p. 460. Invaduntur ab Archiepiscopo Bremensi aliisque; sed infelici successu. p. 550. Colliduntur cum Episcopo Monaster. ob jurisdictionem Ecclesiasticam. p. 765.

Fuldensis Abbas Bertholdus à Vasallis tempore sacri occiditur. p. 120.

Furstenbergensis castri constructio, reparatio & eversio. p. 208. Oppignoratur militibus de Vernede. p. 263. A Balduino Episcopo Paderb. oppignoratur Hermanno Brenckio. d. 336.

Furstenbergensis familiæ bellum cum Brenckiana. p. 378. Inter eam & Henricum Spegelium Episcopum Paderb. convenit. p. 379.

G.

Gallia bello invaditur ab Eduardo Angliæ Rege. p. 291. 292. Et insigni clade afficitur ad Crescicum. p. 311. Et iterum ad Pictavium Rege & filio captis. p. 337.

Gandavensium rebellio adversus Maximilianum Principem suum. p. 756, 757. Obsidentur. p. 758. Maximiliano se submittunt. p. 759. Et iterum rebellant. p. 764.

Gebellini unde nuncupati. p. 50.

Geismariorum familiæ commendatio. p. 242.

Geldria à Nassovicis transit ad Ducem Juliacensem. p. 384. Geldri deficiunt à Burgundo, & inter alios in belli societatem trahunt Henricum Episcopum Monast. p. 730. Novas in Belgio turbas excitant. p. 733. A Maximiliano & Clivensi Duce oppugnantur. p. 735. Henricum Monasterienſem Episc. supremum militiæ præfectum designant. p. 735. Qui administrationem Laudabiliter suscipit. p. 736. Plures è Geldris ad Maximilianum transeunt. p. 738. Ab Egmondano denuo turbantur. p. 765.

Georgius Podibratius Hussita Boëmorum Rex eligitur. p. 680. Fridericum Imperatorem à civibus in arce sua Viennensi obsessum liberat. p. 686. A Pontifice excommunicatur. p. 699.

Gerardus Bremensis Archiep. & Otto Dux Brunswicensis sibi reconciliantur non sine damno Ecclesiæ Bremensis. p. 29. Moritur: mira ei in vita prædicta. p. 98.

Gerardus Cliviæ Dux Marchiam à fratre Adoldho petit. p. 549. Eámque plurimorum auxiliis adjutus invadit, vastatque. p. 550. Et tandem subigit. p. 556. Reconciliatur fratri, & pie obit. p. 606.

Gerardus Dynasta de Monte Hildesiensis Episcopus eligitur. p. 363. Insurgentem in se Ducem Brunswicensem bello devincit. p. 396. Carolum Imperatorem Mindam deducit. p. 398. Ejus obitus & commendatio. p. 461.

Gerardus Eppensteinius Archiepiscopus Mogunt. astu Adolphum Nassoviæ Comitem ad imperatoriam dignitatem promovet. p. 171. Synodum provincialem Moguntiæ celebrat. p. 172. Cum reliquis Electoribus depositio Adolpho Albertum Austrium Regem dicit. p. 185. Ab Alberto bello invaditur. p. 193. Et ad obsequium redigitur. p. 194. Ejus audax dictum. p. 198. Obit morte subitanea. p. 201.

Gerardus Hojanus Comes vincit & captivum abducit Melchiorem Episcopum Osnabrug. p. 388.

Gerardi Hojani Bremensis Archiepiscopi obitus p. 689.

Gerardus Juliæ & Montium Dux Archiepiscopo Colonienſi cedit provincias suas post mortem, si improlis moriatur. p. 652. Irrito contractu ob suscitatos liberos, p. 653. Ejus obitus & laus. p. 727.

Gerardus Keppelius Nobilis diœcesis Monast. Hermanno unico hærede ad Novesium interempto castrum suum in Carthusiam commutat. p. 732. Religiosisque adscriptus piè moritur; Hildegunde conjuge Schuttorpium in sanctam solitudinem abeunte. ibid.

Gerardus M. & Florentius presbyter Daventriæ Gymnasium instituunt. p. 431.

Gerarduus Marchiæ Comes sine hærede defungitur, Marchia ad Clivenses Duces translata. p. 685.

Gerardus Moguntinus Archiep. à Duce Brunswicensi capitur. p. 82. Moritur. p. 99.

Gerardus Monasterienſis Episcop. à Clemente pontifice anathemate percutitur, quod bello se immiscuerit adversus Archiepiscopum Colon. p. 115. propterea etiam punitus. p. 122. Moritur. p. 128. Ejus multa præclarè acta. p. 129.

Gerardus Oldenburgensis Comes famosus prædo bello impetitur ab Henrico Episcopo Monast. p. 709. Ad pacis conditiones adigitur. p. 720. Insolentia ejus denuo reprimitur. p. 729. Iterum insolescit; & in urbe sua Oldenburgensi obsidetur. p. 742. Tandem subigitur, & post varias fortunæ vices tentatas moritur. p. 745.

Gerardus Schauenburgicus Comes à pontifice designatur Episcopus Mindensis in locum Ludovici. p. 311. Obit adjecto patrimonio Ecclesiæ castro Rhode. p. 332.

Gerhardus Schawenburgicus trans-

translato ad Magdeburgensem Ecclesiam Theodorico à pontifice præficitur Ecclesiæ Mindensi eo nomine II. p 352. proficiscitur cum fratre in terram sanctam & submergitur. p. 369. Ejus elogium. p. 370.

Gerdense Cœnobium donationibus agrorum augetur. p. 13. 35. 49. Iterum à Simone Episcopo. p. 62. 112 117. Item ab Ottone: à quo etiam Dalhusana parochia subditur præposito Gerdensi. p. 202. Villa verò Dalhusana ab Eversteinensibus Comitibus eidem Monasterio donatur. ibid. Oppidum Gerdense munitur. p. 240. Lis inter Moniales & Lemgovienses à Bernardo Episcopo componitur. p. 262.

Gerlacus Nassovius designatur à pontifice Archiepiscopus Mogunt. exauctorato Henrico. p. 310. plenam possessionem Archiepiscopatus acquirit. p. 329. Moritur. 381.

Gesekena Colonienſi Ecclesiæ attribuitur. p. 178.

Gobelini Personæ Paderbornensis historici Ortus. p. 342. Fit Sacellanus episcopi paderborn. p. 484. Officialis & Canonicus Bilfeldiensis p. 496. pontifici hymnum de B. M. V. offert. p. 499. Brevis ejus vitæ epitome. p. 530. Et scripta. p. 531.

Godefrid⁹ Arensbergensis Comes & Conrad⁹ Ritbergensis transigunt de suis bonis. p. 32.

Godefrid⁹ Arensbergensis Comes succedit in Episcopatu Osnabrugensi defuncto Engelberto. p. 239. Colliditur cum Episcopo Monaster. p. 297. Auctoritate Pontificis imponitur Sedi Bremensi p. 323. Bellum eum inter & æmulum à clero electum feliciter componitur. p. 326.

Godefridus Arensbergæ Comes Mareschallus Ducatus Westphaliæ renunciatur. p. 92 Comitatum partim donat, partim vendit Ecclesiæ Colonienſi; & Bruelam ad quietem discedit. p. 373 Obit. p. 374.

Godefridus Waldecensis Comes succedit Ludolpho in Episcopatu Mindensi p. 231. Castrum Petrihagense construit, munitque. p. 234. Obit. p. 260.

Godeschalcus Monasterienſium Episcopus. p. 27.

Gregorius IX Pontifex Episcopos Westphaliæ & Saxoniæ cohortatur ad succurrendum Archiepiscopo Bremensi adversus rebelles Stedingos. p. 18. Possessionem Castrorum Mersberg & Kugelenberg, oppidique Volckmersen Corbeiensibus datam ratam habet. p. 20. Studet extirpandis nefarij per Germaniam hæresibus. p. 21. Principes ad bellum sacrum frustra sollicitat. p. 27. Excommunicat Fridericum Imperatorem. p. 36. Scakensi Monasterio in Diœcesi paderborn. prospicit. ibidem. Moritur p 38.

Gregorius X Pontifex eligitur p. 120. Rescindit acta inter urbem Colonienſem, Ducem Julicacensem & Archiepiscopum Engelbertum. p. 122. Hortatur Imperij principes, ut novum Regem eligant. p 123 Concilium Lugduni indicit. eique præsidet p 125. Quæ in eo acta p. 126. Moritur p. 130.

Gregorius XI deligitur Pontifex in locum demortui Urbani V. p. 381. Sedem Apostolicam è Galliis Romam transfert p. 396. Ejus obitus Ecclesiæ luctuosus. p. 403.

Gregorius XII Pontifex. p. 487. In Concilio Pisano Pontificatus ei abrogatur. p. 491. Ut Germanos Episcopos sibi devinciat, tres in Cardinalium numerum cooptat. p. 505. Per Legatum ad Concilium Constantiense missum pontificatu se abdicat. p. 518.

Guido Trajectensis Episcopus interest Concilio Viennensi, & inter purpuratos Patres eligitur. p. 223.

Guntherus Schwartzenburgensis Comes, Imperium ab aliquot electoribus sibi oblatum admittit. p. 316. Pharmaco veneno aspersо decumbit, regioque titulo Carolo vendito moritur. p. 316.

Guntherus Comes Swalenbergicus fit Archiepiscopus Magdeburgensis. p. 140. Altero anno se munere abdicat. ibid. Eligitur Episcopus Paderb. p. 211. Warburgensis oppidi privilegia confirmat. p. 218. Munus suum in æmulum successorem transfert & obit. p. 220.

Guntherus Swalenbergensis Comes à Bernardo Episcopo Paderb. facultatem petit transferendi bona sua in Comitem Ravensbergensem. p. 250.

H.

Hadrianus V Pontifex eligitur & moritur p. 130.

Hæreses nefandæ in Germania. p. 21. pununtur indiscreto judicio. p. 22. Begardorum. p. 223. Lolhardorum. p. 249. Flagellantium. p. 317. Hussitarum. p. 476 507. Flagellantium in Misnia resuscitata & sopita. p. 522. Variæ in Bohemia. p. 538. Calixtinorum ibid. Joannis de Wesalia, & impostoris cujusdam in Francia. p. 737.

Haltermontiorum Comitū familia in Willebrando Episcopo Mindensi extincta cedit Brunſwicensibus. p. 48. & 609.

Hammelia oppidum à Widekindo Episcopo Mindensi emitur. p. 72. Hammeliorum puerorum amissio. p. 152.

Hammonæ pax publica totius Westfaliæ coalescit. p. 442. Cives ductis aggeribus limites suos includunt. 450.

Hanseaticarum Urbium societas & potestas. p. 367. fœdus ineunt pro libertate sua tuenda p. 369.

Harbertus de Manderslo ingreditur ordinem Patrum Prædicatorum Mindæ. p. 181.

Hardehusano Cœnobio Diœcesis Paderbornensis benefaciunt Episcopi Paderbornenses Bernardus IV. p. 43. Otto. p. 143. Theodoricus. p. 224.

Hassia eloquentia Conjugis Landgravii ab hostibus liberatur. p. 245.

Hegenstorpiana Crux miraculis clara reperitur. p. 191.

Helmwardeshusanum Cœnobiū á Bernardo Episcopo Paderb. ad obsequium reducitur ejusque tandem interitus. p. 264. Monachi castrum Kruckenberg alienis tradere moliuntur. p. 286. Oppidum cum arce Kruckenberg Balduino Paderb. Episcopo oppignoratur ab Abbate loci. p. 328.

Henric° VII Comes Luxenburgic° in Imperatorem eligitur. p. 213. Aquisgrani cum Conjuge coronatur. p. 216. Henrico filio Wenceslai Regis Bohemiæ filiam unicam in matrimonium dat; & multa præclarè statuit. p. 217. Confirmat privilegia Werthinensis Monasterii; iterque in Italiam decernit. p. 219 Expeditiones ejus in Italia p. 223. Romæ à Cardinalibus inungitur & Imperator salutatur: plurimaque loca occupat. p 225. Ejus obitus & insignis virtus. p. 226. 227.

Henricus Ahusanus variis locis instituit Congregationem Sacerdotum in commune viventium p. 473.

Henricus Archiepiscopus Colon. confirmat bona & privilegia Cœnobij Bredelarienſis Paderbornensis diœc. p. 19.

Henricus Basileensis Episcopus fit Archiepiscopus Mogunt. p. 155.

Henricus Brunswicensis Episcopus Hildesiensis moritur & commendatur. p. 361.

Henricus Colonienſis ex Prædicatorum ordine moritur. p. 71.

Henricus Corbeiensis Abbas privilegiorum suorum confirmationem impetrat à Cæsare Rudolpho. p. 154.

Henricus Effingius in Archiepiscopatu Trevirensi succedit Arnoldo. p. 99.

Henricus Hassiæ Landgravius loco Friderici exauctorati à quibusdam in Regem Romanorum eligitur, & coronatur, p. 50. A ceteris Rex clericorum dictus. ibid. Confligit cum Conrado Rege; vincit; & moritur. p. 57.

Henricus Hassiæ Landgravius Rupertum Archiepiscopum Colonienſem captum in carcerem conjicit: lepráque mox infectus miserabiliter post sexennium consumitur. p. 733.

Henricus de Haxhausen utriusque juris doctor, & Præpositus Ecclesiæ Paderb. bibliothecam suam legat Capitulo. p. 712.

Henrici de Hervordia historici laus & obitus. p. 381. Ejus ossa à Carolo IV Imperatore honoratiori loco condi jubentur. p. 398.

Henricus Holsatiæ & Schawenburgi Comes succedit Theodorico Hornæo in Episcopatu Osnabrugensi. p. 478. Episcopatu se abdicat. p. 480. Ejus commendatio. p. 481.

Henricus Lœderus Frisiæ & Saxonum Apostolus dicitur. p. 446.

Henricus Mollenarchius Colonienſis Archiep. moritur. p. 34.

Henricus Mörsanus plurimorum Canonicorum suffragiis eligitur Episcopus Paderb. in locum defuncti Ottonis. p. 548. Solenni pompa in auguratur. p. 549. Colliditur cum Adolpho Clivensi. p. 581. Adhæret fratri Theodorico Archiep. Colonien. adversus Susatenses. p. 632, Invitis ordinibus. p. 634. Urbs Monasterienſis & plures ex equestri ordine contra eum insurgunt. p. 636. Fruſtraque conantur á bello Susatensi abstrahere. p. 639. Hummelingos in Emslandia domat. p. 651. Et subinde ex equo prolabitur. p. 652. Ejus obitus & commendatio. p. 653.

Henricus Nassovius à 4 Canonicis eligitur Episcopus Monasterienſis loco Ottonis defuncti. p. 548.

Henricus Oldenburgicus Comes pientissimus condit Vlotense Virginum Cœnobium, & Wildeshusium vendit Ecclesiæ Bremensi. p. 72.

Henricus Rex Friderici Imper. filius Eresburgum Corbeiensibus adjudicat. p. 4. Plurima Imperio utilia ordinat. p. 13. Contra Patrem conspirat. p. 23. Sed ab eo carceri includitur; in quo tandem relictis binis filiis moritur. p. 24.

Henricus Solmensis Ottensteinij Dynasta ab Ottone Episcopo Monast. subjugatur & arce exuitur. p. 490.

Henricus Spegelius Præpositus Corbeiensis tertiam partem arcis Beverungensis vendit Balduino Episcopo Paderb. p. 315. Eligitur Abbas Corbeiensis, electioque ab Innocentio Pontifice approbatur. p. 347. A Balduino Episcopo Paderb. in Coadjutorem adlegitur. p. 350. Eidemque succedit in Episcopatu, p. 354. Confirmatur à Pontifice. p. 355. Sedi Apostolicæ juramentum dicit. p. 356. Ab Imperatore regalia accipit. p. 357. Corbeiam simul administrat. p. 358. A Carolo Imperatore defensor jurium & bonorum Ecclesiæ Hildesiensis constituitur. p. 360. Diœcesin suam egregiè tuetur. p. 363. Impetrat confirmationem Judicii in Monte Martis ab Imperatore. p. 366. Bello colliditur cum Landgravio Hassiæ, pace mox redintegrata. p. 368. Corbeiensium Tutor eligitur. p. 371. Mareschallus Westfaliæ constituitur p. 377. Idcirco pecuniam numerat Comiti Arensbergio. p. 378. Convenit cum Wenemaro Fürstenbergio. p. 379. Fœdus publicū cùm Nobilibus sancit contra prædones. p. 380. Suprema Comitatus Arensbergensis præfectura ei committitur. p. 382. Quam egregiè administrat. ibid. Fœdus Stelligerorum inter Westfaliæ Episcopos instituit. p. 386. Officium Mareschalli ad triennium ipsi prorogatur. p. 389 Renovat fœdus Stelligerorum. ibid. Mediam partem oppidi Lugde, Culenberg & Almeni Ecclesiæ suæ adjungit. p. 397. Mindam usque Imperatori obviam procedit. p. 399. Eumque Paderbornæ excipit. p. 402 Cum Bodone Corbeiensi Abbate conjungitur. p. 405. Rhedanam arcem cum aliis Episcopis expugnat. p. 406 Partem Delbrugiæ Ecclesiæ suæ adjicit: Mediam par-

tem Judicii Civilis Braculenſis oppignorat; uti & caſtrum Wuneberg Nobilibus de Weſtphalen. p. 407. Neuhuſiam arcem exſtruit. p.408. Moritur & commendatur.p.410.

Henricus Schawenburgicus in Epiſcopatu Mindenſi ſuccedit Alberto Hojano.p.716. Et mox plurima in diœceſi ad priſtinam religionis formam reducit.ibid.

Henricus Swalenbergenſis Comes arcem & oppidum Swalenberg feudum agnoſcit Abbatis Corbeienſis. p.308.

Henricus Swartzenbergius Comes defuncto Gerardo Archiepiſcopo Bremenſi ſubrogatur.p.690 Eligitur quoque Epiſcopus Monaſterienſis & magnificè inauguratur. p.698. Ejus familia & commendatio ibid. Cœnobium Ægidianum reformat. p. 701. Tranſmiſſa à Cæſare Imperij Aquila ſupremus belli Præfectus per inferiorem Saxoniam nominatur. p.718. Gerardum Comitem Oldenburgicum ad pacis conditiones adigit, & cum Carolo Burgundiæ Duce colliditur.p.720. Cum exercitu 16 millium Imperatori ad Noveſium ſe conjungit.p.723. Coorta pugna Burgundum in fugam conjicit.p.724. Nova diſcordia inter eum & Burgundum ex militum inſolentia orta componitur.p 726. Oldenburgicum Comitem denuo tumultuantem reprimit.p.729. Geldris aſſiſtit, & Zutphaniam ſibi oppignoratam occupat.p.730. Supremus militiæ præfectus à Geldris deligitur.p.735. Adminiſtrationem laudabiliter ſuſcipit,ſed ab ea ab urbe Monaſterienſi & ordinibus retrahitur p.736. Eâ abdicata, in diœceſin redit.p.738.Bellum contra Comitem Oldenburgicum inſtaurat. p.742. Delmenhorſtiam capit ac diœceſi ſuæ adjungit. p. 744. Stabilem tandem pacem init cum Comitibus Oldenburgicis.p.745. Fridericum Imperatorem cum Maximiliano filio Rege convivio Coloniæ excipit. p.755. Friſios bello invadit ad conſervandam jurisdictionem ſuæ diœceſis p. 765. Expeditionem parans in Edſardum Comitem & Friſones moritur.p 776. Ejus inſignis commendatio.p.777.

Henricus Virneburgicus fit Archiepiſcopus Colon.p.201. Studet bonis Eccleſiæ ſuæ repetendis.p.203. Movet cum exercitu in Diœceſin. paderborn. & Fürſtenbergam caſtrum conſtruit. p. 208. Engelbertum Comitem Marcanum domat, & cum Ludovico Epiſcopo paderb. fœdus init.p.224 Fridericum Auſtriæ Ducem Regem Romanorum eligit. p. 229.Et Bonnæ coronat.p 230. Urbes ſuas contra adverſarios præmunit p.234. Juliacenſem armis invadit. p.236. Bello impetitur & ad pacem compellitur. p. 238. Meſchedanum Virginum Monaſterium in Collegium Canonicorum convertit.p 240.In Ludovicum Monaſterienſem Epiſcopum inſurgit. 242 Civibus Colonienſibus reconciliatur,& in urbe Synodum habet. p. 243. Iterumque Provincialem. p.249. Averſatur excommunicatum Regem Ludovicum; ideoque advocatia Tremonienſi privatur.p.255.Obit & commendatur.274.

Henricus Virneburgicus poſt triennij certamen à Pontifice præficitur Eccleſiæ Moguntinæ Archiepiſcopus.p.269. Favet Ludovico Cæſari. p. 277. Avenionem ad Pontificem poſtulatur.p.302, Ab eodem exauctoratur p.310. Cum aliis Electoribus coronam Imperij variis defert. p.314.316. Decertat cum æmulo Gerlaco Naſſovio.p.317. Moritur.p.329.

Henricus Waldecenſis Comes prædonum ductor invadit & ſpoliat reduces Francofurto Principes Imperii.p.468.

Henricus Werlenſis Weſtphalus doctrinâ floret. p.615

Henricus Wolffius in Epiſcopatu Monaſt. ſuccedit Pothoni.p.417. Supplicatione ſolenni Deum placare ſtudet.p 421. Fœdus cum Dynaſtis init. ibid. Marcanum Comitem ad pacem abigit.p.435. Ejus obitus & præclarè acta.p.441.

Heriſienſi Canoniſſarum Virginum Collegio in Diœceſi Paderb. privilegia plura confert Bernardus Epiſcopus. p.253. Diſſidium ob electionem Abbatiſſæ.p.606.

Hervordienſis Civitatis jurisdictionem Balduinus Epiſcopus Paderbornenſis emit ab Archiepiſcopo Colon.p.328.

Hervordienſis Collegij Canoniſſar. Abbatiſſæ lis cum Duce Saxoniæ componitur à Carolo Imperatore præſente. p. 402. Privilegia Collegij à Bonifacio IX Pontif.confirmantur.p.458.

Hieronymus Pragenſis Huſſii aſſecla. p. 508. Citatur Conſtantiam & hæreſin ejurat, ſed in eandem relapſus ad rogum damnatur. p. 518.

Hildeshemenſis Eccleſiæ tutores à Carolo IV conſtituuntur Dux Saxoniæ & Henricus Spegelius Epiſc. Paderb. p. 360. Henricus Epiſcopus ex Ducum Brunswicenſium familia huic Eccleſiæ adjungit tres præfecturas Woldenſtein, Schladen & Widelach. p 361. Schiſma capituli ob binos electos Epiſcopos. p. 709. Urbs colliditur cum Bertholdo Epiſcopo ſuo. p. 752.

Hindenburg Caſtrum in diœceſi Paderb. à Bernardo Epiſcopo variis Nobilibus inſidendum & reſtaurandum traditur. p. 281.

Hermannus Corbeienſis Abbas ſuccurrit inopiæ Scakenſis Virginum Cœnobij. p. 46. Decimas donat Flectorpienſi Cœnobio. p. 68. Advocatiam Groningen feudi titulo transfert in Ludolphum Halberſtadienſem Epiſcopum. p. 75.

Hermannus Haſſiæ Landgravius Epiſcopus Hildeſienſis eligitur, ſed pacis amore cedit. p. 709. Noveſienſi urbi præfectus imponitur. p. 717. Urbem egregie defendit adverſus Burgundum. p.721. Diœceſis Colonienſis Gubernator dicitur & confirmatur. p. 727. Defuncto in carcere Ruperto ſubrogatur in Archiepiſcopatu. p. 738. Eligitur Tutor diœceſis Paderb. p. 760. Pacem in Weſtphalia tuetur. p. 761. Cœnobia reformat, & Brûlæ Franciſcanis ſuffragatur. Fit Coadjutor Paderb. & ab Alexandro pontifice confirmatur. p. 775. Defuncto Simone pleno jure adminiſtrationem Epiſcopatus Paderb. adit. p. 779. Conradum Monaſterienſem Epiſcopum in diœceſin introducit. ibid.. Diœceſin Paderb. perluſtrat & Queſtenbergium

bergium Monasterium Sanctimonialium Crucigeris incolendum tradit. p. 780.

Hermannus Langius Monasterienſis Eccleſiæ Decanus juris utriusque Doctor. p. 728. Nepotem Rudolphum Romam mittit altioribus ſcientiis excolendum. ibid.

Hermannus Lippienſis Comes bello Stedingorum occumbit. p. 10. Ejusdem hæredes. ibid.

Hollandiæ Comitatus poſt obitum Wilhelmi Comitis ad varios dominos tranſit. p. 308.

Holthuſanum Monaſterium in diœc. Paderb. à Dynaſtis Büranis fundatur. p. 42. Ejus inſtitutio confirmatur ab Innocentio IV Pontifice. p. 49. Prædium acquirit. p. 118.

Holtiorum familia in diœceſi Oſnabrug. p. 182. Dominium venditur Comiti Ravensbergenſi. p. 233.

Honorius IV Pontifex. p. 153. Confirmat fundationem Patrum prædicatorum Warburgi in diœc. Paderb. p. 156. Obit. p. 158.

Hordenſe Cœnobium in comitatu Marcano fundatur. p. 301.

Hoſtmaria cum arce cedit in poſſeſſionem Eccleſiæ Monaſt. p. 129.

Hoſpitaliorum Ordo bonis Templariorum augetur. p. 214. Domus ijs erigitur in Marienloh diœceſis Paderb. p. 302.

Hoveſtadiorum arx & potentia in Ducatu Weſtph. p. 414.

Hugo Cardinalis Legatus Apoſtolicus in Germania diſpenſat cum Widekindo Canonico Paderb. in pluralitate beneficiorum. p. 69. Conceſſis indulgentiis hortatur fideles ad ſuccurrendum Patribus Benedictinis in fabrica Monaſterij Montis Martis. p. 70.

Hummelingi rebelles ab Epiſcopo Henrico domantur. p. 651.

Huſſitarum hæreſis. p. 507. Auctores Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis. p. 508. Dogmata. ibid. & p. 509. promovetur à Petro Dresdenſi. p. 510. Hæreſi ſe opponit Sobinko Archiepiſcopus Pragenſis. p. 508. Wenceslao Rege diſſimulante ad Sigismundum fratrem appellat: & interea moritur. p. 510. Invaleſcit hæreſis incentore Joanne ſacerdote Præmonſtratenſi. p. 529. Hæreticorum furor. p. 533. Creſcit hæreſis promotore Joanne Ziska. p. 536. In tres ſceleratiſſimas ſectas dividitur. p. 538. Huſſitæ cæduntur. p. 539. Imperatoris & Imperij exercitum fugant. p. 540. Vincunt denuo vicinasque terras latè pervaſtant. p. 541. Ab Auſtriæ Duce è Moravia expelluntur. p. 569. Tandem bellis inteſtinis obtriti ad Eccleſiam Catholicam redeunt; & Regem ſuum Sigismundum recipiunt. p. 607. Hæreſin reſuſcitat, & promovet Rokizana Presbyter. p. 699. Eâdem Germaniam inficit Joannes de Weſalia. p. 700. plura vide verbo Bohemia.

Huxarienſes Canonici ad quid obſtricti Abbati Corbeienſi. p. 107. Canonicorum Collegium foris ſitum in urbem transfert Simon Epiſcopus Paderb. p. 111. Redeunt ad priorem locum. p. 152. controverſia eos inter & Rectorem ædis B. V. componitur à Balduino Epiſcopo Paderb. p. 327. Urbs Huxarienſis aggere circumdatur & munitur. p. 337.

J.

Jacobus Archiepiſcopus Trevirenſis ab Eugenio IV excommunicatur. p. 636. Dignitati priſtinæ reſtituitur. p. 645. 646.

S. Jacobi mons in diœc. Paderbornenſi miraculis clarus. p. 756.

Iburgenſis arx diœc. Oſnabr. Epiſcopi ſedes Comiti Teclenburgico oppignoratur. p. 323.

Imperium Romanum. Ejus interregnum. p. 48. Majeſtas imperatoria diminuta. p. 76. Status Imperij turbidus. p. 94. 98. 120. 123. Tranquillus. 142. 300. Turbulentus. p. 229. 316. Tranquillus. 317. Iterum turbatus. p. 707. Imperij Principes diſſident in electione novi Regis. p. 95. Pro libertate retinenda & ſtabiliendo Cæſare laborant. p. 306 Agunt de Imperio Wenceslao abrogando. p. 460. Ob eandem cauſam denuo conveniunt Francofurti. p. 464. Plures inde reduces à prædonibus partim capiuntur, partim perimuntur p. 468. Diſſident. p. 500. Item in agnoſcendo vero Pontifice. p. 617. Malè conveniunt in expeditione contra Turcas. p. 666. Diſſident cum Calliſto Pontifice. p. 677.

Impoſtor Fridericum Imperatorem ſe fingens punitur. p. 153.

Joannes XXI Pontifex electus altero poſt anno obit. p. 130.

Joannes XXII ſit Pontifex & favet Friderico Auſtriæ. p. 234. Facultatem concedit Monaſterio Wurmelienſi diœc. Paderb. recipiendi bona Virginibus jure patrimonii debita. p. 237. Ludovico Regi abrogat Imperium. p. 251. Eundem excommunicat. p. 254. Imperiales urbes interdicto ſubjicit. p. 265. Ottonem Auſtrium adverſus Ludovicum inſtigat. p. 268. Supplicemque renuit admittere. p. 274. Moritur. p. 276.

Joannes XXIII Alexandro V. Pontifici ſuccedit. p. 499. Cognitionem litis Paderbornenſem Epiſcopum inter & rebelles ſubditos Cardinali Veneto committit p. 503. Conſtantienſe Concilium decernit. p. 507. Conſtantiæ excipitur. p. 516. Et initium Concilii facit. p. 517. Conſtantiâ fugit. p. 517. Reducitur ab Auſtrio, & poſtquam ſe Pontificatu abdicaſſet Manhemij clauſtro per triennium includitur. p. 518 In fuga Epiſcopatum Paderb. confert Theodorico Archiepiſcopo Colon. p. 519.

Joannes Arckelius. Trajectenſis Epiſcopus à Pontifice in locum Engelberti præficitur Eccleſiæ Leodienſi, p. 364. Cui ſuccedit Joannes Virneburgicus Epiſcopus Monaſt. p. 367.

Joannes

Joannes Argentinensis Episcopus à Pontifice præficitur Ecclesiæ Moguntinæ. p. 382. Celebrem synodum habet & moritur. p. 387.

Joannes Badensis Marchio Archiepiscopus Trevirensis solenni pompa in urbem introducitur. p. 682.

Joannes de Bavaria renuntiato Episcopatu Leodiensi Matrimonium init. p. 524.

Joannes Bavariæ Dux à Pontifice subrogatur Walramo in Episcopatu Monasterienſi. p. 674. Certis conditionibus admittitur; & in diœcesin introducitur. p. 675. Pacemq; Monasterienſibus, sublato turbatore Hojano, reddit. p. 676. Ecclesiam & diœcesin ad pristinum statum reducit. p. 679. Fit Sacerdos & in urbe sacrum legit, ibid. Plura Oppida vel oppignorata, vel distracta Ecclesiæ restituit. p. 680. Consecratur Episcopus. p. 680. Cœnobium transaquense ad pristinum vigorem & D. Benedicti institutum traducit p. 681. Leisbornense Cœnobium, aliaque ad meliorem disciplinæ formam redigit. p. 696. Magdeburgum Pontificis jussu transfertur; & egregiè gubernat. p. 697. Obit cum fama sanctitatis. p. 728.

Joannes Boëmiæ Rex. Italos sibi conciliat; filioque Carolo regnum quærit. p. 269. Pro eodem Imperium à Pontifice efflagitat. p. 307. in pugna ad Cresciacum confossus interit. p. 311.

Joannes Brabantiæ Dux Juliacensem & Colonienſem agrum hostiliter aggreditur. p. 141.

Joannes Burgravio Strombergenſ. insolescit contra Episcopum Monaster. & reprimitur. p. 387. Castro & Burgraviatu exuitur. p. 395.

S. Joannes Capistranus Legatus Apostolicus Joannem Huniadem adhortatur, juvatq; adversus Turcas, ac moritur. p. 678.

Joannis Citiensis Episcopi miserabilis obitus. p. 416.

Joannes II Cliviæ Comes ultimus moritur: & Comitatu potitur Adolphus Marcanus. p. 374.

Joannes Cliviæ Dux Susatensium partes tuetur. p. 627. Eosq; egregie defendit. p. 643. Theodoricum Archiepiscopum Colon. in fugam agit; & Tremonienses cædit. p. 646. Archiepiscopo reconciliatur, retentis Susato & Sanctis. p. 651 Exercitui Cæsaris præficitur ad expugnandos Geldros. p. 735. Piè obit. p. 742.

Joannes Diepholdius eligitur Episcopus Osnabrugenſis loco Ottonis demortui. p. 548. Insolenti facto à civibus ad certas conditiones adigitur p. 549. Albertum Mindenſem Ep. sibi infestum repellit. p. 609. Ejus obitus & commendatio. p. 611.

Joannes Galliæ Rex ab Eduardo Rege Angliæ memorabili clade profligatur, & captivus ducitur. p. 337.

Joannes Hannoniæ Comes Hollandiam jure hæreditario sibi vendicat. p. 190.

Joannes ab Hoet Doctor à Pontifice imponitur sedi Osnabrugenſi. p. 323. Colliditur cum Capitulo. ibid. Infeliciter administrat Episcopatum. p. 362 Theodoricum Marcanum Comitem adjutorem assumit. p. 363. Moritur. p. 369.

Joannes Hojanus Comes subrogatur Roberto demortuo in Episcopatu Paderb. p. 448. Custodiam castri Blankenavienſis concedit Abbati Corbejenſi. p. 448. Padbergenses Nobiles capit & comprimit. p. 449. Partes aliquot castri, oppidique Levenoënſis Ecclesiæ suæ adjungit. p. 451. Succurrit Ottoni fratri Episcopo Monast. captivo. p. 452. Confirmat donationem S. Dionysij in Thile factam religiosis in Monte Martis. p. 455. Comitatum Eberſteinianum Ecclesiæ suæ adjicere nititur. p. 458. Sacra per Vicarium curat. ibid. Transit ad Episcopatum Hildesienſem. p. 461 Ejus deinde res gestæ. p. 462. 534.

Joannes Hojanus Erici Episcopi Osnabrugenſis frater diœcesi infestus capitur & turri Osnabrugenſi per sex annos includitur. p. 622. Liberatur. p. 642. Agit pro Erico ad Osnabrugenſem, ac pro Alberto fratribus ad Monasterienſem Episcopatum promovendis. p. 653. In Electione Monasterienſis Episcopi omnia turbat. p. 654. Agitque ut Ericus frater à binis Canonicis eligatur. p. 655 Et ipse urbis tutor à plebe nominetur. p. 656. Diœcesin ad suam fidem compellit. p. 658. Totamque turbat. p. 659. Profugus in urbem redit. p. 662. Eamque denuo ad rebellionem concitat. p. 663. Planeque conturbat. p. 665. 666. 667. Exercitus ejus cæditur. p. 668. Oblata pacis consilia spernit. p. 669. Bellum continuat & Vredenam liberat. p. 671. Corfeldiam deditione capit. p. 672. Mortuo æmulo denuo instat pro Erico fratre ad Episcopatum promovendo. p. 673. Varia in urbe machinatur pro retinendo dominatu. p. 674. Capitur & elabitur. p. 675. Tandem Monasterio profugit Sassenbergam; indeque extra patriam, diœcesi pace reddita. p. 677.

Joannes Huniades Turcas profligat. 617. 678.

Joannes Huſs hæresiarcha in Bohemia. p. 770. In Concilio Constantienſi damnatur, & pertinax ad rogum condemnatur. p. 518.

Joannis Mindenſis Episcopi obitus. p. 71.

Joannes Nassoviæ Comes subrogatur à Pontifice Conrado in Archiepiscopatu Moguntino. p. 450. Eidem falso impingitur cædes principum ad Fritzlariam facta. p. 468. Ejus mors. p. 535.

Joannes Præmonstratenſis ordinis desertor Hussitarum incentor. p. 529. 533.

Joannes Sternebergius Comes familiæ ultimus in prælio occumbit. p. 429.

Joannes Schadlandus è Dominicana familia celebris Theologiæ Doctor à Pontifice Ecclesiæ Hildesienſi præficitur; sed renuntiato Episcopatu Augustanum recipit. p. 363.

Joannis Teutonici suprema ordinis Prædicatorum Magistri commendatio. p. 39. Ejus beata mors. p. 71.

Joannes Virneburgicus à majore Canonicorum parte eligitur Archiep. Colon. non sine schismate. *p.* 360. A Pontifice Monasteriensi Ecclesiæ præficitur. *p.* 362. Inde transfertur ad Episcopatum Trajectensem; sed nullibi gratus, repentina morte extinguitur. *p.* 365.

Joannes de Wesalia Hussitarum hæresin per Germaniam spargit. *p.* 700. Damnatur. 736. Ipse, libris ejus combustis, Cœnobio includitur. *p.* 737.

Innocentius IV Pontifex Friderico Imperatori resistit. *p.* 41. In Gallias profugit. *p.* 45. Convocat Oecumenicum Concilium Lugduni. *p.* 47. Friderico Imperium abrogat. ibid. Confirmat institutionem Monasterij Holthusani. *p.* 49. Et bona ac immunitates Cœnobij Falckenhagensis. *p.* 63. Laborat pro Wilhelmo Hollandiæ Comite in regno stabiliendo. *p.* 67. Morirur. *p.* 75.

Innocentius V. Pontifex ex sacra Dominicanorum familia primus eligitur & mox obit. *p* 130.

Innocentius VI. Pontifex succedit, Clementi VI. *p.* 327. Electionem Abbatis Corbeiensis Henrici Spegelii approbat. *p.* 347. Juraque Monasterii confirmat. *p.* 349. Henricum Episcopum Paderb. ab omnibus recipi, & debito honore coli jubet. *p.* 355. Juramentum ab eodem accipit. *p.* 356. Ac Carolo Imperatori commendat ibid. & p. 357. Mandat abalienata bona Monasterio Holthusano diœcesis Paderb. restitui. *p.* 358. Obit. 359.

Innocentius VII succedit in pontificatu Bonifacio. *p.* 481.

Innocentius VIII in locum Sixti VI eligitur summus Pontifex. *p.* 750. Laborat pro liberando Maximiliano Rege à Belgis capto. *p.* 757. Moritur. *p.* 765.

Inundationes aquarum per Germaniam. *p.* 301.

S. Jodoci mons prope Bilfeldiam auctoritate pontificis patribus de Observantia incolendus traditur. p. 748.

Jodocus Moraviæ Marchio à binis electoribus eligitur Rex Romanorum. p. 500. Eodem anno moritur p. 502.

B. Jordanus Ordinis Prædicatorum supremus Magister moritur, & miraculis inclarescit. p. 31.

Italiæ ab Imperio avulsæ initia. p. 155.

Jubilæum generale Anno 1350. p. 321. Alterum sub Nicolao V. Romæ celebratur confluente ingenti populi multitudine. p. 652.

Judicium Westphaliæ ad antiquas leges reducitur. p. 773.

Juliacensis Ducatus à Sifrido Archiepiscopo Colon. occupatur. p. 134.

S. Juliani Reliquiæ Cenomannis è Gallia Padibornam mittuntur. p. 44.

L.

Ladislaus Poloniæ Rex Hungarorum quoque eligitur. p. 620 Fide Turcis non servata in pugna occumbit cum Juliano Cardinali. p. 627. 629.

Lagensis arx in Comitatu Lippiensi evertitur. p. 489.

Landcastriæ Dux cum suis Anglis à prædonibus spoliatur Lipspringæ, & à Brunswicensi Duce in captivitatem trahitur. p. 330. Eidem reconciliatur. p. 331.

Lemgovia Diœcesis Paderb. nova urbe & Cœnobio Virginum augetur. p. 206. Monasterio decimæ à Simone de Lippia attribuuntur. p. 351. Et privilegia à Comitibus confirmantur. p. 687. Cives coguntur evertere arcem Lagensem. p. 488. Cœnobium Patrum de Observantia liberalitate Joannis Mollenbeckii in urbe constituitur. p. 692.

Leodienses in Episcopum suum insurgunt; ideoque fatali excidio muletantur. p. 701.

Leopoldus Dux Austriæ, in causa fratris Ludovici Captivi, opem Pontificis & Regis Galliarum implorat. p. 249.

Levenowe Castrum Diœcesi Paderb. adjicitur. p. 346. Pars Burchardo Papenheimio oppignoratur. p. 451.

Levoldi Historici Marcani obitus & commendatio. p. 342.

S. Liborij Reliquias Paderbornæ veneratur Wernerus Archiepiscopus Moguntinus; & omni deinde calculi dolore liberatur. p. 113. 304.

Limburgum Castrum ad Leinam fluvium exstruitur. p. 4.

Lintzium expugnatur. p. 722.

Lipperoda oppignoratur Henrico Episcopo Paderb. p. 370.

Lippiensium Comitum quinque simul Episcopi & Principes Imperij. p. 2. Coguntur à Wilhelmo Episcopo Paderb. ad agnoscendum feudum. & præstandum juramentum Ecclesiæ Paderb. p. 487. 488. Lippiensis Comes & Teclenburgicus inter se committuntur ob castrum Rhedanum. p. 669. Lis componitur. p. 679.

Lipspringæ in diœcesi Paderb. Angli à Prædonibus spoliantur. p. 330. Ibidem coluntur Reliquiæ S. Viti Corbeiâ transportatæ. p 465.

Lipstadij fundatur Cœnobium Eremitarum S. Augustini à Friderico ab Hôrde. p. 143. Eidem Monasterio benefacit familia Bürana. p. 290. Urbs ab Engelberto Archiepiscopo Colon. Comiti Marcano oppignoratur. p. 370. Et iterum. p. 385. Lipstadiensibus S. Augustini Religiosis datur facultas erigendi domicilium in urbe Paderborn. p. 422. Urbs fidem jurat Archiepiscopo Colon. Cliviæ Duci & Marcano Comiti. p. 441. Media civitatis pars à Bernardo Comite Lippiensi venditur Cliviæ Duci. *p.* 631. Urbs frustra à Theodorico Archiepiscopo Colonienſi obsidetur. p. 643.

Lituaniæ Rex à Polonis rejicitur. p. 327.

Livonia turbatur. p. 741.

Lodhense Cœnobium Mindâ Lemgoviam in diœcesi Paderb. transfertur. p. 206.

Lothardorum nefanda hæresis. p. 249.

Lubertus de Wend Canonicus Osnabrugensis ingreditur Monasterium Marienfeldense. p. 322. Respuit Episcopatum Osnabrugensem. p. 323.

Ludolphus Halberstadiensis Episcopus feudi titulo accipit Advocatiam Groningen ab Hermanno Abbate Corbeiensi. p. 75.

Ludolphi Monasterienſis Episcopi mors & encomium. p. 56.

Ludolphus de Rostorp succedit in Episcopatu Mindensi Conrado Wardenbergio. p. 181. Moritur. p. 231.

D. Ludovicus Francorum Rex expeditionem facit in terram sanctam. p. 65. Altera expeditione in Africam moritur. p. 119.

Ludovicus Bavariæ Dux à quibusdam Electoribus Rex Romanorum eligitur. p. 229. Aquisgrani coronatur; & variis largitionibus Principum animos sibi studet demereri. p. 230. Cum æmulo Friderico Austrio confligit, & vincit. p. 232. Diversis subinde locis cum eodem colliditur. p. 240. Conventum Principum Baccharaci habet. p. 243. Vincit & captivum ducit Fridericum. p. 248. A Pontifice Joanne XXII ipsi Imperium abrogatur. p. 251. Excommunicatur, & nuptias Coloniæ celebrat. p. 254. Ab Italiæ proceribus illuc invitatur. p. 262. Mediolani cum conjuge corona ferrea coronatur. p. 265. Romæ iterum coronatus Petrum Corbariensem Franciscanum Monachum Pontificem renuntiat. p. 266. In Germaniam redux varia Principum comitia indicit. p. 268. Balduino Trevirensium Archiepiscopo confirmationem privilegiorum impertit. p. 271. Pontifici obsequia sua defert; sed repulsam passus eidem obsistit. p. 274. Benedictum XII Pontificem frustra pro concordia sollicitat. p. 276. Reges Hungariæ & Poloniæ bello vincit. p. 279. Pontifii reconciliari studet p. 280. Wilhelmum Juliacensem Comitem Imperii Marchionem renuntiat. p. 21. Regi Galliæ suam cum Pontifice reconciliationem impedienti bellum parat. p. 284. Offert se per Legatos pontifici ad submissionem p. 287. Comitia propterea Spiræ habet. ibid. E Coloniæ; ubi agitur de ejus cum pontifice reconciliatione. p. 288. In Comitiis Frankofurtensibus declaratur liber ab excommunicatione pontificia p. 289. politice agens deluditur. p. 293. Studet Clementi VI. pontifici reconciliari. p. 300. privilegia varia concedit Godefrido Arensbergensi Comiti. p. 301. Frustra iterum pro concordia apud pontificem laborat. p. 302. Ab Imperii principibus defenditur. p. 306. A pontifice exauctoratur. p. 310. Carolum æmulum vincit, & pœnitens moritur. p. 312.

Ludovicus Bavariæ Dux gravi bello colliditur cum Alberto Brandeburgico p. 679. Læsæ Majestatis reus decernitur ob laceratas Imperatoris literas. p. 680. Bellum nihilo minus promovet. p. 684. Cædit Albertum Germaniæ Achillem. p. 686.

Ludovicus Hassiæ Landgravius à Clemente V. pontifice Episcopus Monasterienſis renuntiatur, exauctorato pseudo Episcopo Conrado. p. 217 Eximit à judicio seculari in immunitate Ecclesiastica habitantes p. 220. Cum Archiepiscopo Colonienſi fœdus init. p. 224. Bredevordam & Stadlonam suæ diœcesi adjungit. p. 234. Engelbertum Marcanum Comitem repellit. p. 236. Bello invaditur ab Archiepiscopo Colon. & Marcano. p. 242. Comitem Waldecensem cum Archiepiscopo Colon. conciliat; ratamque habet fundationem Sacelli Strombergensis. p. 250. Capitur ab Engelberto Marcano Comite, & liber dimittitur. p. 252. Bellum gerit cum Geldriæ Comite; quod mox componitur. p. 255. Bellum à Geldro iterum excitatur, & componitur. p. 261. Judicium urbis Monasterienſis oppignorat Burchardo Cleihorstio. p. 263. A Reinaldo Geldriæ Comite rursum bello affligitur. p. 269. Colliditur cum Godefrido Episcopo Osnabrug p. 297. Bello appetitur à Ludolpho Steinfurdensi Dynasta. p. 303. Structuram Sacelli Strombergensis absolvit. p. 307. Templum indulgentiis exornat p. 313. Lunam oppidum à Marcano Comite repetit. p. 315. Ejus obitus & breve gestorum compendium p. 339.

Ludovicus Luneburgensis Dux succedit in Episcopatu Mindensi Godefrido. p. 260. Potestatem à Ludovico Cæsare impetrat instituendi sex liberas judicii sedes p. 271 Moritur & commendatur. p. 311.

Ludovicus Missniæ Marchio à Pontifice præficitur Ecclesiæ Moguntinensi. p. 387. Ejus vita & infelix obitus p. 416.

Ludovic° Ravensbergensis Comes succedit in Episcatu Osnabrugensi Ottoni. p. 186. Cum Ottone Episp. paderb Castrum Angerianum oppugnat & evertit. p. 196 Simonem Lippiensem Comitem capit, & ad pacis conditiones adigit. ibid. In pugna contra Conradum Pseudo Episcopum Monast occumbat. p. 215.

Lugdæ oppidi partem mediam Archiepiscopus Colonienſis cedit, Ecclesiæ paderb. p. 397.

Lugdunense Concilium Oecumenicum: & quid in eo actum. p. 48.

Luna urbs Ecclesiæ Monasterienſi asseritur. p. 315.

M.

Magdeburgenses Archiepiscopum suum carceri prius inclusum deinde trucidant. p. 266.

Mahometes II Constantinopolim capit. p. 662. Cum ducentis millibus in Hungariam irrumpit. p. 678. Ab Huniade adhortante S. Capistrano cæditur & repellitur. ibid. Christianis plurias insulas & regna abripit. p. 695. 705.

Manfredi dominatus in Italia. p. 96. Vincitur & occiditur. 111.

Marchia Comitatus Cliviæ conjungitur. p. 439. p 685.

Mareschalli Ducatus Westphaliæ dignitas transit ad Henricum Spegelium Episcopum paderb. p. &

374. Et deinde in alterum transfertur. p.397.

Marienfeldense monasterium in dioec. Monast. Bernardus IV Episc. Paderbornensis decimis ornat. p.44. Otto etiam Paderb. Episc. p. 146. Iterum. p.200 Rursus Bernardus V. Episcop. Paderb. p.259. Ejus florens status p.322. p.615

Marienlo in Diœcesi Paderb. erigitur domus Hospitalarii ordinis .p.302.

Marienmünsterense Cœnobium in dioec. Paderb. decimis augetur à Bernardo Episcopo Paderb. p.38. Abbati conceditur usus insulæ ab Archiepiscopo Moguntino. p.39. Donatur prædio ab Adolpho Comite Swalenbergico. p.164. Donat Ecclesiæ Paderbornensi castrum & oppidum Vorden. p.256. Receptis 5 parochialibus Ecclesiis p.258. Amplas Vordenses decimas acquiret. p.291. Bredebornense Castrum elargitur Ecclesiæ Paderb. p.298. Curia Vlechtensis Monasterio cedit. p.301.

Marquardus à Rendegge à Pontifice Ecclesiæ Mindensi Præpositus rejicitur, & ad Constantiensem Episcopatum transfertur. p.460.

Martinus IV Pontifex p.144. Defendit libertatem Corbeiensium in admittendis bonis patrimonialibus. p.150. Ratam habet donationem prædii Ecclesiæ Paderbornensi ab Episcopo Ottone factam. p.151.

Martinus V in Concilio Constantiensi unanimi consensu summus Pontifex renuntiatur. p.533. Institutum Clericorum Regularium in communi viventium privilegiis ornat. p.533. Germaniæ proceres ad bellum sacrum invitat: cui multi Principes nomen dant. p.537. Corbejensium jura & privilegia confirmat. p.546. Egregiè laborat pro Bohemia in pristinum statum & religionem restituenda. p.551. Conradum Westphalum Pragensem Archiepiscopum excommunicat. p.552. Henricum Wintonienſem Episcopum Cardinalem in Germaniam mittit: & Principes Germanos ad bellum Bohemicum denuo instigat. p.553. Sed infausta expeditione. p.554. Principes Imperii iterum literis adhortatur ad delendam maculam nominis Germanici. p.555. Deceptus artibus Theodorici Archiepisc. Colonien. & Administratoris diœcesis Paderbornensis, hanc Colonienſi adjungit. p.559. Econtra Canonici, ordines, & Metropolis Paderb. ad Pontificem appellant. p.562. Agunt que ut causæ cognitionem Auditori suo committat. p.568. Moritur. p.569.

Martini Lutheri ortus. p.748.

Matthias Buschius Comes à Pontifice Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopus præficitur. p.242. Synodum provincialem Moguntiæ habet. p.265. Moritur singulari laude dignus. p. 266.

Matthias Corvinus Hungarorum Rex regnum egregiè cum Scanderbego contra Turcas defendit. p. 680, 695. Bello aliquot annis cum Friderico Imperatore colliditur. p.730. Hungariam adversus Turcas tuetur, & Austriæ infestus Viennam occupat. p.751. Moritur. p.761.

Mauritius Oldenburgensis Comes eligitur à Clero Archiepiscopus Bremensis. p.323. Administrationem admittit, dignitatem cedit Godefrido. p.327.

Maximilianus Friderici Cæsaris filius in matrimonium accipit Mariam Burgundi Ducis filiam. p.730. Coloniæ splendidè habetur. p.731 Geldriam oppugnat. p.735. Belgium subigit. p.741. Conjunx Maria moritur; & hinc nova belli semina in Belgio. p.743. Domat Leodienses & Ultrajectenses p.746. Cæsari parenti Aquisgrani occurrit. p.752. Rex Romanorum renuntiatur Francofurti; & Aquisgrani coronatur. p.754. In Belgio statum reperit conturbatum. p.736. A Burgensibus in carcerem abripitur. p.757. Iniquis conditionibus dimittitur. p.758. Pacem cum Carolo VIII Francorum Rege init. p.759. Austriam ac Viennam mortuo Corvino recuperat, multaque oppida & castra Hungaris eripit. p.761. Comitia celebrat Norimbergæ. p.763. Præreptam sibi à Carolo Francorum Rege sponsam dissimulat; & pacem certis legibus init cum Uladislao Rege Hungariæ. p.763. Turcas ex Austria ejicit. ibid. Posito luctu ex morte parentis Turcas è suis provinciis expellit, patrique redux parentat. p.768. Pacem cum Rege Francorum init. ibid. Coloniâ in Belgium descendit. p.769. Belgiæ administrationem inaugurato Philippo filio committit. p.770. Comitia Wormatiæ indicit. p.773. In Italiam profectus Mediolani ferrea corona coronatur. p.774. Bello Helvetico & Geldrico occupatur. p.778. Albertum Saxoniæ Ducem perpetuum Frisiæ Gubernatorem facit. ibid. Conrado Episcopo Monast. regalia concedit. p.779.

Meinhoviana Dynastia Episcopatui Monasterienſi conjungitur. p.56.

Melchior Brunswicensis Dux auctoritate Pontificis subrogatur Joanni Hoetio in Osnabrugensi Episcopatu. p.369. Commisso prælio captivus à Comite Hojano abducitur, & liberatur à Theodorico Marcano. p.388. Suis invisus à Pontifice transfertur ad Episcopatum Suerinensem. p.396.

Melitenses Equites primò Hospitalarij S. Joannis nuncupati. p.214.

Menda oppidum Ducatus Westph. munitur; & à comitibus Marchiæ expugnatur. p.307.

Meppia ad Amasis & Hasæ confluentes in diœcesi Monasterienſi fossis & muris includitur. p.384. Castro, quod Paulinum dictum præmunitur. p.389.

Meschedanum Virginum Monasterium ab Henrico Archiepiscopo Colon. in Collegium Canonicorum convertitur. p.240.

Milites Teutonici Christi religionem per Borussiam propagant. p.45

Mindensis Ecclesia acquirit dynastiam Steinwede. p.72. Pons ad urbem Visurgi insternitur. p.110. Diœcesi adjungitur à Gerardo Episcopo castrum Rhode. p.332. Civitas contra Episcopum suum insurgit. p.636. Bellum Mindense ob rejectum Coadjutorem Henricum Schawenburgicum componitur. p.702.

Ministerialium nomine quid intelligatur. p.162.

Mogun-

Moguntinense schisma ob electionem Archiepiscopi in apertum bellum erumpit. p. 685. 686.

Monasteria & Collegia Virorum ac Virginum condita.

Prædicatorum Mindæ. p. 30.
Franciscanorum. ibid.
Ciſtertiense in Holthusen diœcesis paderb. p. 42.
Valckenhagense in diœcesi paderb. p. 50.
Vlotense Virginum Ciſtert. p. 72.
Brenckhusanum in diœcesi paderb. p. 133.
Eremitarum S. Augustini Lipstadij. p. 142.
Prædicatorum Warburgi diœcesis paderb. p. 146.
Aroldense in comitatu Waldecensi. p. 161.
Lodhense in diœcesi Mindensi. p. 206.
Wurmelense diœcesis paderb. p. 238.
Hordense in comitatu Marcano. p. 301.
Eghestorpianum D. Augustini in Ducatu Luneburgensi. p. 311.
Walrodense Monialium. ibid.
Vrenswedense in Comitatu Benthemensi. p. 446.
Sacerdotum in communi viventium in variis locis. p. 473.
Uti & Virginum. p. 474.
Canonicorum S. Augustini Osnabrugi. p. 481.
Bodecense in diœcesi paderb. p. 489.
Bendlagense Crucigerorum diœcesis Monast. p. 611.
Canonicorum Regularium D. Augustini à Corpore Christi nuncupatorum Blombergæ in diœc. paderbornensi. p. 683.
Patrum de Observantia in urbe Lemgovienſi diœc. paderb. p. 692.
Carthusianorum Wederenæ diœc. Monast. p. 732.
Patrum de Observantia in monte S. Jodoci prope Bilfeldiam diœc. paderb. p. 748.
Patrum Franciscanorum de Observantia Dürstenæ in Westph. p. 759.
Bredenso Virginum diœcesis paderb. p. 761.
Patrum de Observantia Brulæ Archidiœc. Colon. p. 764.
Questerbergense Crucigerorum. p. 780.

Monasterium Westph. diœcesis augetur dynastia Meinhovilliana. p. 46. Comitatu Vechtensi. p. 73. Frisia cùm Embdensi oppido & arce. p. 74. Horstmaria. p. 129. Castro Bredenfort. p. 151. Ecclesia S. Lamberti ædificatur. p. 110. Alena & Beckemium muniuntur, & urbium jure donantur. p. 129. Basilica Cathedralis perficitur à Gerardo Episcopo. p. 129. Canonici & cives in urbe Ottonem Episcopum suum ejiciunt. p. 203. Et Conradum Comitem de Monte obtrudunt. p. 204. Plurium civium clades. p. 215. Turris transaquensis exstruitur. p. 295. Nobiles in diœcesi contra suum Episcopum conspirant. p. 384. Diœcesi adjunguntur præfecturæ Cloppenburgensis, Emslandiæ, & Bevergernæ. p. 472. In urbe ad fontem salientem instituitur congregatio sacerdotum in communi viventium ab Henrico Ahusano. p. 473. Urbs peste & incendio vastatur. p. 421. Inde supplicationis majoris per civitatem initia. ibid. Canonicorum Cathedralium schisma in electione Episcopi. p. 655. Et iterum p. 673. Plebis insolentia adversus legitimè electum Episcopum. p. 656. Urbs & diœcesis tota per Joannem Hojanum Comitem Tutorem electum turbatur. p. 658. Et ab Oldenburgico Comite invaditur. p. 659. Pax frustra per Ducem Geldriæ & Nicolaum Cusanum Apostolicum Legatum tentatur: aliqua tamen concordiæ ratio Cosfeldiæ initur. p. 661. Urbs denuo ab Hojano ad rebellionem excitatur. p. 663. Obsidetur à Rudolpho Ultrajectensi Episcopo. p. 664. Planéque conturbatur. p. 665. Diœcesis in plures partes distracta variis Dominis paret. p. 666. Cives ex Hanseaticarum urbium numero expunguntur, & in carceres ac exilium pelluntur. p. 667. Magnáque strage cæduntur. 668. Redit in urbem Hojanus. p. 669. Bellumque per diœcesin continuat, capta Cosfeldia. p. 671. Novè denuo turbæ ob Schisma Canonicorum in electione 674. Recipitur Joannes Bavarus Episcopus; & civitas sacris reddita, sublato turbamento Hojano Comite ad priorem pacem redit. 676. Floret in urbe Hermannus Langius Cathedralis Ecclesiæ Decanus. p. 728.

Montium Comitum stirps in Adolpho demortuo extinguitur. p. 315.

Mons Martis seu **Eresburgum** ab Henrico Rege Corbeiensibus adjudicatur. p. 4. Jurisdictio sacra ad Episcopum Paderbornensem spectat. p. 6. 13. Transactio de eodem Monte inter Colonienſem Archiepiscopum & Abbatem Corbeiensem. p. 11. Patitur à Conrado Archiep. Colon. p. 56. Lis ratione Parochiæ Paderbornensem Episcopum inter & Corbeiensem Abbatem componitur. p. 57. Impetrat judicium ab Imperatore. p. 366. Reliquiæ in Ecclesia examinantur à Conrado Suffraganeo Episcopi Paderb. p. 435. Donatio Parochiæ S. Dionysii in Thüle Religiosis in Monte Martis facta à Joanne Episcopo Paderb. confirmatur. p. 455.

Mörsanus Comitatus Cliviæ jungitur. p. 457.

N.

Nemus Reinerianum à Balduino Episcopo paderb. Landgravio Hassiæ oppignoratur. p. 334. Ejusdem descriptio. p. 335.

Neuhusium Episcoporum paderb. arx à civibus destruitur. p. 145.

Nicolaus Pontifex electus Rudolphum publicè Imperatorem pronuntiat. p. 141.

Nicolaus V. in Pontificatu succedit Eugenio IV. p. 645. A Germanis recipitur, admissis Germaniæ concordatis. p. 646. Ejus obitus & commendatio. p. 671.

Nicolaus Bremensis Archiepiscopus bello Frisios invadens à Foccone eorum Duce cæditur & capitur. p. 551.

Nicolaus Cusanus Legatus Eugenii IV. Pontificis egregiè pro Pontifice perorat in Comitiis Moguntinis: ejusdem natales & laudes. p. 614. Ut Legatus Pontificius Germaniam magno cum fructu perlustrat. p. 656. Coloniæ Synodum Episcoporum instituit; uti & Magdenburgi: Mindæ collapsam cleri & religiosorum disciplinam restaurat. p. 657.

Nihe-

Nihemium urbs diœcesis Paderb. privilegiis exornatur ab Ottone Episcopo. p. 143. Parochia dividitur; alteraque in Pummessen instituitur. p. 190.

Novesium urbs diœc. Colon. Sifrido Archiepiscopo suo portas occludit. p. 153. Propterea ab Imperatore privilegiis exuitur. p. 154. Fœdus in hac urbe initium inter Sifridum Colon. Ottonem Paderb. & Conradum Osnabrug. Episc. p. 161. Conspiratio civium cum Duce Clivensi adversus Archiepiscopum detegitur. p. 705. Novesiensis belli initia. p. 711. Cives Archiepiscopi militem cædunt. p. 715. Urbs à Præfecto Hermanno Hassiæ Landgravio munitur, & à Burgundiæ Duce obsidetur. p. 717. Obsidionis continuatio & defensio p. 721. Clades Burgundi. Pax promulgatur, & obsidio solvitur. p. 725.

O.

Obedientiæ Canonicorum unde habeant originem. p. 484.

Ockanus Franciscanus defendit Ludovicum Regem. p. 252. A pontifice proscribitur. p. 268.

Oita ad fines Frisiæ diœcesi Osnabrugensi conjungitur. p. 446.

Oldenburgensis dynastia in diœc. Paderb. Balduino Episcopo oppignoratur. p. 325.

Oldenburgenses Comites post diu productum bellum cum Henrico Episcopo Monasteriensi stabilem tandem pacem ineunt. p. 745.

Ordo Templariorum extinguitur. p. 213. 214.

Osnabrugensis diœcesis vastatur. p. 171. Civium in urbe turbæ adversus clerum. p. 414. Osnabrugum introducuntur Canonici Regulares S. Augustini. p. 481. Civium insolens factum in electione Joannis Diepholdij. p. 549. Canonicorum Cathedralium discordia. p. 620. Et fœdissima pugna inter Hugonem Schagenium Decanum. & Joannem Warendorpium seniorem. p. 620. Liti involvitur Ericus Episcopus. p. 621. Diœcesis per Joannem Hojanum Episcopi fratrem vastatur: qui ab Osnabrugensibus capitur, & turri includitur. p. 622. Osnabrugenses à fœdere Susatensi abstrahuntur. p. 643.

Ottensteiniana arx diœcesi Monasteriensi adjungitur. p. 491.

Otto Austriæ Dux recusat oblatam à pontifice pecuniam adversus Ludovicum Cæsarem. p. 269.

Otto Brunswicensis & Lunenburgensis Princeps è captivitate liberatur; & mox bellis appetitur. p. 4. E principe Dux creatur. p. 25. Familiæ propagatio. p. 67. Obitus. p. 69.

Otto Cardinalis Legatus Gregorii IX pontif. intendit reformationi cleri & Monasteriorum. p. 7.

Otto Dynasta de Monre succedit demortuo fratri Widekindo in Episcopatu Mindensi. p. 422. Ejus obitus & præclara laus. p. 459.

Otto Cliviæ Comes obit. p. 224.

Otto IV Hojanus Comes succedit Wolffio in Episcopatu Monasteriensi & à prædonibus spoliatur. p. 442. Armis domat Teclenburgensem Comitem. p. 445. Arcem Cloppenburgum ad Frisiæ fines diœcesi adjungit. ibid. Studet promovendæ disciplinæ Ecclesiasticæ. p. 446. Recipit in diœcesin Collegium Canonicorum de Vrendeswede. ibid. Capitur à Ludolpho Steinfurdensi dynasta. p. 451. Liber dimittitur. p. 452. Vredenses rebellantes ad obsequium reducit. p. 457. Comitem Limburgensem & Dynastam Ahusanum diœcesin infestantes capit. ibid. Dynastiam Ahusanam Ecclesiæ suæ adjicit. p. 458. Cloppenburgum ex integro recipit. ibid. Frisiæ Ecclesiis pacem restituit, Wiseldo prædone interempto. p. 461. Marcanum domat. p. 470. Devictum Comitem Teclenburgicum ad reparationem damnorum adigit. p. 471. Plures præfecturas Ecclesiæ suæ adjungit. p. 472. 473. Eligitur & confirmatur Episcopus Osnabrugensis. p. 480. Ottensteiniam arcem diœcesi conjungit. p. 490. Ejus obitus & præclarè gesta in utraque diœcesi posteris memoranda. p. 547.

Otto de Malis Dominicanus succedit Cunoni Episcopo Mindensi. p. 110. Pontem Visurgi Mindæ insternit. ibid. Moritur. p. 130.

Otto Ravensbergensis Comes fundat Collegium Canonicorum Bilseldiæ. p. 174.

Otto Ritbergensis Comes. Succedit in Episcopatu Paderbornensi Simoni. p. 138. Domat Albertum de Stürmede. ibid. Ecclesiam & Villam Stapelhagensem certis terminis circumscribit. p. 141. Benefacit Bustorffiano Canonicorum Collegio. p. 142. Et Monasterio Hardehusano p. 143. Pluribus privilegiis exornat oppidum Niehem. ibid. Componit litem clerum inter & cives Paderb. p. 144. Cives rebelles magno numero cædit. p. 145. Warburgi Patres Prædicatores collocat. p. 146. Decimas in Stuckenbrock donat Monasterio Marienfeldensi. ibid. Stabilit PP. Prædicatores Warburgi. p. 148. Eisque donat Ecclesiam & fundum. p. 149. Ecclesiam S. Magni cedit religiosis in Monte Martis. p. 150. Donat prædium Ecclesiæ Paderb. p. 151. Confirmat fundationem Patrum Prædicatorum Warburgi. p. 156. Excommunicat cives Warburgenses Fratrum Prædicatorum expulsores. p. 159. Consecratur Episcopus. p. 161. Novesii pacis gratia convenit Archiepiscopum Colon. ibid. Privilegia civitatis Braculensis confirmat. p. 166. Adest Comitiis Erfurtensibus, & facultatem accipit à Rudolpho Imperatore construendi duas munitiones adversus prædones p. 168. Liberam tribuit curiam inferiorem civitati Warburgensi. p. 170. Benefacit diversis Cœnobiis. p. 171. Comitiam sive jurisdictionem super Tringen emit. p. 172. Benefacit Cœnobio ad S. Udalricum Paderbornæ. ibid. Ratam habet fundationem Collegii Canonicorum Bilseldiæ. p. 175. Statuit, Canonicos posse proficisci ad Academias salva perceptione fructuum. p. 176. Aliaque pulchrè ordinat. p. 177. Dejicit castrum Brunsbergense. p. 179. Confirmat privilegia Ecclesiæ Cathedralis Paderb. p. 184. Componit controversiam de munere Judicis Paderb. p. 189. Emit oppidum Braculense, & Niehemensem

mensem Parochiam dividit, alteram in Pümmessen constituendo. p. 190. Castrum Wevelsburg Ecclesiæ suæ acquirit. p. 194. Angeranum castrum oppugnat & evertit. p. 196. Cum Swalenbergensi Comite castrum Abbenhusen præmunit. ibid. Defensionem Cœnobii Bredelariensis suscipit. p. 197. Decimas in Ilstendorp permittit transcribi Cœnobio Marienfeldensi. p. 200. Benefacit Cœnobio Gerdensi : ejusdemque præposito subdit parochiam Dalhusanam. p. 202. Donationem decimarum Enstorffianarum Marienfeldensibus factam comprobat. p. 205. Dynastiam Schonenbergensem cum Landgravio Hassiæ emit. ibid. Obitus ejus & commendatio. p. 209.

Otto Ritbergensis Comes succedit Everhardo in Episcopatu Monasterienſi. p. 193. Stadlonam capit & Dynastam Lonensem domat. p. 200. Comitem Marcanum ad pacis conditiones cogit. p. 202. A suis Episcopatu ejicitur. p. 203. Confugit ad Clementem pontificem in Galliis. p. 204. Et moritur. p. 205.

Otto Ritbergensis Comes dissidet cum filio, & reconciliatur. p. 312.

Otto Ritbergensis Comes à Pontifice dicitur Episcopus Mindensis loco defuncti Wilhelmi Buschii. p. 477. Moritur. p. 486.

Otto Teclenburgicus Comes cedit Advocatiâ Osnabrugensi. p. 29.

Otto Teclenburgicus Comes Burggravium Strombergensem prædonem publicum in arcem Rhedanam suscipit, & fovet. p. 397. Bello impetitus ab Episcopis Monast. & Osnabr. pacem petit. p. 398. Obsidetur in arce Rhedana, & se submittit, arce Episcopo Monasterienſi oppignorata. p. 407.

Otto Waldecensis Comes reconciliatur Theodoro Abbati Corbeiensi. p. 320.

Otto de Wettink è nobili Misnienſium familia per Caroli Imperatoris preces ab Urbano pontifice accipit Episcopatum Mindensem. p. 370. Moritur. p. 375.

Otto Ziegenheimensis Comes succedit in Archiepiscopatu Trevirensi defuncto Wernero. p. 536.

Ottocarus Rex Bohemiæ, turbat Austriam & Germaniam. p. 97. Fastu & injuriis Rudolphum Imperat. adversum se concitat. p. 127. Sed ab eo deprimitur. p. 132. Devincitur & in acie occumbit. p. 340.

P.

Padbergensis Nobilis insolentia in diœcesi Paderb. p. 434. Bengelorum factionis auctor & caput. p. 438. Diœcesin Paderbornensem vastans in fugam agitur. p. 439. Nova ejusdem fratrumque insolentia. p. 444. Arx nobilium obsidetur ab Episcopo Paderb. ibid. Obsidio solvitur peste interfecto Episcopo. p. 445. Tandem capitur cum fratribus & mulctatur. p. 449. Padbergii Castrenses spoliant & invertimunt Principes Imperii Francofurto reduces. p. 468. Castrum & Dynastia feudum Ecclesiæ Paderb. transit ad Colonienses. p. 699.

Paderborna. Urbem intrant Legati Pontificis Gregorii IX Correctores Ecclesiasticæ disciplinæ. p. 14. Ordinant Pastoratus urbicos, & dividunt Archidiaconatus diœcesis. p. 15. Paderbornensis Ecclesiæ & Colonienſis pacta conventa. p. 84. & seq. Rescissa à pontifice. p. 90. 91. Ecclesiæ status afflictus. p. 132. Lis civium cum clero componitur ab Episcopo Ottone. p. 144. Cives rebellant & Neuhusium evertunt; sed ab Episcopo cæduntur. p. 145. Ecclesia prædio augetur donatione Episcopi Ottonis. p. 151. Paderbornenses & Ravensbergenses discordes reconciliantur p. 163. Exuritur in urbe Cœnobium Minoratarum. p. 167. Jura Ecclesiæ Cathedralis à Bonifacio VIII Pontifice, & Ottone Episcopo confirmantur. p. 184. Controversia de munere Paderbornensis Judicis componitur. p. 189. Tutor Ecclesiæ eligitur Bernardus Præpositus Comes Lippiensis. p. 219. Qui postmodum Episcopus urbem obsidet, & ad obedientiam cogit. p. 248. Xenodochio ad urbis mœnia Sacerdos proprius imponitur. p. 263. Locus in urbe pro Palatio Episcopi à Bernardo designatur. p. 283. Sextum urbis incendium. p. 294. Petunrur subsidia ad restaurandam basilicam summæ ædis. p. 304. In eâdem S. Eucharistia ad Augustiorem locum transfertur. p. 309. Excipitur ab Episcopo & urbe Carolus IV Imperator. p. 402. Temeraria urbis circa oblationes pro defunctis ordinatio. p. 412. Diœcesis à Padbergio vexatur. p. 434. Civium insolentia in clerum. p. 479. Paderbornensis Ecclesiæ feuda in Comitatu Lippiensi. p. 488. Cives cum Monachis Abdinghovensibus conspirant adversus Episcopum suum. p. 497. 498. Capituli & civium rebellio adversus Wilhelmum Episcopum recrudescit. p. 505. Gomitem Bernardum de Lippia Moderatorem diœcesis eligunt. p. 506. Lis per Ducem Brunswicensem certis conditionibus componitur, quæ à civibus non servantur. ibid. Propterea ab Episcopo Romæ apud pontificem accusantur. p. 511. Romamque citantur. p. 513. Diœcesis turbatur. p. 514. Atrox tempestas in urbe. ibid. Capitulum & cives Theodoricum Morsanum Colonienſem Archiepiscopum Tutorem & Administratorem diœcesis deligunt. p. 519. Castrum Neuhusanum aggressi ab Hordio cum clade repelluntur. p. 520. Exauctorato Wilhelmo Theodoricum in urbem introducunt. p. 521. Circa urbem & Warburgi horrenda tempestas. p. 522. Iterata Paderbornæ inauguratio Theodorici. p. 545. Diœcesin Paderbornensem Archidiœcesi Colonienſi conjungit Martinus V. Pontifex studio & arte Administratoris Theodorici. p. 559. Fraude detecta Canonici Cathedrales, scriptis literis, ad pontificem melius informandum solennissime appellant. p. 562. Quibus Urbs Paderb. & Ordines suas conjunxerunt. p. 568. Præterea vicinorum per Saxoniam Cathedralium patrocinium, opemque implorant. p. 568. pontificemque movent, ut Geminiano de prato Auditori causam cognoscendi committat. ibid. Qui Theodoricum Romam citat. p. 569. Rursum convenit inter Canonicos, Ordines, & cives non permittere extinctionem Episcopatus: fusis eâ super re confectis literis. p. 570. Ab Hildesienſibus, aliisque literas impetrant: quibus rogatur pontifex Eugenius, ne Episcopatum Colonienſi

ensi adjungat. p. 574. 575. Et Pontifex constitutione edita ejusmodi uniones Parochiarum & Ecclesiarum rescindit. ibid. Interim Theodoricus Episcopatum Paderb. hostiliter invadit. p. 582. Subinde litem fusissimis literis ad Concilium Basileense defert. p. 583. Quarum exemplar remittitur ad Paderbornenses: cui respondent. p. 586. Iteratisque literis apud Basileense Concilium instant, ne concedatur unio Episcopatuum. p. 593. In his literis Diœcesis status urbium, Ecclesiarum Capitularium, Parochiarum, seu in spiritualibus, seu etiam temporalibus fusissimè describitur. p. 594. usque ad pag. 604. Conjunctio diœcesium à Concilii Patribus non probatur. ibid. Paderbornensis clerus privilegiorum suorum confirmationem à Concilio Basileensi obtinet. p. 605. Diœcesis per absentiam Administratoris prædonum incursibus exponitur. p 626. Controversia de conjunctione diœcesium cum Theodorico plenè componitur. p. 633. Paderbornenses à fœdere Susatensi abstrahuntur. p. 642. Paderbornenses Canonici decernunt nullum deinceps in suum Collegium admittere, nisi nobili genere natum: quod decretum à Sixto Pontifice approbatur. p. 736. Statuunt præterea, singulis 2. argenti Marcas pendendas, antequam possessionem beneficiorum adeant. p. 741.

Papenheimiorum familia castrum Calenberg in feudum accipit. p. 209.

Paulus II in Pontificatu succedit Pio II. p. 695. Podibratium Bohemorum Regem hæreticum excommunicat. p 699. Cæsarem ac Europæ Principes adversus Turcas instigat. p. 705. Moritur. p. 710.

Pestis & annonæ caritas per Germaniam. p. 232. 314. 321. 342.

Petrus Aichtzpelleus à Clemente IX Pontifice Moguntinæ Ecclesiæ præficitur. p. 201. Synodum celebrat. p. 220. Ludovicum Bavarum Imperatorem eligit. p. 229. Moritur. p. 241.

Petrus de Luna Benedictus XIII appellatus Antipapa. p. 452. A Concilio Pisano Pontificatus ei abrogatur. p. 492.

Petrus Corbariensis Franciscanus à Ludovico Imperatore Pontifex renuntiatur Nicolaus V. appellatus. p. 266. Ejus mores. p. 268. Resipiscit & veniam impetrat. ibid.

Petrihagense castrum à Godefrido Mindensi Episcopo construitur. p. 234.

Philippus Belgarum Princeps matrimonio sibi jungit Joannam Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ regum filiam. p. 774.

Philippi Boni Burgundiæ Ducis obitus & laus. p. 700.

Philippus Clivius à Maximiliano ad Flandros deficit. p. 758. Gratiam Imperatoris respuit, p. 760. Bellum in Belgio fovet. p. 764. Ab Alberto Saxone Maximiliano reconciliatur. p. 765.

Philippus pulcher Francorum Rex Flandriæ Comitem cædit & capit. p. 183. Cum Alberto Rege Romanorum fœdus init. p. 188. A Flandris ingenti clade vincitur ad Corbacum. p. 195. Impedit concordiam Ludovicum Cæsarem inter & Pontifices. p. 276. Et inaudita à Benedicto XII audet petere. p. 277.

Pisanum Concilium: quid in eo actum. p. 491.

Pius II. Pontifex eligitur & frustra laborat in excitandis Principibus ad bellum contra Turcas. p 679. p. 680. Bellum adversus Turcas edicit & promovet. p. 681. Germanis Principibus ob futiles querelas nihil juvantibus. p. 682. Legationem trium Patriarcharum orientalium excipit. ibid. Rejecto Diethero Isenburgico Adolphum Nassovium Moguntinensem Archiepiscopum renuntiat. p. 684. Auxilia Germanorum adversus Mahometem, inani opera sollicitat. p 686. Iterum. p. 694. Anconæ moritur. p. 695.

Plettenbergio Marchiæ cura committitur Comitibus in Gallias profectis. p. 330.

Polonia vastatur à Tartaris. p. 38. p. 97.

Potho à Pothenstein, in locum Florentij à Pontifice præficitur Ecclesiæ Monasterienſi: at in via à prædonibus cum comitatu spoliatur. p. 408. A Monasterienſibus honorificè suscipitur. p. 409. Malè diœcesi præest. p. 413. Transfertur ad Suerinensem Episcopatum. p. 416. Sed nec ibi quietus. p. 417.

Praga novâ Academia exornatur. p. 321. A Metropoli Moguntiæ sejungitur. ibid. Turbatur hæresi Hussitarum. p. 507. & sequent.

Prædicatorum Ordo Mindam introducitur. p. 38. Et Warburgum ab Ottone Episcopo Paderb. p. 146. Stabilitur donatione templi & fundi. p. 148. Fundatio ejus confirmatur ab Honorio Pontif. & Ottone Episcopo. p. 156. Patres Warburgo expelluntur. p. 159. Sed recipiuntur. p. 160.

Prædonum insolentia in Westphalia. p. 380. Reprimitur per fœdus Stelligerorum. p. 386. Varia contra eos fœdera. pp. 424. 441. 442. 443.

Ptolomais in Oriente amittitur. p. 170.

Pulvis Pyreus & seloporum usus inventus. p. 333.

Pumpsensis Parochia in diœcesi Pad. instituitur. p. 190.

Pyrmontani Comitatus in diœcesi Paderb. descriptio. p. 771. Feudum Ecclesiæ Paderb. ibid. De eo lis inter Episcopum Paderb. & Archiepiscopum Colon. p. 772. Comites cessêre decimas Huxarienses Abbati Corbeiensi. p. 195. Primi Comites, & ultimus Mauritius. p. 771.

Q.

Questelbergense Monasterium Sanctimonialium dirutum Crucigeris incolendum traditur ab Hermanno Archiep. Colon. p. 780.

R.

Rabanus Spirensis Episcopus ab Eugenio Pont. Archiepiscopus Trevirensis, rejectis aliis, renuntiatur. p. 577.

Raimaldo

Rainaldo Juliæ & Geldriæ Duci demortuo succedit in Ducatu Rupertus Adolphi Montium Ducis filius. p. 543.

Ravensbergianum castrum restituitur Ecclesiæ Paderb. p. 92.

Recklinghusanum oppidum expugnatur à Marcano Comite. p. 180.

Reinaldus Geldriæ Comes diœcesin Monast. vastat. p. 269. Ex subito casu moritur. p. 303.

Reinerianum nemus à Balduino Episcopo Paderb. Landgravio Hassiæ oppignoratur. p. 334. Ejusdem descriptio. p. 335.

Reinerus fit Abbas Corbeiensis in locum Henrici Spegelii. p. 368.

Renatus Lotharingiæ Dux cum Helvetis Carolum Burgundiæ Ducem profligat. p. 728. 730.

Rhedana arx per dotem conjugis transfertur à Simone III Lippiensi Com. Ottoni Comiti Teclenburg. p. 385. Causa belli inter Comitem Teclenb. & Lipp. p. 669. Arx & dynastia Teclenburgico cedit. p. 670.

Richardus Anglus à quibusdam in Regem Romanorum eligitur. p. 95. Deserta Germania redit in Angliam. p. 97. Ejus obitus. p. 120.

Ritbergensium Comitum origo. p. 34. Ritbergensis Comitis Conradi bellum adversus Ducem Brunswicensem ob injuriam filiæ illatam. p. 752.

Robertus Palatinus Elector Vicarius Imperii à Carolo IV Rege nominatur. p. 333.

Rockizana presbyter Hussitarum hæresin resuscitat & promovet. p. 699.

Rollæ in Diæc. Osnabrug. propè Cœnobium Virginum Ss. hostiæ projectæ miraculosè inventæ. p. 313.

S. Rosarij Societas à primariis Nobilibus viris instituta. p. 443.

Rudolphus Alberti Regis filius Dux Austriæ renunciatur. p. 188. Ducit Blanckam Regis Angliæ sororem. ibid.

Rudolphus Diepholdius auctoritate Eugenij Pontificis in possessione Ultrajectensis Ecclesiæ se defendit. p. 578. Conjungit se cum Clivensi adversus Colonien sem Archiep. p. 631. Administrator Osnabrugensis Diœc. renuntiatur. p. 663 Monasterium frustra obsidet. p. 666. Moritur. p. 672.

Rudolphus Habsburgens. Comes Romam cum Wetnero Archiepiscopo Moguntino proficiscitur. p. 99. In Regem Romanorum eligitur. & Aquisgrani coronatur. p. 123. Mira in coronatione. p. 124. Prosapia regni. ibid. Ejus ortus & dignitas. ibid. Filias diversis Regibus & Electoribus despondet. p. 125. Cives Colonienses compescit, & pacem Imperio restituit. ibid. In concilio Lugdunensi Imperator renuntiatur. p. 126. Comis & benignus in omnes. ibid. Hostes vincit & subigit: Avulsas ab Imperio Provincias ab Ottocaro repetit. p. 127. Eidem bellum indicit. p. 128. Bopardiæ ad Rhenum Comitia habet, & quæ in iis acta. p. 130. 131. Ottocarum Regem subjugat. p. 131. Et devincit. p. 139. Bona Ecclesiæ Romanæ confirmat. p. 141. Ducatum Austriæ familiæ suæ asserit. ibid. Gesta ejus præclara in Imperio. p. 144. Varia Comitia pro bono reipublicæ celebrat, Albertumque filium Austriæ, Rudolphum verò Sueviæ Duces creat. p. 147. Acta ejus in Comitiis Herbipol. p. 147. Post obitum Annæ Conjugis ducit Agnetem Burgundi filiam. p. 150. Comitia Wormatiæ habet, & Herbipolim ad obedientiam reducit. p. 151. Wetzlariam occupat, & impostorem, qui se Fridericum Imperatorem finxerat, ad rogum condemnat. p. 154. Confirmat privilegia Corbeiensis Monasterii. ibid. Ducem Wittenbergensem sibi subjicit. p. 155. Italiam deserit; quod indecorum scriptoribus visum. ibid. Concilio Herbipolensi interest. p. 158. Gesta ejus & filii in Germania & Hungaria. p. 165. Comitia Erfurti celeberrima habet. p. 167. Multa præclarè ordinat, facultatemque dat Ottoni Episcopo Paderb. constituendi duas munitiones adversus prædones. p. 168. Visitata Saxonia redit Erfurtum. p. 169. Mors ejus & encomium. p. 170.

Rudolphi Langij Canonic. Monasteriensis commendatio. p. 764.

Rupertus Bavariæ Dux Cæsar renuntiatur. p. 468. Et Coloniæ coronatur. p. 475. In Italiam proficiscitur. p. 477. Ejus obitus & commendatio. p. 500.

Rupertus Juliæ & Montium Dux succedit Simoni Sternebergio in Episcopatu Paderb. p. 432. Familiæ laus. ibid. Juri ad Passavien sem Episcopatum renuntiat, ac diœcesis administrationem adit. p. 435. Per suffraganeum diœcesin visitat. p. 436. Partem castri Bürani oppignorat Wolmaro de Bremken. p. 437 Factionem Bengelorum disturbat. p. 438. Et cum Padbergio Duce subjugat. p. 440. Fœderis inter Principes adversus prædones auctor. p. 443. Concordiam stabilit cum Bodone Corbeiensium Abbate. p. 444. Padbergense castrum obsidet, & peste extinguitur. p. 445. Ejus laus à virtute, & præclaris naturæ dotibus. p. ibid.

Rupertus Palatinus succedit demortuo Theodorico in Archiepiscopatu Colon. p. 691. Cui certæ leges à Canonicis præscribuntur. p. 692. Collidit cum Canonicis Colon. p. 702. Electoris Palatini copiis adjutus plura diœcesis suæ loca oppignorata recuperat p. 703. Fœdus commune cum Duce Geldriæ init. p. 704. Gliscentem Novesii rebellionem animadvertit. p. 705. Denuo cum Capitulo colliditur. p. 710. Uti & cum Novesiensi urbe. p. 711. Canonici contra ipsum conspirant, & Hermannum Landgravium diœcesis defensorem eligunt. p. 714. Ipse Ducis Burgundiæ opem implorat. p. 715. Auxilia accipit à Carolo Burgundo. p. 716. Sublata obsidione Novesiensi, & pace firmata, lis ejus ad Pontificem delata: eâ perdita in Ducatum Westphaliæ abit. p. 727. Infestat denuo Colonienses. p. 728. Et bellum move-

movet Simoni Episcopo Paderb. p. 729. Ab Hermanno Administratore Colonienſi in ducatum Weſtphaliæ, rejicitur. p. 731. A Landgravio Haſsiæ captivus detinetur. p. 733. Tandem ærumnis & mœrore confectus moritur. p. 738.

S.

Sabaudiæ Comites Duces creantur à Sigiſmundo Imperat. p. 529.

Saltzkottena urbs diœceſis Pad. præmunitur. p. 54. à Salinis commendata. ibid. Tota Eccleſiæ Paderbornenſi attribuitur. p. 178.

Saſſenberga arx in diœceſi Monaſt. præmunitur. p. 179.

Saxonia inter Germaniæ turbas pacata. p. 39. 40.

Scakenſe Monaſterium Virginum ordinis S. Bened. p. 36. Ab Hermanno Corbejenſi Abbate bonis donatur. p. 46. Immunitatem accipit à Petro Legato Apoſtolico. p. 78.

Scanderbegi virtus. p. 627. 680.

Schildecenſis Cœnobij jus advocatiæ à Bernardo IV Epiſcopo Paderb. tranſcribitur in Comitem Ravensbergenſem. p. 46.

Scloporum uſus & pulvis Pyreus inventus p. 333.

Siculæ Veſperæ p. 146.

Sifridus Archiepiſcopus Mogunt. Paderbornæ accedit Bernardum Epiſcopum; & Abbati Marienmünſterenſi uſum infulæ concedit. p. 39. Moritur. p. 62.

Sifridus de Weſtenburg in locum Engelberti eligitur Archiepiſcopus Colon. p. 127. Synodum celebrat. p. 132. Juliacenſem diœceſin occupat; & Arensbergenſem Comitem ad petendam pacem compellit. p. 134. Confirmat fundationem cœnobij Eremitarum S. Auguſtini Lipſtadij p. 143. Contradicit Legato Apoſtolico tributa petenti. p. 148. Juliã hæredibus reddit. p. 151. Fœdus init cum Ottone Epiſcopo Paderb. p. 161. Capitur à Marcano Comite. p. 164. Liberatur cum damno diœceſis p. 165. Marchiam infeſtans repellitur. p. 174. Paciſcit cum Marcano. 182. Ejus mors & præclarè geſta. ibid.

Sigismundus Ungarorum Rex prælio infelici cum Bajazete Turcarum Imperatore congreditur. p. 454. A quibusdam Electoribus Rex Romanorum eligitur. p. 500 Æmulo ſublato ſolus imperium capeſcit. p. 503. Omnes curas ad Imperii pacem convertit. p. 505. Cum Pontifice in Gallia agit de Concilio Conſtantiæ indicendo. p. 507. 510. Aquisgrani coronatur, & Coloniæ publicè jus dicit. p. 516. Conſtantiam ad Concilium venit; Pontificeque miſſam decantante Evangelium in habitu diaconali canit. p. 517. Egregie laborat pro pace Eccleſiæ reconcilianda. p. 523. Comites Clivenſem & Sabaudum Duces creat: Fridericum Nurimbergenſem Burggravium Electorem, & Marchionem Brandeburgicum dicit. p. 529. Lentiùs ſuccurrit laboranti Bohemiæ. p. 536. A Conrado Weſtphalo Archiepiſcopo Pragenſi Rex Bohemiæ coronatur. ibid. Obſidionem Pragenſem ſolvit. p. 537. Infelix ejus & Imperii Principum expeditio in Huſſitas. p. 540. Filiam unicam Alberto Duci Auſtriæ conjugem dat. ibid. Secunda expeditione in Huſſitas movet, ſed iterum infauſta. p. 241. Fridericum Miſniæ & Thuringiæ Marchionem Saxoniæ Ducem & Septemvirum dicit: ac Ziſcæ gubernationem regni Bohemiæ offert. p. 544. Comitia Francofurti indicit ad ferociam Bohemorum coërcendam. p. 554. Mediolani & Romæ coronatur. p. 569. 581. Summa celeritate Baſileam properat. ibid. A Bohemis receptus pacem regno & Eccleſiæ reſtituit. p. 608. Obitus, virtutes & vitia. p. 610.

Simon Comes de Lippia. Eligitur Epiſcopus Paderb. p. 53. Saltzkottenam præmunit. p. 54. Controverſiam cum Conrado Archiepiſcopo Colon. ratione caſtri Villiſen & oppidi Saltzkotten componit. ibid. Evocatur Coloniam ad conventum Principum. p. 57. Certis decimis redimit plauſtrum vini, quod ab Epiſcopis Paderborn. quotannis dabatur Cœnobio Hardehuſano. ibid. Litem componit cum Colonienſibus ratione Parochiæ Montis Martis. ibid. Gerdenſi Cœnobio plura bona confert. p. 62. Falckenhagenſe Monaſterium promovet. ibid. Cum Holſatiæ Comite & aliis aggreditur Ericum Daniæ Regem. p. 65. Sacra & civilia ſuæ Diœceſis curat. p. 68. Bello invadit Archiepiſcopum Colonienſem, & captivus abducitur Coloniam. p. 76. Agitur de ejus liberatione. p. 77. Compoſitionis literæ ratione oppidorum Geſeke & Saltzkotten. p. 82. Fœdus inter ipſum & Archiepiſcopum Colon. p. 83. Subſcribit iniquis conditionibus & liber dimittitur. p. 84. Et ſeq. Acta reſcinduntur à Pontifice. p. 90. 91. Jurisdictionem ſacram in Cœnobium Corbeienſe repetit. p. 92. Ejus Patruus Bremenſis Archiep. & frater Otto Monaſterienſis Antiſtes Moriuntur. p. 98. Facultatem dat Watburgenſibus muro incingendi urbem inferiorem. p. 100. Bello appetitur ab Alberto Stürmedenſi; decimasque alienare cogitur. p. 103. Amplas Archidiaconorum facultates comprobat. p. 104. Tutor Corbeienſium deligitur. p. 111. Collegium Canonicorum in Huxarienſe oppidum tranſfert. ibid. Cœnobiis Gerdenſi & Hardehuſano benefacit. p. 112. Paderbornæ excipit Wernerum Archiep. Mogunt. p. 113. Feſtum undecim millium Virginum celebre facit. ibid. Reprimit waldenſem Comitem Corbeienſibus infeſtum litemque componit. p. 114. Perfidos Corbeienſium clientes domat. p. 115. Gerdenſi monaſterio proſpicit. p. 117. Prædium vendit Cœnobio Holthuſano. p. 118, Colliditur cum Landgravio Haſſiæ. p. 120. Pacem inter Büranos Dynaſtas & oppidum componit. ibid. Diſſidium illum inter & urbem Paderb. p. 128. Largus in egenos & religioſos. p. 133. Ejus obitus. p. 135. Diverſa de ipſo ſcriptorum judicia. ibid à Juſtino commendatur. p. 136.

Simon Comes de Lippia capitur & ad pacis conditiones adigitur. p. 196. Cœnobium Lodhenſe Lemgoviam tranſfert. p. 206. Eidem decimas vendit. p. 207. Reconciliatur Wilhelmo Comiti Arensbergenſi. p. 238.

Simon III Comes de Lippia ſancit ne Comitatus in plures impoſterum partes divi-

datur. p. 374. Comitem Teclenburgicum bello aggreditur successu infelici. p. 384.

Simon Comes de Lippia Wilhelmum de Monte Comitem Ravensbergensem tutorem Comitatus sui deligit. p. 545.

Simon Lippiensis Comes adhæret Walramo Episcopo Monast. adversus rebelles Monasterienses. p. 668. Succedit demortuo Theodorico in Episcopatu Paderb. eo nomine III. p. 691. A Pontifice confirmatur. p. 692. Bellum cum Landgravio Hassiæ. p. 693. Pace composita Synodum Diœcesanam celebrat ad reformandum clerum. p. 693. Cœnobio Wolkendinghusano sua jura restituit. p. 698. Dynastiam Padbergensem feudum Ecclesiæ Paderb. ad Coloniensem transferri permittit. p. 699. Diœceseos Cœnobia ad meliorem formam redigit. & Herisiensis Collegii Canonicarum Virginum privilegia instaurat. p. 701. Spiegelios ex Desenberg domat; arcemque prius ereptam in feudum dat. p. 706. Pacem sancit cum Ludovico Hassiæ Landgravio. p. 707. Bredelariensi Cœnobio subvenit. ibid. Diœcesin bene administrat. p. 712. Facultatem concedit Bilfeldiensibus erigendi ædem in honorem S. Jodoci. p. 746. Convenit cum Abbate Corbeiensi ratione Montis S. Jacobi. p. 756. Oenopolii Paderbornensis vectigal urbi oppignorat, oppidumque Dringenbergense instaurat p. 759. Fundationem Monialium in Breda comprobat. p. 762. Ætate provectus malè diœcesi præest. p. 772. Administrationem diœcesis tandem plenè transfert in Hermannum Archiep Colonienſem, Electum Administratorem Paderb. p. 775. Calenbergium castrum Wolffio & Ravennoni Calenbergiis fratribus oppignorat. p. 778. Moritur. p. 779.

Simon Sternebergius Comes opera Archiepiscopi Colon. fit Episcopus Paderb. & Romæ consecratur. p. 411. Ejus familia & Comitatus. p. 412. In urbem solenniter introducitur. ibid. Fit Mareschallus Ducatus Westphaliæ. p. 414. Præfecturam Werlensem oppignorat Henrico ab Ohr; & fœdus cum variis init. p. 415. Colonienſi Archiepiscopo obnoxius, telonium cum Niemensi oppido Friderico Flechtenio nobili, & Judicium Warburgensis urbis Magistratui oppignorat. p. 417. Partem quoque castri & municipii Büreni Dynastis Büranis pignori denuo opponit. p. 418. Recipit à Büranis Dynastis præfecturam Wünnebergensem. ibid. Et fœdus Castrense cum illis init. p. 419. Lipstadiensibus D. Augustini Religiosis facultatem concedit erigendi domum in urbe Paderb. p. 422. Literas humanitatis plenas accipit à Pontifice Urbano. p. 423. Auxilio adest Duci Geldriæ. p. 425. Pacemque Castrensem cum eodem firmat: ac Monasterium Breidelariense curat instaurari. p. 426. Pluribus bellis implicitus multa debita contrahit. p. 428. In oppugnatione arcis Brobeckianæ telo confossus occumbit: quæ ei vitio data. p. 429.

Sixtus IV. pontifex laborat pro subsidio adversus Turcas. p. 710. Moritur. p. 750.

Sophia vidua Vechtensem Comitatum Monasterienſi Ecclesiæ cedit. p. 73.

Spegeliorum familia in diœc. Paderb. p. 354. A Simone Episcopo ad quietem adiguntur. p. 706.

Spiræ Camera imperialis erigitur. p. 775.

Stadlona arx diœc. Monasterienſis expugnatur. p. 200. Recipitur à Dynasta Lohnensi. p. 205. Ecclesiæ Monasterienſi conjungitur. p. 234. 262.

Stadberga vide **Mons Martis.**

Stedingorum rebellio, & hæresis in Archidiœcesi Bremensi. p. 22. Extinguitur. p. 23.

Steinfurdiæ dynasta in diœcesi Monast. turbat diœcesin, & Episcopum captivum abducit. p. 451. Obsessus liberum dimittere cogitur. p. 452. Liberto Comite extincto Comitatus transit ad Ewerwinum Comitem Benthemensem. p. 539.

Steinhagensis parochia in Comitatu Ravensbergensi instituitur. p. 277.

Stelligerorum confœderatio ab Ottone Duce Brunswicensi instituitur. p. 386. Simile fœdus authore Henrico Episcopo paderb. coalescit inter Episcopos Westphaliæ. p. 389. Renovatur & augetur. ibid.

Sternebergensis Comitatus descriptio. p. 412. Origo & occasus. p. 480.

Strombergense Sacellum S. Crucis miraculis clarum combustum reparatur. p. 239. Fundatur. p. 250. Structura Sacelli absolvitur. p. 307. Crux ibidem miraculis inclarescit. p. 313.

Strombergensium Castrensium pax initur cum Henrico Episcopo paderb. p. 383. Castrum & Burggraviatus cedit Episcopo Monast. p. [illegible] Burggraviatus bona inter varios dividuntur. p. 407.

Suederus Culenbergius renuntiatur Episcopus Ultrajectensis. p. 543. Moritur. p. 578.

Susatum urbs Ducatus Westph. in urbe moritur Wigboldus Archiep. Colon. & in Ecclesia S. Patrocli sepelitur. p. 199. Cives reclamant tributis à Theodorico Episcopo indictis. p. 607. Famosi belli Susatensis in Westphalia initia. p. 624. Pacis remedia cives respuunt, & Clivensis Ducis opem implorant. p. 628. Et impetrant. p. 629. Susatensi fœderi se conjungit Rudolphus Trajectensis Episcopus, Bernardus Comes Lippiensis, pluresque Nobiles, & urbes. p. 631. 632. Urbs frustra ab Archiepiscopo Theodorico tentatur. p. 634. Cives cum Lippiensibus in Dynastiam Büranam irrumpunt: objectâ à Parocho SS. Eucharistia prædas restituunt. p. 635. Anseaticæ civitates se frustra interponunt. p. 635. Civitas à Theodorico obsidetur, & mox liberatur. p. 638. Cives cum militibus ex urbe progressi cædunt exercitum Archiepiscopi. p. 639. Tractatur de pace, sed eventu irrito. ibid. Paderbornenses à fœdere abstrahuntur. p. 642. Uti & plures aliæ civitates. ibid. Irrito denuo conatu urbs obsidetur. p. 643. Defendente eam S. Patroclo. p. 645. Tandem opera Cardinalis S. Angeli bellum finitur. p. 647. Susatumque cum Sanctis in potestate Ducis Clivensis remanet. p. 651.

Swalenbergensium Comitum familiæ laus. p. 147. Arx & oppidum feudum Corbeiense. p. 308. Adjungitur Ecclesiæ Paderb. p. 324. Lis de comitatu tandem inter Balduinum Episcopum Paderb.

Paderb. & Comitem Lippiensem componitur certis conditionibus. p. 343.

Synodus. Provincialis Coloniæ. p. 99. 102. 220. 243. 249. Moguntiæ. 172. 265. Variæ. p. 542. Vide concilia.

T.

Tartari irrumpunt in Poloniam, Ungariam, Bohemiam. p. 38. 97.

Teclenburgensis Comes Ottonem Simonem III Comitem de Lippia profligat, capit, & arcem Rhedanam acquirit. p. 385. Nicolaus Comes armis domatur à Monasterienſi & Osnabrug. Episcopis. p. 445. Ab eisdem iterum devictus ad reparationem damnorum adigitur. p. 471. Variasque præfecturas cogitur cedere diœcesi Monast. p. 472. Lis & compositio ratione castri Rhedani. p. 669. Dissidia inter Comites. p. 769.

Telonia quædam abrogata. p. 406.

Tempestas Westfaliam devastat. p. 31. Totamque ferme Europam. p. 608.

Templariorum Ordo extinguitur. p. 213. 214.

Theobaldus Bussartius rebellis Cæsari supplicio afficitur. p. 224.

Theobaldus Leodiensiũ Episcopus moritur. p. 225.

Theodoricus Abbas Corbeiensis ex Dalwichorum familia ortus facultatem impetrat à Carolo IV Imper. constituendi Freigravios, & exercendi judicium secretum. p. 318. Cum Ottone Waldecensi pacem init. p. 320. Huxariensibus facultatem concedit muniendi urbem. p. 337. Se diœcesis Paderb. esse profitetur. 338. Festum Conceptionis B. V. solenniter à suis vult celebrari. p. 340. Facultatem impetrat à Carolo IV. Joanni Rockio judicandi causas criminales. p. 341. Vagos fratrum minorum religiosos ad Cœnobia reducit, ac moritur. p. 347.

Theodoricus Erbachius succedit Conrado in Archiepiscopatu Moguntinensi. p. 604. Moritur. p. 680.

Theodoricus Hornius in locum Melchioris eligitur Episcopus Osnabrugensis. p. 398. Widenbrugum & Reckenbergam oppida diœcesi suæ subjicit. p. 407. Adjungit se fœderi Havestadiorum, p. 414. Armis domat Teclenburgensem Comitem. p. 445. Oitam Ecclesiæ suæ adjungit. p. 446. Capitur à Buschiis nobilibus. p. 452. Cum Monasterienſi Episc. Teclenburgensem subigit. p. 471. Ejus obitus & commendatio. p. 478.

Theodoricus de Itteren succedit in Episcopatu Paderb. Gunthero. p. 222. Approbat privilegia urbis Biaculensis. ibid. Benefacit Hardehusano Monasterio, p. 224. Stabilit concordiam cum Ottone Hassiæ Landgravio, & componit controversiam super salinis Westerkottensibus. p. 225. Promittit Comiti Ravensbergensi, nullam se personam absque ipsius præscitu ad Ecclesiam Bilfeldiensem transferaturum. p. 226. Reditus oppidi Saltzkotten oppignorat Bernardo Crevet; & componit litem inter Canonicos & Clericos Bodecenses. p. 228. Ludovico Bavaro electo Romanorum Regi adhæret. p. 231. Approbat privilegia Archidiaconorum. ibid. In tutelam accipit arcem Blankenaw. p. 232. Restituit Canonicis Bustorffianis reditus Malridenses p. 233. Privilegia oppidi Braculensis instaurat. p. 234. Dat Wilbacensibus facultatem muniendi oppidi. p. 236. Ecclesiæ patrimonium auget emptione salinarum Saltzkottensium. p. 239. Permittit muniri Oppidum Gerdense. p. 240. Litem Warburgensium & Nobilium componit: & obit. p. 244.

Theodoricus Marcanus à Joanne ab Hoet Episcopo Osnabrugensi diœcesis administrationem accipit, & egregiè procurat. p. 363. Civitatem Tremonienſem intercipere frustra tentat. p. 376. Vicariam Episcopatus Osnabr. præfecturam accipit. p. 389. Iterumque deponit. p. 398.

Theodoricus Monachus Cistercienſis ex Monasterio Leven præficitur Ecclesiæ Mindenſi. p. 332. Et ad Archiepiscopatum Magdeburgensem transfertur. p. 352.

Theodoricus Mörsanus Ducatum Montenſem hostiliter pervagatus interimitur. p. 457.

Theodoricus Morsanus ab aliquot Canonicis eligitur Archiepiscopus Colon. p. 513. Largitionibus & aliorum commendatione à Pontifice Joanne XXIII confirmatur. p. 514. Paderbornenses agunt, de eodem subrogando Wilhelmo Episcopo suo. p. 515. Tutor & Administrator Ecclesiæ Paderb. à Capitulo designatur, & à Pontifice confirmatur. p. 519. Solenniter in urbem admittitur exauctorato Wilhelmo. p. 521. Sed diœcesis damno. p. 522. 526. Neptem suam Wilhelmo depositò offert in sponsam. p. 525. Colliditur cum urbe Colon. & plura castra diœcesis Paderb. oppignorat. p. 526. Pax cum urbe Colon. componitur. p. 530. Diœcesin Paderb. remissè administrat. ibid. Bodecensis Cœnobii privilegia confirmat. p. 534. Kruckenbergam, Helmeswardeshusen, Steinheimium oppida, aliaque oppignorat. p. 539. Exercitum ducit in Bohemiam. p. 540. Socialem Virginum Deo devotarum vitam approbat judicio Doctorum Colonienſium. p. 541. Synodum provincialem percelebrem habet Coloniæ; in qua multa præclarè decreta. p. 542. Cæsaris Insulam cum castro & telonio emit à Gerhardo Cliviæ Duce. p. 545. Solenni pompa Paderbornæ inauguratur, coortâ subitò tempestate. ibid. Privilegia onerosa Delbruggensium confirmat. p. 546. Ejus potentia. p. 549. Corripitur à Pontifice ob neglectum bellum sacrum. p. 553. Accusatur ab Adolpho Clivensi apud Imperatorem, quod bellum inter fratres foveat. p. 555. Dalheimense Virginum Monasterium in diœc. Paderb. transmutat in Cœnobium Canonicorum Regularium. p. 557. Molitur Episcopatum Paderborneniem conjungere cum Archidiœcesi Colonienſi. p. 559 Impetratque consensum Martini V. Pontificis. p. 560. Contra ipsum ad Pontificem appellant Canonici, ordinesque Paderbornenses. p. 562. Ab Auditore causarum sacri Palatii Romam citatur Theodoricus. p. 569. Constitutione

tutione Apostolica Eugenii Pont. perculsus ad Concilium Basileense appellat: illudque Basileæ stabilit contra voluntatem Pontificis. p. 577. Valckenhagense Cœnobium Crucigeris tradit. p. 578. Urget conjunctionem diœcesium Paderb. & Colon. primùm diœcesin Paderb. hostiliter invadendo. p. 582. Deinde causam fusis literis ad Concilium Basileense deferendo. p. 583. A cœpta conjunctionis actione desistit. p. 604. Subditos suos tributis onerat, contradicentibus Susatensibus. p. 606. Paderbornensium animos sibi reconciliare studet. p. 608. Dissidium inter Capitulum Paderb. & Papenheimios ortum componit. p. 610. Eugenio Pontifici adversatur. p. 614. 615. Schismatis præcipuus auctor. p. 617. Cum Susatensibus bello involvitur. p. 624. Varia remedia frustra adhibet eos ad subjectionem impellendos. p. 628. Fridericum Romanorum Regem Aquisgrani coronat. p. 625. Studet componere litem Susatensem. p. 628. Auxilia Episcoporum & Ducum impetrat contra Susatum. p. 632. Remittit Paderbornensibus omne jus, quod à Pontifice sibi datum obtendebat conjungendi Paderborn. Ecclesiam Colonienſi. p. 633. Susatum frustra oppugnat. p. 634. Ab Eugenio IV Pont. excommunicatur, & exauctoratur. p. 636. Sed ob Principum motus in sede sua relinquitur. p. 637. In bello Susatensi omnia adversa patitur. ibid. Susatum obsidet; obsidionemque statim solvit. p. 638. Ejus exercitus à Susatensibus cæditur. p. 639. Bellum instaurat, evocatis in auxilium Saxonibus & Bohemis. p. 640. Ingentemque vastitatem variis locis, præcipuè Comitatui Lippiensi infert. p. 641. Lipstadium & Susatum irrito conatu obsidet. p. 643. 644. Cum insigni suo damno. p. 645. Bohemos domum remittit. ibid. Ab Eugenio certis conditionibus in pristinum dignitatis statum restituitur. p. 645. Prosequitur bellum Susatense. p. 646. Quod tandem opera Cardinalis S. Angeli finitur p. 647. Susato & Sanctis in potestate Clivensis relictis. p. 651. Transigit cum Gerhardo Duce Cliviæ ac Montium, ut, si hic absque hærede decedat, uterque Ducatus Ecclesiæ Colonienſi transcribatur. p. 652. Sed spe inani. p. 653. Diœcesin Monasterienſem cum confœderatis invadit. p. 668. Ac Hojani exercitum profligat. ibid. & p. 669. Joannem Trevirensem Archiepiscopum in urbem introducit. p. 682. Fraternitatem B. V. in Cœnobio Flechtorpiensi pristino vigori restituit p. 607. Ejus obitus, elogium. p. 688. Et familia. p. 689.

Theodoricus à Nihem diœcesis Paderb. celebris eruditione & scriptis: plurimorum Pontificum Secretarius. p. 396. Compendium ejus vitæ. p. 531. & scripta. p. 532.

Thuringia miserè ab Adolpho Rege devastatur. p. 177.

Transaquense apud Monasterienses Canonicarum Virginum Cœnobium ad D. Benedicti institutum traducitur. p. 681.

Transfigurationis Festum à Callisto III Pontifice instituitur. p. 678.

Tremonia periculo occupationis liberatur. p. 376. Obsidetur à Wilhelmo Montium Comite & liberatur. p. 397. Et iterum ab Archiepiscopo Colon. p. 427. Tremonienses cives cæduntur à Clivensi Duce. p. 646. Fœdus Tremonienſe. p. 752. 758.

Tuitium Coloniæ vicinum oppidum evertitur & exuritur à civibus Colonienſibus. p. 394. 441.

Tullensis conventus. p. 188.

Turcæ Christianos profligant prope Adrianopolin. p. 368. Capiunt Constantinopolin. p. 662. Pluresque insulas & regna abripiunt. p. 695. 705. 710.

Typographica ars inventa & expolita. p. 618. Magistri artis Moguntiâ aliò discedunt. p. 687.

V.

Valckenhagense Virginum Cistertienſium Cœnobium conditur à Comitibus Swalenbergicis. p. 50. Ejus progressus, mutatio & extinctio. p. 51. Bona & immunitates ab Innocentio Pont. confirmantur. p. 63. Deinde ob bellorum injurias Wilhelmitis, postea Crucigeris traditur à Theodorico Episcopo Paderb. p. 578.

S. Udalrici Parochia in urbe Paderb. in tres dividitur. p. 14. 16.

Vechtensis Comitatus Ecclesiæ Monasterienſi adjungitur. p. 73.

Virginum Deo devotarum socialis vita judicio Doctorum Colonienſium à Theodorico Archiepiscopo comprobatur. p. 541.

S. Viti Reliquiæ Corbeiâ Lipspringum transferuntur. p. 465.

Vlechtensis curia venditur Cœnobio Marienmunsterensi. p. 301.

Vlotensis Cœnobii Virginum Cister. fundatio & progressus. p. 72.

Ulricus Frisiæ Orientalis Dominus Comes Imperii à Cæsare creatur. p. 670. Ab hoc Comites Frisiæ & Ritbergæ descendunt. ibid.

Volcquinus Mindensiũ Episcopus insignis Patrum Prædicatorum Patronus: à cujus ordinis religioso Burchardo Hadingio visum receperat. p. 146. Ejus obitus & commendatio. p. 147.

Vördense castrum & oppidum à Marienmünsterensibus donatur Ecclesiæ Paderb. p. 256.

Vördense oppidum in diœcesi Osnabrugensi Ecclesiæ adjungitur. p. 458.

Urbanus IV Pontifex Succedit Alexandro IV. p. 102. Instituit festum Corporis Christi ibid. Moritur. p. 108.

Urbanus V. Pontifex succedit Innocentio VI. Adolphum Episcopum Monasterienſem Colonienſi Ecclesiæ, & Joannem Virneburgium Monasterienſi præficit. p. 362. Joannem Schadlandum renuntiat Episcopum Hildes. p. 363. è Gallia Romam discedit. p. 370. Mox redit in Gallias & moritur. p. 381.

Urba-

Urbanus VI. Romæ eligitur *P*ontifex, Gallicis Cardinalibus eligentibus Clementem VII Antipapam. p. 403. Verus *P*ontifex à Rege & Electoribus Imperii agnoscitur Urbanus. p. 406. 409. Diversos per regna & provincias mittit Apostolicos Legatos, Simonemque Episcopum Paderb. commendat. p. 420. Binis gravioribus periculis liberatur : idque per literas Simoni significat. p. 426. Regis Germanorumque opem adversus hostes suos implorat p. 425. Universitatem à Colonienſibus institutam approbat & privilegiis illustrat. p. 408. Confirmat electionem Ruperti Montium Ducis Episcopi Passavienſis. p. 433. Moritur. p. 434.

Urbium Episcopalium status p. 248.

Vredenſis urbs in diœcesi Monast. à Rainaldo Geldriæ Comite expugnatur & exuritur. p. 269. Episcopo rebellis domatur. p. 457.

Vrendeswedenſis Collegij Canonicorum Regularium S. August. initia, & commendatio sub Ottone IV Episcopo Monast. p. 446.

W.

Waldomarus Abelis Daniæ regis filius à Conrado Archiepiscopo *C*olon. captivus abducitur. p 66.

Walramus Dux Limburgenſis Juliam & agrum *C*olonienſem invadit. p. 141.

Walramus Juliæ Comes à *P*ontifice renuntiatur Archiepiscopus Colon p. 274. Fœdus init cum Trevirenſi adversus *P*rædones : & Bertholdum de Büren Westphaliæ Mareschallum constituit. p. 275. Concordiam cum Colonienſi urbe instaurat. p. 227. Litem inter Monasterienſem & Osnabrugenſem Episcopos componit. p. 297. Collegium Canonicorum in Engeren transfert Hervordiam. p. 298. *P*atitur à Ludovico. p. 301. Mendam oppidum præmunit. p. 307. Marcano Comiti reconciliatur. p. 308. Obitus & commendatio. p. 318.

Walramus Mörſanus Ultrajectinus Episcopus eligitur, sed ab æmulo Coloniam repellitur. p. 578.

Walramus Morſanus plurimorum suffragiis eligitur Episcopus Monast. & à Pontifice confirmatur. p. 655. Hojanum & Clivenſem Comites excommunicat. p. 658. Diœcesin ingreſſus juramentum à Cosfeldienſibus excipit. p. 665. In Cardinalium numerum à Calliſto III pontifice adscriptus moritur, & commendatur. p. 673.

Walrodenſe Monaſterium Monialium D. Augustini exstruitur à Ludovico Episcopo Mindenſi. p. 311.

Walterus hæresis Lollhardorum auctor Coloniæ in arcem conjicitur. p. 249. 250.

Warburgenſis urbs inferior diœcesſ. Paderb. muro incingitur. p. 100. *P*atres *P*rædicatores ab Ottone Episcopo in civitate collocantur. p. 146. Stabiliuntur. 148. A *P*ontifice Honorio, & Ottone Episcopo confirmantur. p. 156. Cives expellunt *P*atres *P*rædicat. & idcirca ab Ottone excommunicantur. p. 159. Episcopo se submittunt. p. 160. Impetrant ab Ottone curiam inferiorem liberam. p. 170. *P*rivilegia urbis confirmantur à Gunthero Episcopo Paderb. p. 218. Bellum gerunt cum vicinis nobilibus. p. 242. Jura vetera stabiliuntur à Bernardo Episc. 250. Oppidani adversus Episcopum insurgunt. p. 265. Judicium à Simone II pignoris loco accipiunt. p. 417. A Falckenbergio vexantur & spoliantur. p. 435. Tempestas horrenda in urbe. p. 522. Klenckium agros infestantem Cives cædunt. p. 627.

Wederenſis Carthusianorum Cœnobii in diœcesi Monasterienſi initia. *p.* 732.

Wenceslaus III Rex Bohemiæ moritur. *p.* 202. Filius quoque occiditur, & regno Rex imponitur Rudolphus à parente Alberto Cæsare. p. 203.

Wenceslaus à fratre Carolo IV Rege Lutzenburgenſis Dux creatur. *p.* 333.

Wenceslaus Caroli IV Imperatoris filius nascitur : & de eo mala omina in baptismate. p. 358. Romanorum Imperator deligitur & coronatur. p. 393. Succedit *P*atri; labes Imperii. *p.* 404. Urbanum VI verum Pontificem admittit; & Telonia abrogat. *p.* 406. Aquisgranum accedit, & rejecto Clemente Urbanum Pontificem recipit. p. 409. Wilhelmum Montium & Ravensbergæ *C*omitem Ducem dicit. ibid. Otio deditus Imperii administrationem negligit. p. 413. 414. Bis captus custodiæ traditur. p. 452. Confert se in Galliam ad tollendum schisma Ecclesiæ. p. 453. De eo exauctorando agitur. p. 460. Exauctoratur. p. 469. Germanos professores ex academia *P*ragenſi pellit; & Hussitarum hæresin extinguere negligit. p. 470. 508. Ejus obitus. p. 533.

Wenceslaus Caroli Regis frater custos & defensor viarum per Rheni provincias constituitur. p. 369. A Juliacenſi Duce captivus ducitur. p. 384. Liber dimittitur. p. 386.

Wennemarus Fürſtenbergicus bellum gerit cum Arnoldo Brenkio. p. 378. Cum Henrico Episcopo Paderb. convenit. p. 379. Supremus Ducatus Westphaliæ Satrapa constituitur. p. 383.

Werlæ in Ducatu Westph. à Marcano Comite expugnantur, & flammis exuruntur. p. 420.

Werna Oppidum diœc. Monast. flammis exuritur. p. 581.

Wernerus ex familia Comitum de Falckenſtein succedit Gerhardo Archiep. Mogunt. p. 99. Romam proficiscitur. ibid. Paderbornæ veneratur Reliquias S. Liborii & omni exinde calculi dolore liberatur. p. 113 Legatos mittit ad visitandam diœcesin Paderb. p. 121.

Wernerus Puer à Judæis Wesaliæ occiditur. p. 158.

Wernerus Trevirenſis Archiep, moritur. p. 536.

Werneri Rolevingii Carthusiani laus. p. 764.

Werthinense Monasterium patitur à Conrado Archiep. Colon. p. 56. Abbas à Rudolpho Imperatore decretum impetrat de non alienandis bonis sine consensu Dominorum. p. 169. Monasterii Privilegia ab Henrico VII confirmantur. p. 219.

westerkottensium Salinarum lis componitur à Theodorico Episcopo Paderb. p. 225.

westphalia bello intestino conturbatur. p. 19 Tempestatibus vastatur. p. 31. & tumultuariis bellis. p. 171. 180. 194. 199 337. Pax ex fœdere plurium principum & Comitum. p. 132. Turbatur. p. 133.

wetzlaria Cæsari rebellis. p. 154.

wevelsburgum Castrum diœcesi Paderb. adjungitur. p. 194.

wicleffus primus auctor Hussitarum hæresis p. 507.

S. widekindi monumentum à Carolo IV Imperat. altiùs eductum exornatur. p. 402.

widekindus Mindensis Episcopus electus regalia accipit à Wilhelmo Romanorum Rege. p. 71. Hammeliam à Monachis Fuldensibus emit. p. 72. Sub eo conditur Vlotense Virginum cœnobium donatione Henrici Oldenburgensis Comitis. ibid. Moritur. p. 102.

widekindus de Monte succedit demortuo Ottoni in Episcopatu Mindensi. p. 375. Diploma impetrat ab Imperatore pro Ecclesiastica libertate. p. 399. Obit præclarè de Ecclesia meritus. p. 421.

widekindus waldecensis Comes succedit Brunoni Episcopo Osnabrugensi. p. 101. Ratam habet donationem Parentis. p. 117. Moritur. p. 151.

widenbrugum ac Reckenberga oppida Episcopo Osnabrugensi cedunt. p. 407. Præfectus à Paderbornensi Episcop. imponitur Henricus ab Oehr p. 444.

wigboldus Dynasta de Holte succedit Sifrido in Archiepiscopatu Colon. p. 182. Coronat Albertum Austrium electum Regem Romanorum. p. 186 Impetrat ab eodem plurima privilegia & telonia ibid. Coronat Elisabetham Alberti conjugem p. 187. Ab Alberto ad pacem ineundam cogitur. p. 195. Pie Susati moritur. p. 199.

wilbacense Cœnobium in Diœc. Paderborn. Bernardus IV. Episc. decimis auget. p. 43. Donationem acquirit. p. 135. Decimas 181. Oppidum muro incingitur, & jura civica impetrat. p. 236. Monasterium agros acquirit donatione Bernardi de Lippia Præpositi Ecclesiæ Paderb. p. 241.

Wilhelmus Arensbergensis Comes fœdus cum Simone de Lippia init, dexteris supra Eucharistiæ Sacramentum positis. p. 238. Moritur. p. 290.

Wilhelmus Buschius Canonicorum electione succedit in Episcopatu Mindensi Ottoni. p. 459. Marquardus à Pontifice renuntiatus rejicitur. p. 460. Wilhelmi obitus. p. 477.

Wilhelmus Genepensis Dynasta à Pontifice Ecclesiæ Colonienſi præficitur. p. 318. Studet clero reformando. p. 327. Multa præclarè ordinat in synodis. p. 329. Instaurationem juris veteris per Ducatum Westphaliæ à Carolo IV Rege impetrat. p. 334. Varia vitia & errores corrigit in suis. p. 339. Obitus & commendatio. p. 359.

Wilhelmus Hollandiæ Comes Rex Romanorum eligitur. p. 58. Aquisgrani coronatur. p. 59. Ducit filiam Ottonis Brunswicensis Ducis, & prima nuptiarum nocte vix evadit incendium. p. 67. Prælio vincit Conradum Regem: regnum stabilit; & Pontificem Lugduni invisit. p. 68. Conventum Principum Francofurti habet. p. 69. Vincit Margaretham Flandriæ Comitissam. p. 71. Laborat pro liberando Simone Episc. Paderb. & Widekindo Episcopo Mindensi regalia confert. ibid. Brunswicum proficiscitur, & rursus incurrit periculum incendii. p. 77. Insigni victoria adversus Frisones potitur: & Mindensi Ecclesiæ donat Dynastiam Steinwedensem. ibid. Variis injuriis lacescitur. p. 78. Iter Romanum impeditur: statuit, Abbatibus fas non esse, sine suo & Capituli consensu feuda abalienare. p. 80. Fatalis mors & encomium. p. 81.

wilhelmus Hollandiæ Comes familiæ ultimus à Frisiis occiditur. p. 308.

wilhelmus ab Holte Episcopus Monasterienſis eligitur. 98. Ejus acta & mors. p. 110.

wilhelmus Juliacensis Comes postquam diu vexasset diœcesin Colon. ab Aquisgranensibus occiditur. p. 134.

wilhelmus Juliacensis Comes à Benedicto IX Pont. Archiepiscopus Colonienſi, nominatur; & paulò post in prælio occumbit. p. 201.

Wilhelmus Juliacensis Dux Geldriam Juliæ conjungit. p. 384. Uti & Zütphaniam sententia Imperatoris Caroli IV. p. 403. Armisque vindicat. p. 405. Brabantinos Graviam obsidentes fugat. p. 425. Pacem firmat cum Episcopo Paderb. p. 426.

Wilhelmus Montium Comes capitur à prædonibus. p. 386.

Wilhelmus Montium & Ravensbergæ Comes ad ordinem Ducum provehitur. p. 409. A filio Adolpho capitur. p. 480. Ejus mors & præclarè acta. p. 489.

Wilhelmus Montium Dux à Capitulo Paderb. eligitur Episcopus in locum Joannis. p. 463. Bertrando æmulo in Italiam revocato à sede Apostolica confirmatur. p. 475. Canonicorum in urbe præsentiam urget; & plura præclarè ordinat p. 476. Jussu fratris capitur à Præfecto Ravensbergensi. ibid. Liber eundem ad obsequium Patris reducit. p. 481. Constitutionem edit de obedientiis Canonicorum. p. 482. Reformare cogitat Cœnobium Bodecense. p. 484. Cellam & ædem ad sanctam Animam consecrat. p. 485. Comitem Spegelbergicum & Hammelenses bello vincit. p. 487. Cum pluribus Principibus fœdus init; Lippienses ad præstandum fidelitatis juramentum

mentum adigit; & Lemgovienſes cogit ad evertendam arcem Lagenſem. ibid. Patri demortuo parentat; agitque de Bodecenſi Canonicarum Cœnobio convertendo in Monaſterium Canonicorum Regularium. p. 489. Reformationem perficit. p. 492. Studet reformando Cœnobio Abdinghovenſi; ſed impeditur ab Abbate & civibus Paderb. p. 497. Fruſtra tentat rem componere, Monachis cum civibus conſpirantibus. p. 498. Bello infeſtatur à Colonienſi Archiep. & Comite Cliviæ. p. 500. Quos in Delbruggia cum inſigni clade in fugam conjicit. p. 502. Bellum componitur. p. 503. 504. Rebellio Capituli & civitatis contra eum ſedatur. p. 505. 506. Rebelles apud Joannem XXIII Pontificem accuſat. p. 511. A quibusdam Canonicis eligitur Archiepiſcopus Colonienſis, ab aliis Theodoricus Mörſanus. p. 513. Adverſus quem ad Gregorium XII Pont. & Concilium Conſtantienſe appellat. p. 514. Diœceſis contra eum inſurgit. p. 515. Theodoricus à Joanne XXIII in ejus locum Adminiſtrator diœceſis renuntiatur. p. 519. Wilhelmus fruſtra tentat diœceſin recuperare. p. 521. Sponte Epiſcopatu abit, & ſponſam ducit Theodorici Neptem. p. 523. Ejus deinde vita. p. 524. A Paderbornenſibus in auxilium vocatur adverſus prædones. p. 530. Magnus Patronus Monaſterii Bodecenſis. p. 534. A Simone Comite de Lippia Comitatus Tutor eligitur. p. 545.

willebrandus Hallermonti⁹ Comes Corbeienſium Abbas eligitur Epiſcopus Mindenſis. p. 486. Ejus geſta, mores & obitus. ibid.

willebrandus II Mindenſis Epiſcopus ultimus Comitum Hallermontiorum obit & commendatur. p. 609.

Wiſeldus Prædo in Friſia interimitur. p. 461.

witlagenſe caſtrum in diœceſi Oſnabr. ab Engelberto Epiſcopo præmunitur. p. 239.

Wolbeca cum ſuis pagis adjungitur diœceſi Monaſter. & in arcem exſtruitur. p. 56.

Wunenberga arx diœceſis Paderb. ab Epiſcopo Henrico Spegelio pignoris loco datur Nobilibus de Weſtphalen. p. 407. Burani Dynaſtæ Simoni Epiſcopo Paderb. renuntiant juri, quod habebant in caſtrum & præfecturam Wunnenberg. p. 418.

Wurmelienſe Monaſterium diœceſis Paderb. facultatem impetrat à Pontifice recipiendi bona Virginibus jure patrimonii debita. p. 237. Ejus Cœnobii initia obſcura. p. 238.

Z.

Ziſca dominatum Regni Bohemiæ arripit & in Catholicos furit. p. 536. Sacra profanaque vaſtat. p. 537. Oculis amiſſis pugnare non deſinit. p. 539. Regni adminiſtrationem à Cæſare oblatam rejicit: omnibus eſt timori. p. 544. Ejus obitus & epitaphium. p. 554.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FINIS.



L. S.

Annal. Paderb. auth

Schaten.

N. 65 b.

1698

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

